BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLVII
G
30
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

SULPICII SEVERI OPERA

Digitized by Google

XLVII-8-30

SULPICII SEVERI OPERA

Ad MSS. codices emendata, notisque, observationibus & dissertationibus illustrata

STUDIO ET LABORE

HIERONYMI DE PRATO VERONENSIS

Congregationis Oratorii ejusdem Civitatis Presbyteri.

TOMUS SECUNDUS.



VERONÆ, MDCCLIV.
Apud Augustinum Carattonium Episcopalis Seminarii Typographum.
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO.

Excusat Editor tarditatem suam in hoc edendo Volumine, monetque Lectorem de nonnullis inde ortis in temporum notatione parachronismis.

SERIUS quidem multo, quam vel rationes a nobis non semel initæ ferebant, vel multorum exspectatio crebræque expostulationes exigebant, prodit demum SULPICII SEVERI Tomus alter, *Historiam*, ut vocant, *Sacram* exhibens Adnotationibus, Dissertationibus ac fusioribus aliquot Observationibus illustratam: quamquam Dissertationes & Observationes ad Christi tantum tempora perduximus, proprerea quia volumen hoc molem prioris jam excedebat, complura autem adhuc supererant ad ecclesiasticam quattuor priorum a Christo nato sæculorum, seu *usque ad Stiliconem Consulem*, ut ipsius Severi verbis utar, historiam spectantia, quæ, si Deus dederit, opportuniori tempori, tertioque Tomo fusiori aliquando stilo edissereda reservamus. Porro diuturnæ adeo tarditatis in hoc edendo libro, & procrastinationis caussas neque modo in medium producere & singillatim recensere necessarium esse existimo, neque, si producere vellem, fidem fortasse apud plerosque obtinerent. At vero probe mihi conscius sum, non negligentia & desidia mea factum, atque adeo non id vitio mihi jure posse verti, ut ante decem & eo amplius annos incepta & jam pridem affecta editio ad hanc usque diem imperfecta jacuerit, frequentibus morulis, aut longis aliquando interrupta cessationibus, quæ sane nemini magis quam mihi importunæ & molestæ acciderunt, utpote quæ acciderunt vel propter affectam per integrum fere biennium stomacho languente valetudinem, vel propter assiduas vitæ Instituto quod profiteor adnexas occupationes, quæ vix, aut ne vix quidem succisivas aliquot horas huic nostro studio impendere sæpius permittebant, vel etiam propter ipsam rei difficultatem, & inextricabiles aliquot nodos, qui discutiendi & expediendi ex improviso occurrebant, vel denique propter typographicas operas aliis excudendis libris intentas. Hæc nimirum, & alia hujusmodi, si opportunum esset, caussari verissime possem, quo purgarem tarditatem meam: sed, sat scio, hoc omne excusationis genus, utpote nimis tritum,

2. Illud tantum præmonuisse statim initio Lectorem, ex re mea suaque fuerit, sicuti longo illo quod dicebam, decem fere annorum spatio sensim, & interrupte excusus fuit liber, ita factum ut quædam in eo occurrant loca, quæ ambiguitatem aliquam, si inter se conferantur, parere possint, eo quod in adnotatione temporis a se invicem differentiant. Exemplo sit, quod in Notis ad pag. 22. de Paullo Galleardo legitur, eum nimirum *anno superiore fatis functum*, rursusque quod pag. 529. habetur, nempe epistolam Cl. Laurentii a Turre *de Codice Evangeliario Forojuliensi*, fuisse *nuper* Venetiis recusam. Utrumque congruit tempori, quo folia illa impressa fuerunt, licet non conveniant secum: nam optimi viri Galleardi obitus, quem non sine dolore commemoro, accidit anno CIↃIↃCCXLI., secunda autem laudatæ epistolæ editio anno proxime elapso, seu CIↃIↃCCLIII. prodiit.

Perstrin-

scriptum, sed unice ob falsam Victorii interpretationem insertum primum in Martianæi editionem. abest enim, ut diai, in Victoriana, abest in Cap. codice, abest in Parmensi edit. paullo ante laudata; abest denique ab omnibus, quas quidem viderim, ante Parisiensem a Martianæo curatam excusis.

Quoniam vero mihi est præ manibus hæc ad Julianum epistola, alium ejusdem locum placet restituere. Ubi Editi habent, *Et licet me sinistra Ibera excetra ore dilaniet*; in Cap. MS. legitur, *Hibera excetrarum ore*, & in Parmen. edit. *Hiberia excetrarum ore*. Vallarsius ipse monuit: *MSS. atque excusi vetustiores*, Hiberia excetrarum ore, *vel* more. Ex hac itaque corrupta lectione erui potest, quæ germana est: scilicet, *Et licet me sinistra Ibera excetra rumore dilaniet*. Profecto quid significet *sinistra rumore*, facile quilibet intelliget, non ita, quid *sinistra ore*: præterquam quod excetra, seu *hydra multorum capitum* e poetis fingitur, ut ipse Hieronymus initio libri adversus Vigilantium scribit: quam & Virgilius, VIII. Æn. vers. 300., habet,

Lernaus turba capitum circumstetit anguis.

Ceterum & alibi Hieronymus detractores suos hydræ appellatione sugillat: hæc enim habet in Proœmio Comment. in Ezechielem de Rufino nuper mortuo: *Et hydra multorum capitum contra nos aliquando sibilare cessavit*. Sed quæritur, quemnam hoc loco designare voluerit sub *Ibera excetra* nomine? Martianæus intelligit *Lupicinum Sacerdotem* (cujus mentio est epist. VII. num. 5.) *qui sororis forte Hieronymi casus & culpa particeps, postea fratri detrahebat*. Vallarsius in medio relinquit, *sive is Lupicinus Episcopus, sive quis alius fuerit: non enim quod Iberum vocet, Hispanum hominem comminisci necesse est, aut verosimile*. At ego primum minime huic assenserim, ne frustra appositum fuerit patronymicum illud *Ibera*: deinde dubitaverim, utrum vir aliquis, an potius mulier lateat sub nomine *excetra*. Sane *excetram* per convicium mulierem dictam apud Plautum lego, Casinæ Act. III. Sc. V. vers. 19. & Pseudoli Act. I. Sc. II. vers. 82. Sic apud Livium, lib. XXXIX. cap. XI., alias VIII., Æbutii mater exclamat: *Hispala* (Feceniæ huic nomen erat) *concubitu carere eum* (Æbutium) *decem noctes non posse: illius excetra delinimentis & venenis imbutum, nec parentis nec vitrici nec deorum verecundiam habere*. Postremo ipse Hieronymus, epistola ad Sabinianum, quæ in Ed. Ver. est CXLVII., num. 8. virginem quamdam Deo dicatam sugillans, quæ eum Sabiniano de stupro condixerat, hæc habet: *At tu bona spei columen* (alia lectio, *coluber*) *excetra stimulis inflammatur*. itaque & hoc loco mulier aliqua designata videtur. Nam vero ea fuerit Castorina Hieronymi matertera, quam sane diu nepoti infensam fuisse constat ex epistola ad eamdem ab eo scripta, quæ est XIII., minime definiverim, præcipue quod videam id sedulo egisse Hieronymum, ut *veteri rancore deposito* eam sibi reconciliaret. Neque etiam aliunde scimus Hieronymum materno genere Hispanum fuisse, ut materteram *Iberam* dicere putaverit. Sed de his satis superque.

Perstringitur argumentum totius hujus Præfationis: tum, post recensita eruditorum virorum de hoc Sulpicii Severi opere judicia, suum quoque proponit Editor.

3. Verum alia multa & graviora sunt, de quibus est nobis in hac Præfatione agendum: scilicet quæcumque ad hos Sulpicii Severi libellos *de Historia Sacra* aliqua ratione spectant, investiganda nunc & illustranda sunt ex instituto. Quæremus itaque singillatim, quæ hujus operis scribendi occasio, quis titulus, quoque tempore scriptum fuerit: tum quorum opera post renatas demum litteras evulgatum & illustratum fuerit: postremo quid nos præstiterimus, ut hanc editionem adornaremus, & præcedentibus omnibus utiliorem uberioremque pro viribus præstaremus. Sed primum ex Testimoniis potissimum Tomo primo collectis excerpere juvabit, quæ in hujus potissimum operis commendationem scripta fuerunt a viris doctis & eruditis nostræ, proximæ & superioris ætatis: sunt autem ea Severi nomini honorificentissima. Victor itaque Giselinus, de quo plura suo loco dicemus, de hoc, ut ipse vocat, *Opusculo* agens, uti definire non audet, sed *iis quorum illud est judicium, judicandum relinquit, an ullo umquam sæculo reipublicæ Christianæ utilius ac præstabilius editum sit*; ita, quod ad *elegantiam* spectat, minime ambigit affirmare, *nulli idem omnium scriptorum Ecclesiasticorum quidquam concedere*; *alia vero omnia* (nempe, *scripta*) *quæ in eodem genere versantur, tanto intervallo omnimodis superare, ut ne sint quidem ad hoc comparanda*: quibus verbia, ut apertius postea significat, designat *Orosium*, *Florum*, *Eutropium*, *aliosque Epitomatum auctores*. postremo pronuntiat Severum *eam palmam sola Crispi Sallustii rerum Romanarum auctoris florentissimi imitatione consequutum*. Sequitur ordine temporis Carolus Sigonius, a quo sub initium Commentarii in *Historiam Sacram*, primum Severus appellatur *homo ut sanctus, sic disertus imprimis & eruditus*, deinde adolescentes incitantur, ut ejus historiam *eo animo legant, ut plurimum se non tam in prudentiæ* (*), *quam in religionis & innocentiæ studio profecturos esse confidant; addo etiam* (pergit) *latinæ eloquentiæ, quam ille tanta industria coluit, ut Sallustianam dictionem nobis magna ex parte expresserit*. Ad hos ipsos Severi libellos respexisse videtur etiam Josephus Scaliger, qui eum *Ecclesiasticorum purissimum Scriptorem*, & Barthius aliique, qui *Christianum*

(*) Ne quem fallat hæc obscura & ambigua loquendi ratio, moneo eam ex Sigonii stilo idem valere, ac si dixisset, & quidem elegantius, *tum in prudentia, tum in religionis & innocentia studio*, vel *non minus in prudentia, quam*, &c. Idem in ipso ejus Commentarii initio de S. Gregorio Nazianzeno scripsit: *Homo non tam sanctitatis, quam doctrinæ atque elegantiæ singularis*: quem locum merito notavit Censor Sigonii, Tomo VI. noviss. edit. Mediol. colum. 1157., in *Vigesima Notatione*. Purgare quidem ille se in subjecta responsione contendit, sed non ita tamen, ut Censori satisfecerit, qui in adnexa monitione eidem rursus obiicit, quod alibi, de Zacharia Papa scribens, dixerit, *Rebus non tam pie quam prospere gestis*.

Digitized by Google

ſtianum Salluſtium * nuncuparunt. Sane Du-Pinius Salluſtio ipſi hunc aliqua ratione præſtare judicavit: *Auctor hic*, inquit, *elegans eſt, & admodum caſte politeque ſcribit, ſingularem brevitatem ſummæ perſpicuitati conjungens, in quo Salluſtium quem imitatus eſt, antecellit. Hiſtoriæ Breviarium adeo concinne elaboratum, & eleganter ſcriptum (ſi bien fait, & ſi bien écrit*: etenim Gallicis auctoris verbis preſſius inſiſtere nunc placet) *non exſtat aliud*. Hæc itaque doctiſſimi viri de præſtantia & utilitate hujus Operis, quæ ſane quemlibet ſacris ſtudiis deditum perſuadere debent, ut id ſibi aſſidua & attenta lectione familiare & intimum eſſe velint, præcipue quum verſetur circa argumentum eximium ſcituque digniſſimum.

4. Equidem (ſi, quid ego de his ſentiam, requiras) quamvis elegantiæ ſingularis laudem Severo nemo jure negaverit, ut ſunt tamen aliqui etiam in egregio corpore nævi, ita non potuit ille a ſuis ſcriptis omnem ætatis qua vixit, & latinitatis quæ ipſi vernacula erat, rubiginem abſtergere: adeo ut in hoc etiam Hiſtoriæ Sacræ Breviario, ad imitationem Salluſtii conſcripto, offendat aliquando, & a puritate latini ſermonis declinet: quod diligenter adnotatum ſingillatim fuit a Joanne Vorſtio multum in his ſtudiis verſato, utpote qui duos antea libros ediderit, quorum primo *de Latinitate falſo ſuſpecta*, altero *de Latinitate merito ſuſpecta* titulum fecit. Verum ſunt nonnulla alia gravioris momenti, in quibus nempe minus recte & pie de rebus ad Chriſtianam religionem, aut Eccleſiaſticam diſciplinam ſpectantibus ſenſiſſe Severus & ſcripſiſſe a graviſſimis viris eſt accuſatus: hæc tamen vel defendere, ſi ſalva religione poſſit, vel ſaltem elevare & in æquiorem partem interpretari, par eſſe cenſemus, ut fieri ſolet in aliis antiquorum Patrum ſcriptis, quoties occurrunt in iis quædam quæ minus conſentanea ſunt, aut eſſe videntur eum Theologorum placitis: nam ea temporum potius, quibus vixerunt Patres illi, quam ipſorum vitio tribuenda eſſe manifeſtum eſt. Quod autem magis anxium, & ſollicitum deberet in evolvenda Severi Hiſtoria præſtare Lectorem, ſunt frequen-

(*) Equidem non modo Salluſtii concinnam brevitatem ſibi, quoad potuit, imitandam propoſuit Severus, verum etiam ejuſdem verbis & ſententiis non raro utitur, ut aliquando monuimus in Notis. Pauca nunc indicabimus loca inſignia, quæ ibidem cum Salluſtianis conferre omiſimus. Pag. 11. lin. 24. Severus habet: *Incredibile memoratu eſt, quam cito numero aucti ſint*; quod petitum eſt ex Salluſtio, in B. Catil. cap. VI. *Incredibile memoratu, quam facile coaluerint*, & cap. VII. *incredibile memoratu* ....., *quantum brevi creverint*. Pag. 31. lin. 3. *Tanta hoc tempore animos eorum habendi cupido veluti tabes inceſſerat*: Salluſt. B. Jug. cap. XXXVII. *Tanta vis avaritia in animos eorum veluti tabes invaſerat*. Eadem pag. lin. 8. *Sed longius quam volui egreſſus ſum, dum me temporum noſtrorum piget tædetque: ad inceptum redeo*. Sall. B. Jug. IV. *Verum ego liberius altiusque proceſſi, dum me civitatis morum piget tædetque. nunc ad inceptum redeo*. Pag. 47. lin. 6. *Nos eam rem, ut parum compertam, in medio relinquemus*: Sall. B. Cat. XIX. *Nos eam rem in medio relinquemus*. Pag. 239. lin. 2. *Concilium* Ariminenſe *bono initio, fœdo exitu conſummatum*: Sall. B. Cat. XI. *bonis initiis malos eventus habuit*. Pag 245. *Vir ſane peſſimus, & ingenio malo pravoque*: Sall. Cat. V. *Sed ingenio malo pravoque*. Pag. 261. lin. 6. *Certe Ithacium nihil penſi, nihil ſancti habuiſſe definio*: Sall. Catil. V. *neque* ... *quidquam penſi habebat*: & cap. XII. *nihil penſi, neque moderati habere*. Pag. 269. lin. 3. *turbari aut miſceri omnia cernerentur*: Sall. Catil. *neque mutari ac miſceri omnia cerneret*: ex quo loco corrigendum puto apud Severum illud *aut*.

frequentes, nec ii leves lapsus in Historia & Chronologia. Sed primum iniquum esset a Scriptore ejus ætatis, qui res gestas a mundi exordio ad sua usque tempora duobus libellis comprehendere aggressus est, eam accurationem & ἀκρίβειαν requirere, quam vix reperire est in plerisque hodiernis Scriptoribus, licet tam multis præsidiis instructis, quibus antiquiores caruisse constat. Deinde, si quæ nos, ut de aliis nunc taceam, ad illustrandum Severum commentati sumus, consulere Lectorem non pigebit; habebit, ut spero, in hac quoque parte, quo desiderium suum abunde expleat, aut non multum desideret in ejus Historia exactam temporum & rerum gestarum notitiam: quantum tamen hinc rerum prope immensa copia & multiplex connexio, illinc præfiniti interpreti fines excurrere patiebantur.

Quæritur primum, quæ Severo scribendi hujus Operis occasio fuerit: tum de ejus in duos libros partitione agitur.

5. His opportune prænotatis, aggrediamur tandem de iis agere, quæ paullo antea nobis proposuimus: ac primum videamus, quæ hujus Breviarii scribendi occasio, quis titulus, & quo tempore scriptum aut editum fuerit. Porro scribendi occasionem ipse Severus satis indicat in Prologo, ubi scribit, *multos, qui divina* (seu, *res sacris litteris editas*) *compendiosa lectione agnoscere properabant*, id operis a se *flagitasse*, quibus morem gerere non recusaverit. addit autem, *visum sibi esse non absurdum, cum usque ad Christi crucem Apostolorumque actus per Sacram Historiam cucurrisset* (quod nimirum erat primarium operis argumentum) *etiam post gesta, usque ad suam memoriam, connectere*. Hæc ille; qui tamen non declarat, quinam fuerint illi *multi*, qui a se poposcerant historicum hoc librorum utriusque Fœderis compendium: attamen, si conjecturis in re obscura locus esse potest, admodum verisimile est, Severum ad scribendum accessisse potissimum in gratiam monachorum, quorum magnum numerum domi alebat, & in pietatis rudimentis instituendos susceperat: de quibus recole, quæ diximus in ejus Vita §. VIII., quo loco non monachum tantum, sed etiam monachorum patrem eum fuisse ostendimus. Nihil vero obstat, quin in privatum suorum usum scriptos primum libros, in communem Christianorum utilitatem vulgare postea cogitaverit: quod colligitur tum ex verbis Severi a S. Paullino relatis in epist. XXVIII., quibus nempe huic significabat, se *pro utilitate fidei nostræ inspiciendis & conferendis præteritorum temporum rationibus occupatum esse*; tum potissimum ex Prologo, ubi nempe, quum dicat, se, *sicubi ratio exegit, ad distinguenda tempora continuamdamque seriem usum esse historicis ethnicis, atque ex his, quæ ad supplementum deerant, usurpasse*; hanc adfert instituti sui rationem: *ut & imperitos docerem, & litteratos convincerem*. Eo itaque consilio, *quæ permultis voluminibus* (quibus nempe constat sacræ Scripturæ canon) *perscripta continebantur, duobus libellis conclusit*, ut ibidem testatur, attestante id quoque Paullino Petrocoricensi, non inelegantibus hisce versiculis:

Hic Sacrum Canonem, distentæ & scripta coartans
Historiæ, geminis conclusit cuncta libellis,
Quæcumque a primis percurrerat edita sæclis.

Eaque

Eaque totius operis in duos libros partitio apparet etiam nunc in editis libris; quamvis neque in fine prioris, neque initio alterius, aut alibi quidquam habeatur, ex quo eadem colligi possit: cujus rei hæc esse caussa potest, quod post opus jam absolutum auctor cogitaverit in majus lectorum commodum cessurum, si id in duas fere æquales partes, seu libros partiretur.

Non Sacra Historia, *sed* Chronica *est germanus Operis titulus: qua occasione obiter agitur de* Chronicis *Cornelii Nepotis*.

6. Sed quem titulum ipse præfixerit universo operi, nullibi declarat Severus, nec aliunde perspectum usquequaque est. Inscribitur quidem in omnibus libris editis, *de Historia Sacra:* sed hunc minime genuinum esse titulum colligitur primum ex ipso Severo, qui sæpius ea ipsa appellatione designat sacros Scripturæ textus, quos *fontes* etiam & *origines* alibi vocat. Itaque in ipso Prologo se *per Sacram Historiam concurrisse* ait; & lib. I. cap. XXXVI. de Samuele agens, hæc habet: *Quia fere nihil de ejus annis Sacra Historia signavit:* rursus lib. II. cap. V. *Quamquam id non in Sacra Historia scriptum invenerim*; demum cap. XIV., quum dixisset, *Sed quis eo tempore regnaverit, Divina Historia non edidit*; addit paullo infra, *Sed huic opinioni eadem Sacra Historia repugnat*. Præterea antiqui omnes, qui hujus Operis meminerunt, non Historiam Sacram, sed *Chronica* appellant, ut Gennadius, Vigilius Tapsensis, Gregorius Turonensis, aliique in Testimoniis tom. I. relati. Accedit Vaticani MS., de quo infra, auctoritas, qui & initio hæc habet. *Incipit Prologus Sulpicii Severi in Chronica quæ ipse fecit ab exordio mundi usque ad tempus suum*; & in calce libri primi: *Explicit Sacrorum Chronicorum liber primus*, &c. Fuerit itaque antiquus & germanus titulus, *Chronica*, seu *Chronicorum*, aut *Sacrorum Chronicorum*, quem ab ipso Auctore esse minime dubitamus, quum in eo quoque sequenda sibi forte proposuerit exempla non Græcorum tantum, sed & Latinorum, qui libros suos de antiqua & universali historia tractantes inscripserunt *Chronica*. Unum ex Latinis nominabo, *qui*, ut Plinius scribit, *Divi Augusti principatu obiit*, Cornelium Nepotem *conterraneum meum*, (ut *castrensi* verbo utar, quo idem C. Plinius Secundus Catullum, itidem Veronensem, civem suum appellare voluit) cujus *Chronica* (*) laudantur ab antiquis, præcipue ab A. Gellio,

(*) Hæc Chronica, ut alia pleraque Nepotis scripta, temporum injuria interciderunt, præter pauca admodum fragmenta ab antiquis laudata, quæ jampridem collegit Andreas Schottus, quæque *Vitis Excellentium Imperatorum* subdi solent. Sed, quod proprie spectat ad fragmenta Chronicorum, notandum est, in ipsorum titulo perperam indicari ex libro primo omnia esse desumta, quod tamen de fragmento primo ex A. Gellio depromto unice constat. Notandum secundo, omissum fuisse fragmentum illud, quod in Chronico Eusebii, sed a S. Hieronymo insertum, legitur ad num. MCI. juxta Scaligeri editionem. Est autem his omnino conceptum verbis: *In Latina historia ad verbum hæc scripta reperimus: Agrippa apud Latinos regnante, Homerus poeta in Græcia claruit, ut testatur Apollodorus grammaticus, & Euphorbus* (leg. *Ephorus*) *historicus, ante urbem* (*Romanam*) *conditam an. CXXIV. &, ut ait Cornelius Nepos, ante Olympiadem primam annis C.* Sed forte omissus hic locus fuerit, quod minus conveniat cum iis, quæ apud A. Gellium ex ejusdem Nepotis sententia leguntur. Locus Gellii integer est: *Quoniam de Homero & Hesiode*

lio, qui quum lib. XVII. Noct. Att. cap. 21., semel habeat, *Cornelius Nepos in primo Chronicorum*, indicio est ea pluribus libris constasse, quos quidem tres omnino fuisse persuasum est nonnullis, conjectura ducta ex illis Catulli ad eumdem versiculis, quos tamen alii aliter interpretantur. (*)

> *Jam tum quum ausus es unus Italorum*
> *Omne ævum tribus explicare chartis,*
> *Doctis, Jupiter! & laboriosis.*

Utcum-

Hesiodo inter omnes fere scriptores constitit, ætatem eos egisse vel iisdem fere temporibus, vel Homerum aliquanto antiquiorem; utrumque tamen ante Romam conditam vixisse Silviis Albæ regnantibus, annis post bellum Trojanum, ut Cassius in primo Annalium de Homero atque Hesiodo scriptum reliquit, plus centum atque sexaginta, ante Romam autem conditam, ut Cornelius Nepos in primo Chronicorum de Homero dixit, annis circiter centum & sexaginta. Certe qui Homerum ante U. C. annis circiter CLX. vixisse dixerit, non potuit scribere eumdem vixisse, *ante Olympiadem primam annis centum.* Sed numeri in Chronicis facile vitiati fuerint: nam cum a num. Abrahami MCI., cui affigitur illa perioche, ad num. MCCLXIV., cui adfigitur Urbis natalis, inclusis terminis, anni omnino CLXIV. intercedant, conjicere possumus ita in fragmento Chronici legendum, non, ut facili mutatione legitur, *anni CXXIV.*; adeoque hic locus cum illo concordaret, ubi, referente Gellio, Nepos *annos circiter centum & sexaginta* ab Homero ad U. C. computavit. Simul autem emendare oporteret alterum locum, ubi *anni centum* tantum ad primam Olympiadem ponuntur; quæ prima Olympias cum adfixa sit num. MCCXLI., supplendi essent anni XL. supra illos centum, qui in eo fragmento expressi habentur. Sed quum ex Solino habeamus, *Nepoti & Lutatio, opinionem Eratosthenis & Apollodori comprobantibus*, placuisse Romam conditam *Olympiadis septimæ anno secundo*, anni tantum CXXXVIII. ab Homero ad Olympiadum initium essent numerandi, quibus nimirum additæ sex Olympiades cum dimidia, seu anni XXVI., efficerent summam an. CLXIV. supra expressam, ad Romam usque conditam. Verum etiam in Gellii textu mendum subiisse suspicor, ubi legitur Homerum & Hesiodum vixisse *annis post bellum Trojanum plus centum & sexaginta*: legendum enim videtur *plus bis centum & sexaginta*. Ita sane facile colliges annos circiter CCCCXXX., quot fere juxta accuratiores calculos a Troja capta ad U. C. numerantur. Equidem etiam Scholiastes Juvenalis, ad Satyr. VII. vers. 39., quo versu innuitur Homerum ante *mille annos* floruisse, notavit hæc: *Fuit autem Homerus annis ante urbem conditam CLX., post Ilium captum CCLX.*, hunc Gellii locum forte præ oculis habens, aut, unde Gellius sumsit, Cassii. Ceterum est admodum communis apud Latinos scriptores is computus. Plinius lib. VII. Hist. Nat. cap. XVI. ante annos prope mille Homerum vixisse voluit: scribebat ille circa annum U. C. DCCCXXX., si hunc numerum ex millenario detrahas, reliqui erunt an. *prope* CLXX., quibus ante U. C floruerit Homerus, atque eden an. CCLX post Ilii excidium. Sic Paterculus, qui scribebat an. ab U. C. DCCLXXXIII., tradit eum *ferme ante annos DCCCCL. floruisse*; atque adeo *ferme* ann. CLXVII. ante U. C. Ceterum emendandum esse in Gellio numerum *plus centum & sexaginta*, in *plus ducentis & sexaginta*, præfidenter statuit etiam Lipsius in Animadv. in eum Paterculi locum.

(*) Clariss. Vulpius, quem honoris caussa nomino, in primis suis Observationibus in Catullum, an. 1710. editis, in eam aperte ivit manibus pedibusque sententiam, ut *tres chartæ* Catullo essent *exiguæ molis libellus*. *Omnino*, inquit, *dimoveri non possum, quin eorum Interpretum sententiæ accedam, quibus tres chartæ sunt exiguæ molis libellus*, &c. Sed in altera, eaque uberiori editione an. 1737., utramque opinionem proponit, neutri mordicus adhærens, neutram aperte rejiciens, quod & nos facimus, ejus exemplo & auctoritate permoti. *Tribus chartis: id est*, inquit, *tribus voluminibus, ut contendit Josephus Scaliger, & duo Vossii, nempe Gerardus Joannes loco paullo ante allato, & Isaacus ejus filius ad Catullum. Libros enim nonnumquam chartarum nomine significabant. Ovidius Tristium lib. 3. Elegia I.*

> Nullus in hac charta versus amare docet.

Nisi mavis numerum finitum pro infinito positum esse, ut nimirum tres chartæ significent paucos libros, aut breves: cui explicationi favet Achilles Statius Lusitanus, &c. Hæc ille, ex quibus tamen satis arguitur, in quam partem propendeat, & ne a prima sententia, quam etiam nonnihil temperavit, tacite recedat.

Digitized by Google

Utcumque tamen sit, juvabit hos elegantes versiculos recitasse, qui sane exigua mutatione aptari jure possint Severo, utpote qui Patrum, Latinorum certe, *unus*, seu primus, *ausus est omne ævum duabus explicare chartis*, seu, ut ipsius verbis utar, *res a mundi exordio sacris litteris editas, & permultis voluminibus perscriptas, duobus libellis concludere*, *doctis* illis sane, prout ea ferebat ætas, *& laboriosis*. Sed ad alia progrediamur.

Statuitur tempus, quo his scribendis libellis vacabat Severus; nempe ab anno CCCC. ad CCCCIII.

7. In Severi Vita §. XI. jam designavimus tempus, quo his libellis conscribendis operam dabat: scilicet, anno fere CCCC., aut non multo post id operis aggressus, eidem absolvendo intentus adhuc erat anno CCCCII. & sequenti. Et primum quidem colligitur ex consulatu Stiliconis, quem quasi indicem & metam totius operis esse voluit, scribens lib. II. cap. IX. *Omne enim tempus in Stiliconem consulem direxi:* constat autem hunc consulem fuisse primum anno CCCC., iterumque anno CCCCV.: sed ratio omnino persuadet, ut credamus primum Stiliconis consulatum a Severo fuisse indicatum, qui ea scripserit, antequam ille consul iterum procederet. Reliqua vero colliguntur ex serie chronologica epistolarum S. Paullini Nolani, & potissimum ex epist. XXVIII., & XXXI. quarum utraque ad Severum data est. Nempe in prima, anno CCCCII. affixa, respondet Severo, qui, quum ipsi significasset se *inspiciendis & conferendis præteritorum temporum rationibus occupatum*, eumdem consuluerat de aliquibus difficultibus, quas in contexendo opere illo offenderat. *Præterea autem*, inquit num. 5., *jussisti, ... ut quæ in tuis annalibus non unius gentis, sed generis humani fugerent, ego videlicet quasi peritior edocerem*. & infra: *Quod de me (f. meo) non habui, de fratris unanimis opulentiori thesauro petivi; & ipsam adnotationem, quam commonitorii vice miseras, litteris meis inditam direxi ad Rufinum presbyterum, sanctæ Melani spiritali in via comitem ..... Si ille has, quæ merito te permovent, de annorum sive regnorum non congruente calculo hiantis historiæ caussas non ediderit ....., vereor ne apud alium in his regionibus frustra requiramus*. In altera vero epistola, anno sequenti scripta, mittit Severo particulam sanctissimæ Crucis ab Hierusalem sibi allatam a Melania, qua occasione refert ab ea acceptam historiam inventionis ejusdem Sanctæ Crucis, quam Severus historiam fere ad verbum postea inseruit libro II. cap. XXXIV. Hæc sunt quæ de tempore scripti a Severo Historiæ Sacræ Breviarii comperta habemus: quando autem id absolverit, aut si ediderit, nec ne, incertum nobis est. certe non desunt indicia, ex quibus suspicio nobis aliqua iniicitur, numqam editum fuisse ab auctore: primum, quod nemini illud nuncupaverit; secundo, quod antiquis Patribus parum cognitum & usurpatum fuerit; postremo quod in eo multa occurrant, quæ limatius polienda, & majori cura elucidanda ei erant: cujusmodi sunt de quibus ad Paullinum, ut vidimus, scripserat, hic autem ad Rufinum.

Proponi-

Digitized by Google

Proponitur & expenditur sententia nuperi Scriptoris, qui anno CCCC. vulgatam a Severo Historiam Sacram *tradit.*

8. Sed, quoniam ex Historia Litteraria Italiæ, a Clariss. Viro Francisco Antonio Zacharia S. J. presbytero, ut fertur, conscripta, comperi nuperum & eruditum e Congregatione Somasca scriptorem, Jo. Stephanum Remondinum, multo aliter sentire de tempore scriptorum a Severo Chronicorum; antequam ad alia progrediamur, opere pretium erit paullisper subsistere, ejusque sententiam proponere ac expendere. P. Remondinus itaque, Hist. Eccl. Nolanæ Tomo II. Neapoli an. 1751. edito, de S. Paullino, ejusque scriptis fuse agens, ubi ad epistolam, quæ in editione Le-Brunii est XXVIII., pervenit, contendit contra Le-Brunium ad annum CCCXCVII. esse revocandam. Ejus momenta hæc sunt, quantum ex Hist. Litt. Vol. V. pag. 597. colligo: nam illius liber nondum in meas manus pervenit. Observat primum in ea epistola Paullinum respondere Severo, qui ei proposuerat nonnulla quæsita ad suam *Historiam gentium* spectantia: itaque recte inferr haud esse verisimile eam jam tum editam fuisse: atqui, pergit ille, edita fuit anno CCCC. Observat secundo in eadem epistola mentionem fieri intimæ amicitiæ, quæ intercedebat inter Paullinum & Rufinum *sanctæ Melani spiritali in via comitem*, nempe, ut ipse aliique ad litteram interpretantur, individuum Melaniæ in omnibus suis peregrinationibus comitem. At illa, inquit, Nolam pervenerat sub initium an. CCCXCVII. Rursus Le-Brunium castigare aggreditur, quod etiam epistolam XXIX. an. CCCCII. adfixerit: animadvertit autem in ea agi de adventu S. Nicetæ episcopi Romatianæ ad urbem Nolam, quod factum vult an. CCCXCVIII., adeoque huic commodum anno restituendam eam epistolam contendit. Verum enimvero, quod ad primum argumentum spectat, ex jam dictis a nobis, quam parum aut nihil illud valeat, non obscure apparet: nam liquet quidem Severum annum CCCC., seu Stiliconis consulatum, sibi proposuisse quasi terminum operis, & quamdam temporis ἐποχὴν: non inde tamen consequitur, ut eodem anno illud absolverit, & vulgaverit. Id satis non attenderunt alii quidam viri, ceteroqui accuratissimi, qui de ea Severi *Historia* ita scripserunt: *Quam terminavit anno* 400., *ad Paullinum miserat* (puta, an. 402.), *ut si quæ ibidem addendæ vel corrigenda viderentur, edoceret*: certum enim est ex eadem Paullini epistola, Severum eo ipso tempore *inspiciendis & conferendis præteritorum temporum rationibus occupatum* adhuc fuisse, adeoque inceptum quidem ab eo opus, non absolutum. certum est item non *Historiam* ipsam ad Paullinum misisse Severum, sed tantum *adnotationem* quamdam: ita enim ibi legitur: *Et ipsam adnotationem, quam commonitorii vice miseras, litteris meis inditam direxi ad Rufinum presbyterum.*

S. *Mela-*

Google

S. Melania reversa est in Italiam anno CCCCII., non vero CCCXCVII., ut quidam perperam cum laudato Scriptore statuerunt.

9. Sed ad alterum argumentum veniamus, quod quidem pendet ex tempore quo S. Melania ex Oriente in Italiam regressa est, & Nolæ a Paullino, ut ipse tradit epist. XXIX., hospitio fuit excepta. Ac de Rufino quidem constat inter eruditos, in Occidentem reversum circa annum CCCXCVII., sed non convenit inter ipsos, utrum eodem tempore redierit & Melania. Equidem omnium primus Ven. Cardinalis Baronius ad an. 397., ac postea Cardinalis Norisius, Hist. Pelag. lib. I. cap. 2., tradiderunt utrumque simul eo ipso anno, seu, ut singillatim Norisius, præcedenti, remigrasse in Italiam, tum aliis persuasi rationibus, tum potissimum quod Paullinus dixerit Rufinum *Sanctæ Melaniæ spiritali in via comitem*. Sed Norisii opinio a PP. Maurinis, in recensendis epistolis S. Augustini, tacito tamen ejus nomine, repudiata fuit: vide eosdem, Præfat. Tom. II., in recensione epist. XCIV. & seq., ubi Melaniam non ante an. CCCCII. reversam statuunt. Porro hæc eadem sententia placuit, & propugnata postea fuit a Jo. Baptista Le-Brunio editore S. Paullini, & a Tillemontio, præcipue in Not. II. in Vitam S. Melaniæ. Adversus hos pro Baronio & Norisio insurrexit postea Pagius, ut videre est in ejus Critica, ad an. 397. Sed non vacat Pagii momenta singillatim expendere & refellere, præcipue quum id abunde & naviter præstitum fuerit ab eruditis fratribus Balleriniis in Observationibus in Hist. Pelag. Norisii, lib. I. cap. II. num. 5. Equidem hi postremi quæstionem illam adeo præclaro in lumine collocarunt, ut sperandum foret neminem postea dubitaturum quin Melaniæ reditus in Italiam nonnisi an. CCCCII., atque adeo quinquennio post reditum Rufini, contigerit. Ecce autem quatuor non obscuri nominis scriptores prodierunt postea, qui, aut non lectis, aut non attente perpensis Le-Brunii, Tillemontii & Balleriniorum argumentis, Melaniam cum Rufino anno CCCXCVII. reversam in Italiam cum Pagio statuere adhuc pergunt: sunt autem Fontaninus in Rufini Vita lib. I. cap. IV. num. 7. & 8., & toto cap. V. (ubi num. 2. Paullini epist. XXIX. statuit scriptam eodem anno CCCXCVII., sed ante epist. XXVIII.) Vallarsius in Vita S. Hieronymi cap. XXIX. num. 1. & 2., Clariss. Ursius in Hist. Eccles. ad an. 395., seu lib. XXI. num. XXIX., & novissime P. Remondinus in laudato opere. Sed, ne actum agere videar, satius erit lectorem amandare ad Tillemontium, & ad Balleriniorum potissimum Observationes, in quibus, ut dixi, contra hanc opinionem plenissime disputatur. Maneat itaque, seriem chronologicam epistolarum S. Paullini juxta recensionem Le-Brunianam, quam sequuti sumus, immerito ab aliquibus carpi, saltem in hac parte; &, quod inde sequitur, recte a nobis definitum esse tempus, quo Severus vacabat suis Chronicis scribendis.

Eodem

Digitized by Google

Eodem anno CCCCII. S. Nicetas Nolam rediit post quinquennium a primo adventu, in quo quidem nondum S Martinus obierat, aut ejus Vita a Severo fuerat vulgata.

10. Sed aliud tertio loco argumentnm ducit Auctor Historiæ Eccl. Nolanæ ex adventu S. Nicetæ ad Paullinum, cujus mentio est in epistola XXIX.. Sed quum compertum sit Nicetam bis Nolam adventasse, semel quidem an. CCCXCVIII., quo tempore Paullinus coram ipso recitavit Natale quintum S. Felicis, in quo ejusdem Nicetæ meminit, iterum autem an. CCCCII., ut ex Natali IX. apparet; reliquum est, ut in ea epistola XXIX. de secundo Nicetæ adventu agatur, non vero de primo, ut P. Remondinus voluit: cum in eadem, ut vidimus, epistola agatur etiam de recenti adventu ex Oriente Melaniæ sive Melanii, sanctissimæ feminæ, in eumdem an. CCCCII. incurrente. Hæc quamvis per se satis perspicua sint, confirmari tamen possunt ex iis quæ in eadem epistola scribit Paullinus de Vita S. Martini a Severo scripta, quam scilicet refert se legisse ac notam fecisse Melaniæ & Nicetæ. Atqui liber ille Severi non prodiit nisi post Martini obitum, hic autem in an. CCCC. incidit, ut fuse a nobis demonstratum est Tomo I. Dissert. I. & II.: ergo non potuisset Paullinus in primo adventu Nicetæ eidem legere, aut legendum tradere libellum illum de Martini Vita, ut sane potuit in secundo ejusdem adventu. Equidem Tillemontius minime dubitat (*), quin vel in adventu primo Nicetæ notam ipsi fecerit Paullinus S. Martini Vitam: sed quum nullam proferat auctoritatem qua suam, ut fere semper solet, fulciat sententiam, manifestum fit in eo conjecturæ nimium præfidenter indulsisse. Ejus vero conjectura pendet ex duabus falsis positionibus, quarum prima est, Martinum obiisse an. CCCXCVII., altera autem, ante Martini obitum Vitam ejus a Severo editam, ac a Paullino lectam fuisse. Sed vide quæ nos contra, in Dissert. I. num. 3. & sequentibus.

(*) Tillemontius in Vita S. Paullini, art. XXXVII., agens de rebus ad annum CCCCII. spectantibus, *Il entretint*, inquit, *aussi S. Nicetas de la vie de S. Martin, & luy lut l'histoire que S. Sulpice en avoit écrite. Il l'en avoit sans doute entretenu dès son premier voyage: & ce fut peut estre par luy, qu'il repandit cette histoire dans toute l'Illyrie*. In his postremis verbis præ oculis habuit ille Severi locum ex Dial. III. cap. XVII., ubi hæc de Paullino leguntur: *Sicut primum illum nostrum libellum non per Italiam tantum, sed per totum etiam diffudit Illyricum*. Sed minime necesse est credere Paullinum eum in eo usum opera Nicetæ, qui non in Illyrico proprie, sed in Dacia, seu Mœsia, sedem habuit: præcipue quum constet hunc in Italiam, & hinc rursus in patriam profectum non terrestri per medium Illyricum, sed partim terrestri, partim maritimo, per Adriaticum, & Ægeum mare, seu sinum Thermaicum, itinere. Certe in Natali IX. vers. 338. ita de eo iterum Nolam profecto Paullinus:

. . . . . . Nec te mare, nec labor ullus
Nec Gothici tenuere metus.

In Carmine autem XVII., quo eumdem in patriam primum redeuntem est prosequutus, singillatim ejus iter describens, hæc inter cætera habet, vers. 17. & seqq.

Ibis Arctoos procul usque Dacos,
Ibis Epiro gemina videndus:
Et per Ægeos penetrabis æstus
Thessalonicen.
Appulit sed nunc via prima terris
Te vehet. & cetera.

Longe alia igitur, quam quæ per Illyricum, via Nicetas iter habebat, ne putes potuisse ab eo in transitu per Illyricum libellum de Vita S. Martini *diffundi*. Et quamvis id de Illyrico improprie sumto concedamus, non tamen sequitur, ut in primo ejusdem in patriam reditu id factum fuerit. Vide Adn. Tom. I. pag. 383.

Rursus

Rursus refellitur sententia laudati Scriptoris.

11. Quæ hactenus contra P. Remondini sententiam ab AuctoreHist. Litter. Italiæ relatam disputavi, jam pridem scripseram, quin etiam typographo formis exprimenda tradideram, quum ecce in manus meas pervenit ipsum Opus *Della Nolana Ecclesiastica Storia*. Incessit illico animum ardor agnoscendi, utrum omnia illius argumenta probe essem assequutus, & iisdem plene satisfecerim. Itaque legi quæ Tomo II. lib. I. cap. XVI., & pag. 107. habentur, quo quidem loco Paullini epistola a Le-Brunio sub numero XXVIII. collocata, & anno CCCCI. adfixa, ad annum CCCXCVII. revocatur; tum quæ ejusdem Tomi & libri cap. XVIII., & pag. 120., ubi epistola juxta recensionem Le-Brunii XXIX. ab anno CCCCII. ad CCCXCVIII. retrotrahitur. Ejus argumenta alio atque apud nos ordine distributa sunt, re ipsa tamen conveniunt: nam primum & præcipuum illud est, quo Melania cum Rufino ex Oriente redux Nolam anno CCCXCVII. divertisse ponitur. ponitur, inquam: nam de hoc a se plenius post Pagium actum indicat Auctor Tomo I. lib. II. cap. VI. Eum quoque locum inspicere placuit, sed ibi pag. 387. quæstionem satis jejune & persunctorie pertractatam offendi. Le-Brunio enim opponit tantum Paullini locum ex epist. XXVIII., quem ipse quidem decretorium censet, sed, ut jam indicavimus, alio est pacto, eoque satis per se obvio, interpretandus. Addit præterea quoddam Palladii testimonium: sed Palladius pro nobis prorsus facit, totus noster est, quum annos omnino XXXVII. peregrinatam S. Melaniam in Oriente ante hunc ejus reditum scribat, ex quibus XXVII. annos Hierosolymis manserit. Id adeo verum est, ut Pagius, ne Palladii auctoritas suæ sententiæ obstet, mendosos apud eum librariorum culpa numeros esse sibi falso persuaserit. Remondinus autem quid? eum tantummodo producit locum, quo Palladius refert Melaniam cum Rufino XXVII. annis Hierosolymis mansisse, omittit alium, quo eam XXXVII. omnino annos ab Italia absuisse tradit, quum quidem inde discessisset initio imperii Valentis, qui anno CCCLXIV. cum Valentiniano fratre regnare cœpit. Hæc autem egregie confirmantur alio argumento ex eodem Palladio sumto. scribit enim Melaniam annos natam LX. rediisse in Italiam: atqui inde discesserat anno fere XXIII. ætatis suæ, quippe quæ, eodem referente Palladio, annos XXII. nata maritum cum duobus filiis amiserit: quare probe constat numerus ille annorum XXXVII., quibus eadem in Oriente peregrinata dicitur: qui quidem ex initio imperii Valentis ducti ad initium anni CCCCII. perveniunt. Ceterum, quamvis ultro daremus Melaniam cum Rufino an. CCCXCVII. in Italiam reversam, & eodem anno ac sequenti scriptas fuisse a Paullino epistolas, quæ in editione Le-Brunii numero XXVIII., & XXIX. recensentur, adhuc caussa caderet Remondinus; quoniam nobiscum consentit, & consentire omnino debet, ejusdem Paullini epistolam XXXI. anno CCCCIII. scriptam fuisse: vide eumdem Tom. II. lib. I. cap. XXV., & pag. 140. Nam, ut supra num. 5. dicebamus, apparet Severum ex illa epistola desumsisse historiam inventionis S. Crucis: sequitur autem, ut eo tempore nondum absolverit, aut ediderit *Chronicum*.

Recensentur ordine præcipuæ Chronicorum Severi editiones: ac primum de Basileensi omnium principe, a Matthia Flacio Illyrico curata an. 1556.

12. Nunc, quoniam utcumque præstiti, quod primo loco pollicitus sum, nempe ut exponerem occasionem, titulum & tempus conscripti a Severo operis; ad alterum Præfationis nostræ caput transeamus, in quo nobis proposuimus de iis agere, qui post renatas demum litteras in edendis & illustrandis hisce Chronicis operam suam contulerunt. Equidem non dubito fore plerosque, qui statim judicent, hoc argumentum minus per se necessarium, nec satis dignum esse cui nos data opera immoremur, quum a multis jam pertractatum fuerit, præsertim a Jo. Alberto Fabricio, a Du-pinio, Caveo, aliisque hujusmodi Scriptoribus, & novissime ab illis doctis Monacis, qui Historiam Litterariam Galliæ gallico idiomate conscripserunt: verum, si hæc nostra attente legerint, & cum illorum scriptis comparaverint, comperient quidem nonnulla nobis necessario attingenda fuisse, quæ apud alios etiam obvia sunt; non idem tamen ac illis, propositum fuisse, ut nuda tantum editorum nomina, aut jejunam editionum enumerationem contexeremus, sed ut de singulis judicium nostrum interfereremus, multaque adderemus, quæ illorum diligentiam effugerunt: adeoque id sedulo curatum, ut utilitatem, quantum fieri posset, cum novitate conjungeremus. Primum itaque animadvertendum est, editiones, quotquot ad hanc diem prodierunt, diversis licet in locis & a compluribus viris doctis procuratas, ex unico omnes exemplari, sive archetypo, fuisse derivatas, scilicet ex prima editione, quæ Basileæ typis Oporinianis excusa fuit an. MDLVI., in forma, ut vocant, *octavi* unius tom. Porro primam illam editionem deberi Matthiæ Flacio Illyrico (homini ut in Patrum scriptis admodum versato, & erudito, ita Romanæ Ecclesiæ, a qua desciverat, maxime infenso, & apud ipsos suos Lutherianos famoso ob pertinaciam in propugnandis suis privatis erroribus) a recentioribus plerisque notatum fuit, quod antiquiores plerosque & Flacii æquales latuit, eo quod in nuncupatoria epistola, quam inscripsit Nicolao Radzivilio magnati Polono, & Lutherianorum patrono, ac scriptis etiam editis propugnatore, nomen suum per sigla M. F. indicaverit tantum. Porro inde factum est, ut a nonnullis viris Catholicis, præsertim ab Antonio Godello Grassensi episcopo, ultra quam par fuisset ea de caussa commendatus fuerit, ut monuit Franciscus Vavassor in quodam adversus Godellum scripto, his verbis: *Isto ferme pacto, quamvis minus turpiter, utpote unus & privatus, atque in caussa leviore, clarissimus se scriptor deceptum sensit & doluit. Quum enim mirificis laudibus extulisset eum qui primus perelegantes Sulpicii Severi libros edidisset in lucem, neque thesaurum hunc quem teneret solus, invidisset diutius litteratis ac doctis; eumque tum propter tantum beneficium, tum maxime modestiæ nomine suspiceret, quod celasset nomen, & litteras modo M. & F. adscripsisset; intellectum est posterius, Matthiam Flacium esse ejusmodi hominem, non solum non modestum, qui hoc modestiæ caussa non fecisset, sed etiam impurum & nequam hæreticum, qui in Centurias Magdeburgenses multa de suo, non tacito nomine, contulisset: ut dictum nollet præposterus laudator, & cum bonæ, sed falsæ, de altero opinionis, & ridi-*

& ridiculæ credulitatis suæ pœniteret. Hactenus Vavassor, ita ex ipsius potissimum Godelli sententia scribens: quare illum immerito carpit Fabricius, Bib. Lat. lib. IV. cap. III. num. VI. Nota b: ubi, quum Godelli alucinationem indicasset, ita pergit: *Quod non ferens Vavassor bono illi viro gravem dicam scribit, ac si nescio quod patrasset scelus, hæreticum impurum, ut vocat, & nequam laudando*, &c. Verum, ut ut multis aliis de caussis exsecranda sit a quovis Catholico Flacii memoria; habendæ tamen sunt ei a viris doctis gratiæ, quod hos Severi libellos, aliaque sacræ antiquitatis monumenta in publicam lucem produxerit, ex quibus magna in rem publicam litterariam, Ecclesiasticamque historiam commoda profluxerunt.

Quid Flacius, quid alii post sequuti ad Giselinum usque, in edendo Severi Chronico præstiterint, a Giselino ipso paucis traditur.

13. Ceterum hanc principem Severi Chronicorum editionem summa diligentia, sed frustra, requisivimus: minus tamen molestum ejus desiderium nobis effecit summa Victoris Giselini in ea conferenda & describenda accuratio. Ex eodem autem aliisque didicimus, Flacium descripsisse codicem quemdam Hildesiensem, seu Herdesianum: ita enim ille initio suarum Adnotationum, pag. 333. *In hac sacræ historiæ epitome nullis usus sum manuscriptis libris: neque scio, quis vel unius uspiam mentionem fecerit, præter unum M. F., qui vir sane optimus, etsi nomen suum duabus tantum litteris designatum nos celare voluerit, elegantissimum tamen hunc libellum noluit celare: quem idem ex quadam celeberrima Saxonum civitatis Herdesiæ bibliotheca erutum non dubito quin optima fide expresserit: ut indicio sunt menda nonnulla, quæ, uti in ipso fuerunt apographo, ita citra ullam castigationem repræsentata esse deprehendo. Eum libellum Basileæ primum editum excuderunt deinde, & alienis præfationibus ornarunt, Parisienses, Colonienses & Romani: nec defuit, qui eumdem Gallice loquentem in scenam produceret: nullo tamen omnes vel verbo de codice Herdesiano, aut eo qui eumdem primus typis expressit. Quin immo, si diis placet, inventus est, qui non solum bono huic M. F. nuncupatoriam epistolam pæne ad verbum surriperet, suæque bene longæ declamationi veluti emendicatum pannum assueret; verum etiam Christiano lectori persuadere non sit veritus, se sacram hanc historiam (verbis ejusdem utar) in publicum omnium Catholicorum commodum evulgare ex mediis antiquorum sæculorum abditissimis scriniis erutam. Sed valeat & vivat per me Marrucinus ille Asinius. Nos igitur hoc Herdesianum exemplar, utpote princeps atque unicum, hic omnibus modis sequendum nobis proposuimus: & cum viderem a Petro Galesinio Theologo in eo ingeniose recognoscendo, itemque a Joanne Filean J.C. in eo Gallice transferendo non malam operam esse positam; operæ etiam nostræ esse duxi, utriusque recognitionem cum prima editione conferre, & quid uterque præstitisset, suo loco paucis indicare: quæ opera si aliis non magni esse momenti censebitur, nobis certe illa videbitur præclare constitisse, si vel in re levi ea sit fidei nostræ argumentum non leve.* Ita Giselinus paucis exhibet quid vel primus editor, vel alii post sequuti, vel denique quid ipse in illustranda hac sacræ historiæ epitome præstiterit. nos ejusdem insistentes vestigiis nonnulla præterea addemus.

Fusius de editione Parif. an. 1560., de Colon. an. 1573., tum de Romana an. 1564., ac demum de Gallicis quibusdam versionibus, &c.

14. Parisiensis editio a Giselino primo loco memorata prodiit quadriennio post Basileensem, seu an. MIↃLX. una cum pseudo-Dorotheo, *de Prophetis & Discipulis Domini*, curante Jacobo Fabro Doctore Sorbonico, apud Guillelmum Guilland, in forma 16. Hæc ipsa editio iterum recusa fuit post annos tredecim Coloniæ, hoc præfixo titulo: *Sulpicii Severi Aquitani Historiæ Sacræ a mundi exordio ad sua usque tempora deductæ libri duo. Item Dorothei episcopi Tyrii*, &c. *Coloniæ Agrippinæ*, 1573.: sequitur epistola nuncupatoria: *Jacobus Faber* * *Doctor Theologus ad Christianum lectorem*. Porro hunc Jacobum Fabrum, ejusque præfationem carpit Giselinus supra laudatis verbis, Marrucinum Asinium,** utpote plagiarium, eum appellans: nam verba, quæ potissimum notat ille, habentur in hujus epistola nuncupatoria, quam merito quidem ipse dixit *bene longam declamationem*. Hanc ipsam Coloniensem editionem præ oculis habuisse puto Vorstium, aliosque, quoties *Coloniensis editionis* meminerunt. Verum intermedio tempore, nimirum an. MIↃLXIV. alia editio prodiit Romæ, typis Paulli Manutii, in fol., *Carolo Borromæo Cardinali amplissimo Patrono optimo* (quem inter Sanctos relatum colimus) a Petro Galesino nuncupata, adjunctis nonnullis aliis veterum Patrum scriptis, sc. Salviano, Maximi Taurinensis Homiliis, Paciano de Pœnitentia, Dorotheo Tyrio, Haymonis Halberstadensis Epitome Hist. Eccl., & cum Notis Galesini in Severum, pseudo-Dorotheum, & Haymonem. Adnotationum in Severum cum laude meminit Giselinus, qui præterea editioni suæ inseruit *Scholia in Sacram Historiam ex Petri Galesinii Notationibus excerpta*. Eumdem tamen in suis Notis non raro castigat, quod nomina potissimum propria, quæ apud LXX. aliter leguntur, ad Vulgatæ nostræ lectionem inflexerit, & aliquando textum ipsum immutaverit: quod nos quoque, ipsum conferentes, verum esse comperimus. Eodem etiam anno lucem vidit Parisiis, apud Guillelmum Guilland, in 16., Gallica Joannis Fillæi (*Fillau*) Giselino memorata versio. hanc ipsam, Severi tamen Prologo quem Filæus omiserat, & nonnullis Observationibus auctam, iterum Rotomagi anno MDCXXVI. produxit in lucem Bauldrius quidam ex Dominicana familia: licet titulus novam esse versionem mentiatur. Gallice præterea vertisse & edidisse hos libellos Girium quemdam, Parisiis MDCLIX. in 12., lego; nec non Petrum Rabum Belgice, Roterodami an. MDCCII. in 4., cum notis & continuatione ejusdem Rabi, seu potius Sleidani, ad Caroli V. tempora.

Rursus

(*) Hic Jacobus Faber non est confundendus cum celebri Jacobo Fabro Stapulensi, qui initio sæculi XVI. floruit, & diem obiit an. 1537. centenario major, cum ætate jam gravis ad Lutheri castra transfugisset: de cujus morte vide, quæ in Colomesianis, seu *Melange Curieux* &c., pag. 810. Opp. Paulli Colomesii. Alius est item Faber ille Doctor Sorbonicus, & nomine *Joannes*, qui an. 1571. Parisiis edidit Severi libellos de Vita S. Martini. Vide Præfat. Tom. I. pag. IV.

(**) Allusio est ad Catulli versus in Asinium furem, quorum initium est:

Marrucine Asini, manu sinistra
Non belle uteris in joco atque vino:
Tollis lintea negligentiorum.

Rursus de editione Giselini, anno 1574. *Antuerpiæ vulgata: tum de Giselino ipso nonnulla scitu digna.*

15. Sed, ut in viam redeamus, recensenda nobis est modo ipsa Victoris Giselini editio, qui quidem Historiam Sacram, seu Chronica, una cum Vita S. Martini, aliisque ad idem argumentum spectantibus scriptis, quæ ad id temporis separatim fere semper prodierant *, edidit sub hoc titulo: *B. Sulpicii Severi Archiepiscopi quondam Bituricensis, quæ exstant, Opera, a Victore Giselino Medico ex editionum, & vetustiorum exemplarium collatione emendata, ejusdemque Notis illustrata* &c. *Antuerpiæ, ex officina Christophori Plantini, archityp. Regii. MDLXXIIII.*, in 8. Ac de iis quidem quæ præstitit in Martini Vita illustranda, abunde egimus in Præfatione Tomi I. pag. V. & seq.: quæ vero in Historia Sacra, ex ipso partim jam audivimus, partim ex iis quæ in calce Notarum scripsit, discere nobis licet. Hæc nimirum habet pag. 352. *Hactenus, quæ Sulpicius edidit, ita uti M. F. ex codice Herdesiano ea edidit, bona fide in oculos omnium producere conati sumus: & in quæ nos, scriptum hoc obiter recognoscentes, impegimus, ea vetustis membranis destituti, ex ingenio reique veritate, partim etiam ex trium editionum comparatione, in integrum, quoad licuit, restituimus, ne verbo tamen uspiam vel syllaba immutata, quin idem notaverimus, quo aliis de eo ipso liberum sit judicium.* Hanc itaque potissimum editionem perpetuo præ oculis habuimus, ob summam ejus in exprimendo primo illo Basileensi exemplari diligentiam: quo nomine ceteris omnibus, quæ eam præcesserunt, aut sequutæ sunt, facile præstat. Porro librum nuncupavit Giselinus Benedicto Ariæ Montano *Theologo præstantissimo* admodum eleganti Ode, qua pleraque ejus scripta recenset. Sequitur Sulpicii Severi Vita ab eodem collecta, in qua cum multa sint erudite scripta, in aliquibus tamen offendit, & in eo præcipue, quod statuit Historiam Sacram ab eo confectam *in primo ætatis flore, quum flagrans eloquentiæ studium severa Turonensis contubernii disciplina nondum restinxisset*; secutam autem deinde, *quamvis multo tempore interjecto*, Vitam B. Martini. In calce hujus Vitæ inseruit *quædam ex Apologia Guiberti abatis Gemblacensis, quæ manu exarata Lovanii in Valle Martiniana asservatur*: ex eadem autem videtur omnino sumsisse, quod in titulo expressit, nempe Severum *Archiepiscopum quondam Bituricensem* fuisse; in quo eum Sigonius, Mercerus & alii quidam sunt sequuti. Ad calcem libri post Notas exstat etiam ejusdem Giselini *Chronologia*, seu *temporum ratio Sacræ Historiæ Sulpicii Severi, & reliquis opusculis accomodata*, postremo pag. 411. & seqq. epistola

(*) Omnium junctim Sulpicii Severi Scriptorum prima editio Basileæ prodiisse fertur, an. 1561. in 16., & ibidem rursus an. 1569. In *Orthodoxographis*, tom. 1.: quare Giselinus, cui tamen hæ editiones ignotæ fuerunt, tertio demum loco idem præstitit. Sed quoniam meminimus *Orthodoxographorum*, monemus hanc quoque editionem a nobis collatam, non paucis in locis quæ in Notis non raro indicavimus, vel mendosam, vel ab Antuerpiensi, seu e prima editione, discordantem fuisse inventam. Ceterum Georgius Fabricius editor, Vitam Sulpicii Severi *breviter collectam* apposuit, in qua illud singulare & παράδοξον, quod *Annales non unius gentis, sed totius humani generis, quos ille Paulino inspiciendos & augendos* (ita ille) *misit*, diversos putaverit ab *Historia Sacra* libris duobus, *qui libri*, subdit, *in Saxonia sunt Hildesheimii ante paucos annos inventi*.

ftola ad Prancifcum Raphlengium, in qua potiffimum agit de difcrepantia, quæ inter hebræos codices, & græcos τῶν LXX. in Patriarcharum Chronologia intercedit. Porro fupradicta Chronologia fuit poftea plerifque omnibus editionibus Severi adjecta *.

16. Ceterum de Victore Gifelino hæc Aubertus Miræus: *Victor Gifelinus Santforda natus, pago territorii Brugenfis Oftendæ proximo, Joannem Gelfium præceptorem babuit, ufus ibidem familiariter Arnoldo Laurentio Berchemo, e cujus etiam Schedis fuas in Prudentium Notationes completiores fecit. Dolæ apud Sequanos Medici Doctoris titulum cepit, Lipfio amicum publice laudante. Enixe fe dedit lectioni veterum Patrum, quorum pietate erudita confirmatus ftetit recto talo in bis turbis Religionis jactatæ, nec a Catholica fide dimoveri ulla bæreticorum fuafione potuit. Obiit an.* 1591. *Scripfit Commentarium in Aurelium Prudentium ad MSS. codd. reftitutum **; Notas & Chronologiam in Severi Sulpicii opera; Adagiorum Epitomen e Giunio, Geutio, aliifque poft Erafmum.* Hæc Miræus, de Scriptor. Sæcult XVII. fub num. CLIX., apud Jo. Albertum Fabricium in Biblioth. Ecclef.; quibus adjungere placet, quæ Hieronymus Berchemius in epift. Jufto Lipfio, Ypris VII. id. Oct. an. MDXCII. data, de ejufdem in Plinii Hiftoriam Naturalem inchoato Commentario, tum de repentino ac pio obitu fcripfit. *De obitu Victoris Gifelini noftri fcio te fcire: is moriens Lerutio omnes fcidas fuas reliquit, quæ Vinoxbergæ in ædibus apothecarii hominis, qui unicus in illo oppido, cuftodiuntur ..... Ejufdem Plinium quidam familiaris meus, nimis quidem familiariter mibi præripuit, abufus apud emtorem nominis mei prætextu, quem Victor totum manu fua confcribillarat. Nam ex epiftolis tuis babeo ***, te illi caftigandi Plinii auctorem*

(*) Fertur etiam ipfa Antuerpienfis Gifelini editio alibi fuiffe recufa, puta anno 1575. Parifiis, in 8., Amftelodami apud Elzevirios in 12., Coloniæ, in 16., rurfufque anno 1635. Amftelod. & Lugduni Batav., in 12., & iterum an. 1636. Lugd. Bat. in 16., &c. Sed vereor, ut hæ omnes Antuerpienfem editionem exprimant ufquequaque: quin immo fufpicor ad Gifelini quidem exemplar confectas, fed ex eo nihil aliud habere præter fupra dictam Chronologiam. Ejufmodi fane eft editio Elzeviriana in 12. anni 1641., quam præ manibus habeo, quæque expreffa videtur ex alia Elzeviriana anni 1614., aut potius 1635. (ea ipfa fcilicet, quam paullo fupra indicavimus): nam habet præfixam epiftolam nuncupatoriam, *Clariff. viro Abrahamo Heydano*, datam *Lugd. Bat. MDCXXXIV. Decembris XV. a B. & A.* (nempe Bonaventura & Abrahamo) *Elfeviriis*. In hac nimirum nihil ex Gifelino, præter ejus Chronologiam, fumtum habetur: habentur autem in margine ad Hiftoriam Sacram, perbreves Notulæ, in quibus Gifelinus, Signnius, Drufius, editio Colonienfis laudantur. Præterea poft Hiftoriam Sacram, & ante Vitam S. Martini, ibidem habetur *Sacræ Hiftoriæ Sulpicii continuatio ex Sleydano, De quattuor fummis imperiis, ufque ad Carolum V. perducta*. Porro hæc *continuatio* ab ipfo Joanne Sleydano primum anno 1626. juncta fuiffe perhibetur Severi Hiftoriæ in editione quadam Elzeviriana: ibidem certe poftea fæpius repetita fuit, ac noviffime habetur in editione Lipfienfi an. 1712., de qua fuo loco. Verum ut in ceteris fuis fcriptis, ita in hoc fragmento, Sleydanus aperte prodit fe fe præter modum infenfum & infeftum Orthodoxis, Romanoque in primis Pontifici, cujus fupra ceteros omnes epifcopos auctoritatem, quavis oblata, immo arrepta occafione, convellere & labefactare nititur: quare merito in Indice Librorum prohibitorum Romano inter auctores primæ claffis ejus nomen recenfetur.

(**) Prudentius ex recenfione Gifelini prodierat an. 1564.: quare quum Severo illuftrando incumberet, de nova ejus & uberiori editione jam cogitabat, ut colligo ex Notis pag. 318. & 372. Ejus fecundas in hunc pitiffimum & elegantem poetam curas fuperfuiffe teftatur & Lipfius, III. Cent. Mifcel. ep. 76.

(***) Ex.gr., Collect. Burman. Tomo I. in epift. 146., 20. 1581. a Lipfio ad Gifelinum miffa, hæc habentur: *Tu in Plinio quid? nolim ceffes: digna te provincia eft, & a qua lauream æternam referas vere Victor.* Periiffe tamen opinor a Gifelino in hunc Scriptorem infumtas vigilias, aut ab aliquo

florem semper fuisse: Dalecampius enim, ut equidem existimo, opinionem non implet. Sed erunt fortasse multa in sceidis illis, quas dixi, & sanidibus * *pleniora. Nam ad Plinium id tantum videtur adnotasse (præter varias lectiones, quas interdum ex M.S. codice in librum suum transtulit) si quid vel ex Dioscoride, vel Theophrasto, vel Aristotele & similibus auctor transcripsit, & alicubi cum nota, si vel liberius, vel non ex vero hoc fecit. Codices Victoris M. S. omnes ego redemi: in quibus si qui prodesse studiis tuis poterunt, faxo, ut etiam universi ad te perferantur: quamquam existimo te meliores his habere .... Illud pessime me habet, quod virum optimum nescivi in tam propinquo loco habitare, nisi postquam mortuus est. Mortuus est autem prorsus convenienter nomini suo. at scis quomodo? Sub noctem ab amici colloquio domum regressus, mox Pastorem accersit, & uxori cunctanti respondet, sic facto opus esse: nam mortem sibi imminere. A Pastore Deo reconciliatus litteras ad matrem sua manu exarat, eique uxorem suam, tamquam jam viduam, studiose commendat. Tum ad bibliothecam convertitur, ut amicis libros aliquos divideret: cum ecce viro mors cita, viro & vere viro, manum injicit. Igitur propere ad lectulum reducitur, ubi dum alternis Psalmum quinquagesimum cum uxore, & quidem ab ipso jussa, recitat, etiam ante Pastoris, qui iterum vocatus fuerat, celerem licet regressum, in hæc verba,* Domine miserere, *defecit. Vide, quam constanter, & an non hæc εὐθανασία, quam tu probas? Illius uxor, nunc alteri nupta, preces ad Deum horarias a defuncto, in hoc ut ederentur, accurate scriptas, sic premit, ut inspiciendi copiam nemini faciat, cupidine pretii, quod magnum poscit: ita fortassis illæ lucem non aspicient.* Hactenus de Giselino Berchemius, epist. 598. Tomi I. collectionis Petri Burmanni, pag. 627.

De Commentario Sigonii in Sacram Historiam, *& de censuris in eumdem, &c.*

17. Antuerpiensem Giselini excipit ordine temporis editio Bononiensis an. MDLXXXI. ** a Carolo Sigonio curata, & perpetuo commentario illustrata, cujus hic est titulus: *B. Sulpicii Severi Aquitani, Bituricensis episcopi, Sacræ Historiæ libri duo. in eosdem Caroli Sigonii Mutinensis Commentarius.* Porro ex epistola nuncupatoria Sigonii, *Illustriss. & Reverendiss. in Christo Patri D. Gabrieli Palæoto S. R. E. Cardinali, & Bononiæ episcopo, Bononiæ idibus Februariis, MDLXXXI.* data, colligitur insi-

quam fuisse sibimet per fraudem vindicatas. Altum certe de Giselino silentium apud Jo. Albertum Fabricium in Biblioth. Latina, ubi sese de iis agit qui illustrandæ Plinii Historiæ symbolam suam contulerant. Editio autem Plinii a Jacobo Dalecampio curata, cujus meminit Berchemius, prodierat Lugduni an. 1587.

(*) Græce voce latine inflexa utitur Berchemius: sunt autem σανίδες asseres, tabulæ, puta in quibus leges, aut alia ejusmodi inscribebantur, libri. Idem, quum paullo ante utatur semel & iterum voce *scida* pro *scheda*, potuit forte respexisse ad vocem σχίδιον, quod in multis græcis lexicis legitur pro σχίδιον, & est σχίδη, seu σχίδος *fragmentum*, aut *segmentum* e ligno scisso: nisi mendosam lectionem esse putemus.

(**) Albertus Fabricius Bononiensem hanc editionem anno 1561. per errorem affixit, Biblioth. Lat. lib. IV. cap. 3. num. 6: & ne mendum typographicum censeas, eam recensuit ante Romanam Galesini, & Antuerpiensem Giselini. Mendum autem typographicum est, quod ibidem, in Veneta editione an. 1728., Antuerpiensis modo laudata ad an. 1547. inversis numeris refertur: nam in Amburgensi secte legitur, an. 1574. Utraque tamen in eo convenit, ut Sigonianam anno 1561. perperam attribuat.

insignem illum Præsulem prohibuisse ne in Scholis Bononiensibus lasciva poetarum antiquorum carmina, utpote turpium voluptatum incitamenta, prælegerentur, sed eorum loco alia sanctiora atque honestiora substituerentur, & maxime quæ ad Christianæ religionis sacræque historiæ rudimenta ediscenda conferrent; Sigonium autem, ut ejus studio obsequeretur, Sulpicii Severi libellos commentariis illustrare aggressum, ut in iis pueri, quasi in tabula quadam, delineata conspicerent quæ ab Adam usque ad Christum gesta erant. Equidem nec Palæoti consilium per se omnibus placere, nec Severi Epitome satis castigata videri debuit, quæ teneris & rudibus puerorum animis informandis inserviret: verum, his propemodum dissimulatis, in Sigonii potissimum Commentarium insurrexerunt nescio qui, acerrimas in illud censuras conscribentes, quibus ejus auctori postremis vitæ suæ annis graves molestias exhibuisse oportuit. Habentur Tomo VI. & ultimo Operum Sigonii censuræ illæ, tum in alios quosdam Sigonii libros, tum præcipue in illud Commentarium: habentur etiam ibidem Sigonii ad singula fere objecta responsiones, quibus tamen censoribus neque satisfacere, neque obstruere os potuit. Equidem Cl. editor Philippus Argelatus (qui, ne aliquid omitteret, quod ad Sigonium quoquo modo spectaret, eas censuras ex duobus MSS. descriptas primus vulgavit) acriter queritur non semel de nimia Censoris Sigonium reprehendendi, quin immo calumniandi libidine: nam col. 1068. eum nobis repræsentat *inani timore perculsum, ne Sigonius prave de catholica Religione sentiret, in Pontificem Romanum injurius esset, patrocinium hæreticorum subinde susciperet, aliaque id genus præter Christiani historici munus astute moliretur; ideoque extra oleas non raro abreptum fuisse, & qua scrupulis vanissimis, qua dicteriis atrocibus, Sigonium rabido prorsus calamo mordentem, ea loca censura vexasse, quæ nullam patiebantur reprehensionem, ut ne illud hic usurpari queat:*

Dimittit corvos, vexat censura columbas. *

Hæc ibi: sed vide rursus eumdem col. 1139., nec non aliud ejus *Monitum* col. 1172., ubi adhuc acrius in censorem invehitur.

18. Equidem, uti non negaverim in scriptis illis non obscura apparere indicia censoris morosi, & minus quam par erat Sigonio æqui, ne dicam iniqui & malevoli; ita facile concesserim, Sigonium nonnullis in locis minus caute & pie loquutum, in eoque præsertim fere semper Christianas aures offendere, quod Religionis nostræ mysteria & ritus verbis ab Ecclesiæ consuetudine penitus alienis, quin etiam a Scriptoribus profanis ad sacrilegas Idolorum cæremonias designandas usurpari solitis, nimio latinæ elegantiæ affectandæ studio, explicaverit: quod sane vitandum magnopere ei potissimum erat, qui in puerorum gratiam scriberet. Attendenda est etiam infelix conditio temporum, quibus Sigonius scribebat: quum nempe insanus hæreticorum furor in Catholica dogmata & Ecclesiasticam disciplinam debaccharetur, susque deque verteret divina humanaque omnia. quare censores ipsi monent, col. 1165. *Ecclesiæ hostium fraudulentissima studia, qui verba & sententias orthodoxorum Patrum vel perverse interpretantur, vel non integre, sed muti-*

late,

(*) Ex Juvenali, Satyra II. vers. 63. ubi tamen lego: *Dat veniam corvis*, cetera.

Digitized by Google

late citant, *vel*, *quod majoris etiam impudentiæ est*, *apertissime depravant*; *nos coegerunt ad hanc provinciam assumendam*, *ut de nobis tela contra nos sumsisse glorientur*: cetera. Accedebat etiam, ut puto, ad invidiam aliquam Sigonio conflandam, ipsius anteacta studiorum ratio, vitæque institutum: nimirum homo laicus, & a prima usque ætate in Romana Græcaque eruditione fere unice versatus, minus idoneus videri nonnullis debuit, qui in senectute ad sacra studia animum adjiciens, Theologum statim ageret, & de Ecclesiastica Historia, ac de Hebræorum Republica libros ederet: quod tamen ille auctore & impulsore summo Pontifice * se facere gloriabatur. Neque vero ejus morte, quæ quarto anno ab edito Sulpicio accidit (scilicet an. MDLXXXIV., mense Augusto) restinctum fuit ea de caussa conceptum ab aliquibus in ipsum odium: sunt enim hæc Antonii Possevini, Biblioth. Selectæ, Romæ an. 1593. vulgatæ, lib. IV. cap. 13., de eo verba, quæ plane respondent iis, quæ habet Auctor censurarum, Tom. VI. col. 1139. *Nam & Carolus Sigonius*, *qui postremus ei libro* (de Sulpicii Historia loquitur) *manum admovit*, *a viris cordatissimis non immerito admonitus est earum rerum*, *quas*, *ut erat in litteris humanioribus præstans*, *in sacris non item*, *non dubito quin*, *si revivisceret*, *ipse emendaret*: *quippe ante tribunal æternæ Veritatis fuit*, *jamque ea quæ solemus in hac vita plerumque tueri acrius*, *statim ad Divinæ lucis radium quænam sint apparent*; *nil ei oberit*, *si nos*, *quæ ii quos diximus*, *Viri in eo animadverterunt*, *summatim huc attexamus*. Hæc ille, ad supra indicatas censuras profecto respiciens, easque suo calculo approbans. Præterea quos statim recenset Sigonii errores, omnes excerpti ab ipso fuerunt ex *Summario Annotationum*, quod habetur eodem Tom. VI. col. 1165. & seqq.: postremo quæ eodem capite, a pag. 346. & deinceps, Possevinus monere pergit, tacito tamen Sigonii nomine, conveniunt pæne ad verbum cum iis, quæ col. 1141. & seqq. Sigonio [illegible] objiciuntur. Argelatus quidem col. 1067. scribit, se *censuras ac responsiones dum legeret*, *in id etiam intendisse animum*, *ut ipsarum auctorem expiscaretur*: *quod tamen*, inquit, *minus assequuti sumus*. *Id collegimus unum*, *censorem*, *qui non semel hominem Clericali ordini adscriptum præsefert*, &c. Is tamen si Possevinum legisset, facile suspicatus esset ipsum fuisse Censorem, aut saltem aliquem ex illorum numero: nam plures fuisse ipse significat. Utcumque tamen se res habeat, minime perficere potuerunt censores illi quod volebant, nempe ut proscriberentur aliquot ejus libri, in quibus Commentarius in Sulpicium Severum: qui postea recusus fuit in Germania, sc. Francofurti an. 1592. & Hanoviæ 1602., novissime autem insertus est in Mediolanensem Sigonii Operum collectionem, Tom. IV., una cum selectis *Variorum*, nec non Vorstii animadversionibus & notis, opera Clariss. Abbatis Laurentii Mafei, cujus honorificam men-

(*) Hæc nimirum Sigonius in epistola ad Gregorium XIII. S. P., qua ipsi an. 1582. nuncupavit Opus, *de Rep. Hebræorum*: *Hoc ego*, inquit, *jam tum intelligere cœpi*, *quum quinto ab hinc anno jussu Sanctitatis Vestræ ad Ecclesiasticam Historiam perlustrandam*, *atque*, *ubi res postulare videretur*, *supplendam me contuli*. Equidem Venerabilis servus Dei, & immortalis memoriæ Cæsar Baronius Annales suos nondum eo tempore vulgare cœperat, quod tandem sedente Syxto V., Gregorii XIII. proximo successore, factum est anno 1588. & deinceps.

mentionem facit Argelatus in Præfat. Tomi I. & alibi, cuique acceptam refert curam recensendi & illustrandi quæcumque IV. illo Tomo continentur.

De editione a Joanne Drusio curata, obiter: tum de iis quæ ex recensione Hieronymi Merceri prodiisse perhibentur.

19. Commemoranda mihi nunc est alia, & quidem omnium Severi Scriptorum, editio a celebri Joanne Drusio curata, & eodem anno, scilicet MDCVII., duobus in locis, ut ferunt, vulgata, nempe Franeckeræ & Arnhemii, cum eruditis editoris adnotationibus in Historiam Sacram tantummodo. Mihi quidem editionem hanc videre non contigit, licet maxime in votis habuerim: quare iis contentus esse debui, quæ sparsim in editione Hornii, de qua infra, ex Drusio excerpta habentur: ex quibus tamen non obscure colligitur non vulgaris hominis, licet hæretici, in illustrando Severo industria cum mira brevitate & modestia conjuncta. Legi alicubi Drusium in Præfatione Lectorem monuisse, Severum *non semel exorbitasse* a veritate: id quod nos quoque plurimis in locis ultro confessi sumus. Porro Drusio jungere placet Hieronymum Mercerum *, quo curante Parisiis, nec semel, Severi scripta prodiere: video enim ab aliis indicari editiones anni 1656., 1657., 1659., 1669. & demum 1714. Sed quam ego præ manibus habeo, præfert annum 1675., *Parisiis, apud viduam Claudii Thibonst .... cum privilegio Regis*. Regium autem diploma datum apparet anno 1665. in gratiam Claudii Thibonst, ut ex ejus excerpto in calce libri apposito: adeo ut conjici possit, primam Merceri editionem, quicquid alii scripserint, non ante id tempus prodiisse **. Porro titulus hujus editionis est hujusmodi: *Beati Sulpicii Severi Bituricensis episcopi opera omnia, germanæ & antiquæ restituta lectioni, mendis typorum purgatissima, historicis & Christianis notatiunculis illustrata, & demum ex continuo textu, nunc ad instituendos legentium spiritus, multis veluti capitibus distincta. Opera & diligentia M. Hieronymi Mercier, in utroque jure licentiati*. Multa sane promittuntur hoc splendido titulo, sed videamus

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu. ***

Mercerus castigatur, præcipue quod lemmata quædam inseruerit Historiæ Sacræ Severi.

20. Quod itaque primum *germanæ & antiquæ restituta lectioni* dicit Severi Opera, fucum lectori facit: neque enim ullum codicem MS. in subsidium adhibuit, sed quidquid in eo præstitit, ex superioribus

(*) Jo. Albertus Fabricius hunc Mercerum non Hieronymum, sed *Henricum* perperam nominat.

(**) Nimirum post excerptum Regii privilegii, seu diplomatis, hæc leguntur: *Achevé d'imprimer pour la premier fois le premier Octobre 1666.*: in ipso autem Privilegio facultas datur Claudio Thibonst, *de faire imprimer, vendre, ou distribuer un Livre intitulé, Beati Sulpicii Severi Bituricensis Episcopi opera omnia, cum annotationibus H. Mercier.*

(***) Horat. de arte Poet., vers. 138.

ribus editionibus, Giselini puta & Sigonii., clam mutuatus est: hoc ipsi peculiare est, quod aliorum conjecturas in textum præfidenter invexit. Quod addit, *mendis typorum purgatissima*, id vero nihil est: neque enim a mendis typographicis minus immunes sunt pleræque editiones antiquiores. nisi rursus velit loca aliquot vitiosa indicare, quæ quidem vel in Basileensi prima aditione ita expressa erant, ex fide, ut creditur, MS. codicis, sed in adnotationibus Giselini & Sigonii ex conjectura restituuntur. Sequitur, *historicis & Christianis notatiunculis illustrata*: sed Vita S. Martini & Dialogi carent his notatiunculis, si unum aut alterum forte locum excipias: quæ autem ad Historiam Sacram fuerunt ab eo adnotata, ex Commentario Sigonii pleraque omnia excerpta sunt. Quod postremo habet de *continui contextus in multa veluti capita distinctione*, quam a se primum inductam testatur; est hujusmodi. Historiam Sacram tantum in multas partes, seu sectiones, distributam exhibet, præfixo singulis lemmate, seu brevi argumento. Verum id ipsum multo antea præstiterat Sigonius, quem hic fere sequitur, & sæpius ad verbum transcribit in lemmatibus. Exemplo sit, quod in Bononiensi Sigonii editione, pag. 432., habetur, scilicet: *Concilium Biterrense & alia Catbolica contra Ariminense*; ibidem Mercerus: *Concilium Biterrense contra Ariminense*. Sin autem conferas cum Sigoniano Commentario quæ Mercerus ad hujus lemmatis explicationem subdit; comperies omnia ex eo ducta, nonnullis tamen omissis, aliis fœde truncatis: nam cum ille rationem aliquam, licet falsam *, producat, cur Biterrensis Synodi singillatim meminerit in suo lemmate (sc. quod S. Hilarius in libro contra Constantium num. 2. Biterrensem quamdam Synodum nominet) Mercerus ea omnia prætermisit, quæ ad eam Synodum proprie referuntur: adeo ut incertum lectorem relinquat, unde ejus Synodi notitiam hauserit, cujus certe Severus in historiæ contextu non meminit; vel potius eumdem incautum in eam pertrahit opinionem, ut ipsum lemma a Severo appositum fuisse sibi persuadeat.

P. Coutantius S. Hilarii editor, lemmata illa ab ipso Severo scripta credidit.

21. Hac occasione commemorare juvat, quod in Notis ad pag. 230. & 245. jam indicavimus, nempe Clariss. Coutantium in contexenda S. Hilarii Vita in eo graviter alucinatum, quod lemmata illa ab ipso Severo esse sibi persuaserit, ac pro Severi textu in testimonium aliquando produxerit. Equidem ibidem conjecimus usum fuisse illum Sigonii editione, aut alia quapiam ex ea expressa: nunc autem nobis omnino probabile sit Coutantio præ manibus fuisse editionem aliquam Parisiensem ex Merceri recensione, qui sane ipsi errandi occasionem

(*) Sigonium in eo descripsit, & secutus est Hornius in suis ad Severum Adnotationibus: quare ad illud, *frequentibus intra Gallias conciliis*, hæc apposuit pag. 434. *Ex conciliis quæ multa babuit, unum fuit Biterrense, ut ipse significat in libro de Synodis*: Ego gravissimum, &c. Sed is locus, ut in Notis monui, spectat ad Biterrensem conventum, quo Hilarius in exilium Saturnini opera pulsus fuit, non, ut voluit Sigonius, ad alium quo Saturninus ipse Ecclesia sua fuerit ejectus.

sionem eo facilius præbuerit, quod, ut in allato paullo ante exemplo, rationem non reddiderit eorum, quæ in lemmatibus posuerat: quamvis vel ex ipso libri titulo errorem suum agnoscere idem Coutantius potuisset. Utcumque tamen sit, constat ex hujusmodi lemmatibus hausisse hunc Clar. virum, quod S. Hilar. Vitæ num. 62. scribit, Seleuciense Concilium, quod ex Arianis Semiarianisque constitum fuit, *etiamnum apud Sulpicium* Catholici Concilii *titulo cohonestari*: & quod num. 39., 90. & 91. a Biterrensi Synodo, post Imperatoris Constantii mortem celebrata, Saturninum ex ecclesia sua pulsum in exsilium statuit. Ceterum non in Vita S. Hilarii tantum, sed etiam alibi in eumdem impegit lapidem. Locus insignis est in Notis ad fragmentum II. num. 21. ubi hæc leguntur: *Hujus Sirmiensis conventus gesta, quæ deinceps explicantur, illustrat Sulpicius Severus, a quo* Concilium Sirmiense Arianum *inscribitur. Sic autem habet primo, pag.* 141. *sub titulo Concilii Sardicensis:* Interjecto tempore ..... *Tum titulo posito*: Concilium Sirmiense Arianum, *subjicit*: Nacti ergo Ariani istiusmodi occasionem ..... *Illum autem Sirmiensem conventum Arianum fuisse convincimur, primo ex Sulpicii testimonio; deinde ex ipsius gestis, quibus Sardicensia decreta convellere conatus est; postremo ex ejusdem fide, cujus venenum prodit infra Hilarius, num.* 24.

Obiter rejicitur Coutantii sententia, qua ex Severi loco vitioso Synodum quamdam Sirmiensem an. 349. *ab Arianis celebratam perperam elicuit.*

22. Sed de ea Coutantii alucinatione hactenus: cum quo nihilominus convenimus, ut apud Hilarium non secus ac apud Severum hoc postremo loco agatur de quadam Sirmiensi Synodo Ariana: in quo jure merito arguit multos viros eruditione conspicuos, ut initio ejus Notæ eos appellat (Petavium potissimum designans, cujus vide Dissertat. *De Photini damnatione*) *qui catholicis Conciliis annumerant hoc Sirmiense anni* 349. *contra Photinum*. Equidem Petavius in laudatæ Differt. cap. I. tradit: *Quarto damnatum eumdem* (Photinum) *esse in Sirmiensi Synodo, non illa celebri, cui Ariani præfuerunt Imperatore Constantio, ac Basilio Ancyrano præcipuas partes illius sustinente; sed in altera* (quam scilicet affigit anno 349., cum Mediolanensi eodem anno habita eam confundens) *cujus ex annalium, historiarumque monimentis hodie memoria omnis exeidit, quam nos ex Hilarii Fragmentis, veluti e parietinis ac ruderibus, sepultam, ac pene obliteratam eruimus. Synodum ergo Sirmiensem a Catholicis & Occidentalibus in caussa Photini celebratam esse dico, priorem illa, quæ in eadem urbe ab Arianis & Orientalibus est habita.* Verum nos itidem in eo a Coutantio discordamus, quod Sirmiensem hanc Arianam Synodum eodem quo Petavius anno, sc. CCCXLIX. habitam voluit: neque enim in Hilario & Severo aliam agnoscimus Sirmiensem Synodum, quam celebrem illam anni CCCLI., ut in Notis pag. 201. monuimus. Sed videamus, unde eliciat Coutantius conventum hunc Sirmiensem *alium ab eo fuisse, qui anno* 351. *in eadem urbe celebratus est.* En ipsius argumentum unicum, idque ex Severo petitum. *Cum enim*, pergit, Imperatorum animos, *ut Sulpicius loquitur, adversus Sardicensia decreta prævertere astu tentarit; sequitur, ut superstes adhuc fuerit Constans, qui*

anno

anno 350. *vivere desiit*. Sed tenui nimium & fragili tibicine fulcivit totam hanc molem: neque enim ea est Severi in hujusmodi rebus accuratio, ut ejus unius testimonio fidere deberemus *: præterea, ut in Notis ad eum locum monuimus, pag. 202., legendum omnino videtur in Severi textu non *imperatorum*, sed *imperitorum animos*. Totus Severi locus cum Hilarii fragmentis collatus lectionem hanc mire confirmat. *Igitur Ariani*, scribit Severus, *astuto consilio miscent innoxium criminosis* (sc. Athanasium cum Photino & Marcello) *damnationemque Photini & Marcelli & Athanasii eadem sententia comprehendunt: illud nimirum apud* imperitorum *animos præstruentes, ut non putarentur de Athanasio perperam judicasse, qui de Marcello & Photino vera sensissent*. Hilarius autem, Fragm. II. num. 22. *Illud autem esse cognitum cunctis oportet .... homines mente callidos, ingenio subtiles, malitia pertinaces, occasionem revolvendi ejus, quod Athanasii absolutione* (Sardicæ data anno CCCXLVII. & Hierosolymis biennio post confirmata) *est dissolutum, quæsiisse judicii; & rescribentes de Photino, Marcelli mentionem, velut institutionem talium magistri, addidisse; ut mortuam de Athanasio ipso jam tempore quæstionem, & veritatis judicio consepultam, in publicam recordationem caussæ novitas excitaret, & subrepens per Photini damnationem Marcelli nomen inveheret*. Et num. 24. *Nam tertius mihi locus præstat* (leg. *restat*), *ut fidem, quam epistolæ exordio condiderant, fraudulentam, hæreticam, & verbis blandientibus veneno interiore suffusam esse demonstrem. Profiteatur* (non, *Profitemur*) *enim ita ....: ut cum securitas legentium, vel indoctorum simplicitas tam mollibus fuerit intercepta principiis, uno eodemque subscriptionis elicitæ assensu, in Photini* (sed reponendum nobis videtur, *in Marcelli*: nam Photinus etiam ab Occidentalibus Catholicis damnatus fuerat) *animadversionem, in Athanasii reatum, in damnationem fidei Catholicæ transeatur*. Sed jam ex diverticulo in viam redeamus.

De Sulpicii Severi editione, quam primum an. 1647. curavit Georgius Hornius cum Notis Variorum.

23. Itaque ut in incepto præcipuarum editionum Sulpicii Historiæ examine progrediamur; offert nunc se se nobis illa, quam omnium itidem ejus scriptorum curavit primum an. MDCXLVII. Georgius Hornius, Lugduni Batav., in 8., suis Variorumque, ut dici solet, notis instructam. De hac ipse ita in Præfatione ad Lectorem: *Illud prima cura fuit, textum ipsum quam maxime emendatum exhibere. Alterum erat, non tam Notas breves, quam pleniorem Commentarium bono tuo adjungere. In textu Victorem fere Giselinum sequimur, qui post Lazium collatis quamplurimis MSS.* (hæc tamen intelligenda sunt non de Historia Sacra, sed de Vita S. Martini & Dialogis) *totum opus adeo emendavit, ut nihil omiserit quod medicabile erat. Conjecturas aliquot suas textui inserere non ausus, in Notis locum habere voluit. Quod & nos exem-*

(*) Contra pro certo habere debemus eo anno 349. celebratam Synodum Hierosolymitanam, in cujus nempe epistola Synodica hæc habentur: *Vestrum est orare pro pietate religiosissimorum Imperatorum, qui ipsum* (Athanasium) *cum omni honore dignati sunt restituere*: unde colligitur Constantem, qui Athanasii restitutionem potissimum promovit, & mense Januario anni 350 peremtus fuit, adhuc in vivis fuisse.

xemplum ſequuti, deſperata aliquot loca relinquere maluimus, quam incerta, etiamſi vera, ſubſtituere. Jam Commentarius maximorum plerumque virorum verbis confectus eſt. Nemini quidquam ſubtractum. Singulos loquentes vides, & nomina ſua profitentes ..... Quot inter merito ſuo primum locum occupant magna illa orbis lumina, Salmaſius, Voſſius, Golius, Boxhornius & alii, quorum nomina paſſim videbis, & in Sulpicium merita. Non raro noſtra quoque intexere, non tam ambivimus, quam coacti ſumus. Ita operæ urgebant: nec ſemper ſpatium dabatur oracula magnatum conſulendi. Si quid porro videatur addi potuiſſe, cogitandum eſt, intra cœpti operis terminos ſubſiſtendum fuiſſe. Hæc etiam cauſſa, cur breviores in Opuſculis fuerimus. quæ, ut recte ab aliis dictum *,* pro inſtituto illorum temporum, non tam eruditionis, quam ardoris & pietatis Chriſtianæ, veteris illius & excitatæ, ſive potius credulæ & portentoſæ, *monumenta ſunt. Et tamen Commentaria in Hiſtoriam, ut vides, in aliquam pro ratione opuſculi molem excreverunt.* Hæc ille. Equidem ſi typorum & chartæ nitorem ſpectes, ſi copiam Adnotationum, & Scriptorum ex quibus pleræque excerptæ ſunt, nominis celebritatem; omnibus fere numeris abſoluta hæc editio, aut ſaltem priores omnes longo poſt ſe intervallo ſeliquiſſe cenſenda erit: verum ſi editoris doctrinam, ſi in Notis ex aliorum ſcriptis excerpendis κριτήριον, ſi in Eccleſiam Romanam obſequium requiras, ſi denique ſanam & catholicam doctrinam; neceſſe erit fateri multo plus mali in ea ineſſe, quam boni. Itaque de ſingulis pauca dicemus.

Hornii imperitia, alucinationes, errores, blaſphemiæ indicantur.

24. Et primum quantum in ſacris profaniſque ſtudiis valuerit Georgius Hornius, & quo in pretio habenda ſint ejus ſcripta, & in primis hæc Sulpicii Severi editio, ſatis ſuperque colligi poteſt ex eruditiſſimi æque ac modeſtiſſimi Samuelis Bocharti epiſtola ad Iſaacum Voſſium an. MDCLIX. data, quæ habetur inter ejus Opuſcula Tom. I. col. 1058. & ſeqq. Ibi nimirum ſtatim Hornius dicitur *homo indoctus ſimul & arrogans, ac proinde ad labendum turpiter ac paſſim pronus & obnoxius, quod ſatis demonſtrant ipſius ſcripta. pauca quidem,* pergit ille, *legi, ſed, quid poſſit ejus ingenium, inde me ſatis habere compertum arbitror. Quibuſdam foliis commiſeram nonnullos errores maxime conſpicuos & graves, quos cum turpiter erraſſe animadverteram, ſed evanuerunt hæc folia, nec quærenti mihi reperta ſunt. Interim, vice ſpeciminis, non paucos hic habebis, quibus ſcatent illius Obſervationes in Severum Sulpicium, errores.* Sequitur multas graveſque ejus alucinationes, & turpes lapſus ſingillatim recenſens, quos brevitatis gratia prætereo: demum concludit. *Miſerrimum eſt, cathedras **, in quibus ſedere Heinſii & Voſſii, occupari ab imperitis hujuſmodi hominibus: hinc merito verendum, ne in priſtinam barbariem relabamur,* &c. Hæc Bochartus de Hornio, heterodoxus homo de heterodoxo, ne religionis diſcrimen invidiam & malevolentiam exſtimulaſſe putes. Equidem nonnulla ex iis quæ ille huic obiicit, non

(*) *Sequens ſententia ad verbum habetur in epiſtola nuncupatoria Elzeviriorum, de qua ſupra in Not. 1. ad pag. XXII., ibidemque Boxhornio adſcribitur: Ut Boxhornius noſter loqui ſolet.*

(**) Hornius nimirum publice docuit Lugd. Bat.

non propria Hornio sunt, sed ex aliorum ab eo scriptis excerpta: at hoc nimirum alterum caput erat, quod ipsi objiciebamus; scilicet nullum delectum Auctorum, aut rerum ad Sulpicium Severum illustrandum abeo fuisse adhibitum. Ad priorem classem referendum est, ex. gr., quod sæpius, præcipue ubi de Priscillianistarum hæresi agitur, utatur testimonio *Fl. Lucii Dextri in Chronico* *, aut ejus commentatoris Francisci *Bivarii*, cui sane congruit vetus adagium: *Dignum patella operculum*: ad alteram adeo multa sunt quæ referri possint, ut tertiam fere Observationum partem exæquent. Nimirum quidquid Severi textui aliqua ratione accomodari, recte an secus, potuit, undique compilatum & promiscue congestum & comportatum fuit. Res legenti cuilibet facile per se manifesta fiet, quare exempla referre omittimus. Sed ferenda hæc utcumque essent, nisi in his ipsis Adnotationibus passim occurrerent multa contra Catholica dogmata ritusque sacros impie asserta, multa in Romanum Pontificem & in Ecclesiasticam Hierarchiam contumeliose dicta, multa impudenter negata quæ antiquissima traditione fulciuntur **: adeo ut merito, in Indice Romano Librorum prohibitorum, proscripta fuerint hæc *Georgii Hornii Commentaria in Severum Sulpicium*, cum aliis non paucis ejusdem scriptis.

Idem Hornius Severi editionem secundis & tertiis curis refecit.

25. Ceterum præter editionem anni MDCXLVII., quam nos, quamque Bochartus supra laudatus præ manibus habuit, iterum & tertio Severus cum Hornii Commentario prodiit: indicatas enim video editiones an. 1654. & 1655. (quæ tamen cum præcedenti una eademque facile esse potest) Lugd. Bat., nec non an. 1665. Amstel. & Roterodami. In his corrigere forte potuit, quæ ipse in prima sua editio-

(*) Præter ea quæ de Pseudo-Dextri Chronico Jo: Albertus Fabricius in Biblioth rum Latina, tum Mediæ & Inf. Lat., auctoresque a Fabricio ibidem laudati; accipe hoc insigne elogium Emmanuelis Martini, Tom. II, epist. XV. *Video te in Flavii Dextri Chronico evolvendo & oleum perdere & operam male locare. Quod sane miror. Est enim totum opus illud splendidissimis mendaciis anilibusque fabellis refertum. Ab impostore quodam confictum (cujus ne nomen quidem nescitur) qui eo conjecit male sani capitis deliramenta. Monstrum, non librum! quem si sapis, procul a te amovebis; vel, quod æquius, abolebis igni.*

(**) Ne hæc gratis asserere videamur, & Hornio perperam maledicere, nonnulla hoc loco indicare placuit, nullo ordine, sed uti se se afferebant, excerpta. Pag. 290. 1. Historia, quæ Danielis cap. XIV. traditur de statua Beli, *apocrypha*, & *indubie fabulosa* traducitur. Pag. 369. 1. legitur: *Petrus numquam Romæ fuit*: congruunt quæ pag. 372. 2., ubi Petrus Babylone martyrium passus dicitur. Pag. 383. 2. habentur hæc ipsa verba: *Antichristus est Papa Romanus*. Contra Romanum Pontificem multa etiam offendes pag. 400. 1., 441., 444, 494. & alibi. Pag. 465. 2. & 485. non obscure traditur, *Episcopos & Presbyteros nihil differre*: quod apertius in Indice. Pag. 392. 2. Crucis inventio sub Constantino traducitur ut *fabula*, ac *inventum plane & commentum*. Pag. 481. 2. negatur, *Invocationem Trinitatis super baptizatum Apostolici instituti & moris esse*. Pag. 476. 2. pius ritus crucis signum ori vel fronti imprimendi, *glisceati paullatim superstitioni* adscribitur: huic adde geminum locum ex pag. 488. 1. Pag. 301. 2. ad illa Severi de S. Martino verba, in epistola ad Aurelium Diaconum. *Patente cælo receptus videri ultra non potuit*, hæc Hornius ore blasphemo & impurissimo: *Sic Romulus ad superos transiisse dejerabat Julius Proculus*. Livius I Dion. Hal. II. *Sic & Julium Cæsarem ac alios Imperatores. Hinc orta ἀποθέωσις. Vide Senecam in Apocolocyntosi*. Sed Augiæ stabulum repurgare, ut est in proverbio, aggrederer, si in his congerendis diutius immorarer.

Digitized by Google

editione vitia notasset; potuit etiam, quod mihi fit magis verisimile, eadem novis accessionibus coacervasse: certe ab eo nonnulla addita aut suppleta dicuntur. Itaque alicubi legi Hornium in Præfatione ad Sulpicium Severum hæc habere, quæ in prima illa editione frustra requiras: *Utinam magnus ille Casaubonus examini Annalium supervixisset, ut purgatam ab erroribus & corruptionibus Historiam Sacram legeremus. Plus enim, ut recte notatum a quodam, Annales Baronii quam Controversiæ Bellarmini nocuerunt.* Quæ illi in Annalium contumeliam dixerunt, nos in eorumdem commendationem dicta accipimus.

De editione Jo. Vorstii an. 1668., Lipsiæ an. 1709. recusa: tum de alia Lipsiensi editione an. 1711. cum Notis ad modum Minellii.

26. Post Hornium Joannes Vorstius Severum dedit, Berolini an. MDCLXVIII. in 8., notis brevibus instructum: de qua editione & sequenti abunde egimus in Præfat. Tomi I. pag. VI. & seq. Porro hæc ipsa editio est, quæ recusa fuit Lipsiæ an. MDCCIX. * cuique Joannes Clericus addidit in fine epistolas VII. sub Severi nomine ** partim

(*) Etiam an. 1703. Vorstii editionem Lipsiæ recusam legi. Sed non satis accurate Pfaffius in Indice Operum Jo. Clerici, quem inseruit Præfationi suæ in ejus Commentarium in Genesin, hanc ipsam editionem Clerico tribuit scribens: *An. 1709. cum notis suis edidit Sulpicium Severum.*

(**) Ipse Clericus vidit, non omnes Severo nostro tribuendas certo esse has epistolas; itaque, præter ea, quæ in Notis habet, Bibliot. Select. Tomo XX. par. I. (ubi fuse de Sulpicio, [illegible] editione agit, quam initio vocat *la plus complette Edition des œuvres de Sulpice Severe, qui ait jamais paru. Elle est aussi belle & correcte*, &c.) ita de his epistolis statuit: *On ne peut guere douter, que le quatre premieres ne soient de Sulpice, & ce sont le principales. Pour le trois dernieres, qui sont plus courtes, & de moindre consequence, elles pourroient bien être de quelque autre.* Nos tamen de secunda ex his quatuor adhuc dubitamus, quartam Severo aperte abjudicamus. Et ut de hac primum dicamus, hæc quidem apud Dacherium dicitur tantum, *Epistola II. ejusdem*, sed Clericus hunc ei præfixit titulum: *Ad eumdem* (nempe Paullinum Nolanum, ut præcedens) *de sapientia & mansuetudine Paullini, in adhortationibus*. Ego tamen non ad Paullinum, sed ad Augustinum datam deprehendo, non a Sulpicio Severo, sed nomine Cirtensis plebis, cui nimirum Augustinus respondit epistola, quæ sub num. CXLIV. in edit. PP. Maurin. recensetur. Conferantur, quæso, utraque inter se epistola diligenter, potissimum in Polemonis exemplo, & verum esse quod dico quisque fatebitur: id indicasse, mihi nunc sufficiat. Ceterum epistola hæc perperam Severo adscripta, mutila videtur initio & in fine: in eadem occurrit semel *video*, quum alibi numero plurali loquatur; quare aut *vides* reponendum, aut *videmus*. Porro Augustini epistolam an. 412., & post celebrem Collationem Carthaginiensem, collocari quidem video: de eo tamen mihi minime constat. Nam primo nulla ibidem ejus Collationis mentio, sed potius alicujus disputationis apud Cirtenses habitæ [illegible] secundo, si ob illam Collationem Cirtenses Donatistæ conversi fuissent, non propria hæc Augustini aut opera, aut laus, quantum video, fuisset: tertio, quod num. 3. proponit Augustinus *ex transmarinis Ecclesiis* ductum argumentum; videtur indicio esse, in Africa nondum eam controversiam fuisse publice discussam atque diremtam. Itaque multo ante Collationem Carthaginiensem facta fuerit illa Donatistarum apud Cirtenses disputante Augustino conversio, fortassis ex occasione qua illuc profectus fuit Augustinus ad novum episcopum ibi constituendum an. 398. (de quo agit epist. XLIV. num. 1. & 13.) quemque *Fortunatum* fuisse notant PP. BB. Præterea eadem epist. XLIV. in oppido Tubursico aliud simile cum Fortunio Donatistarum episcopo colloquium ab Augustino habitum narratur, quod etiam in caussa esse potuit, ut postea Cirtenses Donatistæ schisma desererent. Non est autem, quod PP.BB. volunt, necesse, ut in Africa eo tempore Pelagianorum errores jam detectos ponamus: nam sanctus & humilis episcopus congestas in se laudes non debuit tacitus præterire, sed eos sedulo monere, ut *suam illi conversionem divina operi tribuant, non humano.* Sed ut de secunda quoque

partim a Baluzio, partim a Dacherio antea editas, quas nos tertio Tomo (si tamen ei aliquando prodire per occupationes nostras dabitur) reservamus, una cum Paralipomenis in duos Tomos priores. Vorstii Notæ in Historiam Sacram (nonnullis tamen omissis, quod hæresin sapiant) habentur etiam Tomo IV. Opp. Sigonii, ut supra num. 18. innui. Prodiit etiam Historia Sacra seorsum Lipsiæ an. MDCCXL., in 12., cum *Observationibus Philologicis ad modum Joannis Minellii*, auctore Jo. Friderico *Weinich*, ut tradit Christianus Schoetigenius Tom. VI. Biblioth. Fabricii med. & infimæ latin., pag. 472. Sed hoc loco minime silentio mihi prætereunda est (ne cui fraudi sit) insignis Weinichii alucinatio, qui in epistola ad Lectorem, sub Bibliopolæ nomine edita, post commemoratas præcipuas quasdam editiones, ad quas textum Severi se contulisse affirmat, ita demum pergit: *Cum codicibus MS. textum conferre libenter quoque aggressi fuissemus, nisi timor, quod pro hoc labore pretium omnes in editione hac factos sumptus si non superaret, saltem attingeret, nos retinuisset. Hærent enim, ut ex Pagii litteris ad Abbatem Nicæsium clarissimus* Bernard., in Novel. de la Republ des Lett. 1699. *Mens. Jul., observavit, manuscripta octo Parisiis in Bibliotheca Colbertina, nec minus asservatur quoque aliud in Vaticana Romæ, præter id, quod ex Bibliotheca Cardinalis Urbini in eamdem Vaticanam translatum*, &c. Atqui Pagius in epistola ad Nicasium, quam nos integram Differt. III. Tom. I. inseruimus, agit de quodam Severi loco ex Dialogo II., codices autem quos laudat, Vitam Martini exhibent, non Historiam Sacram, quam ille edendam susceperat.

Nonnullæ aliæ editiones, vel præstitæ vel tantum promissæ, referuntur nullo ordine, seu, ut dicitur, per saturam.

27. Video etiam commemorari a Fabricio & aliis editiones Sulpicii Severi Aboæ an. MDCLXIX. a Joanne Gezelio, itemque Tiguri an. MDCCVIII. a Joanne Gaspare Hoffmeistero curatas. Sed quid ab illis præstitum sit, me ignorare fateor. Idem dictum volo de Christiani Schottani profusis in Historiam Sacram Commentariis,

quæ

quoque epistola Severo tributa aliquid dicamus, eam Baluzius & Clericus ut antea ineditam vulgarunt, quæ tamen multo antea & sæpius, tum sub Hieronymi nomine inter Hieronymianas, tum sub Athanasii, in Appendice Codicis Regul., a Luca Holstenio vulgata fuerat, licet admodum interpolata. P. Liron, ex Maurina Congregatione, auctor Operis inscripti, *Les Amenitez de la Critique*, &c. Paris. 1717., fuse & erudite de hac epistola agit, Severo eam acriter adserens. Equidem constat eam sub initium quinti sæculi prodiisse, neque indignam esse Severo, cui tribuitur in MS.: quamvis ab antiquis non modo Hieronymo & Athanasio, sed Augustino etiam, ac demum Pelagio fuerit tributa. Postremo Auctor ipse Amenitatum concludit, Severo epistolam esse adscribendam, quoad argumenta occurrant, quæ eidem abjudicandam esse evincant. At hoc argumenti genus non omnes, puto, persuadebit. Sed de duabus reliquis nullus est ambigendi locus, quin Severi sint: nam tertia comprobatur ex S. Paullini epistolis, quibus plane respondet; prima ex quibusdam Severo alias usurpatis dicendi modis. Hujusmodi est quod cap. V. legitur, *a labe peccati melioris vitæ conversatione purgatis*, quibus respondent quæ in Martini Vita cap. XXII. *antiqua delicta melioris vitæ conversatione purgari*: & quod cap. XII. *adfluant divitiis, auro incubent*: nam & lib. I. cap. XXIII. Hist. Sac. habetur: *inhiant possessionibus, prædiis excolunt, auro incubant*. Conferantur etiam quæ habentur ejus epistolæ cap. XIII. cum Paullini epistola I. ad Severum.

Digitized by Google

quæ tamen pervenire dicuntur tantummodo ad extrema tempora regni Hasmonæorum, seu ad initia regni Herodis. Edita dicuntur hæc Commentaria Franeckeræ an. MDCLXIV., in folio. De Severi autem editionibus in Bibliotheca Patrum sæpius repetitis, nihil est quod dicam: nam in ipsis nihil singulare & observatione dignum occurrit. Duas postremo nominare juvat editiones promissas, sed, quod sciam, non perfectas: prioris meminit Jo. Albertus Fabricius in Biblioth. Latina his verbis: *Novam Severi Sulpicii editionem ab an. 1716. parare accepimus Cl. V. Davidem Hofmannum, Uratislaviensem, cui Codicis MS. copiam fecit Rev. D. Jo. Andreas Schmidius:* alterius Christianus Schoettgenius, Tomo VI. Biblioth. Fabricii med. & inf. latin., scribens: *Ceterum novam Operum Severi Sulpicii editionem ex variis codicibus emendatiorem promisit Jo. Phil. Kuchenbecker in Analectis Hassianis, par. V. p. 5.*

Demum, quid in hac novissima editione præstitum sit, declaratur: ac potissimum de MS. codice Vaticano, & de ejusdem Variantibus.

28. Reliquum modo est, ut de nostra hac editione nonnulla dicamus, & quid præ ceteris qui in hac ipsa palæstra desudarunt, præstitum a nobis sit, quam brevissime declaremus. Primum itaque, quod nemini post Flacium contigit, datum est nobis, ut MS. codicem Severi Chronicorum nancisceremur, cum quo libros impressos conferre & emendare (quæ est prima & præcipua editoris cura) possemus. Bibliotheca Vaticana, hujusmodi mercium ditissimus, nec ulli satis adhuc exploratus thesaurus, hunc nobis pretiosissimum suppeditavit margaritum. Nam cum ante complures annos ad Avunculum meum Comitem Abbatem Turrium, eo tempore in Archigymnasio Romano publicum J. C. Professorem (quem artissimæ affinitatis, gratique animi caussa nomino) de ea re sæpius litteras dedissem; ille, ut studiis votisque meis obsecundaret, diligenti Bibliothecæ Vaticanæ custodibus perscrutatione injuncta, rescripsit tandem repertum esse unum codicem Historiæ Sulpicii, cujus postea, collatione cum editis instituta, discordantes omnes lectiones, atque adeo apices, mihi communicavit. Codex autem est ex membranis, num. 825. signatus, charactere minori & rotundo (vulgo, *stampatello*) exaratus, quique decimo fere sæculo ab ejus rei peritis scriptus creditur. Equidem in Indicibus a Montfauconio in Biblioth. Biblioth. exhibitis nullam invenio ejus mentionem; eumdem tamen ab Annalium Ecclesiasticorum Parente inspectum censeo & laudatum, quum ad an. Chr. CCCLVI. num. 110., ut quemdam Severi textum emendaret, provocaverit ad *antiquius exemplar*: vide Notas nostras pag. 212. Porro hunc codicem ex paucis, iisque non magni plerumque momenti, Variantibus liquido agnovimus cum editis plerumque concordare, etiam ubi loca quædam luxata & hiantia occurrunt: adeo ut aliquando suspicati simus Hildesianum MS., quem Flacius descripserat, ex Saxonia Romam commigrasse, vel saltem utrumque ex eodem archetypo descriptum. Profuit tamen plurimum ejus collatio, primum ut constaret editionem Flacii sinceram esse & bona fide curatam, secundo quia nonnullas optimæ notæ emendationes suppeditavit, quas suis locis textui inseruimus. Et textus quidem

exem-

Digitized by Google

exemplar ex Lipſienſi anni MDCCIX. editione (ex qua etiam ſumſimus capitum diviſionem, quam in ora paginarum exhibuimus) typographo deſcribendum dedimus, quod tamen nos cum aliis antiquioribus, præcipue vero, ut ſupra diximus, cum Antuerpienſi diligenter contuleramus; religioni habentes quidquam ex arbitrio immutare, & conjecturas noſtras obtrudere, quarum tamen aliquæ non probabiles tantum, ſed pæne certæ nobis videbantur: itaque in Adnotationibus eas tantummodo proponere ſatius duximus.

De Editoris in Severum Adnotationibus. Si quid in illis peccavit, emendare monitus, non defendere, paratus ſemper erit.

29. Sed, quod ſpectat ad Notas, eas partim Severi textui illuſtrando aut emendando, partim ſententiæ ejuſdem confirmandæ, aut, ubi oportuit, corrigendæ inſervire potiſſimum voluimus. Itaque primum quod recte ab aliis in utraque parte præſtitum jam fuerat, diligenter excerpſimus: ne tamen illi debita laude fraudarentur, ſua quæque auctoribus perpetuo aſſeruimus. quidquid contra minus recte ab iiſdem dictum judicavimus, refutare non omiſimus, quoties ita ratio exigebat: quæ enim ad Severum non ſpectabant, ea, qualiacumque eſſent, aliorum judicio expendenda reliquimus. Equidem vitio nobis verti poſſit, quod aliquando latius exſpatiati ſimus, & extra oleas, ut ajunt, nos ferri ſciverimus: ſed ſi minus illa illuſtrando proprie Severo inſervient, inſervient tamen fortaſſis alicui non vulgari, nec inutili quæſtioni enodandæ. quod ſi ex animi noſtri ſententia contigerit, ſtudioſis ſacrarum antiquitatum non injucundas fore ejuſmodi digreſſiones confidimus, idque eo magis, quod quæ præter ſpem accidunt, in lucro deputari ſoleant. At erunt ex his multa, quæ eruditis lectoribus non probabuntur. Si quidem non ex præjudicata aliqua opinione, ſed ex rei veritate id fiat, nos ultro cenſoribus noſtris manus dabimus, immo gratias habebimus. Non enim adeo φιλαυτίας morbo laboramus, ut, quum viros etiam doctiſſimos aliquando cæſpitaſſe deprehenderimus, ab errore immunes noſmet venditemus, aut ab aliis haberi velimus.

Arguetur forte Editor, quod in Notis produxerit duas Inſcriptiones Chriſtianas, ut antiquiſſimas, quæ apud aliquos incertæ aut nullius auctoritatis ſunt.

30. Sed ex multis Adnotationum noſtrarum locis, qui fortaſſe cenſoria virgula caſtigandi jure merito videbuntur; ille potiſſimum, ne quid diſſimulem, quibuſdam diſplicebit, in quo duo produximus epitaphia, alterum Marii, qui ſub Adriano, alterum Alexandri, qui ſub Antonino (quem nos M. Aurelium Antoninum eſſe conjiciebamus) pro Chriſto ſanguinem cum vita profudiſſe referuntur: vide infra Notas ad pag. 172. & ſeq. Equidem, quum Notas illas ſcripſimus & typis excudendas mandavimus (quod ante aliquot annos factum eſt) neminem legeramus, qui eorum monumentorum antiquitatem in dubium revocaret, nedum ſinceritatem palam negare eſſet aggreſſus: contra eadem a viris ſummis, & de ſacra profanaque antiquitate optime meritis paſſim laudari, atque uti ſincera & antiquiſſima

ma haberi videbamus, & adhuc videmus *: quare bona fide aliorum judicio acquievimus. Accidit autem aliquanto post, ut in manus nostras inciderent Ephemerides Litterariæ Florentinæ (vulgo, *Giornale de' Letterati publicati in Firenze*) in quibus, quum Tomi II. parte II. pag. 126. & seqq., de antiquitate monogrammatis *Christi* quæstio instituatur, hæ ipsæ Marii & Alexandri Inscriptiones, & aliæ quædam monogramma illud præferentes, ad examen vocantur. Est autem eruditorum virorum, qui Ephemerides illas contexuerunt, ejusmodi de utroque epitaphio judicium, ut, si iis credimus, nihil ab antiquorum Christianorum indole & stilo magis alienum, nihil ineptius & puerilius excogitari possit. Sed ipsorum verba seorsum in Nota ** appo-

(*) Qui primum has duas Inscriptiones vulgavit, fuit Joannes Severanus Romani Oratorii presbyter, qui Antonii Bosii Opus postumum, *Roma sotterranea* inscriptum, recensuit, supplevit & vulgavit Romæ in fol. an. 1632., quod ibidem prodiit rursus in 4. an. 1650. Sunt autem hæc ipsa Severani verba: *Dopo le diligenze fatte dall' Autore, essendo accorso far un' escavazione di alcuni corpi santi dall' istesso Cimiterio* (de Callisti cœmeterio agit) *per ordine della felice memoria di Gregorio decimoquinto* (nempe circa an. 1622.) *furono trovate dal Signore Abate Crescenzio, che n'abbe cura, le seguenti Iscrizioni in tavole di marmo, che ci è parso aggiungere in questo luogo per sodisfazione del pio lettore.* Sequuntur autem epitaphia Alexandri & Marii, monogrammate Christi & palmis ornata. Ex Severano easdem Inscriptiones se descripsisse testatur Aringhius, in ejusdem argumenti Opere, & Boldettus in libro inscripto, *Osservazioni sopra i Cimiterj*, qui quidem lib. I. cap. III. pag. 21. Alexandri epitaphium exhibet, rursus autem cap. XLIV. ejusdem libri pag. 232. Severani narrationem confirmat, & utrumque, Marii scilicet & Alexandri, epitaphium recenset. Mabillonius quoque eas refert tum in *Itinere*, seu *Musæo Ital.*, tum in Dissert. de *SS. Ignotor. cultu*. Recensuit pariter Thomas Reinesius, *Syntagm. Antiq. Inscrip.*, & Fleetvvoodus, *Inscrip. Antiq. Sylloq.*, de quibus tamen vide, quæ in contextu Præf. statim dicemus. Marii inscriptionem edidit quoque Ursatus, in libro *de Notis Roman.* pag. 98., nec non Eques Franciscus Victorius, in Notis ad Dissert. *de Monogram. SS. nominis Jesu*, pag 43., denique Clariss. P. Ursinus, *Istoria Eccles.* Volum. II., seu lib. III. §. XXVII., & eruditus P. Mamachius, *Origin. & Antiq. Christ.* lib. II. pag. 429. Nota IX., ejusdem contra Fleetvvoodum & Coperum defendens sinceritatem, quod item præstitit de Alexandri epitaphio pag. 431. Nota IV., illud rursus producens, quum jam pag. 89. & Nota III. id fecisset. Rursus Alexandri martyris epitaphium integrum exhibetur a laudato P. Ursino lib. III. §. XLVII., ex parte autem a Buonerio, *de adorat. veter.*, & a nobilissimo æque ac eruditissimo Victorio, in *Dissertat. Philolog.*, pag. 88. Utriusque inscriptionis præterea cum laude non semel meminerunt Severanus, Aringhius, Boldettus, præcipue ubi de Monogrammate Christi agunt: tum P. Ruinartius in Præfat. ad *Acta martyrum syncera*, nec non Clarissimus Senator Bonarotius, pag. XIII. Præfat. Operis inscripti, *Osservaz. sopra alcuni frammenti di vasi antichi di vetro*, &c., ac Dominicus Georgius in Dissert. *de Monogramm. Christi* (ubi pag. 5. statim hæc habet: *Inter cetera vero insitum Christi monogramma in sepulcrali lapide Marii militis passi sub Hadriano Imp. & Alexandri Martyris sub Antonino Pio, quorum epitaphia leguntur apud Bosium lib. III. cap. XXIII. & apud Aringhium lib. III. cap. XXII. pag. 524. 525.*) & Jo. Dominicus Bertoli, Aquilejensis tunc Ecclesiæ Canonicus, Dissert. VII. Voluminis I. Operis, cui titulus: *Memorie della Società Colombaria*; demum Auctor Historiæ Litter. Italiæ Volum. II. lib. II. cap. 7. pag. 406. & seq., quo loco utriusque inscriptionis sinceritatem agnoscit.

(**) Hæc ipsa verba sunt Auctorum Ephemeridis Litterariæ Florentinæ: *Cominciamo dunque da osservare le due prime* (nimirum primo loco jam produxerant Alexandri, secundo Marii inscriptionem) *che diconsi trovate da Giovanni Severano nel cimiterio di Callisto dopo la morte del Bosio. Se alla menoma critica si vorranno queste esaminare, troveransi così lontane dallo stile e dicitura di que' tempi, a' quali si vorrebbero attribuire, e sì piene di quelli, che chiamiamo giuochi di parole, o bisticci, di sensi interrogativi, d'esclamazioni, finalmente tanto differenti dalla semplicità, e gusto di quel tempo, che più tosto due Crie escite dalle scuole del secolo XVII., che iscrizioni sepolcrali del secondo o terzo secolo di Cristo saranno riputate da chiunque abbia alcuna ancorchè picciola pratica* della

Digitized by Google

apponere operæ precium erit, quibus sane nihil apertius, nihil exaggeratius dici potuit ab iis, qui omnem monumentis illis auctoritatem & fidem sublatam velint. Verumtamen, ut postea comperi, Ephemeridum Florentinarum Auctores neque soli, neque primi his sacris monumentis litem moverunt: jam pridem enim de eorum antiquitate dubitaverant alii viri docti, licet æquius & mitius de iisdem loquuti sint. Agmen fortasse ducit Reinesius, qui ambas quidem inscriptiones suo *Syntag. Antiq. Inscript.* inseruit, Alexandri quidem pag. 953., Marii autem pag. 977.: sed ad Alexandri inscriptionem monuit, eam *Rhetorem quemdam quarti quintive sæculi potius sapere, quam Antonini tempora, & primævam Christianorum simplicitatem.* Ulterius progressus est Guillelmus Fleetvvood (*Inscript. Antiq. Sylloge*, Londini MDCXCI. edita) quum in Præfat. partis II., in qua Christiana monumenta collegit, moneat quædam ex iis (inter quæ recenset Alexandri & Marii epitaphia) *majorem vetustatis speciem præ se ferre, quam reipsa habeant: Non enim*, pergit, *hac in re Clarissimi Dodvvelli nostri partes possumus deserere, quidquid e contra opponat idem supra laudatus Joh. Mabillon*, in Itinere Italico, pag. 138.: *quas enim rationes ibi affert, sententiam de paucitate martyrum (quam in Dissertatione, quæ inter Cyprianicas aurea prælucet, undecima firmam & ratam dedit Dodvvellus) ut mutem, numquam efficient*. Idem pag. 348. num. 3. referens Alexandri epitaphium, Reinesii de eodem judicium refert & suo calculo approbat: rursus autem, pag. 444. num. 2., exhibens Marii monumentum, subdit: *Marius forte passus est sub Adriano: sed hanc inscriptionem tum factam minime credo.* Gisbertum quoque Cuperum, in Notis ad librum *de Mortibus persecutorum*, cap. IV., de utriusque inscriptionis sinceritate aliquantum dubitasse ex ejus verbis colligitur, quæ sunt hujusmodi: *Ejus sententiam* (de Henrici Dodvvelli sententia, pro paucitate Martyrum adserenda, sermonem habuerat) *refellere conatur Johannes Mabillonius, in It. Ital., ope Prudentii, Hymno XI.* περὶ στεφ., *ubi* innumeros cineres *Martyrum celebrat, & duarum Inscriptionum, quarum prima Alexandrum quemdam sub Antonino, altera Marium adolescentem, ducem militiæ sub Hadriano, martyrio affectos esse testantur. Verum licet genuinæ hæ inscriptiones forent (id quod aliis forte secus videbitur) non tamen bini martyres numerum eorum valde augere poterunt; nec indicio erunt, Ha-*

drianum

della Lapidaria. Perciò somma maraviglia ci prende, che i difensori dell' antichità del S. Monogramma, uomini per altro celebri per dottrina, e di somma pratica in questo genere di difficile erudizione, abbin soppresse le lor cognizioni a tal segno da non riflettere, quanto pregiudizio alla causa da lor difesa recavano due monumenti di simile qualità. Passando dunque a quella che attribuita viene a S. Lorenzo, &c. Rursus paullo infra: *Sarebbe necessario per approvare la pretesa antichità della IV. Iscrizione appartenente a S. Cajo, e scoperta nel passato secolo, siccome quelle di altri Martiri di sopra citate, poter aver sotto gli occhi i marmi originali, ed in essi esaminare la forma de' caratteri, e le frasi, colle quali parlano, per esser certi di poterle giustamente porre ne' secoli avanti Costantino, credendo noi probabilissimo, che vi siano state poste molto posteriormente alla morte di detti martiri da' divoti Cristiani. Anzichè ci arreca stupore, che per piacere il loro impegno coloro, che pretendono far veder questa cifra altrettanto antica, quanto il Cristianesimo, non portino altro che pochissime iscrizioni in loro favore, e quelle quasi affatto destituite d'ogni apparenza di verità, quando per altro in tutte le gran raccolte di sepolcrali Elogj degli antichi Christiani da noi di sopra citate, in grandissima quantità si scorgono le Iscrizioni col Monogramma, e con i Consolati, ma tutti dopo Costantino.*

Digitized by Google

drianum & Antoninum tot Christianos Romæ neci dedisse, quot in Martyrologiis memorantur: &c. Multo iniquiorem fuisse his aliisque hujusmodi epitaphiis Jacobum Basnagium conjicio ex iis, quæ ille in universum contra antiqua Cœmeteria Christianorum, quæ Romæ sunt, & sacra monumenta quæ ex iisdem eruuntur, effutivit: neque enim libros ejus inspexi. Hæc itaque illi, multo antea quam prodirent Ephemetides Florentinæ, quas ego unum legisse memini, qui postea suo calculo approbaret & pæne ad verbum transcriberet, P. Franciscum Antonium Zachariam S. J., in *Paralipomenis in T. Fl. Clementis Tumulum*, pag. 404. Tomi XXXIX. Opusculorum Collect. Caloger.. Quamquam idem Zacharias (siquidem, ut fama est, eidem adscribenda est Historia Litteraria Italiæ) sententiam postea in melius mutavit: nam Tomo II. lib. II. cap. 7. epitaphia quidem Alexandri & Marii pro antiquis & sinceris agnoscit, & tantum dubitat, num in iis monogramma Christi fuerit postea additum, aut pro monogrammate interpretatum aliud aliquod symbolum *.

Inscriptiones illæ minime rejiciendæ sunt eo, quod monogramma Christi appositum habeant.

31. Porro ex his, quas diligenter collegimus, Scriptorum sententiis, liquet tribus potissimum de caussis fuisse in dubium revocatam ac impugnatam antiquitatem & sinceritatem inscriptionum Marii & Alexandri martytum: primum quidem ex falsa de paucitate Martyrum persuasione, quam Dodvvellus summo conatu invehere nisus est, quæque a plerisque Hetetodoxis magno favote excepta fuit. hanc nos uti inanem nulliusque momenti, silentio præteribimus, quoniam a nonnullis Catholicis magna argumentorum vi satis superque oppugnata fuit. Secundo, quod aliqui etiam ex Catholicis sibi persuaserint monogrammatis Christi originem ad Constantini magni ætatem esse referendam. hanc potissimum urgent Ephemeridum Auctores, ac Clariss. P. Zacharias in utroque opere supra laudato: quare de ea fusius dicemus. Postremo ex ipsarum insctiptionum indole & stilo: de quo

(*) Verba Auctoris Hist. Litt. Italiæ hæc sunt: *Antonino Pio, che ad Adriano successe nell' impero, l' imitò ancora nel perseguitare i Cristiani per modo, che in certa Iscrizione d' Alessandro Martire si querelano i Cristiani, che nè tampoco lecito loro fosse il salvarsi nelle caverne. Che falsa sia questa Iscrizione, siccome un' altra di Mario martire ne' tempi di Adriano riportata dal P. Mamachi* (pag. 430) *dubitò il Fleetvvood, e Gilberto Cupero, a' quali noi aggiugneremo i Signori Giornalisti di Firenze* (Tom. II. par. II. art. IV. pag. 129.) *e il P. Zaccaria ne' suoi Paralipomeni all' Epitafio di T. Flavio Clemente illustrato dal P. Vitry. Ma io dubito, che principal ragione di questi Cattolici a mettere tai lapide tra le false, sia stato il vedervi il monogramma di Cristo, ch' essi reputano sol dopo Costantino essersi in uso posto. Noi siamo dello stesso avviso intorno il monogramma; niente però meno considerando, come il P. Mamachi saggiamente riflette* (pag. 413.) *alla diligenza, che in Roma s' usa nel cercare simili monumenti, ed alla impossibilità d' introdurre nelle Catacombe somiglianti imposture, abbiamo per vere le Iscrizioni, e solo sospettiamo, che il monogramma non vi fosse, ma piuttosto altro segno male interpretato pel monogramma di Cristo, o che posteriormente vi sia stato messo, quando i Cristiani cominciarono con tanta frequenza ad usarlo. Per altro ciò, che da' mentovati Giornalisti si dice, pag. 111. esser queste Iscrizioni* così lontane dallo stile e dicitura di que' tempi (& cetera, quæ leguntur in præcedenti Nota) *mi sembra una troppo acre censura.*

Digitized by Google

quo argomento quid sentiendum nobis videatur, postremo loco dicemus. Itaque quod spectat ad quæstionem de antiquitate monogrammatis Christi, tradunt Ephemeridum Auctores eam jamdiu ab eruditis agitari, sed hac nostra ætate in ea præcipue versatos Jacobum Basnasium *, Burchardum Menckenium **, ac Clariss. Dominicum Georgium: ex quibus Basnasium quidem & Menkenium, heterodoxos homines, ad Constantinum Imp. ejus originem retulisse indicant, Georgium contra ab ipsis ferme Christianæ religionis initiis a fidelibus usurpatum monogramma Christi defendisse. Equidem extitisse quosdam Catholicos fateor, licet paucos ***, qui, & ante & post Basnasium, ejus de origine monogrammatis sententiam propugnaverint: scio tamen contrariam, a Georgio contra Basnasium acriter propugnatam, receptam fuisse & esse a plerisque, qui de Romanis cœmeteriis & antiquis Christianorum monumentis ex instituto egerunt, Bosio, Aringhio, Boldetto, Bonarotio, Bottario, & aliis. Nititur autem horum sententia in inspectione & examine quamplurium Christianorum Constantino antiquiorum monumentorum, lucernarum, vasorum vitreorum, & anulorum, in quibus ea nota perspicue exstat. Contra hoc argumentum, Antiquariorum consensu comprobatum, nequidquam nituntur, qui procul positi, & in alio studiorum genere versati, acutius se videre sibi persuadent præ illis qui effodiendis, colligendis & illustrandis ejusmo-

(*) Citant illi Jacobi Basnasii *Historiam Hebræorum*, ex editione an. 1716.. Hanc sane Georgius sibi in libro *de Monogrammate Christi*, edit. Romæ an. 1738., proposuit impugnandam: quoniam lib. III. cap. XXIII. ejus Operis Basnasius monogramma Christi a Constantino primum usurpatum contendit, atque ideo inscriptiones sepulcrales Christianas signum illud præferentes, aut ætate posteriores esse, aut suppositias. Sed idem Basnasius insitum sibi medullitus in Catholicam Romanam Ecclesiam virus evomuit, effrenique ingenio sui habenas penitus laxavit postea in *Historia Ecclesiast.* lib. XVIII. cap. 5. & 6., quibus apertum sacris Christianorum & Martyrum cœmeteriis bellum indixit, & Romana cœmeteria olim gentilium ex infima plebe, servorum & reorum sepulturæ inservisse, impie & maligne persuadere contendit. Clariss. P. Ursius, *Historia suæ Eccles.* tom. III., seu lib. VI. num. 26. & seq., ejusdem mendacia & calumnias paucis quidem, sed abunde refutavit; ex quo excerpam quæ ad quæstionem nostram proprie spectant. De Christi monogrammate ita Basnasii sententiam primum proponit Ursius num. 26: *Si decida, e francamente si neghi .... essere il monogramma di Cristo quel che ne porta sì espressamente la figura in un gran numero d' iscrizioni, per non essere state in uso appresso i Cristiani prima de' tempi di Costantino, e per essersi al contrario trovato qualche cosa di simile in una medaglia de' Tolomei, e tra' geroglifici dell' Egitto. Tutto ciò dico s' immagini, e si sostenga ..... benchè con un gran numero d' iscrizioni indubitatamente Cristiane, ed apposte ne' nostri cimiterii a' sepolcri de' Martiri, che indubitatamente son tali, si dimostri, essere molto più antico di Costantino l' uso del Monogramma di Cristo,* &c. Sed operæ pretium erit, totum illum locum perlegere, in quo inscriptiones Marii & Alexandri, ac nonnullæ aliæ insigniores, memorantur.

(**) Dum Auctores Ephemeridum citant Menckenii Diatribam *De monogram. Christi*, indicare videntur Dissertationem, quæ tertia est in ejus Dissertationum Academicarum Decade, quæ prodiit Lipsiæ an. 1734. Sed idem multo antea, seu an. 1696., de eodem argumento Lipsiæ vulgaverat Epistolam ad Clariss. Ciampinum, quam fortasse, paucis mutatis & additis, in supra laudatam Dissertationem transfudit. Ceterum hic Auctor, licet acatholicus, longissime abest a Basnasii sententia: neque enim dubitat, quin Christi monogramma ab ipso fere Ecclesiæ exordio a fidelibus fuerit usitatum. Quod autem ad Constantini ætatem revocavit cum quodam Laurentio Ramirez, non est ipsum monogramma, sed sunt litteræ A & Ω monogrammati, hinc inde, appositæ: ita sane ejus sententiam referunt Georgius & Boldettus.

(***) Pignorium puta, *Littera Symbol.*, Fortunium Licetum, *de lucern. antiq.* lib. 6. cap. 48., Claudium Du-Molinet, *Cabinet de S. Genevieffe*, & si qui alii.

ejusmodi sacris cimeliis se totos devoverunt: nam licet fieri possit, ut nonnulla ex iis Constantino æqualia, aut posteriora statui debeant; omnibus tamen propterea majorem antiquitatem derogare, iniquum est, præcipue quum nullum ipsi certum aut probabile argumentum in suæ sententiæ confirmationem afferre possint.

Eusebius perperam producitur ab iis qui Christi monogramma Constantino adscribunt, qui contra eorumdem opinioni non obscure adversatur.

32. Quod enim Eusebium Cæsariensem pro se facere gloriantur *, mirum quam turpiter eruditi alioqui viri in re admodum obvia alucinentur. Ita nimirum Eusebium, ex Jo. Christophorsoni interpretatione, in Vita Const. lib. I. cap. XXIV. **, loquentem inducunt. *In ea (corona) salutaris appellationis Salvatoris nota inscripta, duobus solum expressa elementis, idest, duabus primis litteris græcis nominis Christi. Erat P in medio litteræ X curiose & subtiliter inserta, quæ totum Christi nomen perspicue significarunt.* Porro ex his verbis arguunt, Eusebium diligentius & cum admiratione quadam descripsisse Christi monogramma, utpote novum inventum, & sub Constantino primum usurpari cœptum. Sed cur non ipsa græca Eusebii verba, aut saltem Valesii interpretationem consulere maluerunt, quam Christophorsoni ***? de quo hæc Valesius,

(*) Auctores Ephemer. Litt. laudato loco, pag. 238., hoc pacto argomentum istud proponunt: *Rimane solo a noi sopra questa materia a dire, parerci molto strano, che il l'Aringhio* (*Roma sott.* lib. 6. cap. 03. pag. 569.) *e Boldetti* (*Osserv. sopra i Cimit.* lib. 2. cap. 3. pag. 335.) *ed come Monsignor Giorgi* (*nel libro*, de Monogram. Christi cap. 3. pag. 12.) *ripertino l'intero passo d'Eusebio* (*nella vita di Costantino* lib. I. cap. 24.) *sopra il Monogramma, il quale se con poco di criterio s'esamini, chiaramente si può conoscere, alla meraviglia che fa vedere di questa cosa nella sua descrizione questo dotto Prelato, e particolarmente a quelle parole:* Erat P in medio littera X curiose & subtiliter inserta, quæ totum Christi nomen perspicue significarunt, &c. *che egli riguardava ciò per una nuova invenzione. Imperocchè se già avanti ia uso fosse stata questa sacra cifra fra i Cristiani d'Oriente, perchè Eusebio descriverne così minutamente la composizione, e lodarne la curiosità, e sottigliezza, con maravigliarsi, che chiaramente esprimesse il santo nome di Cristo? Sembraci lecito dunque da tutto ciò il conchiudere, che l'imperator Costantino fu il primo a usare nella galea, e nel Labaro militare il monogramma, il quale indi cominciò a porsi ne' libri Ecclesiastici, corone, sepolcri ed anelli de' fedeli.* Eumdem Eusebii locum producit Cl. viss. P. Zacharias, in Paralip. in T. Fl. Clem. tomulum, pag 404. Tom. XXXIX. Collect. Calog., ubi quærit: *Quo primum tempore Christi monogramma usurpari cœperit?* & Christophorsoni versioni inhærens, eam monogrammatis descriptionem, *novam quamdam & ignotam adinventionem sapere accurate illam perpendentibus manifestum esse vult.*

(**) Locus integer, quem illi post Baronium & alios ex cap. XXIV., & duobus sequentibus citant, habetur cap. XXX., & seq. græci textus & versionis Valesianæ. Nimirum Christophorsonus, eodem Valesio monente in Præfatione, *Interdum etiam ex duobus periodis unam facit, & duo capita in unum confert: adeo ut Latinorum capitum distinctio in ejus interpretatione multum discrepet a Græca. quæ res*, pergit ille, *quantam pariat molestiam ac perturbationem in citandis ex Eusebio locis, norunt omnes Studiosi.*

(***) De editione Jo. Christophorsoni hæc, Fabricius, Biblioth. Græca Volum. VI. pag. 60. *Tertia versio Historiæ Eccles. Eusebii, item Socratis, Theodoreti, Sozomeni & Evagrii, auctore* Jo. Christophorsono *Cicestrensi Episcopo, prodiit Lovanii* 1570. ..... *quam licet latinissimam vocet Montacutius* T. I. Orig. p. 144., *tamen multis in locis infeliciter reddere Eusebium, & Baronio errandi caussam passim dedisse, multi jam observarunt, quorum judicia collegit Martinus Kempius in Bibl. Theologica*, pag. 509., cetera. Vide etiam de Christophorsono Joannis Curcellii, & Petri Halloixii judicia, in epistola nuncupatoria Valesii ad Clerum Gallicanum.

Digitized by Google

sius, in Præf.: *Nimium prolixa & laciniosa est ejus interpretatio, dum voces quasdam addit ad explendam periodum, aut ad obscurioris loci expositionem suas adjicit ἐπεξηγήσεις*: &c. Quam autem hæc vera sint, ex hoc ipso Eusebii loco colligitur, quem quidem ad verbum ita reddidit Valesius: *In hac salutaris appellationis signum; duæ videlicet litteræ nomen Christi primis apicibus designabant, P in medio sui decussata*: græca sunt: Καθ' οὗ τὸ σωτηρίου ἐπηγορίας τὸ σύμβολον, δύο στοιχεῖα τὸ Χριστοῦ παραδηλοῦντα ὄνομα διὰ τῶν πρώτων (ὑπεσήμαινεν *) χαρακτήρων, χιαζομένου τοῦ P κατὰ τὸ μεσαίτατον. Vides itaque, Lector, ut heic non appareant voces illæ, quas tantopere urgent, qui ex Eusebio se colligere putant, Constantinum Christi monogramma primum usurpasse: quamquam, ut quod sentio dicam, non video quid vel in ipsa Christophorsoni versione sit, quod sententiam illam stabiliat. Ceterum observandum in primis est, propositum eo loco fuisse Eusebio, non monogramma proprie describere, sed ostensam Constantino in somnis Labari formam σταυροειδῆ, seu Crucis speciem referentem, tum ejusdem Labari a se visi pretiosa ornamenta: qua occasione non potuit ille silentio prætermittere, quod in maxime conspicua ejus Labari parte intextum erat Christi monogramma: addit vero obiter, idem symbolum in galea quoque gestare postea solitum imperatorem. Quod autem Constantinus in Labaro & galea, nec non in scutis militum, Christi monogramma exprimendum voluerit, non alia fuisse caussa videtur, quam quod symbolum illud jamdiu antea a fidelibus usurpari soleret: quæ, ut diximus, sententia est eorum **, qui in antiquissimis Christianorum monumentis colligendis & illustrandis summo labore & studio versati sunt.

Quod

(*) Verbum ὑπεσήμαινεν uncinis inclusimus, quoniam redundare apparet, nec ejus rationem ullam habuit Valesius. Ceterum Anselmus Bandurius, et auctores Petrus Vitry & Zacharias, postrema Eusebii verba sic interpretari maluit: *linea transversa per mediam litteram P ducta*: adeo ut de monogrammate Christi recto ⳨ interpretanda sint, non de decussato ☧. Sed vox χιαζομένου, ut notavit idem Vitry, cum quæ præcedunt δύο στοιχεῖα, decussatum, non rectum monogramma aperte significant. Oportet autem utramque monogrammatis formam jam inde a Constantini ætate, immo ante Constantinum, in usu fidelium fuisse: nam Lactantius, de mort. Persecut. cap. XLIV., rectum monogramma, de Constantino agens, describit: *Et transversa X littera, summo capite circumflexo, Christum in scutis notat*: cum contra Eusebius de decussato sit locutus, quale nimirum in Labaro ab ipso inspectum visebatur, & visitur adhuc in antiquis nummis Constantini, & sequentium imperatorum. Postremo Eusebii locus ita pressius reddi posset: *Salutaris appellationis symbolum, duæ videlicet litteræ nomen Christi designantes primis ejus apicibus, X per mediam P ducta.*

(**) Unius tantum, sed gravissimi auctoris, testimonium producam. Is est Clariss. Philippus Bonarrotius, qui in Præf. Operis, *Osservaz. sopra alcuni Frammenti*, &c., pag. XIII., quum quorumdam, qui Christi monogramma a Constantino primum usurpatum voluerunt, opinionem indicasset, eos modeste quidem, sed graviter ita confutat: *Già sanno però gli eruditi, che ne' sacri Cimiteri trovate si sono moltissime Iscrizioni con questo monogramma, e non è credibile, che tutte sieno de' tempi di Costantino; ma tralasciandole però tutte, conciossiachè elle sono d'anno incerto, basta dire, che il Bosio, il Severano, e l' Aringhio l' hanno osservato in alcune molto più antiche di quell' Imperatore, come in quella di Mario sotto Adriano, d' Alessandro sotto Antonino Pio, e di Caio Papa sotto Diocleziano, e di Primitio, che si chiama nell' Iscrizione* Fortissimus Martyr, *e in quella del Santo Martire Ermete riferita dal Fabretti, in cui si legge* ERMETES PASSUS, *e vi si vede il monogramma nel mezzo. Siccome si è trovato questo sacro Monogramma in infiniti sepolcri col vaso del sangue, contrassegno del Martirio, e sovente su' vasi stessi del sangue, o sulla calcina con cui erano formati, ed io l' ho osservato in un bicchiere di sangue cavato dal Cimiterio di Calisto, scolpitovi sopra*

Quod illi volunt, nullum exstare lapidem, in quo habeatur monogramma una cum Consulibus Constantini imperio antiquioribus; nec certum est, nec, si esset, caussam ipsis adjudicaret.

33. At, inquiunt Ephemeridis Auctores, ex omnibus Christianorum epitaphiis monogrammate Christi insignitis ne unum quidem ad hanc diem prodiit Constantino antiquius: quod quidem certam habeat temporis notam, nominibus scilicet Consulum expressam, quæ contra habetur in quamplurimis Constantino posterioribus. Ut hoc argumentum, quo potissimum illi sententiam suam stabilire conantur, refellam; observare juvat, antiquos Christianos minus sollicitos fuisse de anno emortuali in titulis sepulcrorum per Consules notando, uti fuerunt de die obitus & depositionis: idque, uti videtur, ne anniversaria cuiusque defuncti die justa quotannis eisdem persolvere negligerent superstites: hoc ipsum observavit Clariss. Bonarotius *. Itaque

pra, in mezzo ad alcune lettere in questa guisa ASIN ☧ PRE: *che non tutti creder si dee, che siano stati martirizati dopo Costantino, e nella persecuzione di Giuliano Apostata, la quale fu l'unica dopo Costantino, che si facesse sentire in questi paesi, tanto più che egli copertamente perseguitò la Chiesa, e i Cristiani, e pochi furono i martirizati colla morte. E questi istessi vetri di maggior antichità, della quale appare per altre prove, dovrebbero pur far conoscere, che questo Sacro monogramma sia stato adoperato da' Cristiani molto prima di Costantino, ed è molto probabile che lo cominciassero ad usare fino nella primitiva Chiesa, e quando forse ella ancora uscita non era dall'Oriente; mentre essendo composto di parole Greche, l'averlo sempre adoperato così anco la Chiesa Latina, una tale origine molto antica, e prima che si venisse alla divisione, o distinzione della Chiesa Greca, e Latina dimostra; e non sarebbe gran fatto che avesse avuto la sua Origine circa il tempo istesso, quando i Fedeli si cominciarono a chiamar Cristiani, come per una cifra, per adoprarlo nelle Lettere Ecclesiastiche particolarmente.* Et paucis interjectis, ita demum de Eusebii testimonio differit. *Ma si toglie ogni difficoltà, poichè a considerar bene Eusebio, di cui si dee fare gran conto, ed il quale si dee preferire ad ogn'altro, come quello, che avea sentito raccontare da Costantino istesso la visione avuta avanti la battaglia contro Massenzio, e che attesta di aver più volte veduto il Labaro, non dice nel capitolo trentunesimo del libro primo della Vita di Costantino, in cui diligentemente descrive il Labaro, che quell'Imperatore inventasse il monogramma di Cristo; dice bene questo Autore, ch'egli facesse porre tal segno in cima all'asta del suo Labaro; il quale si assomigliava alla Croce da lui veduta in Cielo dopo il mezzo giorno, a similitudine di cui comandato gli fu poscia in sogno che facesse un'insegna militare, non nel monogramma, ma nell'asta, e nella traversa a cui attaccato era il velo; si aggiunge ancora di più, che chiamando Eusebio quel monogramma assolutamente, e generalmente,* σωτηρίου ἐπηγορίας τὸ σύμβολον, *che vale,* segno della salutare denominazione, *dà a divedere, a ben considerarlo, che ne parla come di cosa già nota fra' Cristiani, da' quali per avventura Costantino potè impararlo, quale, secondo il precitato Autore, subito avuta la visione, instruito fu delle cose della Religione, il che molto prima avvenne, che egli ordinasse, e facesse fare la sopra detta novella insegna. Considero ancora, ch'essendo egli Illirico d'origine, e quasi sempre dimorato in Occidente, se egli ne fosse stato l'inventore, non è punto verisimile, che inventato l'avesse co' caratteri Greci, e quando anco si voglia con Lattanzio, nel libro delle morti de' Persecutori al* cap.4. (lege, cap.44.) *che Costantino avesse nel sogno il comando, che negli scudi facesse porre il sacro monogramma, si potrebbe altresì replicare, che è molto verisimile, che Iddio gli rivelasse tal segno, secondo l'uso che già si praticava tra' Cristiani.* Hæc ille.

(*) Idem Phil. Bonarotius: *Osservazioni sopra alcuni framm. di vetro* &c. pag. VIII. Præfat. *Ed io per me credo, che i Cristiani vi mettessero questi vetri per segno, affine di riconoscere il luogo de' loro morti, per propria consolazione, ed anco per andarvi a fare gli uffizj di pietà ne i giorni destinati, ed anniversarj; onde è, che quasi sempre, tralasciato per lo più il Consolato, o l'anno, si trova notato diligentemente il giorno della morte, o della deposizione:* &c.

que Christiana monumenta, quæ Consules præferant, admodum pauca sunt, præcipue ante Constantini ætatem, præ aliis fere innumeris, quæ ea nota carent. Verum si Consules Constantino antiquiores non reperiantur in lapidibus una cum monogrammate, reperiantur autem nonnulli illo posteriores; id argumento non esse potest, Constantini ætatem non superare inscriptiones ceteras, quæ solum monogramma sine Consulibus præferunt: sicuti perperam inde aliquis argueret, Constantino antiquiora esse illa epitaphia, quæ nec monogramma nec Consules habent. Potuit sane fieri, ut Consules epitaphiis Christianorum inscribendi usus sub Christianis imperatoribus frequentior quam antea evaserit: potuit in paucis illis, quæ præferunt Consules Constantino antiquiores, excidisse alicubi nota monogrammatis ob incuriam eorum, qui ea descripserunt: postremo nihil certi contra nostram sententiam ex hoc argumento negativo potest concludi, quum tam multæ conjecturæ & observationes sint, quæ majorem antiquitatem monogrammatis persuadeant, ac propemodum evincant. Miror autem eos qui ita argumentati sunt, audenter adeo pronunciasse, nullum omnino lapidem vulgatum ad hanc diem esse, qui exhibeat Christi monogramma cum Consulibus qui ante Constantinum in Fastos relati sint; neque animadvertisse, aut potius dissimulasse quod habetur apud Boldettum pag. 87. * *Cervoniæ*, seu *Cerboniæ Silvanæ* elogium, anno MDCCXIX. ex Cœmeterio S. Urbani ab ipso, ut monet, effossum. Quid enim? nonne in eo appsret nec obscure, non una monogrammatis forma, sed duplex, licet imperita manu expressa; primum scilicet monogrammatis decussati ☧, secundo recti ⳩: sequitur autem ibidem tertio loco aliud symbolum, quod ad græcum ⳨, seu ad ancoræ figuram propius accedit. Quantum certe ex schemate inscriptionis a Boldetto exhibito apparet, aut ego vehementer fallor, Christi monogramma habetur ibi una cum Consulibus anni CCXCI.: ipsa vero inscriptio, sed symbolis illis destituta, occurrit etiam apud Muratorium pag. CCCCLXIX., a quo exstare dicitur in ædibus Alexandri Capponii. Operam autem admodum utilem & eruditis gratam præstaret, si quis Romæ ipsum lapidem sepulcralem Cervoniæ diligentius inspiceret, & cum adnexis symbolis & omnibus apicibus litterarum graphice descriptis iterum vulgaret: est enim inscriptio admodum difficilis quæ legatur & intelligatur, eo quod ab imperito artifice incisa, & ab imperitiore auctore composita fuerit **. Itaque

(*) Atqui iidem observarunt eumdem Boldettum pag. 51. exhibere inscriptionem quamdam cum monogrammate & Consulatu Aviti, quem ille perperam retulerit ad an. CCXI., quo Consul fuit *Avitus* quidam, quum referre debuisset ad annum CCCCLVI., quo, juxta Idacium, consulatum gessit Imp. Flavius Eparchus Avitus: hunc autem, non illum in ea inscriptione designatum jure arguunt, quia inscriptio habet COS. D. N. AVITI: idest, *Consulatu Domini nostri Aviti*; ita autem honoris gratia soli Imperatores appellari solerent.

(**) Clariss. Muratorius ita eam legendam vult: *Ex virginio suo* (*virginium* autem interpretari tradit, *maritum virginem*) *benemerenti cumquo vixisti libenter conjuca* (pro conjux, *aut* conjoge) *innocentissima* &c. At ego ita legendum contendo: *Ex virginio suo* (interpretor autem, *a virginitate tua*, quamquam in aliis lapidibus *virginius* usurpari videatur pro marito, cui mulier virgo, dicta alicubi *virginia*, nupserit) *bene meco vixisti* (*meco* pro *mecum*: est autem hæc formula solemnis in epitaphiis, quæ a maritis uxoribus, aut contra ponebantur: exemplo

que si (ut persuasum nobis est, & erit, credimus, unicuique, qui Boldettum ad quem lectorem amandamus, consulat) in eo lapide habetur Christi monogramma, ruit funditus eorum assertio, qui negant signum illud inveniri una cum Consulibus ante Constantinum. Sed de hoc argumento hactenus: de quo sane majori, quam antea quisquam, eruditione & accuratione egisse confidimus Clariss. Equitem Victorium in Dissertatione, quam ne diutius in scrinio suo premat, obsecramus, quamque a se scriptam jam pridem monuit *, ejusque titulum hunc esse declaravit: *De Christi nomine monogrammate expresso, Lucerna fictili veterum Christianorum, aliisque sacræ antiquitatis monimentis, quæ in Museo Victorio exstant, illustrato*. Quamquam quid de antiquitate monogrammatis Christi ipse sentiat, variis aureorum suorum Opusculorum locis declaravit, sed præcipue in *Dissertat. Philologica*, &c.: in qua illustrans sepulcralem lapidem cujusdam Paschasii, eo symbolo ornatum, pag. 37. conjecit, *tertio Ecclesiæ sæculo insculptum fuisse marmor cum epitaphio Paschasii*.

Epitaphiis Marii & Alexandri martyrum nonnulla quidem obiici possunt, quæ tamen ipsis prorsus non demunt auctoritatem.

34. Ut autem transeamus aliquando ad aliud argumentum, quo potissimum antiquitatem & sinceritatem elogiorum Marii & Alexandri oppugnari vidimus, ex ipsorum scilicet stilo & indole ductum; fatebor ingenue ab eo me non mediocriter commotum, tum propter non leves difficultates, quæ attentius ea legentibus occurrunt, tum propter auctoritatem virorum gravissimorum, & in arte Critica lapidaria apprime peritorum, quorum judicio, in hoc potissimum obstrusæ & reconditæ eruditionis genere, plurimum tribuimus, & tribuendum esse ab omnibus profitemur. Nam quum, quæ de his elogiis Marii & Alexandri sententia esset τοῦ πάνυ Scipionis Maffei, & eruditi viri Francisci Seguierii **, ab iisdem rescire voluerimus, intelleximus utrique ea videri admodum suspecta & sublestæ fidei. Equidem negari non potest in iis haberi verba quædam & φῶνας, quæ vix, aut ne vix quidem

plo sit quæ apud Buldetrum legitur pag. 79. & iterum pag. 385. & 411. & apud Bonarotium pag. XXV. Præfat. in suas Observat. &c., in qua legitur, INNOCENTIA CONIVX ISSIGNARIS QVÆ CVM EVM UIXIT BENE AN. cetera) LIB. ENI (latere puto in his litteris mariti nomen, qui forte Libentius dicebatur: quare LIBENTII esset legendum) CONIVCA (pro conjux) INNOCENTISSIMA CERVONIA SILVANA. REFRIGERA CVM SPIRITA SANCTA (de his verbis multi multa dixerunt. Vox *Refrigera* habetur alibi, puta, pro *refrigerare*, ut in inscriptione, quam ex Boldetto refert Bonarotius pag. 144. suarum Observationum, in qua legitur: *Expectate refrigera*. Item *cum Spirita Sancta* pro *cum Spirito Sancto* legitur in alio epitaphio apud Fabrettum, Mabillonium & alios: vide apud Boldettum pag. 266.) DEP. KAL. APR. TIBERIANO II. ET DIONI COSS., qui consules, ut supra diximus, indicant annum CCXCI.

(*) Nempe in *Dissertat. Apologetica*, an. 1749. edita, pag. 36., nec non in *Dissert. Philologica*, an. 1751. edita, pag. 44.

(**) Franciscus Seguierius Patritius Nemausensis, sed a multis annis Marchionis Maffei domesticus & fidus Achates, vir suavissimis moribus præditus, & in omni scientiarum genere exercitus, texere instituit *Inscriptionum omnium Græcarum & Latinarum Indicem* Notis Criticis illustratum, ex quo cuique constabit non modo quæ inscriptiones editæ jam sint, sed etiam apud quos scriptores singulæ editæ habeantur, tum sincera a dubiis aut falsis distinguentur, &c.

Digitized by Google

quidem, ad sincerarum inscriptionum normam componi posse videantur. Ecce enim, si Marii epitaphium percurramus, occurrit statim illud, TEMPORE ADRIANI IMPERATORIS, quod persuadet lapidem nec vivo Adriano imperatore, nec statim postea scalptum fuisse: attamen habetur alia inscriptio a Bosio, Severano aliisque edita, & a Clariss. Victorio pag. 76. Differt. Philolog. inserta *, quæ incipit: TEMPORIBVS SANCTI INNOCENTII EPISCOPI, quæ proinde ad initium quinti sæculi referenda videtur. Rursus quod ibidem occurrit, BENEMERENTES CVM LACRIMIS ET METV POSVERVNT; contra omnium epitaphiorum consuetudinem positum videtur, in quibus sæpius legitur, *benemerenti posuerunt* vel *posuit*, aut aliquid simile: sed is error aut describentium festinationi & incuriæ, aut marmorarii imperitiæ tribuendus videtur: sic in Præfat. Observat. Clariss. Bonarotii, pag. XX., refertur inscriptio, in qua legitur, CONIVGI BENEMERENTE IN PACE. In epitaphio autem Alexandri potissimum offendit illud, VITAM EXPLEVIT CVM ANTONINO IMPERATORE: equidem si distribuantur epitaphii verba, uti in Ephemerid. Florent. exhibentur, adeo ut vox CVM versum claudat, habeatur autem ☧ e regione lineæ quæ sequitur, & a voce ANTONINO incipit; ita commodius legi possit, *vitam explevit cum Christo Antonino Imper.* Verum hæc & alia multa, quæ in duobus illis epitaphiis notari possunt, & minus consentanea videntur constanti aliarum sincerarum inscriptionum stilo, & primorum Christianorum simplicitati; ejusmodi esse, ut cum Auctoribus Ephemeridum ipsa epitaphia nedum abjudicanda sint II. & III. Ecclesiæ sæculo, sed omnino cum puerilibus sæculi proxime præteriti quorumdam pseudorhetorum ineptiis sint comparanda, pronuntiare numquam ausim, neque ab aliis fuisse imprudenter pronunciatum æquo animo tulerim. Modestius sane, ut vidimus, Reinesius, Fleetwoodus & Cuperus loquuti sunt: qui quidem quum Alexandri epitaphium non indignum judicarint, quod a Rhetore quarti aut quinti sæculi conscriptum fuerit; cur, quæso, non aliquis ejusmodi Rhetor exstitisse potuit inter Christianos sub Antoninis? Quod autem illi opponunt, plerisque viris doctis non suboluisse de falsitate horum epitaphiorum, quod antiquitatem monogrammatis Christi multo ante Constantini ætatem stabilire nimis anxie laborarent, videant ne contraria ratione in ipsos retorqueri possit: nempe, ut adeo acriter & inclementer in adsertores horum monumentorum invecti esse dicantur, quod Christi monogramma ad Constantini tempora referre nimio ardore contenderint, aut ab iis qui eam quæstionem excitarunt in contemtum Romanæ Ecclesiæ & Catholicorum ludibrium, Jacobo puta Basnagio, viro docto quidem, sed procaci hæretico, transversos se agi sciverint. Equidem, quod spectat ad plerosque contrariæ sententiæ scriptores, de quæstione monogrammatis non multum sollicitos fuisse oportet, quum eam passim receptam, & fere a nemine impugnatam, ut postea ab eo factum est, viderent. *Argu-*

(*) Legitur hæc ipsa inscriptio in Collect. Muratorii pag. MCMXXIX. 4: sed vitiata, quia ex *schedis Cyriaci* descripta: nimirum, pro TITVLO BIZANTIS, ibi legitur HVIVS SANCTI.

Digitized by Google

Argumentum ex stilo & scripturæ genio ductum uti fere semper incertum est ac fallax, ita maxime ubi de Christianis inscriptionibus agitur.

35. Profecto illud omne argumenti genus, quod ex dictionis indole & stilo ducitur, quam per se lubricum & errori obnoxium sit, adeo multa exempla confirmant, ut prorsus infirmum & suspectum, nisi alia indicia accesserint, per se haberi omnino debeat: idque potissimum in hujusmodi disputationibus valere debet, in quibus non quæritur, utrum liber aliquis, aut epistola prolixior, stilum redoleat, nec ne, Auctoris cujuspiam satis aliunde perspectum, sed an brevis aliqua inscriptio ab ignoto aliquo secundi aut tertii sæculi Christiano cudi potuerit. Neque vero hujus generis Christianorum monumenta eam elegantiam plerumque, tum in verborum sententia, tum in lapidis sculptura, præseferunt, quam ethnicorum ejusdem ac sequioris etiam ætatis, in quibus sane aureæ latinitatis & antiquæ elegantiæ sapor aliquis superest, ac perpetuus sibique constans dicendi tonus servatur: sed aliæ alio ordinæ digestæ, aliis dicendi formulis conceptæ, alio exaratæ stilo apparent, ut vix credibile videatur minus peritis, inter ejusdem fere ætatis, & ejus ætatis, homines tam diversum inter se, planeque barbarum viguisse loquendi & scribendi genium. Si caussam hujus rei requiras, nulla alia afferri potest, quam quod antiqui illi Christiani: ut plurimum præ ipsis ethnicis, inter quos vivebant, idiotæ & rudes, & metu persecutionum latitantes, epitaphia suorum conderent nullo studio & arte, prout cujusque ferebat ingenium, & vitæ institutio: mirum itaque non est, si in plerisque omnibus summa appareat rusticitas, seu potius barbaries. Juvat hoc loco verba alias, sed numquam satis, laudati Victorii apponere ex *Disert. Philol.*, pag. 15. *Quamvis*, inquit, *in monimentis Ethnicorum nonnumquam aliquæ sphalmatum turpitudines & labes demonstrari possint, tamen in lapidibus, qui e cryptis veterum Christianorum eruuntur, multo plures notantur latinæ linguæ maculæ & errata. Quum enim Christiani nominis persequutores eo usque insanirent, ut fideles defunctos ne humari quidem paterentur *, veræ Religionis cultores, quos maxime urgebat sollicitudo fratres suos* in pace Christi *mortuos tumulandi, non selectos lapides pervestigabant, sed quoscumque obvios arripiebant **: non rhetorem eloquentem quærebant, sed quovis vel rudi sermone contenti erant, ad memoriam amicorum conservandam, & ad leniendum potius animi mœrorem, quam ad pompam & ad ostentationem Ethnicorum immitandam. Ideo in illis titulis puritas intentionis, ac pietas magis elucet, quam elegantia orationis, & industria operosa præstantis artificis.* O TEMPORA INFAVSTA, *legimus in epitaphio S. Alexandri martyris,*

(*) Affert Victorius in Nota, ad ejus rei confirmationem, Prudentii locum ex Hymno in laudem S. Vincentii martyris, quo Tyrannus hæc præ ceteris maxime notabilia fatur:

Jam nunc & ossa exstinxere,
Ne sit sepulcrum funeris,
Quod plebs gregalis excolat
Titulumque figat martyris, &c.

(**) Monet idem Victorius in alia Nota, hinc factum, ut in sacris cœmeteriis nonnulli reperiantur lapides Gentilium, in usum Christianorum adhibiti. *Quæcumque enim tabulæ ad manus erant, sive fictiles, sive marmoreæ (tabula, si scripta esset, inversa) occludendis Christianorum tumulis adhibebantur.*

Digitized by Google

ris, qui imperatore Antonino passus est; O TEMPORA INFAVSTA, QVIBVS INTER SACRA ET VOTA NE IN CAVERNIS QVIDEM SALVARI POSSIMVS. QVID MISERIVS VITA. SED QVID MISERIVS IN MORTE. CVM AB AMICIS ET PARENTIBVS SEPELIRI NEQVEANT. Hactenus Eques Victorius, ipsam Alexandri martyris inscriptionem, de qua potissimum quæstio est, in confirmationem sententiæ suæ producens. Porro idem in exordio ipso ejus Dissertationis, hæc scripserat, pag. I. *Neque vero, aut quæ frequenter in eisdem* (nempe, veteribus Christianorum monumentis) *occurrit plane rudis atque informis imaginum delineatio, aut inconcinna malaque scribendi ratio, legibus orthographicis omnino opposita a veteri meo instituto* (nimirum, ea inquirendi & acquirendi) *avocare me umquam valuit: quin potius, rudi certe stilo & barbara emendatione notabiles, ex hoc ipso lapides illos quamdam veluti adquirere raritatem cum Clariss. Fabretto sæpe demirati sumus; atque ea in bisce monimentis simplicitate, plerumque ritus, mores & instituta majorum nostrorum dilucide aptissimeque revelari cognovimus.* At, inquiunt Ephemeridis Auctores, ea nimirum ex caussa elogia Marii & Alexandri repudianda sunt, quod a prisca illa & consueta sincerorum monumentorum simplicitate recedant. Quasi vero non appareant in his ipsis simplicitatis Christianæ & imperitiæ vestigia: aut non sincera aliqua monumenta supersint, quæ eumdem fere stilum exprimant: aut denique lege aliqua cautum esset, ne ullus Christianus scholas adiret, & aliquam humanioribus litteris navaret operam. Quod itaque, & in nonnullis aliis & in nostris, aliquis emicet ornatus & sententiarum splendor; earumdem sinceritati minime obesse debet: præcipue quum hæc ipsa insolita elegantia ex eo etiam potuerit esse profecta, quod hæc sanctis martyribus elogia non privato alicujus consilio, sed communi fidelium consensu posita fuerint.

Præclaram operam navaret, qui Christianas inscriptiones maxime insignes, præcipue quæ Romæ sunt, nova cura & diligentia colligeret & vulgaret.

36. Hæc autem a me disputata sunt, non ut sinceritatem & antiquitatem epitaphiorum Marii & Alexandri extra omnem dubitationis aleam positam esse mihimet, aliisque persuasum esse velim: sed primum ut declarem, quam caute & parce adhibendum sit in hujusmodi quæstionibus argumentum ex stilo & dictionis indole petitum: deinde ut exstimulem viros doctos, qui Romæ magno numero in his studiis versantur, ne diutius patiantur ab ipsis Catholicis in dubium revocari sacra Christianorum monumenta, quæ ex Romanis Cryptis effosa fuerunt, ea potissimum quæ alicujus Martyris titulum exhibent, aut aliquid singulare & notatu dignum continent: sed, quoniam id facile præstare possunt, ipsos antiquos lapides, ubi ubi sunt, requirant, suismet oculis inspiciant, & diligenti examine scrutentur, denique majori cura describant, & ipsam nobis characterum quibus inscripti sunt, formam & scribendi rationem, sive, ut dicitur, orthographiam, una cum symbolis adnexis, repræsentent: ea denique omnia sedulo curent, quæ vel antiquitatem eorumdem penitus adstruant,

vel

vel novitatem: adeo ut de eis quid statui certo debeat omnibus constet. Præstare hæc sane opportune & commode poterat, in duabus præcipue de quibus agimus insignibus inscriptionibus, eruditus P. Mamachius, qui in suis *Origin. & Antiq. Christ.* non modo eas, nec semel, laudavit, sed etiam vindicare voluit adversus Fleetvvoodum & Cuperum. Eos enim quum, Tom. I. pag. 429. Nota IX., elogium Marii in dubium revocasse dixisset, hæc ipsis opposuit: *At sine ulla ratione dubitare de monumentis antiquis, quæ inventa in Cryptis Romæ sunt, velle, hominum est non veritatis amore agentium, sed ea quæ ad veritatem Christianæ religionis demonstrandam conducunt, evertere cupientium. Nos vero*, pergit, *nostris oculis fidem, quam hominibus præjudicata opinione ductis assensum adhibere malumus.* Eadem fere habet pag. 433. Nota IV., ubi Alexandri martyris elogium recitans, hæc subdit: *Hanc item inscriptionem Fleetvvoodus & Cuperus in dubium revocarunt locis supra indicatis: sed injuria. Quid enim judicent ii qui neque saxa viderunt, neque Romæ qua diligentia monumenta perquirantur, & falsa a veris secernantur, cognoscunt? Atque inCryptas quemadmodum fictæ tabulæ introduci potuerint, ut diu post detegerentur, inducerentque incautos in errorem, ne suspicari quidem possumus.* Hæc ille: sed rationes ab eo allatæ plurimum quidem apud me valent, & apud quemlibet æquum rerum æstimatorem valere debent, ne temere & præcipitanter ejusmodi monumenta veluti falsa rejiciantur, non tamen persuadere possunt, ut pro veris habeantur. Neque enim puto qui illa rejiciunt, heri aut nudius tertius ficta suspicantur, sed ante aliquot sæcula. Quid enim? non potuere post redditam Ecclesiæ pacem sub Constantino, ac multo post, antiqua Christianorum cœmeteria ornari, & ejusmodi aliisque sacris memoriis decorari. Quin immo ita factum ex historia Ecclesiastica constat *. Quid igitur prohibet, quin eadem opera pia fidelium credulitas aliquot dubias & obscuras, ac fortasse falsas traditiones saxis illis insculpserit **? Majorem proinde

(*) Vide Auctoras qui de *Roma subterranea* scripserunt, lib. I. cap. I., & quæ habet Boldettus lib. III. cap. II. pag. 663. & seq.

(**) Hujus generis est inscriptio illa, quam post Franciscum Mariam Torrigium refert Aringhius lib. III. cap. III., in qua ista leguntur, Longobardorum, ut ajunt litteris, scripta: SVPER ISTO LAPIDE PORPHIRETICO FVERVNT DIVISA OSSA SANCTORVM APOSTOLORVM PETRI ET PAVLLI ET PONDERATA PER B. SILVESTRVM PAPAM SVB ANNO DNI CCCXIX., QVANDO FACTA FVIT IN ECCLESIA (supplendum videtur PAX). Jo. Gulielmus Janus, *Historia Æra Christiana*, Vitembergæ 1715. edita, quum §. XV. recte docuisset, *supposita aut recentiori ætate facta esse monumenta quæ aram Christi ante VI. sæculum referunt*, ut inscriptio quæ olim Veronæ visebatur, in qua de utriusque Philippi imperatoris cæde agebatur, quæque a Baronio ad an. CCLIII. num. 2. pro vera habita fuit; transit §. XVI. ad hunc lapidem Vaticanum: *Eodem loco*, inquit, *numeroque habendus est lapis olim in Vaticanis cryptis asservatus, deinde in Basilicam Vaticanam illatus, & recurrente anno Jubilæo MDCL. ab Innocentio X. Pontifice Romano publicæ confluentis multitudinis venerationi expositus, in quo ista leguntur:* SVPER, & cetera, ut supra. Demum ita concludit: *Sed nemo non videt inscriptionem illam esse ejus temporis quod hujusmodi fabularum ferax fuit, ab eo certe anno Christi quem refert, remotissimam.* Equidem nemo sanus negaverit inscriptionem illam esse recentem: sed quoniam ea traditio, quæcumque demum fuerit, obtinuerat, ut super illum lapidem olim a S. Silvestro Sanctorum Petri & Paulli ossa fuisse a se invicem divisa crederentur; placuit postea ipsi lapidi id ipsum ad perennem memoriam inscribere: itaque dici quidem potest lapidem ipsum esse vetustum, inscriptionem autem recentem esse, seu non admodum antiquam, in comperto est.

Digitized by Google

proinde Mamachius a viris doctis gratiam retulisset, & os penitus obstruxisset adversariis, si non ex libris impressis, Aringhii puta & Boldetti, qui sæpe ex aliorum fide & relatu scripserunt, has aliasque ejusmodi maxime insignes inscriptiones retulisset, sed *suismet oculis fidem adhibere maluisset*, & diligenter adnotasset quidquid ad earum sinceritatem stabiliendam conducere animadvertisset *. Sed hoc ipsum præstabit, ut spero, Clariss. P. Josephus Blanchinus, Civis & Amicus noster, ac Romani Oratorii decus, in insigni & maxime laborioso opere, quod præ manimus habet, *Historiæ Ecclesiasticæ Quadripartitæ*: in quo sicuti collocanda ab eo erunt, sua quæque locis, hæc & alia ejusdem generis monumenta; ita curabit uti ex archetypis summa fide & diligentia exprimantur, & eadem opera ab impactis censuris strenue ipse vindicabit. Nos quidem, uti id præstet, ipsi auctores sumus.

Transit demum Editor ad recensendas Dissertationes tres, quæ hoc Tomo ante Observationes habentur.

37. Hæc pro vindicanda antiquitate monogrammatis Christi longe supra Constantini ætatem, nec non pro asserenda, quoad licuit, sinceritate sacrorum monumentorum, quæ in Romanis præcipue Christianorum cryptis effodiuntur, fusius prosequi; eorum, qui his proxime elapsis annis iisdem obtrectarunt, imprudentia ne dicam an audacia, nos non sine dolore & indignatione aliqua compulit: redeat itaque tandem ad propositum oratio nostra argumentum. Et quoniam de Adnotationibus nostris in Sulpicium Severum satis diximus, de Dissertationibus & Observationibus nonnulla dicamus. Prima Dissertatio exhibet & illustrat Chronotaxin totius Sacræ Severi Historiæ: in quo sane confidimus multo accuratiores fuisse Giselino, cujus Chronologica tabula in omnibus fere editionibus prope libri finem inserta conspicitur. Quæ sequitur Dissertatio minus quidem ad Severum spectat, sed ab eo prorsus alienam esse non putavimus: nam quum hic in distinctione temporum Eusebium fere sequatur, hujus Chronicum nobis diligentius excutiendum esse judicavimus. Sed quoniam videbamus non convenire inter viros doctos, Scaligerum præcipue & Vallar-

(*) Equidem præter Christi monogramma, & palmam in utroque lapide, Marii & Alexandri, conspicuam, in Alexandri lapide maxime notatu dignum est, quod ahenum, seu caldarium ardens insculptum habeat, ut in aliis antiquis martyrum memoriis visitur. de hoc signo hæc Boldettus, pag 318. *Fra gli altri strumenti di Martirio scolpiti sulle Iscrizioni, che si trovano a' Sepolcri de' Martiri ne i nostri cimiterj (oltre a quelli che hanno già riferiti nelle loro Opere gli Autori della Roma sotterranea) ho pure anch' io osservata una lapida sulla tomba d'una Santa per nome Vittorina nel cimiterio di Ciriaca, ove oltre al contrasegno del vaso di sangue affisso alla Tomba, era pure delineata una fartagine, o caldaja accesa, come si scorge nella presente Tavola al num. 2. Un' altra pentola parimente, o caldaja ardente osservai in un' altra lapida di marmo coll' Iscrizione, e nome di Essuperanzio, trovata ad un Sepolcro di Martire nel cimiterio di Calisto, che si vede al num. 3. La figura di questa caldaja corrisponde egualmente a quella dell' Iscrizione di S. Alessandro addotta dall' Aringhi* (Rom. Subt. lib. 2. cap. 20.) *E si argomenta, che in una simile pentola, o caldaja consummasse il suo glorioso martirio: siccome noi pure possiamo congetturare de' nostri Santi Vittorina, ed Essuperanzio:* Martyrium consummatum forte denotantes, *come dice il Fabretti* (Inscrip. cap. 8.) *di tali caldaje, o pile, e altri simili strumenti scolpiti sulle lapide sepolcrali de' Cimiterj.*

Digitized by Google

Vallarsium, quid in Chronicis scribendis præstiterit Eusebius, quidque rursus S. Hieronymus in iisdem latine interpretandis; hanc ipsam controversiam in ea Dissertatione nobis ex instituto discutiendam & dirimendam proposuimus. Verum dum in eo occupati essemus, adeo multa in dies emergebant ad idem argumentum spectantia, ut primam tantum partem Dissertationis heic adtexere coacti simus, integram vero, quoniam in libri molem excreverat, seorsum edere: quod paullo post, seu anno MDCCL. factum est in eo libello, cui titulum præfiximus: *De Chronicis libris duobus ab Eusebio Cæsariensi scriptis & editis*. Neque tamen adhuc argumentum illud penitus exhausimus: nam multa in adversariis nostris premimus & in promtu habemus, quibus, si umquam, ut speramus, liber ille ad incudem revocabitur & secundis curis iterum prodibit, suppleri & augeri poterit. Nam & tertia Dissertatio eo referenda est, in qua, occasione scilicet capta ex iis quæ infra in Differt. II. pag. 303. attigimus, demonstrandum suscepimus, idque contra receptam apud eruditos omnes sententiam, Eusebium Christi passionem adfixisse anno XIX. Tiberii, non ut in editis, præcedenti.

Postremo de ipsis Observationibus, & de tribus aliis Dissertationibus inter ipsas insertis.

38. Quoniam vero tres illæ Dissertationes, tertia potissimum & secunda, exigente id argumento & rerum copia, prolixæ admodum evaserant, consilium cœpimus statim ad Observationes transire, in quibus liberius quam in Adnotationibus expatiati sumus, adeo ut ipsarum aliquæ pæne justæ Dissertationis molem exæquent: ut quæ pag. 476. & seqq. habetur, *de Decalogi divisione*, & quæ proxime sequitur, *de capite vituli ab Aarone conflato*, tum alia pag. 485 & seqq., *de loco Exodi XXXII: 28.*. Præterea Dissertationes quasdam bene longas inseruimus, cujusmodi est pag. 403. & seqq. *De uxoris Lot culpa & pœna*, quam opposuimus Jo. Clerico, cujus ejusdem fere argumenti, seu *de Statua Salina*, dissertatio exstat in Apppend. Comm. in Genesin. Aliam item Clerico opposuimus Dissertationem, *de trajectione maris Rubri*, quam habes infra pag. 458. & seqq., quæ respondet ejus Dissertationi, *de maris Idumæi trajectione*, quæ habetur in Append. Comm. in Exodum. Tertia demum Differt. occurrit pag. 505. & seqq. *de versiculo 13. cap. I. Euang. Joannis*, in qua quidem non modo lectio illa Capitularis MS., quæ fert *natus est*, contra virorum doctorum qui pro ea scripserunt, sententiam nullius momenti esse declaratur, sed etiam alia quæstio haud obiter attingitur, scilicet de Latinis, quas admodum multas fuisse passim traditur, Sacræ Scripturæ ante Hieronymianam versionibus. Sed ut ad Observationes nostras redeamus, eas ad Christum natum tantummodo perduximis, quoniam nimis multa & ardua erant de quibus in reliqua Historiæ parte a nobis supererat commentandum, ut in Notis subinde indicavimus: quamvis plura dare quam quæ promisimus, in animo sit. Faxit modo Deus, ut otium nobis abunde sit, animique vigor, adeo ut desiderio nostro exitus aliquando plane respondeat. Faxit idem interim, ne in hoc ipso volumine edendo, rem pretiosissimam, tempus male collocaverimus, neve erudi-

Google

eruditorum exſpectationem tandiu fruſtra defatigaverimus; ſed ut aliquis ex noſtris ſtudiis ad commune commodum, ad ſacræ eruditionis ornamentum, & ad Catholicæ Eccleſiæ decus & præſidium fructus accedat. Hoc ſane initio propoſitum nobis fuit: eo conſilia noſtra perpetuo direximus: id demum unice nunc in votis habemus, egregiam illam aureiſque ſcribendam litteris ſententiam animo penitus infixam gerentes:

NISI VTILE EST QUOD FACIMUS, STULTA EST GLORIA. *

(*) Phædrus lib. III. Fab. XVII. verſ. 12. Habetur autem hæc ipſa ſententia inter antiquas inſcriptiones a Grutero relata, pag. DCCCXCVIII. 16., ex Zamoſii *Analect. vet. lapidum*, pag. 32., tranſcripta.

SULPICII

Digitized by Google

SULPICII SEVERI CHRONICA

Quæ vulgo inſcribuntur

HISTORIA SACRA.

PROLOGUS.

I.

RES a mundi exordio Sacris Litteris editas breviter conſtringere, & cum diſtinctione temporum uſque ad noſtram memoriam carptim dicere aggreſſus ſum; multis id a me ſtudioſe efflagitantibus, qui Divina, compendioſa lectione, cognoſcere properabant. quorum ego voluntatem ſecutus, non peperci labori meo, quin ea quæ permultis voluminibus præſcripta continebantur, duobus libellis concluderem; ita brevitati ſtudens, ut pæne nihil geſtis ſubduxerim. Viſum autem mihi eſt non abſur-

ADNOTATIONES.

CHRONICA) Hos libellos *Hiſtoriæ Sacræ* titulum in editis perperam prætuliſſe hactenus, *Chronica* autem inſcribendos eſſe ſatis ſuperque demonſtratum eſt in Præfatione hujus ſecundi Tomi, ad quam proinde lectorem delegamus.

PROLOGUS) Ad evitandam novitatis notam ſervabimus & in margine paginarum adnotabimus receptam jam capitum diſtinctionem. hoc tamen primum caput *Prologum* inſcribimus, inducti tum ratione, tum anctoritate libri MS. Vaticani, qui hæc initio habet: *Incipit Prologus Sulpicii Severi in Chronica quæ ipſe fecit ab exordio mundi uſque ad tempus ſuum*. Contra omnes libri impreſſi, ſecuti Baſileenſem eamque principem editionem, hinc librum primum auſpicantur, hoc præfixo titulo: *Sulpicii Severi Hiſtoriæ Sacræ Liber primus*.

20 *carptim dicere aggreſſus ſum*) *Carptim*, hoc eſt carpendo quæ potiora & digniora ſcitu. Severus diligens Salluſtii imitator hanc vocem fortaſſe ſumſit ex Catilin. cap. IV. *Statui res geſtas populi Romani carptim, ut quæque memoria digna videbantur, perſcribere*. Itaque Joannes Clericus Biblioth. ſelectæ Tomo xx, in quo multis de Severo agit, notavit hinc poſſe colligi rejiciendam eſſe Nonii Marcelli antiqui grammatici lectionem, quæ in allato Salluſtii loco pro *carptim* ſubſtitueret *ſtrictim*. Et alii tamen ea voce ſunt uſi, ut T. Livius, & Ammianus Marcellinus lib. XIV. cap. IV. *Pauca de iiſdem expediam carptim.*

21 *multis id a me ſtudioſe efflagitantibus*) MS. *&* addit: *& ſtudioſe*.

26 *ita brevitati ſtudens, ut, &c.*) Ammianus Marcellinus lib. XV. initio: *Tunc enim*

Digitized by Google

absurdum, cum usque ad Christi crucem, Apostolorumque actus per Sacram Historiam cucurrissem, etiam post gesta connectere; excidium Hierosolymæ, vexationesque populi Christiani, & mox pacis tempora, ac rursum ecclesiarum intestinis periculis turbata omnia locuturus. Ceterum illud non pigebit fateri, me, sicubi ratio exegit, ad distinguenda tempora continuandamque seriem usum esse historicis ethnicis, atque ex his, quæ ad supplementum cognitionis deerant, usurpasse; ut & imperitos docerem & litteratos convincerem. Verumtamen ea quæ de sacris voluminibus breviata digessimus, non ita legentibus auctor accesserim, ut prætermissis illis unde hæc derivata sunt, appetantur; nisi, cum illa quis familiariter noverit, hic recognoscat quæ ibi legerit. etenim universa divinarum rerum mysteria non nisi ex ipsis fontibus hauriri queunt. Nunc initium narrandi faciam.

CHRO-

enim laudanda est brevitas, cum moras rampens intempestivas, nihil subtrabit cognitioni veram. Sane quam peculiaris hæc Severi laus sit, declarat Victor Giselinus verbis in priori Tomo a nobis inter Testimonia relatis. aptari nihilominus ipsi quoque aliquando possit illud Horatii: *Brevis esse laboro; Obscurus fio.*

1 *cum usque ad Christi crucem, a. q. a. per Sacram Historiam cucurrissem*) Sic infra lib. II. cap. xxv. *per tempora Assyriorum regum cucurrimus.* *Sacram* autem *Historiam* dicit, quæ sacris voluminibus utriusque fœderis comprehenditur, quæ volumina paullo infra *fontes*, *origines* alibi appellat.

2 *etiam post gesta connectere*) Ita emendavimus ex MS., cum in editis libris habeatur *convertere*, errore manifesto. Et Giselinus quidem jam pridem ita legendum esse conjectaverat; ejus autem conjecturam Hieronymus Mercerus (ut alibi sæpius, adeo ut semel id sub initium indicasse sufficiat) aliique in ipsum textum fidenter intruserunt. Idem Giselinus locum alio pacto restitui posse monuerat, nimirum legendo, *me jam ad post gesta convertere*. Clericus pro *connectere* malebat *contexere*.

3 *vexationesque populi Christiani*, &c.) *Vexationes* Christianorum intelligit persecutiones ab Imperatoribus gentilibus. Sic lib. II. cap. xxxii. *Sexta deinde Severo imperante Christianorum vexatio fuit.* Utitur autem vocabulo satis accommodato, ut exemplis a Vorstio indicatis aliisque præterea bene multis confirmatur. Vide A. Gellium lib. II. cap. vi., & ex eodem Gellio Macrobium lib. IV. cap. vii. *Pacis tempora* a Constantini Magni imperio, ut notum est, initium habuere. *Exinde*, ut ipse dicit lib. II. cap. xxxiii., *tranquillis rebus pace perfruimur*. Ariana tamen hæresi mox erumpente *longe atrocius periculum cunctis Ecclesiis illa pace generatum*, ut idem subdit cap. xxxiv. Et hoc nimirum est, quod hoc loco innuit: *ac rursum ecclesiarum intestinis periculis turbata omnia*.

4 *turbata omnia locuturus*) Mercerus edidit *locuturo*: ita nimirum poscere analogiam grammaticæ judicavit. Verum & hic Scriptor alibi sæpius, & alii ex elegantioribus hæc quæ ἀνακόλουθα vocant grammaticorum filii, usurparunt: quare nihil mutandum. magis tamen placeret, si hoc verbum penitus abesset.

7 *atque ex his, quæ ad supplementum*, &c.) Galesinius hoc loco & fere ubique posuit *iis* pro *his*: sed & alia multa pro libitu mutavit, de quibus singillatim monere lectorem non est animus.

10 *at prætermissis illis unde hæc derivata sunt*) MS. *ut prætermissis his unde derivata sunt*. Paullo infra *hic recognoscat* habent libri omnes præter Sigonii novissimam editionem Mediolanensem, in qua lego *hic cognoscat*. Ciceronis locus Severi sententiam maxime illustrat. *Non videtur* (ait ille Act. II. in Ver.) *hæc multitudo* cognoscere *ex me caussam voluisse, sed ea quæ scit, mecum recognoscere*.

13 *Nunc initium narrandi faciam*) Et hoc quis non videt ex Sallustii Catilinario depromtum?

Digitized by Google

CHRONICORUM

Sive

HISTORIÆ SACRÆ

LIBER PRIMUS.

II. MUndus a Domino constitutus est ab hinc annos jam pæne sex millia, sicut processu voluminis istius digeremus: quamquam inter se parum consentiant qui rationem temporum investigatam ediderunt. quod cum vel Dei nutu, vel vitio vetustatis eveniat, calumnia carere debebit. Mundo autem condito, homo factus est. viro Adam, mulieri Eva nomen fuit. Sed constituti in Paradiso, cum interdictam sibi arborem degu-

Liber Primus) Hinc nimirum incipit Chronicorum liber primus: nam quæ præcedunt, procemii loco sunt. Itaque & in MS. hoc loco legitur, *Incipit liber*, supple *primus*.

16 *ab hinc annos jam pæne sex millia*) Giselinus: *Ex duabus vocibus* annos jam *facerem* annorum: *nisi suspicarer in autographo fuisse primum exaratum*, ab hinc pæne vi, *qua concisione utitur fere ubique. Nihil tamen muto: nam & alia alibi occurrent, quæ rigidis grammaticis valde vereor ut possint satisfacere*. Hæc σύνταξις, quam postea Sigonius & alii vitiosam judicarunt, satis se ipsa tuetur multis antiquorum exemplis: Virgilii, Æneid. ix. v. 132. *tot millia gentes*: Livii, Decad. iv. lib. v. cap. 17. *pedites xv. millia*: Ciceronis, Act. III. in Ver. *tritici modios quinque millia*; & aliorum. Quomodo autem a mundi initio ad Stiliconem Consulem, seu ad annum æræ christianæ quadringentesimum, quo hic scribebat, fere sex millia annorum computet, alibi erit curiosius & per partes inquirendum. Nunc sufficiat monuisse eum sequi computum septuaginta, ut ajunt, interpretum, qui multum ab hebraico, ut nunc se habet, textu discordat, ut omnes docti norunt. Porro juxta eum computum a mundo condito ad Christum natum quinque millia & quingenti fere anni numerati sunt ab omnibus antiquis scriptoribus, quorum testimonia colligit Pezronius in Opere gallice scripto *De antiquitate temporum* cap. 1. & v. Itaque si huic summæ addas quadringentos annos, qui a Christi adventu jam tum effluxerant, conficies fere sex mille annos. Sic Hieronymus in caput 1. Epist. ad Titum: *Sex mille nec dum nostri orbis implentur anni*: sic Augustinus de Civit. Dei lib. xii. cap. x. *Cum ex litteris sacris ab institutione hominis nondum completa annorum sex millia computemus*; quod repetit lib. xviii. cap. xl. Quin immo multo ante Severum Cyprianus initio libelli *De exhortatione Martyrii*: *Sex millia annorum jam pæne complentur, ex quo hominem diabolus impugnat*. Quod autem hoc loco addit Severus, *inter se parum consentire qui rationem temporum investigatam ediderunt*; ne cum Sigonio & Hornio intelligas de discre-

deguſtaſſent, in noſtram velut exſules terram ejecti ſunt. Deinde ex his Cain atque Abel naſcuntur. Sed Cain impius fratrem interemit. filium Enoch habuit, a quo primum civitas condita eſt, auctoris nomine vocitata. Ex hoc Irad, atque ex eo Maviael naſcitur. Hic Mathuſalem filium habuit, iſque Lamech genuit, a quo juvenis quidam occiſus traditur, nec tamen nomen refertur occiſi: quod quidem futuro myſterio fuiſſe præmiſſum a prudentibus æſtimatur. Igitur Adam, poſt necem filii minoris, Seth filium procreavit, cum jam tri-

5

crepantia inter græcos & hebræos codices: etenim, quantum ex toto hoc opere conſtat, illam aut non noverat, aut, quod verius puto, etſi noverat, neglexit Severus. intellige itaque de minoribus quibuſdam diſcrepantiis, quæ ex ipſis ſeptuaginta interpretum exemplaribus, & ex Chronicis juxta hæc contextis emergebant, de quibus nobis quoque cum Severo non ſemel erit agendum. Denique concludit, non debere quemquam hanc captare occaſionem, ut calumnietur ſacros libros, quaſi falſitatibus eſſent inſperſi & fœdati; cum quæcumque in iiſdem occurrunt annorum diſcrepantiæ, vel in Dei arcana conſilia, vel in vitiatos præ vetuſtate codices, nullo autem pacto in θεοπνεύστους ſcriptores, ſint refundendæ.

3 *a quo primum civitas condita eſt, &c.*) Merito hoc loco ſcriptor noſter notatur: neque enim Enoch, ſed Cain ejus patrem urbem condidiſſe, & filii nomine appellaſſe ſacræ tradunt litteræ. Sed hanc aliaſque ſimiles maculas abſterſiſſet ipſe profecto, ſi ſupremam operi manum impoſuiſſet, illudque evulgaſſet: de quo in Præfatione.

4 *Ex hoc Irad, atque ex eo Maviael*) Puto ſcriptum primitus, *ex eo Irad, atque ex hoc Maviael*. Galeſinius, Giſclinus, Sigonius & alii, ſecuti principem editionem, habent *Mamabel*, quod alii poſtea in *Maüiaël* mutarunt, non repugnante Vaticano MS. Mihi tamen utrumque ſuſpectum eſt, uti & *Irad*: aliter enim hæc nomioa pronuntiata & ſcripta a Severo fuerunt: de quo in Obſervationibus noſtris fuſiori calamo erit agendum. Ibidem de *Mathuſala*, pro quo *Mathuſaël* legendum contendit Vorſtius. qua data occaſione Hieronymi & Auguſtini textus quidam expendentur.

5 *juvenis quidam occiſus traditur*) In MS. deeſt *quidam*; & jure deeſſe videtur, cum ſequatur, *nec tamen nomen refertur occiſi*. Dum juvenis autem a Lamecho occiſi meminit, eum unius homicidii reum peragit; non, ut multi ex interpretibus, duorum, nempe juvenis alicujus, & Cain ejus proavi. Quidam ex recentioribus interpretibus verba illa a Lamecho non abſolute, ſed conditionaliter enuntiata volunt, alii aliter: nam locus obſcuriſſimus eſt omnium conſenſione.

6 *quod quidem futuro myſterio fuiſſe præmiſſum a prudentibus æſtimatur*) MS. *permiſſum*, ſed male. Quæret autem quis, quodnam myſterium indicare voluerit Severus eo facto præfiguratum? Habuit, ut puto, præ oculis Hilarii verba ex Comment. in Matthæi caput XVIII., quæ num. 10. leguntur. *Solvenda quidem per Cain pœna in ſeptuplum conſtituta eſt: ſed peccatum illud in hominem eſt; in Abel enim fratrem peccatum uſque ad necem fuerat. Sed in Lamech ſupplicium uſque ad ſeptuagies & ſepties eſt conſtitutum; & in eo, quantum exiſtimamus, conſtituta in auctores Dominicæ paſſionis eſt pœna.* Si cui hæc non placeant, aliam ex Baſilio & Hieronymo habeat myſticam hujus loci interpretationem. Baſilius Epiſt. CCLX, juxta noviſſimam editionem, num. 5. *Quidam autem in hujuſmodi ſententiam delati ſunt, quæ non abhorret ab eccleſiaſtico dogmate: ſcilicet a Cain uſque ad Diluvium ſeptem præterierunt generationes .... Peccatum autem Lamechi non indiget diluvio ad curandum, ſed ipſo illo qui tollit peccatum mundi. Enumera igitur ab Adam uſque ad adventum Chriſti generationes, & invenies ſecundum Lucæ genealogiam in ſeptuageſima & ſeptima generatione natum eſſe Dominum.* Eadem fere Hieronymus in epiſt. XXXVI. quæ eſt ad Damaſum, num. 5.

8 *cum jam triceſimum & ducenteſimum annum ætatis impleſſet*) Ita Septuaginta, & quicumque calculum ipſorum ſequuntur. Contra hebraicus textus, & ex eo Vulgata noſtra verſio, anno centeſimo trigeſimo Adami Seth natum ſtatuunt.

Google

tricesimum & ducentesimum annum ætatis implesset. vixit autem annos Iↄ cccc xxx. Seth vero Enos, Enos Cainan, Cainan Malaleel, Malaleel Iared, Iared Enoch genuit, qui ob justitiam translatus a Deo traditur. hujus filius Mathusala dictus est, qui Lamech genuit, ex 5 quo Noe natus, justitia egregius, & præ ceteris mortalibus Domino carus acceptusque. Qua tempestate, cum jam humanum genus abundaret, angeli, quibus cælum sedes erat, speciosarum forma virginum capti, illicitas cupiditates appetierunt; ac naturæ suæ originisque degeneres, relictis superioribus, quorum incolæ erant, matri- 10 moniis se mortalibus miscuerunt. hi paullatim mores noxios conserentes, humanam corrupere progeniem. ex quorum coitu Gigantes editi esse dicuntur, cum diversæ inter se naturæ permixtio monstra gigneret. Quibus rebus offensus Deus, maximeque malitia hominum, III. quæ ultra modum processerat, delere penitus humanum genus decreverat.

2 *Enos Cainan, C. Malaleel*) MS. semel & iterum *Kainan* ex græco Καϊνάν, & ita forte habuit codex quo Flaccius est usus in adornanda prima editione, cum similitudine litterarum deceptus *Nainan* utrobique posuerit typographus. Pro *Malaleel* Septuaginta & Lucas μαλελεήλ, *Maleleel*: ita scripserit fortasse Severus. In hebraico textu est מהללאל *Mahalalel*. Vulgata tamen *Malaleel* habet.

7 *angeli, quibus cælum sedes erat*, &c.) Secutus est Severus opinionem falsam quidem & absurdam, sed quæ tunc temporis admodum probabilis in speciem videbatur, quæque a multis magni nominis scriptoribus antea tradita fuerat. Rationum autem momenta qualiacumque, quibus innixa erat, fusius in Observationibus nostris proponemus, ut constet quam digni venia sint quicumque olim ita senserunt.

11 *ex quorum coitu Gigantes editi esse dicuntur, cum* &c.) Fallitur certe Severus, aliique quos confutat Augustinus lib. xv. De C. D. cap. xxiii. n. 2. Nam sacræ litteræ *Gigantes* exstitisse commemorant etiam antequam illi qui *filii Dei* dicti sunt, matrimonia jungerent cum mulieribus quæ *filiæ hominum* appellantur. En ipsa verba versionis illius antiquissimæ, quæ olim Vulgata dicta fuit, ab eodem Augustino laudata. *Gigantes autem erant super terram in diebus illis, & post illud cum intrarent* (In quæstionibus hebraicis in Genesim a Hieronymo scriptis mendose legitur, *& post hæc quomodo ingrediebantur*, pro *quando ing.* sic in græco textu, καὶ μετ' ἐκεῖνο, ὡς ἂν εἰσεπορεύοντο. sed hebræus multo clarius: וגם אחרי־כן אשר יבאו, *& etiam postquam ingressi sunt*) *filii Dei ad filias hominum, & generabant sibi. Illi erant gigantes, a sæculo homines nominati.* Ita autem hæc verba esse interpungenda, non ut in Augustini libris, etiam cura Patrum ex Congregatione S. Mauri Parisiis impressis, ex ipso Augustini, immo & Scripturæ contextu colligo. Gigantes itaque erant etiam antequam filii Dei jungerentur filiabus hominum juxta Septuaginta, quos sequi debuit Severus, nec non & hebraicum textum, licet secus suadeat Vulgata nostra a Hieronymo curata; qui tamen in Quæstionibus modo laudatis propius hebraicam veritatem ea verba est interpretatus. Observare præterea libet Gigantes hosce intellexisse Severum cum plerisque interpretibus homines excelsissimæ ac monstruosæ staturæ, ut ea quidem vox a poetis & scriptoribus gentilibus usurpata fuit, cum secus fortasse senserint Septuaginta: aliam sane & commodiorem significationem verba hebraica suscipiunt. nam quo loco in allatis verbis occurrit primum *Gigantes*, in hebræo est הנפלים, *Nephilim*, quam vocem Aquila, qui κατ' ἀκρίβειαν seu ad verbum interpretatus est, exposuit ἐπιπίπτοντες, *irruentes*, Symmachus vero βίαιοι, *violenti*, quorum neutrum proceritatem corporum, sed latrocinia, rapinas & cædes designat. ubi vero repetitur vox *Gigantes*, respondet illi in originali textu הגברים, *Gibborim*, quod verbum *fortes* aut *potentes* proprie significat. Neque tamen propterea in dubium est revocandum, homines prima illa mundi ætate plerosque, præcipue vero eos qui in Scripturis *Gigantes* dicuntur, procerissima statura præ nobis fuisse.

verat. sed Noe, virum justum, vita innocens destinatæ exemit sententiæ. Idem admonitus a Domino diluvium terris imminere, arcam immensæ magnitudinis ex lignis contexuit; ac bitumine illitam impenetrabilem aquis reddidit: qua ille cum uxore ac filiis tribus & totidem nuribus est clausus. volucrum etiam paria, itidemque diversi generis bestiarum, eodem claustro recepta. reliqua omnia diluvio absumta. Igitur Noe, cum jam imbrem destitisse, ac quieto in salo arcam circumferri intelligeret; ratus id quod erat, aquas decedere, corvum primum explorandæ rei gratia, eoque non revertente (ut ego conjicio, cadaveribus detento) emisit columbam, quæ cum consistendi locum non reperisset, reversa est. rursum remissa, folium olivæ retulit: manifestum indicium, nudari cacumina arborum. tertio demum emissa, non rediit: unde animadversum, aquas destitisse. ita Noe arcam egressus est. Id gestum a mundi exordio, post annos,

ut

4 *& totidem nuribus est clausus*) In MS. deest *est*, neque sane necessarium videtur: non desunt autem similia exempla quamplurima in hoc eodem Opere: & ne longius vagemur, quæ statim sequuntur, fidem dictis faciunt.

5 *volucrum etiam paria, itidemque diversi generis bestiarum*) His verbis non modo tacetur distinctio animalium mundorum ab immundis, sed nec ullus determinatus numerus designatur: nam *paria* qui dicit, nec addit, quot, nihil sane dicit. Excidisse itaque vox aliqua facile potuit, *singula* puta, aut *duo*: quæ postrema vox facilius excidere potuit vel ob brevitatem, vel ob concursum cum sequenti *diversi*: atque ita cum nobis senserit, qui duo paria ex omnibus immundis animalibus in arcam recepta asserimus in Observationibus. Itidem pro *diversi generis bestiarum* fortassis primitus scriptum fuerit *universi generis bestiarum*.

7 *ac quieto in salo arcam circumferri intelligeret*) Non est ita: nam sacra Historia habet mense septimo arcam quievisse in montibus Ararat, seu Armeniæ, & demum mense undecimo corvum emissum fuisse a Noe.

11 *rursum remissa*) Giselinus: *Malim* emissa. *sequitur enim*, tertio deinde emissa. Giselino assentiuntur Sigonius & Drusius, frustra reclamante Hornio, cui Vorstius respondet, *remissa* heic locum non habere. Sane *remitto* est *retro mitto*, non *rursum emitto*. Nihil tamen mutavimus præsidio alicujus antiqui codicis destituti: nam Vaticanus cum editis plane concordat.

11 *folium olivæ retulit*) Immo ramusculum cum foliis. Prudentius Enchirid. Vet. Test.

Nuntia diluvii jam decrescentis, ad arcam
Ore columba refert ramum viridantis olivæ.

Augustinus in libro *Locutionum de Genesi* refert latinos codices olim habuisse: *Habebat olivæ folia, ramusculum in ore eius.* Consentit græcus textus: εἶχεν φύλλον ἐλαίας, κάρφος ἐν τῷ στόματι αὐτῆς. Hebræus עלה־זית טרף. Symmachus vertit θαλλόν. Vulgata, *portans ramum olivæ virentibus foliis*. Sane, quum עלה plerumque folium significet, aliquando tamen & ramum seu surculum, ut hoc loco, & II. Esdræ VIII. 15., & Prov. XI. 28., verba hebræa hic reddi possunt: *Frons olivæ decerpta*.

14 *post annos, ut ego comperio, ĪĪ cc duos & quadraginta*) Ita ex principe editione Giselinus, & alii: lineam tamen transversam, quæ millenarii nota est, nos addendam necessario duximus, quod & alibi faciemus, quoties opus erit. Galesinio placuit ita mutare, IIMCCXLII. Hic porro annorum numerus a mundo condito ad diluvii non finem, sed initium (est autem inter utrumque terminum anni integri discrimen) calculus est eorum fere qui Septuagintaviralem, ut ajunt, interpretationem sequuti sunt. Ita legendum apud August. De C. D. lib. XV. cap. XX. ita Eusebius, Prosper, &, omissis aliis sexcentis, Gregorius Tur. in calce libri IV. H. F., apud quem tamen lib. I. cap. II. mendose legitur, etiam in editione Ruinartii, *anni mille ducenti qua-*

Digitized by Google

ut ego comperio, ĪĪ cc duos & quadraginta. Ac primum Noe aram Domino ſtatuit, hoſtiaſque ex volucribus immolavit. mox a Domino cum filiis benedicitur, præceptumque accepit, ne ſanguine veſceretur, aut ſanguinem hominis effunderet: quia mundi primordia, mandati iſtius liber, Cain maculaverat. Igitur vacuo tum ſæculo, ex filiis Noe **Sem** fuit. tres enim habuit, Sem, Cham, Japheth. Sed Cham, quod ſopitum vino patrem riſerat, maledictum a patre meruit. Hujus filius, Chus nomine, Nebrod gigantem genuit, a quo Ba-

IV. 5

quadraginta duo: ſed corrigendus hic locus ex ſupra citato, ubi legitur *bis mille*. Juxta hebraicum textum & Vulgatam noſtram multo minor eſt antediluvianæ ætatis annorum ſumma, nimirum CIƆIƆCLVI. De qua diſcrepantia non eſt hic diſputandi locus.

2 *hoſtiaſque ex volucribus immolavit*) Non ex volucribus mundis tantum, ſed & ex pecudibus holocauſtum obtulit Deo. aut aliquid itaque hoc loco excidit, aut memoria lapſus eſt Severus. Paullo poſt pro *accepit* legendum putaverim *accipit*; nam in MSS. libris nihil occurrit frequentius, quam hujuſmodi vocalium *e* & *i* permutatio, ex pronuntiatione forſitan illorum temporum.

4 *mandati iſtius liber*) Intellige quod ad legislationem & punitionem ſpectat, non tamen quod ad inſitam naturæ legem, quæ ſemper fuit.

5 *ex filiis Noe* Sem *fuit*) Ita libri omnes editi cum MS.; & quod magis miror, nihil ſuſpicati ſunt tot oculatiſſimi editores de mendo quod his verbis ſubeſt. Sane ſi ſic legas, nulla connexio eſt cum verbis præcedentibus, nulla cum ſubſequentibus. quid enim antea dixiſſe juvabat, mundum habitatoribus vacuum ac deſertum poſt diluvium fuiſſe, ut ſtatim adderet, Noe fuiſſe filium nomine Sem? quid porro hujus ſingillatim nomen heic expreſſum oportuit, cum ſtatim poſtea ipſe cum ceteris fratribus nominetur? Scripſerit fortaſſe Severus, *ſemen*, vel *ſeminatum fuit*, quæ verba a librariis compendioſe prins ſcripta, aut in *Semus* mutata, poſtea in **Sem** transformata fuerint. Senſus autem hinc concinnus & accommodatiſſimus emergit: nimirum, terram deſertam iterum frequentatam fuiſſe ex tribus Noe filiis, eorumque natis. Favet huic emendationi, præter Vulgatam noſtram ex hebræo expreſſam, ipſe textus græcus, Gen. IX. v. 18., ex quo conflata erat antiquiſſima illa verſio quam præ oculis habuit Severus. *τρεῖς υἱοί εἰσι υἱοὶ Νῶε ἀπὸ τούτων διεσπάρησαν ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν:* ad quæ verba Severum reſpexiſſe indicio eſt ſeries ejus hiſtoriæ cum toto illo capite Geneſeos collata. adde & caput X. in fine in eadem Septuagintavirali verſione. Greg. Turon. lib. I. Hiſt. Franc. *Et, ſicut ait vetus hiſtoria, ab his*, nempe filiis Noe, *diſſeminatum fuit genus humanum ſub univerſo cælo*. Quamvis autem hanc noſtram correctionem non ſuadeat tantum probabilis conjectura, ſed ipſa quodammodo rei evidentia extorqueat, nolui tamen in textu quidquam mutare, excepto quod vocem **Sem** diverſo charactere a ceteris diſtinxi. Obſervare autem juvabit, ex his tribus Noe filiis Japhetum maximum natu fuiſſe, Chamum minimum. Vide Gen. IX. 24., & X. 21. ubi tamen Vulgata habet *fratre Japheth majore*, pro *majoris*, ut expreſſerunt LXX. *ἀδελφοῦ Ἰάφεθ τοῦ μείζονος*: Symmachus, *τοῦ πρεσβυτέρου*. S. Auguſtinus de Civ. D. lib. XVI. cap. III. minimum facit Japheth, Cham medium, maximum Sem; ſecutus, puto, ordinem quo in ſacris litteris recenſentur, & quod Gen. X. 21. ita legeret: *Et Sem natus eſt etiam ipſi patri omnium filiorum Heber, fratri Japheth majori:* ubi quoque primitus lectum fuerit *majoris* juxta græcum textum. Attamen Semum minorem Japheto fuiſſe hinc etiam aperte colligitur, quod Geneſis V. verſu ultimo, Noe generaſſe filios ſcribatur, cum annum quingenteſimum ageret. at Semus Gen. XI. 10. anno vitæ ſuæ centeſimo genuit Arphaxadum, idque biennio poſt diluvium, hoc eſt anno Noachi ſecundo & ſexcenteſimo; ergo Semus generatus anno quingenteſimo ſecundo patris ſui, ac proinde ejus primogenitus non fuit, ſed Japhetus, utpote quem jam biennio ante ſuſceperat.

8 *Nebrod gigantem genuit*) Vulgati libri *Nembrod*, juxta lectionem ſcripturæ Vulgatam; at Giſelinus cum MS. *Nebrod*, juxta LXX. Ita & Auguſtinus lib. de Civit. Dei XVI. cap. III., ubi Benedictini editores notarunt: *Sic in veteri-*

Babylon civitas constructa traditur. pleraque etiam oppida ea tempestate condita memorantur, quæ nominatim persequi animus non fuit. Sed cum multiplicaretur humanum genus, diversaque loca atque insulas mortales haberent, una tantum omnes lingua utebantur; donec se in unum, dispergenda per totum orbem, multitudo contraxit. His, more humani ingenii, consilium fuit, insigni aliquo opere famam quærere, priusquam a se invicem diducerentur. ita turrim facere aggressi, quæ cælo accederet; nutu Dei, ut officia operantium 5

teribus libris constanter scribitur, ut apud LXX., at in excusis Nembrod. Aliqui tamen græci libri Νεμβρωδ præferunt. Hebræum est נמרד *Nimrod*: observant autem *μ* & *β* in MSS. facile commutari. Quod vero Nembrod *gigas* heic dicatur, itidem a LXX. sumtum est, qui ita reddiderunt vocem גבור, quam Hieronymus vers. 8. Gen. x. *potens*, vers. 9. *robustus* est interpretatus. Sane ex græcis interpretibus quidam, forte Symmachus, hoc loco *βίαιος*, *violentas*, alibi alii *δυνατός*, *potens*, & *ἰσχυρός*, *fortis*, & *ἀνδρεῖος*, *virilis*, &c. rarius *γίγας* verterunt. Quamquam nec LXX. qui Nembrod *Gigantem* dicunt, staturæ ejus portentosam proceritatem eo verbo signare voluerunt, sed giganteam audaciam & violentiam. neque enim aliud suadent verba hæc de eodem: *Οὗτος ἤρξατο εἶναι γίγας ἐπὶ τῆς γῆς: Hic cæpit esse gigas super terram*. Itaque Hesychius optimus græci LXX. textus interpres & glossator, Γίγας, *δυνάστης*, *ἰσχυρός*. Vide quæ supra ad pag. 5. notavimus de gigantibus antediluvianis. Ceterum observarunt viri doctissimi ex turris Babylonicæ ædificatione, cujus Nembrod præcipuus auctor & promotor, confictam a poetis *τὴν γιγαντομαχίαν*.

1 *pleraqae etiam oppida ea tempestate condita memorantur*) Nimirum Gen. x. v. 10. & 11. Augustinus tamen de Civ. Dei lib. XVI. cap. III. non *ea tempestate*, ut noster, sed *longe postea factum* id fuisse scribit. Præterea verba Geneseos x. v. 11. *De terra illa egressus est Assur*, ita interpretatur cum omnibus antiquis interpretibus, ut *Assar* sit nnmen proprium viri filii Sem, unde Assyrii; qui de terra Sennaar in eam quæ ex ipsorum nomine Assyria dicta est, postea migraverint. Eadem fere Hieronymus in Quæst. Hebraicis. Doctissimus tamen Bochartus & alii recentiores non levibus argumentis *Assur* hoc loco regionis nomen esse contendunt, quam Nembrod ex Babylonia profectus suo adjunxerit imperio: dictam autem *Assur* per anticipationem, ut & Niniven, quæ postea a Nino Assyrio nomen sortita est. Atque hoc pacto Severi dictum comprobatur, *pleraque oppida ea tempestate condita*, qua & Babylon.

3 *diversaqae loca atque insalas mortales baberent*) Hornius in notis ad hunc locum, & ex eo Scriptores quidam Angli, qui Universalis Historiæ corpus patria lingua haud pridem ediderunt, Severum auctorem faciunt cujusdam dispersionis gentium post diluvium, quæ longe ante præcesserit eam quæ in Babylonia postea contigit: & sane ea est in specie verborum ejus sententia. sed re mature discussa, apparet eum, ut solet, sacris solummodo voluminibus in compendium redigendis intentum, cum legeret Gen. x. colonias a posteris Noacbi in varias orbis partes deductas, capite autem sequenti insanam turris substructionem, & immissam divinitus linguarum discordiam, qua ab invicem disjungi coacti sunt; non animadvertisse, quæ prius de coloniis Noachidarum scripta erant, tum demum contigisse, postquam ad turrim Babel dissociati sunt: atque ideo post primam dispersionem opinatus est eos iterum in unum convenisse, ut insigni aliquo opere famam quærerent, priusquam a se invicem penitus diducerentur. Abeat itaque Hornius, qui Severi errorem non modo non detexit, sed suo ipse calculo ex parte approbavit.

7 *priasquam a se invicem diducerentur*) Apud Giselinum, & alios, nec non in MS. est *deducerentur*: male. nam *diducere* est separare, distrahere; *deducere* est de loco ad locum, vel de superioribus ad inferiora ducere.

7 *ita turrim facere aggressi*) Non turrim modo, sed & civitatem, ut ex Gen. XI. v. 4. liquet. sed civitatem omisit forte Severus, quod jam a Nembrod antea structam putaverit.

Digitized by Google

tlum præpedirentur, ab assueto sermonis genere multa diverso neque ulli invicem intellecto linguarum ritu loquebantur : quo promtius dispersi sunt, cum alter alterum velut alienigenam facile relinquebat. Sed filiis Noe ita divisus orbis fuit, ut Sem intra Orientem, 5 Japheth Occidentem, Cham mediis contineretur. Ita usque Abram ducta successio, nihil sane insigne aut memorabile in se habuit. Abram autem patre Thara natus est, post diluvium anno millesimo & septuagesimo. Abram uxor Sara dicta est: primaque eis in regione Chaldæorum habitatio fuit. inde apud Charras una cum pa- 10 tre diversatus est. qua tempestate admonitus a Domino, domum, patriam ac patrem relinquens, assumto Lot fratris filio, in terram Chananæorum profectus, in loco cui Sichem nomen est, consedit. mox annonæ inopia Ægyptum concessit, ac rursum reversus. Lot præ

V.

1 *ab assueto sermonis genere*) Antea erat *inassueto*, seu, ut fert Lipsiensis editio, *inadsueto*; quod stare omnino non poterat, licet nihil de eo persenserint alii editores. Sane ut *inassueto* heic quadraret, expungenda essent quæ sequuntur, *multa diverso, neque ulli invicem intellecto linguarum ritu*. Contra si legas *ab assueto*, omnia plane sibi constant; nimirum, Dei nutu factum est, ut loquerentur *ritu linguarum nulli invicem intellecto, & multa diverso ab assueto antea sermonis genere*. Huic emendationi facem prætulit codex Vaticanus, in quo pro *inassueto* legitur *assueto*, quod scriptorum errore vel præpositione *ab* truncatum fuit, vel ex *a sueto* factum: neque enim dubito quin, ut *assuetus*, ita & *suetus* dictum antiquis fuerit pro *usitatus*; licet hujus exempla apud probatos auctores non occurrant mihi.

5 *Ita usque Abram*, &c.) Apud Giselinum *Abraham*, & ita infra sæpius, repugnante Scriptura & MS. nostro, necnon editione Romana Galesinii. Parisiensis editio a Vorstio memorata, *usque ad Abram*: sed, ut idem subdit, nulla erat caussa cur quidquam adderetur.

7 *post diluvium anno millesimo & septuagesimo*) S. Augustinus de Civ. Dei lib. XVI. cap. X. *Annos a diluvio usque ad Abraham mille septuaginta & duo, secundum vulgatam editionem, hoc est, interpretum septuaginta*. Nimirum Severus non attendit duos annos a diluvio, post quos Sem genuit Arphaxad: in quem scopulum impegerunt & alii ex antiquis chronographis teste Q. Julio Hilarione, qui Severo coævus fuit, in Opusculo quod *De Mundi duratione* inscribitur. Alii huic summæ annos addunt centum; nam Thare non LXXIX., sed CLXXIX. anno patris sui natum faciunt: quæ est scripturæ apud Septuaginta varietas. Ceterum in utroque computo Cainan inter Semi nepotes connumeratur, ac præterea supponitur Abraham natus anno patris sui septuagesimo: quæ tamen duæ quæstiones maximis ac fere inextricabilibus obseptæ sunt difficultatibus. Sed de his alibi fortasse fusius. Vulgata nostra cum hebræo codice a diluvio ad annum Thare septuagesimum annos numerat tantum CCLXXXXII.

8 *primaque eis in regione Chaldæorum h. f.*) Minime dubito quin legendum sit *ei*: sequitur enim *diversatus est*, & similia.

11 *patriam ac patrem relinquens*) At pater Abrahæ jam diem obierat, cum ille in Chananæam profectus est. Ita disertis verbis S. Stephanus, Act. VII. 4. Cur autem Severus putaverit superstitem adhuc fuisse Thare, hæc in promtu ratio est. Gen. XI. 32. anni Thare CCV. fuisse dicuntur: ipse autem cum plerisque antiquis, ex Gen. XI. 26., putabat Abraham primogenitum, adeoque anno lxx. patris fuisse generatum: ex capite autem XII. 4. noverat lxxv. annos natum fuisse Abraham, cum in Palæstinam perrexit: collegit itaque id contigisse anno CXLV. Thare, adeoque annis ante ejus mortem LX.

13 *ac rursum reversus. Lot*, &c.) Sigonius qui legebat, *ac rursum reversus Lot, præ m.*, emendandum putavit *reversis*; quod Vorstio non placuit, sed ad verba *rursum reversus* subaudiendum statuit *una cum Abrahamo*. Neutrum nobis probatur, quibus plana sententia visa est, si majori distinctione post *reversus* clau-

præ multitudine familiæ a patruo digressus, ut laxioribus vacuæ tum regionis spatiis uterentur, in Sodomis consedit. id oppidum infame incolis, viris in viros irruentibus, atque ob id invisum Domino fuisse traditur. Ea tempestate reges vicinarum gentium in armis erant;
5 cum antea nullum inter mortales certamen fuisset. sed adversum hos qui bello vicina tentabant, reges Sodomorum, Gomorrhæorum vicinarumque regionum in prælium erumpunt; primoque impetu fusi, victoriam concessere. tum a victoribus Sodoma direpta, prædæ hostibus fuit; ductusque Lot in captivitatem. Quod cum Abram compe-
10 risset, propere armatis servis suis, numero trecentis decem & octo, reges victoria feroces, exutos præda armisque in fugam compulit. tum a Melchisedec sacerdote benedictus est, eidemque decimas prædæ dedit. reliqua his quibus erepta erant, reddidit. Per idem tem- VI.
pus Abræ Dominus locutus est, multiplicandumque semen ejus, sicut
15 arenas maris stellasque cæli, spopondit; peregrinumque ejus semen prædictum futurum, ac posteros in hostili solo per quadringentos annos laturos servitium, postea libertati restituendos. Tunc ei atque uxori ejus adjectione unius litteræ nomen immutatum: ita nunc ex
Abram

deretur, subaudito verbo *est*, quod & concisus ac plane Sallustianus Severi stilus persuadet. Alibi sæpius obscuros antea sensus accuratiori interpunctione perspicuos fecimus.

1 *vacuæ tum regionis*) Idest, minus habitatæ, qualis Abrahami ævo Chananæa.

5 *cum antea nullum inter mortales certamen fuisset*) Quod quidem, ut alii notarunt, sacris litteris memoretur. Certe Joseph Antiq. lib. I. cap. antea X. nunc IX. scribit, nec a vero id abhorret, Assyrios reges antea Sodomitas bello petiisse, victisque tributum imperasse; qui tamen cum post annos duodecim vectigal solvere negassent (quod & Geneseos notat historia) secundo bello (quod hic primum dicit) rursus subactos. Alia præterea jam a Nembrod antea bella gesta fuisse per quam probabile.

6 *reges Sodomorum & Gomorrhæorum*) Suspecta fuit Vorstio postrema vox, quia præcedit *Sodomorum*, ipsius nomen urbis. *Quid* (ait ille) *si legatur* Gomorrhæ, *ut & ipsum sit nomen urbis*? Hæc ille. MS. *reges Sodomum & Gomororum*: quæ lectio, licet mendosa, confirmat tamen vulgatam scripturam. Quid si *Sodomitarum* pro *Sodomorum* scripserit Severus? Certe quemadmodum in Vaticano codice decurtata vox fuit in *Sodomum*, ita multo facilius id fieri potuit.

8 *prædæ hostibus fuit*) Sallustiana locutio. Galesinius tamen edidit *præda*.

10 *propere armatis servis suis*) Præter hos CCCXVIII. vernas, habuit Abraham militem auxiliarium. vide sacram Geneseos historiam cap. XIV. 15. & 24.

16 *per quadringentos annos*) Sic Gen. XV. 13., & Act. VII. 6. Exodi autem XII. 40., & ad Galat. III. 17. anni CCCCXXX. numerantur. Magna autem quæstio est, utrum hoc intervallo sola Ægyptiaca captivitas, an vero totum illud tempus quo primum in Chananæa, deinde in Ægypto manserunt Hebræi, comprehendatur.

17 *postea libertati r.*) MS. *post l. r.*

17 *Tunc ei atque uxori eius*) Ita Giselinus, favente MS.; alii libri impressi *Tum*.

18 *ita nunc ex Abram Abraam, ex Sara Sarra dicitur*) Ita certissime scripsit Severus, ita mihi edendum fuit, præeunte Drusio. alii fere omnes lectionem Vulgatæ nostræ pro genuina Severi & Septuagintavirali obtruserunt. Sic, inquam, legitur apud LXX. Gen. XVII. 5. Verba latinæ illius versionis habes apud August. de C.D. lib. XVI. cap. XXVI. *Non appellabitur adhuc nomen tuum Abram, sed erit nomen tuum Abraam*, Ἀβραάμ (nec aliter scribere poterant, cum aspirationem initio tantum vocis apponant vocalibus græci) versiculo autem 15. ejusdem capitis: *Sara uxor tua non appellabitur nomen ejus Sara*, Σάρα; *Sarra*, Σάῤῥα *erit nomen ejus*. Itaque Justinus Martyr, Dial. cum Tryph. ἓν ἄλφα τῷ Ἀβραάμ ὀνόματι, & ἓν ῥῶ τῷ Σάῤῥας ὀνόματι additum memorat.

Digitized by Google

Abram Abraam, ex Sara Sarra dicitur. cujus quidem rei non inane mysterium non est hujus operis exponere. eodem tempore Abraæ lex circumcisionis imposita est. Erat ei autem ex ancilla filius Ismael. & cum ipse esset annorum centum, uxor autem ejus nonaginta, 5 futurum eis filium Isaac Dominus pollicetur, qui cum duobus angelis ad eum venerat. Inde Sodomam missi angeli, Lot in porta sedentem repererunt. quos cum ille, homines existimans, hospitio receptos cœnatosque domi haberet; juventus improba ex oppido novos hospites ad stuprum flagitabant. Lot pro hospitibus filias offe-10 rens, non acquiescentibus quibus illicita potius desiderio erant, ipse ad stuprum trahebatur. quem angeli propere ab injuria vindicantes, luminibus impudicorum cæcitatem offuderunt. Tum Lot ab hospitibus edoctus perdendum oppidum, propere cum uxore & filiabus

1 *cujus quidem rei non inane mysterium, &c.*) Præ oculis fuisse puto Severo nostro locum Hilarii (cujus scripta præ ceteris familiaria habuit) ex Comment. in Matthæum cap. XVIII. num. 6., quem integrum hic producam, ut eadem opera emendem. *Ovis una homo intelligendus est, & sub homine uno universitas sentienda est. Sed in unius Adæ errore omne hominum genus aberravit: ergo nonagintanovem non errantes multitudo angelorum cælestium opinanda est, quibus in cælo est lætitia & cura salutis humanæ. Igitur & quærens hominem, Christus est; & nonagintanovem relicti, cælestis gloriæ multitudo est, cui cum maximo gaudio errans homo in Domini corpore est relatus. Merito igitur hic numerus per litteram & Abrahæ* (lege *Abraæ*) *additur, & consummatur in Sara.* (lege *Sarra*. Nimirum *alpha*, seu A, unitatis apud græcos nota, additum nomini Abraæ unam ovem errantem denotat: & *rho*, seu P, Sarræ adjectum, centenarium designat græcis, ut nobis littera C: hic autem numerus ex additione unius ad nonagintanovem perficitur) *Ex Abram enim Abraham* (lege *Abraam*) *nuncupatur, & ex Sarai Sara* (lege *ex Sara Sarra*) *accipit nomen. In uno enim Abraham* (*Abraam*) *omnes sumus; & per nos, qui unum omnes sumus, cælestis gloriæ numerus explendus est. Atque ideo & creatura omnis revelationem filiorum Dei exspectat; & ideo congemiscit & dolet, ut numerus qui per alpha Abrahæ* (*Abraæ*) *additus est, & qui in alpha* (lege *in rho*, idque ex antiquioribus editis & MSS. Nam, ut ipse Coutantius notat, *Bad. Er. Lips. cum MSS. Turon. & Carn.* in rho. *plerique alii MSS.* in ra) *consummatus in Sara* (*Sarra*) *est, ad cælestem consummationem incremento credentium impleatur.* Cl. Coutantius primus forte, hunc locum non intelligens, corrupit. Sed, ut ad Severum redeamus, hoc quod *non inane mysterium* ipse judicat, ineptum potius visum fuit Hieronymo in Quæst. in Genesim; nec id immerito. Videsis ipsum.

3 *Erat ei autem*) Editio Leidensis anni 1643. in margine pro *autem* forte *tum* legendum innuit.

4 *annorum centum, u. a. ejus nonaginta*) Aut excidit particula quædam hujusmodi *fere*, *prope*, aut ita scribens falsus est Severus; nam nonagintanovem annos natus erat tunc Abraham, ut patet ex v. 24. Gen. XVII., atque adeo Sara undenonaginta. Neque opponas Gen. XVII. 17. ex persona Abrahami dici, *Putasne centenario nascetur filius? & Sara nonagenaria pariet?* Nam hæc referenda sunt ad annum sequentem, quo demum Isaac natus est. Sic enim infra v. 21. ejusdem capitis: *Pactum vero meum statuam ad Isaac, quem pariet tibi Sara tempore isto in anno altero*: seu, ut legebat Augustinus De Civ. Dei lib. XVI. cap. XXVI. *in tempore hoc ad annum sequentem.*

5 *Dominus pollicetur*) Sequutus nimirum est sententiam aliquot Patrum, Hilarii præsertim lib. IV. de Trin. num. 27., qui cum duobus angelis Filium Dei apparuisse Abrahæ docuerunt. quæ tamen sententia a S. Augustino rejicitur tum in libris de Trinitate, tum cap. XXIX. libri XVI. De C. D.

8 *juventus improba ex oppido*) Non juvenes tantum, sed etiam senes. Gen. XIX. 4. Videndum etiam num desit vox aliqua, ut *concurrens*, *accurrens*.

13 *& filiabus est egressus*) MS. non habet *est*. Sic supra p. 9. *ac rursum reversus.*

bus eſt egreſſus: interdictum tamen eis eſt, ne retrorſum conſpicerent. ſed mulier parum dicto audiens (humano malo, quo ægrius vetitis abſtinetur) reflexit oculos, ſtatimque in molem converſa traditur. at Sodoma divinis ignibus conflagravit. Lot autem filiæ exiſtimantes humanum genus interiiſſe, concubitum inebriati patris ap- 5

VII. petiverunt; unde Moab & Ammon nati ſunt. Per idem tempus fere, cum Abraam eſſet etiam centum annorum, Iſaac filius natus eſt. tum ancillam, de qua Abraam filium ſuſceperat, Sarra expulit; quæ habitaſſe in deſerto una cum filio, & præſidio Domini defenſa traditur. Non multum poſt Dominus Abraæ fidem tentans, 10 immolandum ſibi a patre filium Iſaac poſcit. quem ille non cunctatus offerre, cum aræ puerum ſuperpoſuiſſet, gladiumque educeret, vox miſſa de cælo eſt, puero ut parceret. victimæ aries præſto fuit: conſummatoque ſacrificio, Abraæ Dominus locutus eſt, promittens ea quæ jam ſpoponderat. At Sarra, cum ſeptimum & viceſimum 15 ſupra centeſimum annum ageret, deceſſit. corpus cura viri ſepultum in Hebron Chananæorum oppido: etenim illic Abraam commorabatur. Tum Abraam Iſaac filium juvenilis ætatis videns (ſiquidem tum

1 *interdictum tamen eis eſt, ne r. conſpicerent*) In MS. deeſt *eis*, & pro *conſpicerent* eſt *reſpicerent*, quod magis aptum huic loco. nec quemquam moveat, quod *retrorſum* præcedat; nam eodem pacto ſupra *rurſum reverſus* dicitur; ad quem locum nonnulla congerit exempla Vorſtius ex probatis auctoribus.

3 *reflexit oculos*) Vide Diſſertationem noſtram de hoc argumento infra ſuo loco edendam.

4 *At Sodoma divinis ignibus conflagravit*) Sic infra cap. XLVIII. *Sicut olim Sodoma & Gomorrha divinis ignibus conflagraſſent*. his adde Adamam & Seboim.

7 *cum Abraam eſſet etiam centum annorum*) Legerem *eſſet jam*; nam facilis lapſus librariis, eamdem ſyllabam bis ſcribere, ut heic forte de *et* factum. atque hoc pacto planum eſſet ſupplendum eſſe *prope*, ubi paullo ante eumdem annorum numerum Abrahæ attribuit.

8 *tum ancillam*) Poſt ablactatum demum puerum Iſaac, ac forte jam grandinſculum; ſiquidem, ut LXX. & Vulgata noſtra Gen. XXI. 9. habent, cum eo luſerit Iſmael; quod tamen in hebræo textu jam inde a Hieronymi ætate non legebatur, ut ipſe teſtis eſt in Quæſt. Hebr. Ibidem quinto, ut minimum, anno juxta aliquos Hebræos ablactatos pueros tradit; juxta alios, duodecimo. Porro Paullus Gal. VI. comm. 29. aſſerit Iſmaelem perſecutum Iſaac.

10 *Non multum poſt*) MS. *nec m. p.*

13 *puero ut parceret*) MS. eleganter *ut* omittit.

15 *At Sarra, cum ſeptimum & viceſimum ſupra centeſimum annum a.*) *Sarra* duplici *r* rurſum edimus, ne Severum a ſemetipſo diſcordantem faciamus; quæ ratio fuit, ut in textu *Abraam*, in Notis *Abraham* ſcriberemus: illum enim ad auctoris genium, in his ad ſæculi noſtri uſum nos accommodavimus. Ceterum in MS., quæ ſequuntur, ita ſe habent: *cum ſeptimum & vigeſimum & centeſimum a. a.*

17 *in Hebron*) Minime dubitandum quin *Chebron* ſcripſerit Severus a græco χεβρών. Sic alii qui uſi ſunt verſione LXX., ſive græci, ſive latini. Reapſe vero non in oppido, ſed prope illud ſepulta fuit Sara.

18 *Tum Abraam*) Tribus fere a morte Saræ annis; nam illo tempore ſeptem & triginta annos tantum natus erat Iſaac.

18 *juvenilis ætatis videns*) Non negaverim homines, cum longior vita erat, ſerius in viros evaſiſſe; præterea juventæ terminum juxta quoſdam ad annum uſque XLVI. productum (vide A. Gellium lib. X. cap. XXVIII.): nihilominus perſuaſum habeo hoc loco τὸ *juvenilis* exili mutatione a librariis per errorem factum pro *jam virilis*. Secus quid

Digitized by Google

tum quadragesimum annum ætatis agebat) servo suo imperavit, uxorem ei quæreret; ex ea tamen tribu atque terra, de qua ipse oriundus videbatur: modo ut inventam puellam in regionem Chananæorum deduceret, nec putaret eum caussa conjugis in solum patrium rediturum. atque ut ea strenue mandata exsequeretur, contacto domini semine sacramentum dedit. Ita servus profectus in Mesopotamiam, ad oppidum Nachor Abrææ fratris devenit; successitque in domum Bathuelis Syri, Nachore patre geniti. hujus filiam Rebeccam speciosam virginem conspicatus, poposcit, atque ad dominum adduxit. Post id Abraam accepit uxorem Ceturam nomine, quæ in Paralipomenis concubina dicitur; suscepitque ex ea filios. sed Isaac Sarra edito substantiam tradidit: his autem quos ex concubinis susceperat, dona distribuit: atque ita ab Isaac separati sunt. Abraam diem functus est, impletis annis centum & quinque & septuaginta. corpus sepulcro Sarræ uxoris appositum. VIII. At Rebecca diu sterilis, assiduis mariti ad Dominum precibus a die matrimonii vicesimo fere anno geminos edidit, qui in matris alvo exsultasse sæpius traduntur: dictumque responso Domini est, duos in his populos prænuntiari, & majorem minoris subdendum esse principio.

quid novi in filio aoimadvertisset pater, idque ad ejus nuptias spectans? Infra cap. XIII. *Moyses hic cum viriles annos ageret*, &c.; agebat nimirum & ipse aonum quadragesimum, ut liquet ex Act. VII. v. 23. Ovum ovo tam simile non est.

1 *siquidem tum quadrag. au. æt. agebat*) Hoc expressis verbis habetur Gen. XXV. 20. Vaticanus MS. non *agebat* legit, sed *ageret*. idem infra, *nec putaret is caussa coujugis*, &c.

6 *coutacto Domiui semiue*) Galesin. aliique, *femore*.

7 *ad oppidum Nachor Abrææ fratris*) scilicet *Charras*, ubi Nachor sedem fixerat. *Nachor* autem ex græco ναχώρ, non *Nabor*, ut aliqui ediderunt. *Abraami* loco τοῦ *Abrææ* irrepserat in quamplurimis editis libris, repugnante Severi stilo, & contradicente MS. nostro cum antiquioribus editionibus Giselini, & aliorum.

11 *quæ iu Paralipomenis concubina dicitur*) Nimirum 1. Paral. 1. 32. sed nec obscure hoc ipso Geneseos libro cap. XXV. 6. ubi *filii concubinarum* nominantur, de quibus mox Severus: nam eo nomine non aliæ feminæ quam Agar primum, secundo Cetura indicantur. Neque vero repugnat, ut uno libro uxor, alio concubina dicta sit Cetura; cum Agar quoque in eodem Geneseos volumine uxor alicubi dicatur, scilicet cap. XVI. 3. S. Augustinus lib. XVI. de C. D. cap. XXXV. *Ambæ quippe* (Agar & Cetura) *& uxores Abrahæ & concubinæ sunt appellatæ. Sara vero numquam dicta est concubina.*

15 *At Rebecca diu sterilis*) Sequitur ordinem quo hæc in Scriptura narrantur, licet partus Rebeccæ Abrahami mortem, de qua paullo ante, præcesserit annis quindecim. oam ille anoo sexagesimo Isaaci contigit, hæc anno septuagesimo quinto. Io bunc eumdem lapidem, sed fœdius, impegit Josephus, qui apertis verbis Isaaco natos geminos post patris mortem scripsit.

19 *majorem minoris subdeudum esse principio.*) Male apud Giselinum & alios *principiò*, accentu gravi apposito, quasi adverbium esset, cum sit nomen, & principatum aut dominationem significet. Barthius, Advers. lib. II. cap. XVII., in hunc locum scribens, laudat Suetonii locum ex lib. II. cap. XXXI. *Augusti principium clade Variana ..... memorabile fuit*; & Plinii ex lib. IX. cap. XXXV. *Principium culmenque.... margaritæ*; adde notas Drusii & Vorstii. Quamquam autem impressi omnes libri præferant *minori*, nos *minoris* edimus, ut Barthius ipse legi voluit. Qui MSS. evolvendis operam aliquantulam impenderit, probe norit quam sæpe in concursu

cipio. sed prius editus asper setis, Esau vocatus; minori Jacob nomen fuit. Ea tempestate gravis annonæ inopia terras incesserat: qua necessitate Isaac in Geraris ad regem Abimelech cessit, admonitus a Domino ne in Ægyptum descenderet. eidemque universæ illius terræ possessio promittitur, ibique benedicitur; multiplicatusque pecore atque omni substantia, agente invidia ab incolis pellitur. pulsus apud Puteum juramenti consedit. Igitur annis gravior, luminibus obductis, cum Esau filium benedicere pararet, consilio Rebeccæ matris Jacob se benedicendum pro fratre obtulit. ita Jacob adorandus principibus & gentibus, fratri præponitur. Queis rebus Esau accensus, fratri necem moliebatur. quo metu Jacob, hortante matre, in Mesopotamiam confugit, admonitus a patre, ut ex domo Laban fratris Rebeccæ uxorem acciperet: tanta illis cura fuit, cum in alienis terris consisterent, genus tamen intra familiam suam ducere. Ita Jacob profectus in Mesopotamiam, per soporem Dominum vidisse traditur: atque ob id locum somnii sacratum habens, lapidem ex eo sumsit; vovitque, si rebus prosperis revertisset, titulum sibi domus Domini futurum; decimasque omnium quæ acquisita sibi forent, Domi-

cursu doarum litterarum similium, quarum altera finiat præcedentem, altera initium sit sequentis voeis, alterutra omitti contigerit. ita nimirum & heic factum quovis pignore contendimus.

a *ea tempestate*) Hoc demum cootigit mortuo Abrahamo, ut ex Gen. xxvi. 1. liquido apparet, atque adeo non ante Rebeccæ puerperium, ut Joannes Clericus in eum locum scribens aliquando opinatus fuerat; sed enm Rebeccæ gemelli jam majores anno decimo quintn evaserant, ut aote proximam superiori nota attigimus.

3 *iu Geraris ad r. A. cessit*) Sigonius legendum putavit in *Gerara*, accusandi casu, quia motus ad locum significatur. Drusius *Geraris* tuetur, refragante tamen Vorstio, qui addit legendum fortasse *eoncessit*. Nos rem in medio relinquimus, nullam nacti in MS. Vaticano discrepaotiam a vulgatis. Quid? quod infra cap. xxix. habetur, *iu oppido Gabaa ... secesserat*. Præterea ex Cicerone, *veni in Seuatu*; ex Varrone, *qua iu Cœlio monte itur*, exempla simillima exstant. Paullo infra, *illius terræ*; Gisel. & alii, *terræ illius*.

7 *auuis gravior*) Licet ex Scriptura liquido non constet quot annos natus Isaacus henedixerit filiis, rationibus tamen hene subductis apparet eum ceotesimum trigesimum octavum annum egisse, cum Jacob profectus est io Mesopotamiam; quod sane iter non multo post benedictionem a patre sibi collatam suscepit: nam, ut infra videbimus, tum Jacob annos natus erat fere octo & septuaginta.

10 *fratri præponitur*) Geo. xxvii. 29. *Esto dominus fratrum tuorum*, ubi tamen juxta LXX. legitur τοῦ ἀδελφοῦ σου, *fratris tui*. Sic quod paullo ante habetur, *adoraudus principibus*, ex eodem fonte promanat: προσκυνησάτωσάν σοι ἄρχοντες. verba latinæ antiquissimæ versionis habes apud Augustinum de C. D. lib. xvi. cap. xxxvii. Sequitur in MS. *quis rebus* pro *queis rebus*.

14 *intra familiam suam ducere*) MS. non agnoscit *suam*: quod non displicet.

15 *profectus in Mesopotamiam*) Iter in Mesopotamiam susceperat, adhuc tamen intra Chananææ fines erat, scilicet in loeo qui *Luza* primum, deinde *Bethel* dictus.

17 *titulum sibi domus Domini futurum*) Non videtur auctor advertisse titulum in hoc aliisque Scripturæ locis στήλην, seu columnam, statuam aut monumentum esse. Sane Gen. xxviii. 22. habetur, καὶ ὁ λίθος οὗτος, ὃν ἔστησα στήλην, ἔσται μοι οἶκος θεοῦ. Heb. בית אלהים. *Et lapis iste, quem statui iu monumentum, erit mihi domus Dei*, seu *Beth Eloim*. Hine hujusmodi mooumenta *Betylia*, Βαιτύλια dicta.

Domino daturum. inde ſe ad Laban fratrem matris contulit, quem ille ſororis filium agnitum, in hoſpitium benigne recepit. Erant Laban duæ filiæ, Lia & Rachel; ſed Lia oculis deformior, Rachel pulcra fuiſſe traditur: cujus ſpecie Jacob captus, amore virginis conflagrabat; eamque ſibi in matrimonio a patre poſtulans, ſeptem annorum ſervitio ſe mancipavit. ſed impleto tempore Lia ei ſupponitur; ac rurſum ſeptennii ſervitio ſubditur, atque ei Rachel traditur. Sed hanc diu ſterilem, Liam fecundam fuiſſe accepimus. Filiorum quos ex Lia Jacob habuit, hæc ſunt nomina: Ruben, Simeon, Levi, Judas, Iſſachar, Zabulon, Dina. ex ancilla vero Liæ Gad & Aſer; ex ancilla Rachel Dan & Nephthalim nati ſunt. at Rachel, deſperato jam partu, Joſeph edidit. Tum Jacob redire ad patrem cupiens, cum ei Laban ſocer partem pecorum mercedem ſervitii dediſſet, ob quæ parum ſibi eum æquum gener Jacob ratus, dolum ab eo ſuſpectans, clam profectus eſt viceſimo primo fere anno quam advenerat. Rachel viro inſcio patris idola furto abſtulit.

IX.

3 *Rachel pulcra fuiſſe traditur*) MS. non agnoſcit *fuiſſe*.

5 *in matrimonio a p. poſtulans*) Vorſtius hoc loco aliquot Severi textibus productis ſuſpicatur legendum *in matrimonium*; ſed nihil agit: nam infra cap. XLIII. rurſus habemus *in matrimonio accepta*: ubi Vorſtius iterum dubitat primitus aliter ſcriptum fuiſſe. Adde plures locos ſimiles ex libello *De morte perſecutorum*, Lactantio a plerisque adſcripto, ut num. 29. *in Severi loco*, num. 35. *in manu traditis*, num. 39. *in matrimonio poſtulat*, quæ ipſiſſima ſunt ſcriptoris noſtri verba: rurſus num. 4. *acceptæ in deditione*; quæ loca fruſtra tentarunt Tollius, Galle, & alii, reponendo *in Severi locum, in manum*, &c. Sic Proverb. XXX. 2. *cum in matrimonio fuerit aſſumta*, & Gen. XXX. 35. *tradidit in manu filiorum ſuorum*.

7 *ac rurſum ſeptennii ſervitio ſub.*) Ita feliciter hunc locum reſtituimus ope MS. Vaticani: atque ita jam pridem ediderat Georgius Fabricius in ſuis Orthodoxographis. Ceteri omnes libri, *ac rurſum ſeptem in ſervitio ſub.* Ceterum videtur hic, quod aperte Joſephus tradidit, in ea fuiſſe ſententia, ut Rachele potitus non ſit Jacob niſi poſt alterum ſeptennium. Secus tamen nos docent ſacræ litteræ: nam poſt hebdomadam cum Lia tranſactam, ſtatim ei tradita fuit & Rachel.

10 *ex ancilla vero Liæ*) Antiquiſſimæ editiones Baſileenſis, Romana Galeſinii; & Fabricii in Orthod. pro *Liæ* legunt, *hæ* vel *hæc*; quod mendum primus vidit & eliminavit hinc Giſelinus.

11 *Nephthalim*) Giſelinus & Fabricius *Nephthalin*, alii *Nephthali*; ſed nihil mutandum eſt: eſt enim in græco τῶν Ο' Νεφθαλείμ. Druſius apponit illud Auſonii: *Vocibus in graiis numquam ultima conſpicitur M.* Eſto. at hæc vox non græca eſt, ſed hebræa. *Adam*, *Abram* & *Abraham*, & alia ſexcenta μ in fine habent nemine contradicente. Verum quidem eſt nec in hebræo, nec in aliquibus græcis codicibus, ut in Alexandrino, M haberi in fine hujus vocis: habent tamen plerique omnes.

12 *deſperato jam partu*) MS. *deſperata jam partitudine*; quod quidem ex Severi ſtilo provenire nullus dubito. Porro *partitudo*, ſeu, ut aliis placet ſcribere, *paritudo* idem valet ac partus.

14 *ob quæ parum ſibi æquum*) Aliquid deeſſe videtur in hac περικοπῇ. MS. legit *ob quæ id*; itaque fortaſſe Severus ſcripſerit, *obque id*. verum neque hoc pacto perſpicuus omnino eſt ſenſus. Giſel. *Niſi aliquod vitium ſubſit, quod me fugiat, omnino tota hæc periodus, tot participiorum concurſu, implicata eſt, peſſimeque cadit.*

15 *viceſimo primo fere anno*) Gen. XXXI. v. 38. & 41. viginti annos cum Laban manſiſſe ſe dicit Jacob. ταῦτα μοι εἴκοσιν ἔτη ἐγώ εἰμι μετὰ σοῦ: *His viginti annis ego tecum ſum*. Quod itaque heic *viceſimo primo fere anno* dicitur, ineuntem intellige.

lit: qua injuria Laban generum persecutus, non repertis idolis, pace facta, regressus est; multum obtestatus generum ne uxores filiabus suis superinduceret. Inde digressus Jacob, vidisse angelos & castra Domini traditur. Sed cum præter regionem Edom, quam Esau frater incolebat, iter destinaret, missis prius legatis & muneribus suspectum sibi fratrem exploravit: tum ille obviam fratri processit; nec tamen Jacob se ultra fratri credidit. Sed pridie quam inter se fratres convenirent, Dominus humana specie assumta, colluctatus cum Jacob refertur: & cum adversus Dominum prævaluisset, tamen non esse mortalem non ignoravit: benedici sibi ab eo flagitabat. Tum ab eo illi immutatum nomen est, ut ex Jacob Israel diceretur. sed cum ille vicissim a Domino nomen Domini quæreret;

Non

2 *ne uxores filiabus suis superinduceret*) MS. *ne u. f. s. perduceret*; forte *superduceret*. Sic infra cap. XIV. *superductis cinipbibus*, & *superductam cladem*, eadem prorsus significatione.

3 *vidisse angelos & castra Domini traditur*) Nimirum multitudo angelorum a Jacob conspecta, vocata ab eo fuit *castra Domini*. Ita hebræus textus, & ex eo Vulgata Gen. XXXII. 1. In L X X. nonnulla exstat discrepantia, quæ in Alexandrino codice obelo notata est. *Καὶ Ἰακὼβ ἀπῆλθεν εἰς τὴν ἑαυτοῦ ὁδόν — καὶ ἀναβλέψας τοῖς ὀφθαλμοῖς ἴδεν παρεμβολὴν θεοῦ παρεμβεβληκυῖαν", καὶ συνήντησαν αὐτῷ οἱ ἄγγελοι τοῦ θεοῦ. Et Jacob abiit in viam suam: — & respiciens oculis vidit castra Dei posita", & occurrerunt ei angeli Dei*. Ita legisse videtur in suo codice Severus, ac propterea forte *castra Domini* ab angelis distinxit.

4 *præter regionem Edom*) Idest *per regionem Edom*: ita enim loqui solet, ut infra cap. XVI. *præter terram Philistiim* (ubi Vorstius perperam notavit, *Scripsit forte Sulpitius*, eum per terram Philistiim via duceret) & cap. XXI. *præter Edom*, quod idem est ac *præter regionem Edom*: & lib. II. cap. XLVIII. *præter interiorem Aquitaniam*: quibus in locis, ut ex contextu planum fit, *præter* non *juxta* aut *prope* regionem aliquam iter habere, quod *præterire* dicitur, sed per eam transire, seu *pertransire* significat. Quod vero hoc loco tradit Severus, sumsit ex Gen. cap. XXXII., quod caput si diligenter expendatur, liquebit, tractum quem eo tempore occupabat Esau, admodum vicinum fuisse torrenti Jaboc in Galaaditide sito, ad quem tum Jacob castra habebat, atque adeo per illum transeundum huic fuisse, ut inde in Chananæam perveniret. Sed de hoc fusius in Observationibus. Addit Severus, *Jacob se ultra fratri non credidisse*; quod Scriptura expresse non habeat eum in Seir profectum: quod tamen ab eo, prout fratri pollicitus erat, factum fuisse, probabile est.

8 *Dominus humana specie assumta*) Hæc nimirum aliquot veterum Patrum, Justini, Clementis Alex., Tertulliani, Hilarii & aliorum sententia fuit: contra Augustinus, quem sequuntur recentiores Theologi, angelum cum Jacob luctatum docet: quod & aperte tradidit Osee propheta XII. v. 3. & 4. Vide quæ notavimus supra ad pag. 11.

10 *non ignoravit: benedici sibi ab eo p.*) Forte legendum, *ideoque benedici*, vel *& benedici*, seu *benedicique*. Fabricius in Orthodoxographis edidit, *non ignorans, benedici*, &c.; quæ sane lectio placeret admodum, si MS. alicujus auctoritati inniteretur. Vaticanus cum impressis concordat, sed pro *benedici sibi* exhibet *benedici se*, quod Severi stilo, licet minus latinum, magis est conforme. sic supra initio cap. IV. Noe *a Domino cum filiis benedicitur*. Videsis Notas Vorstii.

11 *Tum ab eo*) Antea erat *Tum a Deo*, quod non minimam gignebat difficultatem, cum & antea & paullo post non *Deum*, sed *Dominum* eum appellet Severus, quicum colluctatus est Jacob. Libenter itaque arripuimus lectionem MS., qui quidem, ni error scriptoris est, exhibet *tum ab eo ei*: *ei* autem rejecimus atque *illi* retinuimus, ut viriosa eorumdem pronominum repetitio non offenderet.

Non esse quærendum, quia admirabile esset, responsum est. ex colluctatione autem latitudo femoris Jacob obtorpuit. Igitur Israel declinans fratris domum, promovit agmen in Salem Sicimorum oppidum, atque ibi loco pretio accepto tabernaculum statuit sibi. Huic oppido Emor Chorræus princeps præerat. hujus filius Sichem Dinam filiam Jacob ex Lia genitam stupro subdidit. Quo comperto, Simeon & Levi Dinæ fratres, omnes in oppido sexus virilis dolo peremerunt, ac impigre sororis ulti sunt injuriam. oppidum a filiis Jacob direptum, prædaque omnis est abducta. Id factum ægre admodum tulisse Jacob traditur. mox a Domino monitus, Bethel petiit, ibique altare Do-

X.

1 *Non esse quærendum, quia admirabile esset, responsum est)* MS. non agnoscit in fine verbum *est*, & commodissime abesse potest. sed hæc minutiora. Verba *quia admirabile esset* nec in hebræo exstant, nec in plerisque græcis τῶν O' editionibus. P. Calmetus ita scribit in Genes. xxxii. 29. *Exemplaria quædam græca, Theodoretus, & vetera quædam latina MSS. addunt illud Judicum XIII.* Quod est mirabile. *Sed nihil tale præferunt originalia, & veteres græcæ versiones.* Tum P. Montfauconius in Exaplis Origenis hoc græcum scholium apponit. Σχολ. τό, καὶ τοῦτό ἐστιν θαυμαστόν, παρ' οὐδενὶ κεῖται ἐν τῷ ἑξαπλῷ. *Schol. Illud*, Et hoc est mirabile, *apud nullum in Exaplo habetur*. Ex his itaque apparet codicem sacrum, quo usus Severus, habuisse hoc assumentum.

2 *latitudo femoris Jacob obtorpuit)* Gisel. *Interpretes LXX.* καὶ ἐνάρκησε τὸ πλάτος τοῦ μηροῦ Ἰακώβ. *Mirandum sane cur Galesinius heic ex Josepho substituere ausus sit*, nervus femoris. At Galesinio solemne fuit tum nomina propria, tum verba aliquot ad Vulgatam nostram emendare. Videnda quæ in hunc locum ipse Galesinius notavit, non tamen ut a Giselino seorsum breviata, aut ex eo ab Hornio exhibentur, sed ut habentur in editione Romana anni 1564. Apparebit eum non secutum in hoc Josephum, quem alia de caussa laudat, sed, ut dixi, Vulgatam latinam, quæ in usu est. Ceterum in MS. pro *femoris* legitur *feminis*, ut supra cap. vii. *Obtorpuit* est ex græco ἐνάρκησεν.

3 *in Salem Sicimorum oppidum)* Galesinius & Giselinus *Siciniorum*, Fabricius *Sichemorum*; sed nihil mutandum; nam græce legitur Σαλὴμ πόλιν Σικιμων: aut si quid mutandum, *Salim* malim pro *Salem*. Nonnulli Gen. xxxiii. 18. שלם, seu *Salem*, non urbis nomen, sed *salvum, incolumem* interpretati sunt.

5 *Emor Chorræus princeps)* Ita emendavimus secuti lectionem libri Vaticani (quæ mendose *Chorrens* exhibet) cum in editis antea *Emor Chemoreus* legeretur. Drusius jam pridem nomen hoc ita restituendum suspicatus fuerat, vel certe *Emor Hevæus*. Sed χοῤῥαῖος, ait ille, vocatur Emor Gen. xxxiv. 2. in editione quam Aldus impressit, & post eum Basileenses typographi. In Exaplorum Origenis fragmentis a Montfauconio editis Gen. xxxiv. 2. החוי A. O. Εὐαῖος. Ἄλλος, Χοῤῥαῖος. Scilicet: *Hebræus textus cum Aquila & LXX.* Evæus. *Alius vertit* Chorræus. Notat porro doctissimus Exaplorum editor, in græco non ita facilem videri earum vocum transmutationem; in hebraico secus; nam in החוי si ו in ר commutes, quod non infrequenter factum, facies החרי, *Horrhæus* vel *Chorræus*. Chorræi sane minime ad Chananæam pertinebant, sed ejus quæ postea Idumæa dicta, accolæ erant.

6 *Simeon & Levi Dinæ fratres)* Ita appellati peculiari titulo, quia ὁμομήτριοι, seu eadem matre geniti. Sic Benjamin singillatim dictus Josephi frater.

8 *ac impigre sororis ulti sunt injuriam)* MS. *at* (quod tamen mendum esse apparet) *impigre s. ulti injuriam*, omisso *sunt*. Sic mox, *prædaque omnis abducta*.

10 *Bethel petiit)* Minime dubitavimus pro *Bethleem*, quod in omnibus excusis heic legitur, substituere *Bethel*: ita enim tum hebræus tum græcus textus præferunt. Evincit præterea ratio: hic enim idem ille locus esse aperte significatur Gen. xxxv., in quo, cum pergeret Jacob in Mesopotamiam fratrem fugiens, per somnium angelos scalam ascendentes ac descendentes viderat, eaque de caussa *domum Domini* seu *Bethel* jam tum appellaverat.

Domino ſtatuit . inde in parte turris Gader tabernaculum fixit. Rachel ex partu obiit . puer Benjamin vocatus eſt. Iſaac deceſſit annos natus centum & octoginta . At Eſau potens divitiis erat , uxoribus ſibi etiam e Chananæorum gente aſſumtis : cujus progeniem in hoc tam præciſo opere inſerendam non putavi. ſi quis ſtudioſior erit, ad Origines revertatur. Poſt exceſſum patris, Jacob in ſolo eo in quo Iſaac vixerat , commorabatur : filii ejus aliquantum ab eo paſcui gratia cum gregibus ſeceſſerant ; Joſeph tamen ac Benjamin parvus domi reſederant . Carus admodum Joſeph patri , obque id inviſus

5

1 *in parte turris Gader* ,) *Gader* , ſeu *Ader* עדר *gregem* ſignificat ; itaque Vulgata noſtra *turrem gregis* appellat . Druſius : In parte turris Gader . *Senſus eſt, in tractu illo ubi turris Gader erat. Male Victor* (Giſelinus) in parte aliqua turris, *& fruſtra Sigonius Severum heic reprehendit, quem non intellexit.* Græca verſio, *ἐπέκεινα τοῦ πύργου γαδέρ*: ideſt *trans* aut *ultra turrim* . Du - Cangius citans hunc Severi locum in Gloſſario, notat ſumi *partem* pro *regione* . ſic in lege Salica cap. v. *partibus Slavorum & Avarorum.* Sic Act. XVI. 12. *τῆς μερίδος τῆς μακεδονίας, partis Macedoniæ* . Lactantius, ſeu quiſquis ſcriptor libri De mortibus Perſec. num. 10. *in partibus Orientis* : & Trebellius Pollio in Gallienis, ex emendatione Salmaſii , *in Orientis partibus* : & alibi, *Orientis partes* . Sic in Notitia dignitatum Imperii, ipſo initio : *Notitia in partibus Orientis* . Porro diverſa aliquantulum ſignificatione Sulpicius noſter ſcripſit infra cap. XLII. *in parte tribus Juda* ; & cap. XLVI. ac XLVII. *in parte decem tribuum* , ſcilicet in ea regni Salomonis, poſt ejus obitum diviſi, parte , quæ hinc ex tribu Juda potiſſimum , illinc ex decem tribubus conſtabat. Ita Lactantius eodem libro num. 39. de quodam Imperatore dicit, *in partibus ejus* , intelligens de parte Romani imperii quam regebat . Et Euſebius lib. IX. H. E. cap. X. *ὁ τύραννος ἐπὶ τὰ καθ' ἑαυτὸν ἐλθὼν μέρη . tyrannus cum ad partes ſibi ſubjectas veniſſet* ; licet commode & heic *regiones* poſſis interpretari.

a *Rachel ex partu obiit*) Cur hæc narrat Severus poſtquam Jacob fixiſſe tabernaculum ad turrim Gader dixerat, cum, ex Gen. cap. XXXV. XI., antea acciderint, nempe cum in via eſſet a Bethel ad eam turrem , ſcilicet prope Ephratam, ſeu Bethlehem ? Quia in latino ſacro codice legerat, quod in græco τῶν O' habetur ibidem v. 16. *ἀπάρας δὲ Ἰακὼβ ἐκ Βαιθὴλ (ἔπηξεν τὴν σκηνὴν αὐτοῦ ἐπέκεινα τοῦ πύργου Γαδέρ) ἐγένετο δὲ ἡνίκα ἤγγισεν, κ. τ. λ.* Verba incluſa uncinis , (quos exhibet Octateuchi editio Oxonienſis anni 1707., a Grabio curata juxta exemplar antiquiſſimum quod Alexandrinum vocant) deſunt in hebræo & Vulgata ; at in codice latino quo uſus Severus , ut puto , fuerunt, ideoque ita ab eo fortaſſe ſcriptum fuit .

a *Iſaac deceſſit annos natus centum & octoginta*) Reſpondet hic annus centeſimo & vigeſimo Jacobi (nam hic anno ſexageſimo patris natus fuit) nec non anno vigeſimo octavo Joſephi , qui , ut colligitur ex collatione v. 46. capitis XLI. Gen. cum v. 9. cap. XLVII. ejuſdem libri, anno patris nonageſimo ſecundo in lucem prodiit. Erat itaque hoc tempore Joſeph jam pridem a fratribus venditus & in Ægyptum aſportatus , ac tum jam per annum ſaltem in cuſtodia tenebatur, biennio poſt inde evaſurus , ut præfecturam totius Ægypti adminiſtraret . Non itaque *poſt patris exceſſum* , ut paullo infra Severus, in Hebron ſedem fixit Jacob , ſed multo ante ; cum ibidem degeret quo tempore ad inviſendos fratres Joſeph in Sichem miſit : nimirum ſibi perſuaſerat ille hæc non niſi poſt mortem Iſaac eveniſſe , quia poſt illam in libro Geneſis memorantur .

6 *ad Origines*) Scilicet ad cap. XXXVI. Geneſeos, ubi Eſau progenies diſtinctim recenſetur. Cur autem heic de Eſau mentionem inſtituat, nulla alia cauſſa eſt, niſi quia & Moſes, narrata morte Iſaac, de Eſau potentia & ſtirpe pluribus agit .

6 *in ſolo eo in quo Iſaac vixerat, com.*) In valle Hebron , ut conſtat ex Gen. XXXVII. 14. &c. Sed hoc loco forte ſcripſerit Severus *in eo ſolo* , *vel in ſolo in quo*, idque vitandæ cacophoniæ cauſſa , quæ in vulgata lectione offendit aures . Infra pro *aliquantum* MS. *aliquanto* .

Digitized by Google

fus fratribus: simul, quia frequentibus ejus somniis majorem eum omnibus futurum portendi videbatur. Igitur ad inspiciendos greges revisendosque fratres a patre missus, opportunus injuriæ fuit. namque viso fratre, consilium necis ejus ceperunt: sed obsistente Ruben, cui 5 a tanto facinore abhorrebat animus, in lacum demissus. mox suadente Juda deducti ad mitius consilium, negotiatoribus eum, qui tum Ægyptum petebant, vendiderunt. atque ab his Potifari præposito Pharaonis traditus est. Per idem tempus Judas Jacob filius XI. Suam Chananæam in matrimonium assumsit, ex qua tres filios sus10 tulit, Her, Onan, Selam. sed Her Thamar connubio sociatur; quo mortuo, Onan fratris uxorem accepit; qui, quia spermata in terram effunderet, exstinctus a Domino refertur. tum Thamar meretricio habitu assumto, socero mixta est, exque eo geminos edidit. In partu autem illo mirabile fuit, quod cum prodeunti puero, ad 15 dignoscendum qui prius nasceretur, obstetrix manum ejus cocco illigasset, reductus in alvum matris puer, postero die editus est. nomen infan-

5 *in lacum demissus*) Expressit heic & infra sæpius eamdem vocem, quæ ex græco τῶν Ο' in antiquissimam editionem latinam irrepserat. sic enim illi: *ἐμβάλετε αὐτὸν εἰς ἕνα τῶν λάκκων τούτων τῶν ἐν τῇ ἐρήμῳ. Inicite illum in unum ex lacubus istis qui in eremo sunt.* λάκκος autem fossam, cuniculum, puteum significat. Vetus Lexicon a Vorstio alibi citatum, *λάκκος, lacuna, lacus, cisterna. Cisternam* habet hoc loco Vulgata nostra, quæ tamen frequenter utitur voce *lacus* in eadem significatione. Hæc semel monuisse sufficiat.

7 *Potifari præposito Pharaonis*) Severus non scripserit *Potifari*, sed *Petephræ*: ita enim habuisse latinos codices testis Hieronymus in Quæst. hebraicis: atque ita legit Augustinus in Quæst. in Gen., idque ex græco τῶν LXX., quibus *Πετεφρῇ*, οὗ declinatur. Quod vero additur *præposito Pharaonis*, deesse aliquid puto, scilicet, *præposito coquorum Pharaonis*: apud LXX. enim est *τῷ Πετεφρῇ τῷ σπάδοντι Φαραὼ ἀρχιμαγείρῳ*. S. Augustinus, Quæst. LXXVII. in Gen., verba latinæ versionis refert: *Petephræ spadoni præposito coquorum*: monet autem malle quosdam *præpositum militiæ* interpretari.

9 *Suam Chananæam*) In græco est Σαυά; itaque scripserit Severus *Savam*, uti legitur etiam apud Augustinum, Quæst. CXXVIII. in Genes., ubi PP. Benedictini monent in editis antea fuisse ut in Vulgata, *Sue*.

10 *Her, Onan, Selam*) Gisel. & alii antiquiores heic & paullo infra habent, *Heth*, contradicentibus tum græco, tum hebraico textu. LXX. tria hæc nomina ita scribunt, Ἤρ, Αὐνάν, Σηλώμ; quæ latine scribenda forent *Er*, *Aunan*, *Selom*. Sane in Nom. Hebr. apud Hieronymum *Aunan* & *Onan* legitur, interpretatumque habetur utrumque *mæror eorum*; tum in Quæst. Hebr. tertius ita scriptus bis occurrit. At omnis librariis placuit ad scripturam Vulgatæ Severum exigere.

14 *In partu autem illo mirabile fuit*) Placeret legere *illud mirabile fuit*.

14 *cum prodeunti puero... obstetrix manum ejus cocco illigasset*) Videretur vel dicendum *prodeunte puero*, vel delendum τὸ *ejus*. Illud malim; quia facillime hujusmodi librariorum lapsus occurrunt. Non carebit tamen hæc ἀκυρολογία aliquo exemplo. A. Gellius lib. V. cap. XIX. formulam solemnem arrogationis recitat his verbis conceptam: *Velitis jubeatis, Quirites, uti Lucius Valerius Lucio Titio tam jure legeque filius sibi siet, quam si*, &c.: in quibus verbis *sibi* perinde redundare videtur, ac *ejus* apud scriptorem nostrum. *Cocco* autem est pro *filo coccineo*. in græco est κόκκινον, in Vulgata *coccinum*. Paullo infra MS. legit *reductus est*.

16 *postero die editus est*) Manifestissimum mendum, cui tamen eluendo ni-

infantibus Fares & Zara inditum. At Joseph, cum benigne a curatore regio, qui eum pretio acceperat, haberetur, domumque ejus & familiam procuraret; decorus ipse insigni specie, uxoris domini oculos in se converterat. cumque amore ipsius deperiret, appetitum sæpius nec acquiescentem sibi falso scelere infamat, ac viro queritur, stuprum sibi intentatum. ita Joseph in carcerem est conjectus. Erant in eadem custodia ministri regis duo, qui cum somnia sua ad Joseph retulissent, futura ex somnio conjectans, unum eorum pœnas capite luiturum, alium absolvendum pronuntiavit. atque ita accidit. Igitur post biennium somnium regi objectum est. quod cum a prudentibus Ægyptiorum non posset absolvi, minister regis ille carcere exemtus regem admonet, Joseph esse mirum somniorum interpretem. ita Joseph solvitur; interpretatusque est regi somnium: Septem annis proximis maximam frugum ubertatem futuram, consequentibus inopiam. quo metu rex perculsus, videns divinum in Joseph spiritum, rei eum annonariæ præfecit, æquato secum imperio. Tum Joseph abundantibus per totam Ægyptum frumentis, magnam copiam congessit: multiplicatisque horreis adversus futuram famem consuluerat. ea tempestate spes atque salus Ægypti in illo sita erat. Per idem tempus vero duos ex Aseneth filios genuit, Manassem & Ephræm. ipse autem, cum summam a rege potestatem accepit, erat annorum xxx: nam a fratribus septemdecim annos natus venumdatus est. Interea rebus in Ægypto adversus famem bene compositis, orbem terræ gravis frumenti inopia quatiebat. qua necessitate compulsus Jacob, filios in Ægyptum misit, Benjamin tantum secum domi retento. Igitur Joseph rerum potentem, penes quem annonæ arbitrium erat, fratres adeunt, & more regio adorant. quibus ille visis, callide

XII.

hil confert Vaticanus liber. Drusius legendum putavit *posterior editus est*: quod tamen duplicem & confusam gignit sententiam. Si hariolari liceat, pro *puer postero die editus est*, scriptum dixerim *præpostero ordine editus est*.

6 *in carcerem est conjectus*) Abest in MS. *est*, ut alibi sæpius, idque Severi stilo admodum convenienter.

7 *Erant in eadem custodia*) Non erant in carcere ministri regis, cum illuc ductus est Joseph, sed post aliquantulum temporis in eum conjecti fuerunt. id liquet ex Gen. cap. xl., initio.

10 *Igitur post biennium*) Scilicet a tempore quo duo illi ministri regis e carcere fuerant educti.

21 *Ephræm*) Antea erat *Effrem*: Vulgata præfert *Ephraim*, aliquando tamen *Ephræm*. LXX. Ἐφραΐμ: apud Augustinum tamen sctiptum video *Ephræm* ex græco Ἐφραΐμ.

22 *septemdecim annos natus*) Ita Gen. xxxvii. 2. ubi tamen Vulgata habet *sedecim*, repugnante hebræo textu & ceteris versionibus. Quod tamen non Hieronymi voluntate & arbitrio, sed librariorum errore facile factum fuerit, ut notavit Cl. Vallarsius col. 75. Tomi I. Bibliothecæ Divinæ S. Hietonymi. Quod tamen magis notatu dignum, licet citatus Genesis textus passim usurpetur ad tempus venditionis Joseph figendum, nihil tamen evincit; nam quæ ibidem narrantur, multo antea accidere potuerunt.

26 *Igitur Joseph rerum potentem*) Nomen *Joseph* exciderat in plerisque editis, quod restituimus ex MS. & Giselino atque aliis antiquioribus libris impressis. *Rerum potentem* dicit autem hoc loco Joseph, quemadmodum lib. II. cap. vii. *rerum potentes* Darii magnates.

Digitized by Google

ſide agnitionem diſſimulans, hoſtiliter eos veniſſe, & ſubdole loca explorare arguebat. angebatur autem, quod Benjamin fratrem non videbat. Res ergo in id deducta, ut præſentiam ejus pollicerentur: nimirum ut ex eo quæreretur, an iſti explorandi cauſſa Ægyptum
5 intraſſent. ad promiſſi autem fidem Simeon obſes traditur: ipſis frumentum gratis datum. Rurſum igitur revertentes, Benjamin, ut convenerat, deduxerunt. tum ſe cognoſcendum Joſeph fratribus præbuit, non ſine pudore male merentium. ita eos oneratos frumento, multiſque donatos domum remiſit, præmonens, Quinque adhuc annos fa-
10 mem futuram: cum patre atque omni progenie ac familia ad ſe commigrarent. Igitur Jacob in Ægyptum deſcendit, Ægyptiis admodum lætantibus, gaudente rege, benigne a filio ſuſceptus. Id geſtum anno ætatis Jacob centeſimo & trigeſimo; a diluvio autem anno CIↃCCC & lx. ceterum ab eo tempore quo Abraam in terra Chananæorum
15 conſedit, in id quo Jacob Ægyptum ingreſſus eſt, referuntur anni ccxv. Igitur Jacob ſeptimo & decimo anno quam in Ægypto advenerat, urgente morbo Joſeph filium obteſtatur, corpus ſepulcro ſuo redderet. tum Joſeph patri benedicendos filios ſuos obtulit; quibus benedictis, cum tamen benedictionis merito majori minorem præpo-
20 ſuiſſet, filios omnes benedictione luſtravit. deceſſit autem annos natus cxlvii. Funus magnifice curatum: corpus in ſepulcro majorum Joſeph condidit. fratres, poſt patris obitum pro conſcientia paventes, benigne habuit. deceſſit autem Joſeph ipſe, ætatis anno decimo & centeſimo. Hebræi igitur qui in Ægyptum devenerant, incredibile memoratu eſt, XIII.

4 *ut ex eo quæreretur*) Dicendum potius *ut ex eo conſtaret*. Vide Gen. cap. XLV.

13 *anno CIↃCCC & LX.*) Hos numeros ita reſtituit Giſelinus, cum antea pro *LX.* legeretur *XL.* MS. Vaticanus itidem præfert vitioſe *MCCCXL.* quod ideo notandum duxi, ut vel hinc manifeſtum fiat, aut eumdem eſſe hunc ex quo prima editio a Flaccio fuit expreſſa, aut illi quam ſimillimum. Ratio autem ejus calculi hæc eſt. a diluvio ad Abraam anni mille & ſeptuaginta; vide ſupra cap. V: ab Abraham ad nativitatem Iſaac anni centum; ſupra cap. VI: ab Iſaac ad Jacob natum anni ſexaginta; ſupra cap. VII & VIII. his adde annos centum & triginta vitæ Jacobi, Gen. XLVII. 9. & efficies ſupradictam ſummam. Juxta hebræos codices hoc ſpatium annis IↃLXXXII. concluditur.

15 *in id quo Jacob*) Giſelinus, Fabricius & alii *in id quod*, ſed male. Porro ducenti quindecim anni ab ingreſſu Abrahami in Palæſtinam ad ingreſſum Jacobi in Ægyptum ita habentur. ab anno ſeptuageſimo quinto Abrahami, quo Charris profectus eſt in Palæſtinam, ad ortum Iſaac, anni quinque & viginti numerantur; inde ad Jacobi nativitatem ſexaginta; rurſum a nativitate ejuſdem ad tranſmigrationem Ægyptiacam anni centum & triginta. omnes ſimul ducenti & quindecim.

16 *quam in Ægypto advenerat*) Antea impreſſi libri *quam Ægypto adv.* MS. *qua in Ægypto adv.* Ex utraque lectione conflavi *quam in Ægypto adv.* Videretur ſane legendum *in Ægyptum*; ſed vide quæ ſupra notavimus ad cap. VIII. in voce *Geraris*.

17 *corpus ſepulcro ſuo redderet*) Liber Vaticanus non agnoſcit *ſuo*. Ego malim legere, *corpus ſepulcro ſuorum daret*: nihil tamen muto.

18 *Tum Joſeph patri benedicendos*) MS. omittit *patri*.

21 *in ſepulcro majorum*) MS. *in ſepulcro patrum*.

24 *in Ægyptum*) MS. *in Ægypto*. Con-

eſt, quam cito numero aucti ſint, multiplicataque progenie Ægyptum repleverint. Sed defuncto rege qui eos ob meritum Joſeph benigne fovebat, ſuccedentium regum imperio deprimebantur: nam & opus durum ædificandarum civitatum eis impoſitum; & quia jam multitudo abundans metuebatur, ne quandoque libertatem armis vindicarent, parvulos recens editos aquis mergere edicto regio eogebantur. nec diſſimulari cruentum imperium licebat. Qua tempeſtate filia Pharaonis infantem in flumine repertum, nutriendum pro filio curavit. nomen puero Moyſes dedit. Moyſes hic, cum viriles annos ageret, conſpicatus Hebræum ab Ægyptio pulſari, permotus dolore, fratrem ab injuria vindicans, Ægyptium calce perculſum interemit. mox ſupplicium e facto metuens, in terram Madian profugit; & apud Jothor ſacerdotem regionis illius diverſatus, filiam ejus Sepphoram in matrimonium accepit, exque ea duos filios Gerſam & Elieſer ſuſtulit. Hoc tra-

ſer cum iis quæ paullo ante notavimus. Idem liber poſt pauca, *ob merita Joſeph.*

2 *Sed defuncto rege qui .... ſuccedentium regum*) Diligentiam heic Severi deſidero: nam primo non ſub uno illo rege benigne habiti Hebræi, ſed longa aliquot regum ſibimet ſuccedentium ſerie: vide Exodi cap. I. & Commentatores. Secundo unus ibidem v. 8. enumeratur rex, qui quidem afflixerit eoſdem Hebræos jam in immenſum pæne multiplicatos. adde Act. VII. 18.

7 *nec diſſimulari cruentum imperium licebat*) In Notis Tomi I. pag. 97. monuimus Severum aliquoties uſurpaſſe verbum *diſſimulare* pro *negligere*; hujus tamen loci ibidem non meminimus. Uſus autem in eadem ſignificatione etiam S. Philaſtrius Brixianus Epiſcopus in libello *De Hæreſibus* ſub num. CXXI. pag. 96. juxta noviſſimam & ſplendidiſſimam editionem veterum Brixianæ Eccleſiæ Patrum curatam juſſu Eminentiſſimi Cardinalis QUIRINI (digniſſimi, tum doctrinæ tum religionis merito, qui ipſorum ſedem occuparet) a piiſſimo ac doctiſſimo ejuſdem civitatis Canonico Paullo Galeardo, anno ſuperiore, eheu! fatis functo. Philaſtrii verba ſunt: *Animæ itaque natura non vertitur in naturam alteram; ſed quum voluntate contemnit ac negligit Dei præceptum, ſtudiiſque legitimis ac ſalutaribus inhærere diſſimulat, futuro judicio pœnarum ſe dedicans, non alia niſi morum cauſſa pecudibus cognoſcitur comparanda; non natura, ſed moribus, ut ſcriptum eſt.* Joannes Albertus Fabricius in Notis interpretatur *diſſimulat, ideſt renuit, negat, recuſat*: ego malim *contemnit ac negligit*; quæ verba Philaſtrius paullo ante uſurpaverat. Locus Auguſtini quem in confirmationem ſubdit, in toto eo Sermone 121. *de Diverſis*, qui in Benedict. editione eſt ſub num. 362., non habetur, & fortaſſe mendoſus eſt: eamdem tamen recipit ſignificationem quam nos ſtatuimus.

11 *Ægyptium calce perculſum*) Unde habuerit Severus a Moyſe ictu calcis occiſum Ægyptium, incertum eſt: neque enim aut Scriptura, aut antiquus aliquis ſcriptor præter noſtrum id tradidit.

12 *apud Jothor*) Antea erat *Jethro* ut in Vulgata: nos ſecuti ſumus MS., qui heic & infra cap. XVII. conſtanter habet *Jothor*, quemadmodum legitur & apud LXX. Ἰοθόρ, juxta quos legendum paullo ante *Madiam* per *m* in fine.

14 *Gerſam*) Male antea *Gerſom*; nam & apud LXX. Γηρσάμ, & in Vulgata *Gerſam*. *Gerſon* ſeu *Gerſom* filius Levi fuit.

14 *Hoc tractu temporum*) Recepta hæc apud antiquos ſententia, licet ab aliis impugnetur. S. Auguſtinus de Civ. Dei lib. XVIII. cap. XLVII. *Quæ tempora ejus* (Job) *quamvis non inveniamus in Chronicis* (Euſebii), *colligimus tamen ex libro ejus, quem pro ſui merito Iſraelitæ in auctoritatem canonicam receperunt, tertia generatione poſteriorem fuiſſe quam Iſrael.* Adſutum nimirum erat verſioni libri Job ante-Hieronymianæ additamentum illud, quod ex Theodotione in græcis codicibus adhuc cernitur, unde genealogia Job eruitur. Vide S. Hieronymum, Quæſt. in Gen. cap. XXII. 20. Coævus itaque Job Moyſi hinc ab antiquis judicatus, quia totidem fere a Jacob gradibus in ea genealogia diſtabat.

tractu temporum Job fuit, lege naturæ & agnitionem Dei & omnem justitiam complexus, prædives opibus, atque eo illustrior, quod his neque integris corruptus, neque amissis depravatus est. nam cum per diabolum exutus bonis, filiis etiam esset orbatus, ad extremum diris ulceribus affectus, non potuit vinci, ut præ doloris impatientia aliqua in parte peccaret. mercedem denique divini testimonii consecutus, sanitati redditus omnia quæ amiserat, in duplum recepit. At Hebræi multiplicato servitutis malo pressi, querelis in cælum conversi, spem auxilii a Deo exspectabant. Tum Moysi pascenti oves repente rubus ardere visa, flammis tamen, quod erat mirabilius, innoxiis. qua novitate obstupefactus, rubo propius accessit, statimque ad eum istiusmodi fere verbis Deus locutus est: Dominum se esse Abraam, Isaac & Jacob; quorum progeniem, Ægyptiorum dominatione depressam, ereptam malis cupiat: iter ergo susciperet ad regem Ægypti, ducemque se populi in libertatem restituendi præstaret. cunctantem potestate confirmat, virtutem ei signorum faciendorum impertiens. Ita Moyses in Ægyptum profectus, signis prius apud suos editis, assumto fratre Aaron regem adiit: missum se a Deo prodit, verbisque se Dei dicere, populum Hebræum uti dimitteret. at ille negans se Dominum nosse, parere imperio abnuebat. cumque Moyses in testimonium mandatorum Dei ex virga draconem fecisset, mox aquas omnes in sanguinem convertisset, totamque terram ranis opplesset; facientibus similia Chaldæis, magicas esse artes quæcumque per Moysen fierent, potius quam Dei virtutem, pronuntiabat; donec superductis ciniphibus terra oppleta est, Chaldæis fatentibus majestate divina ista fieri. Tum rex malo coactus, advocato ad se Moyse & Aaron, dat populo discedendi potestatem, modo ut superductam cladem averterent. sed ubi clades exemta est, impotens sui animus in se reversus, exire, ut convenerat, Israelitas non patiebatur. ad extremum decem plagis corporis & regni sui contusus & evictus

XIV.

3 *lege naturæ*) MS. Vaticanus ita legendum docet, nam antea erat *legem naturæ*.

12 *Deus locutus est*) Intellige angelum Dei personam gerentem. Sane Exod. III. 2. tum in hebræo tum in græco *angelus Domini* apparuisse dicitur. ita & S. Stephanus Act. VII. 30.

18 *regem adiit*) Alium certe ab eo, cujus metu Ægypto aufugerat. Vide Exod. II. 23. & IV. 19.

23 *Chaldæis*) Hoc est, Ægyptiorum magis: nam *Chaldæum* dici astrologum ac magum, res notissima. Varro De re rustica: *haruspicem, augurem, hariolum, Chaldæum ne quis habeat*.

24 *pronuntiabat*) Ed. Lipsiensis male *pronuntiabant*, repugnantibus libris aliis impressis, & MS.

25 *superductis ciniphibus*) Scripserit fortasse Severus *superductis sciniphibus*, exciderit vero *s* littera propter aliud *s* præcedens: nam apud LXX. semper habetur σκνίφες, unde certe, tertia vocali inserta, *sciniphes* factum. ita vero legitur apud Augustinum, Orosium, & in Vulgata nostra. Sed quoniam ibidem Psal. CIV. 31. *ciniphes* legitur, ejusque vocis meminit Isidorus in Originibus, erit a κνίφες, seu a singulari κνίψ, quæ vox æque ac σκνίψ, *culicem*, seu culicis peculiare genus designat. Hesychius Κνίψ, ζῷον πτηνὸν, ὅμοιον κώνωπι. In hebræo est כנים, quam vocem Josephus & antiquus quidam interpres φθεῖρες, seu *pediculi* interpretatus est, quem secuti sunt & ex antiquis & ex recentioribus plerique, Samuel Bochartus præcipue.

XV. victus est. Sed pridie quam Ægypto populus est egressus, mandatis Domini instruitur, rudis adhuc temporum: Mensem illum qui tunc erat, primum omnium mensium esse cognosceret: sacrificium autem diei illius in solemnitatem consequentium sæculorum ita esse celebrandum, ut quartadecima die mensis agnus immaculatus, anniculus, victima cæderetur; ejusdem sanguine postes illinirentur: carnem penitus exedendam, os autem non conterendum: septem diebus fermento abstinerent, azymis uterentur, ritumque hunc posteris traderent. Ita populus egressus dives suis copiis, & Ægypti spoliis cumulatior: cujus numerus, ex quinque & septuaginta Hebræis, qui primum Ægyptum descenderant, ad millia virorum sexcenta pervenerat.... ab eo autem quo primum Abraam terram Chananæorum accesserat, anno trigesimo & quadringentesimo: a diluvio autem mille quingentis quinque & septuaginta. Igitur propere egressis, columna nubis inter-

5 *Sed pridie quam*) Ita hunc locum restituendum censui tum ex MS. qui habet *sed pridem quam*, tum ex verbis sequentibus, *sacrificium autem diei illius*. nam libri omnes editi *sed prius quam* præferunt.

9 *dives suis copiis & Æg.*) MS. addit &: & *suis copiis*.

10 *ex quinque & septuaginta*) Ita LXX. tum Gen. XLVI. 27. tum Exod. I. 5. nec non in plerisque exemplaribus, quæ inter Alexandrinum antiquissimum, Deut. X. 22.: S. Hieronymus tamen, Quæst. in Gen., in Deuteronomio *septuaginta* tantum legit, ut habet etiamnum exemplar Romanum. *Septuaginta quinque* præterea legitur in Act. Apost. VII. 14. Variæ ex hac discrepantia ortæ sunt interpretum sententiæ. cui vero potissimum calculo fides adhibenda mihi videatur, fusius alibi persequar.

11 *ad millia virorum sexcenta pervenerat*) Plerique editi *pervenerant*. nos Giselinum, qui summa diligentia principem editionem sibi exprimendam sumsit, nec non Galesinium, & Fabricium in Orthodox., sequimur: neque enim *numerus* nomen est collectivum, ut vocant, adeo ut cum plurali verbo construi possit.

11 *ab eo autem*, &c.) Vorstius monuit *autem* abundare, deficere vero nomen *tempore*. ego tamen lacunam ante hæc verba esse minime dubito, omissamque a librariis integram sententiam, qua significaretur tempus quo Hebræi in Ægypto morati sunt. erat enim omnino consentaneum, ut illud hoc loco notaret Severus. Fortasse autem illud *pervenerat*, quod supra habetur, post pauca verba repetitum, librariis, ut sæpius factum, errandi occasio fuit. Ad hunc itaque fere modum Severus scripserit: *cujus numerus .... ad millia virorum sexcenta pervenerat. Id factum post annos CCV. ab eo tempore quo Jacob in Ægyptum pervenerat: ab eo autem quo primum*, &c. Confer Severum supra cap. XXV.

13 *anno trigesimo & quadringentesimo*) Nemini scrupulum faciat, quod supra cap. V. spatium hoc quadringentis annis definierit, heic ad quadringentos & triginta extendat: uterque enim numerus, ut ibi notavimus, ex Scripturæ variis textibus desumitur. Ita autem post Augustinum, Quæst. XLVII. in Exod., ii textus conciliari solent, ut quadringenti triginta anni initium habeant ab eo tempore quo Abraham septuagintaquinque annos natus Chananæam primum est ingressus, quadringenti vero a nativitate Isaac, quæ post vigintiquinque annos contigit: nam quinque præterea annos qui supersunt, omissos de more Scripturarum volunt, quæ quod de summa perfectioris numeri paullulum excrescit aut infra est, computare negligunt. Alii annos CCCCXXX. incipiunt numerare a primo Abrahami exitu ex Ur Chaldæorum; quod anno ætatis suæ LXX. factum autumant, tum post quinquennalem in Charris habitationem Chananæam accessisse. ita a nativitate Isaac annos quadringentos computant. Nobis de tota hac quæstione alibi forte agendum erit ex instituto.

Digitized by Google

interdiu, noctu columna ignis præferebatur. Sed cum, ob interjectum
sinum rubri maris, præter terram Philistiim via duceret; ne postea
Hebræis eremum aspernantibus redeundi in Ægyptum continenti-
bus terris noto itinere facultas panderetur, nutu Dei aversi, in
5 rubrum mare illati sunt, castraque ibi cunctantes constituerunt. Quod
ubi regi nuntiatum est: Hebræum populum viæ errore in objectum
mare devenisse: nullum ei esse exitum obsistente elemento; furens
animi, quo angebatur tot hominum millia regno suo & potestati
decedere, exercitum propere educit. Jamque eminus arma signaque
10 & protentæ patentibus late campis acies visebantur, cum Hebræis
metu trepidis & cælum adspectantibus Moyses a Deo monitus per-
cussum virga mare discidit. ita populo, cedentibus in latera aquis,
velut in continenti iter pervium fuit. nec cunctatus rex Ægyptius
cedentes insequi, mare, qua patebat, ingressus, mox coeuntibus a-
15 quis cum omni exercitu deletus est. Tunc Moyses incolumitate suo- XVI.
rum, exitio hostium, virtuteque exsultans, canticum Domino ceci-
nit, idemque omnis turba virilis ac muliebris sexus fecit. Sed ingres-
sos eremum, cum jam per triduum iter agerent, aquæ penuria ur-
gebat, repertaque ob amaritudinem usui non erat. Ac tum primum
20 impotentis populi contumacia apparuit. jamque in Moysen fereba-
tur, cum edoctus a Deo lignum aquis intulit, cujus hæc vis fuit, ut
dulcem saporem fluentis redderet. Exin promotum agmen, apud E-
lim duodecim fontibus aquarum & septuaginta arboribus palmarum
reper-

1 *columna nubis interdiu, noctu columna ignis præferebatur)* Non duæ columnæ erant, sed una eademque, quæ interdiu nubila, noctu ignita videbatur: de quo in Observationibus.

2 *præter terram Philistiim)* Antea erat *Philistim*: nos *Philistiim* edidimus, tum quia ita passim effertur nomen illud etiam apud LXX. φυλιστιείμ; tum vero quia in antiquis MSS. & lapidibus uno I majoris formæ duplex signatur. Porro quam addit caussam, propter quam Deus noluerit per regionem Philistæorum redire Hebræos, alia est ab ea quæ Ex. XIII. 17. tum in Vulgata nostra, tum apud LXX. refertur: nempe ne terrore belli, quod ipsis a Philistæis fuisset illatum, in Ægyptum perterriti reverterentur.

7 *nullum ei esse exitum obsistente elemento)* Forte *nullumque ei e. e. obsistente aquæ elemento*: sed parcius conjecturis utendum. Liceat tamen monere paullo infra *quod angebatur*, non *quo*, scribendum fuisse, nisi religio esset quidquam, nisi per se manifestissimum, inconsultis MSS. mutare.

10 *protentæ)* Mendose in Lipsiensi *portentæ*, ceteris libris editis *protentæ* habentibus.

16 *virtuteque exsultans)* Placet Vorstio Sigonii conjectura, qui *Dei* supplet: *virtuteque Dei exs.* In Vaticano *virtute exultans* tantum habetur. alii pro *virtuteque* conjectarunt legendum *interituque*. Sed cum *virtus* apud hunc auctorem sæpius significet prodigium ac miraculum, ut & ipse Vorstius alicubi docet; non erat, puto, cur hoc loco quidquam suppleretur: nam *virtuteque* est pro *&* *miraculo*.

17 *Sed ingressos eremum)* Ita legendum monuit Sigonius, itaque in textum primus Vorstius recepit. Non muto factum: moneo tantum Vaticanum librum cum Giselino aliisque, qui legunt *ingressus*, convenire.

20 *impotentis populi)* MS. noster *impatientis populi*.

23 *septuaginta arboribus palmarum)* Giselinus, quem secuti Hornius & Vorstius, *arborum*, atque ita MS. Vaticanus; sed perperam: manifestum est enim legendum esse *arboribus*, ut habent ceteri impressi libri.

repertis consedit. Rursum populus famem conquerens, Moysen increpabat, Ægypti servitium cum saturitate ventris desiderans. tum grex coturnicum superne missus castra opplevit. Postero autem die animadvertunt qui extra castra processerant, parvis quibusdam siliquis oppletum solum; quarum species in modum coriandri seminis, 5 glaciali albitudine erat, ut crebro hibernis mensibus superductis pruinis tegi terram videmus. Tum per Moysen populus admonetur, Panem hunc eis munere missum Dei: unumquemque in id paratis vasculis tantum usurpare debere, quantum in diem unum pro numero singulis satis esset: sexto tamen die, quia sabbato colligi non liceret, duplum præsumerent. Verum populus, ut semper, parum dicto 10 audiens, more humani ingenii non refrenavit cupiditatem, ex reconditis in posterum quoque diem consulens. sed reposita fœtore diro in vermes effervescebant; cum die sexto in sabbatum reservata, integra permanerent. Hoc Hebræi per XL annos cibo sunt usi, cujus 15 sapor melli proximus, nomen Manna traditur. in testimonium autem divini muneris reservasse Moyses gomor plenum in vase aureo dicitur. Inde progressus populus, cum aquæ penuria tentaretur, ægre ab exitio ducis temperabat. tum Moyses mandante Domino, apud locum cui Oreb nomen est, virga petram percutiens, large aquæ copiam fecit. Sed ubi Raphidim perventum, Amalecitæ populum incursionibus vastabant. Moyses suis in prælium eductis, cum 20 Jesum bellantibus præfecisset, assumto Aaron & Ur spectator pugnæ futurus, simul precandi Dominum gratia, montem conscendit. sed cum dubio eventu acies concurrissent, Moysi precibus victor Je- 25 sus

XVII. (margin, at "gre ab exitio ducis")

4 *parvis quibusdam siliquis*) LXX. Exod. XVI. 14. λεπτὸν ὡσεὶ κόριον, λευκὸν ὡσεὶ πάγος: *minutum ut coriandrum, album ut glacies*. ibid. comm. 31. ἦν δὲ ὡς σπέρμα κορίου, λευκόν. Nullæ ibi siliquæ memorantur, nec coriandri semini propter albitudinem manna comparatur, sed glaciei.

6 *glaciali albitudine*) Ita MS. Antea erat *albedine*, quod verbum latinum non est, & sola Sulpicii nostri auctoritate perperam nitebatur.

9 *pro numero singulis*) Ignoro quid sibi velit illud *pro numero*, & omissum velim. Deerit tamen fortasse vox aliqua, puta *domesticorum* aut *familiæ*. Sane Exodi XVI. 16., quem locum hæc scribens præ oculis habuit Severus, habetur: *gomor per singula capita, juxta numerum animarum vestrarum*. ita Vulgata & LXX.

11 *parum dicto audiens*, &c.) Sic supra cap. VI. *Sed mulier parum dicto audiens, humano malo, quo*, &c. tum cap. XV. *His, more humani ingenii, consilium fuit*.

15 *cibo sunt usi*) Eleganter MS. omittit *sunt*.

17 *in vase aureo*) LXX. στάμνον χρυσοῦν habent, & ex iis præter Severum etiam Augustinus. In hebræo & Vulgata non significatur cujus materiæ fuerit vas illud: aureum tamen fuisse dicitur & in epistola ad Hebræos, IX. 4. *Gomor* autem mensura fuit tres chœnicas Atticas continens.

18 *cum aquæ penuria tentaretur*) Forte *teneretur*, aut quid simile.

20 *apud locum cui Oreb nomen est*) Ita LXX. ἐπὶ τῆς πέτρας ἐν Χωρήβ. & in hebræo על הצור בחרב: *supra petram quæ est in Choreb*. at Vulgata *juxta petram Oreb*. Plane superfluum fuerit monere *Choreb*, non *Oreb*, scripsisse Severum juxta LXX.

21 *Amalecitæ*) Non *Amalechitæ*, ut habent libri omnes. LXX., juxta hebræum עמלך, Ἀμαλήκ. ita & Vulgata *Amalec*.

23 *Aaron & Ur*) Giselinus & Fabricius *Aaron & ut spectator*. male: scripserit tamen Severus *Aaron & Or*, juxta LXX. Ὤρ.

fus hostes in noctem cæcidit. Per idem tempus Jothor Moysi socer cum filia Sepphora (quæ Moysi nupta, proficiscente in Ægyptum viro domi resederat) liberisque ejus, cognitis rebus quæ per Moysen gerebantur, ad eum venit. Hujus consilio Moyses ordi-
5 nes populi distribuit: tribunos centurionesque & decuriones præficiens, necessarium disciplinæ ritum posteris tradidit. Jothor in patriam regressus. Exin ad Sinam montem perventum. ibi Moyses a Domino monetur, populus ut sanctificaretur, auditurus Dei voces: idque solicite curatum. Sed ubi Deus monti institit, validis tubarum
10 clangoribus aer quatiebatur, crassæque nubes crebris cum fulminibus advolvebantur. sed Moyses & Aaron in montis cacumine Dominum propter, populus circa ima montis constitit. Ita lex lata multiplex & copiosa Dei verbis, & sæpe repetita: cujus si quis erit

1 *Per idem tempus*) Observarunt sacri interpretes ad Exodi cap. XVIII. factum hoc extra historiæ seriem collocatum: volunt autem venisse Jethro ad Moysen sub finem primi anni ab egressu ex Ægypto, cum Dei tabernaculum jam esset erectum, & hebraicæ reipublicæ leges promulgatæ. Eorum argumenta videsis apud P. Calmetum in Commentario laudati capitis.

3 *Jothor Moysi socer*) Ita MS. ubique, juxta LXX. ut supra notavimus.

3 *domi resederat*) Drusius: *Immo domum remissa fuit ex itinere. notum hoc ex historia, quam si diligentius & cum majori cura legisset Sulpicius, hæc & alia quædam paullo aliter scripsisset.* At illud non videtur Severus ignorare potuisse, cum hoc eodem in loco, scilicet Exodi XVIII. 2., haud obscure significetur, & supra, Exod. IV., aperrius declaratum fuerit. Verum ita scripserit brevitatis gratia, ut quod accidit Moysi in diversorio, silentio omnino obvolveret. Res sane ita mihi videtur accidisse. cum Sepphora una cum marito vix iter ingressa, in prima mansione filium circumcidisset, viro institutum iter prosequente, ibidem substitit, donec puer ex vulnere convalesceret, ac postea ad patrem se recepit. merito itaque Severus compendiose dicere potuit, eam domi resedisse. Joannes Clericus (utrum primus, an vero alii ante illum, ignoro) opinatus est, Moysen uxorem cum filiis ex Ægypto in domum paternam remisisse; quod minime probabile est. Placet autem commemorare lectionem quorumdam codicum τῶν O'. (quam Calmetus laudat) qui una cum textu Samaritano, Exodi IV. 26. *recessit ab ea*, ἀπ' αὐτῆς, legunt; quod de Moyse intelligi debet, & narrationem illam mirifice illustrat: secus perplexa admodum & obscura esset rei gestæ series, si, cum Sepphora iter cum Moyse suscepisse diceretur, nullibi memoraretur eam substitisse ac rediisse in patriam: neque alius commodior locus id commemorandi, aut opportunior occasio reditus suppetit. Congruit etiam ut ad abeuntem virum diceret, *Sponsus sanguinis tu mihi es*; admoneus, ne umquam sui oblivio eum caperet, quem quodam veluti fœdere, sanguine filii obsignato, sibi artius obstrinxisset in ipsa digressione.

9 *validis tubarum clangoribus*) Sic infra post promulgatum Decalogum *cum tubæ circumstreperent*: verum utrobique in sacro codice unius tubæ mentio est.

11 *Moyses & Aaron in montis cacumine*) Hoc historiæ sacræ minus consentaneum esse, notarunt alii: Moysen & Aaronem, cum lex traderetur, non longe a populo constitisse, adeo ut invicem se audirent clamantes: Moysen vero solum postea ascendisse in montis cacumen, ibique per dies quadraginta perstitisse. Vide Exodi XIX. 24. & XX. 19. & seqq. nec non XXIV. 15.18. adde Deut. cap. V.

13 *Dei verbis, & sæpe repetita*) Nimirum ab angelo qui Dei personam referebat. Vide Notas in cap. XIV. pag. 23. & S. Paullum ad Gal. III. 19. *legem ordinatam per angelos* scribentem: adde Act. VII. 38. & ad Heb. II. 2. Quod *sæpe repetita* additur, non intelligo: nisi forte bis in tabulis scriptam, aut a Mose, Deut. V., inculcatam significare voluit.

erit curiosior, fontem ipsum adeat: nos eam breviter perstringimus. Non erunt, inquit, tibi Dei alieni præter me: Non facies tibi idolum: Non sumes nomen Dei tui in vanum: Sabbato nullum opus facies: Honorifica patrem tuum & matrem tuam: Non occides: Non mœchaberis: Non furtum facies: Non falsum testimonium dices adversus proximum tuum: Non concupisces quicquam proximi tui. 5

XVIII. His a Deo dictis, cum tubæ circumstreperent, lampades inardescerent, montem fumus obtegeret, populus præ timore inhorruit, verba Dei non sustinens; poposcitque a Moyse, ut ipsi tantum loqueretur Dominus, atque ita audita ad populum referret. Edicta autem 10 Dei ad Moysen istiusmodi sunt: Hebræus puer pecunia emtus, sex annis serviet, post hæc liber erit: sponte autem permanenti in servitute, auris forabitur. Qui hominem occiderit, capite pœnas luet: qui imprudens, rite exsulerit. Qui patrem matremve pulsaverit, conviciumque eis dixerit, capitali supplicio afficitor. Si quis Hebræ- 15 um subreptum vendiderit, morti dabitur. Si quis servum proprium servamve percusserit, exque eo ictu obierit, reus judicio fiet. Si quis partum non deformatum mulieri excusserit, neci dabitur. Si quis servo

6 *Non concupisces quidquam*, &c.) Hæc sunt *decem verba*, seu δέκα λόγοι, ut Exodi XXXIV. & Deut. IV. & X. vocantur, unde *Decalogus* dictus. Non conveniunt autem scriptores antiqui, quomodo decem hæc præcepta distinguenda sint: nam plerique, quos sequitur Severus, quatuor Deum, sex proximum spectare crediderunt: alii post Augustinum tria priora ad Deum, septem alia ad proximum referunt. Calmetus scribens in cap. XX. Exodi, postquam has diversas inter se sententias retulit; concludit totam hanc distinguendorum præceptorum rationem ex arbitrio tantum pendere. Licebit itaque mihi in Observationibus meis quæstionem retractare, sententiamque de ea meam lectori erudito expendendam proponere.

11 *Hebræus puer*) *Puer*, idest servus, cujuscumque demum esset ætatis. LXX. Exodi XXI. 2. *ἐὰν κτήσῃ παῖδα ἑβραῖον*. Sequitur *sex annis serviet*. ita ibidem Scriptura. Interpretes tamen volunt sexennium illud computandum esse ab uno ad alterum annum sabbaticum, quodcumque tandem spatium sexennii superfit, dum quis servus emitur.

13 *qui hominem occiderit*) Videri possit deesse vocem *prudens*, seu *data opera*: nam sequitur *qui imprudens*. Sic Vulgata nostra, Exodi XXI. 12. *Qui occiderit hominem volens occidere, morte moriatur*. Sed illa verba *volens occidere* non agnoscit textus hebræus aut græcus τῶν O', licet ex sequentibus supplenda sit sententia.

15 *conviciumque eis dixerit*) Omnino legendum crediderim *conviciumve*.

17 *exque eo ictu obierit*) Forte *obierint*. MS. mox, *reus in judicio fiet*.

17 *Si quis partum non deformatum*) Jam pridem Latinus Latinius, Biblioth. Sacr. & Proph., & Joannes Drusius aliqua heic excidisse viderunt. Integra sententia apud LXX. Exodi XXI. 22. & 23. juxta antiquam versionem quam exhibet S. Augustinus, Quæst. LXX. in Exodi, hæc est: *Si autem litigabunt duo viri, & percusserint mulierem in utero habentem, & exierit infans ejus nondum formatus, detrimentum patietur, quantum indixerit vir mulieris, & dabit cum postulatione. Si autem formatum fuerit, dabit animam pro anima*. Scripserit itaque Severus ad hunc fere modum: *Si quis partum non deformatum mulieri excusserit, multam pendet; si deformatum, neci dabitur*. Partus *non deformatus* dicitur a Severo pro *nondum formatus*; apud LXX. μὴ ἐξεικονισμένον: & ita ea vox accipitur in Vulgata nostra, Num. XVII. 8. & Ep. II. ad Corinth. III. 7., nec desunt exempla in idoneis latinitatis scriptoribus: Cicero tamen aliique *deformatus* pro *deformi* usurparunt. Ne quis itaque cum Hornio

ſervo oculum aut dentem extorſerit, ſervus vindicta liberabitur. Taurus ſi hominem occiderit, lapidabitur : ſi dominus ſciens beſtiæ vitium, non conſuluerit, & ipſe lapidabitur: aut pretio ſe redimat, in quantum accuſator popoſcerit. Si ſervum taurus occiderit, in triginta didrachmis pecunia domino numerabitur. Si quis defoſſum lacum non cooperuerit, pecuſque in lacum ceciderit, pretium pecudis domino dabit. Si taurus alterius taurum occiderit, pecus venumdabitur, pretiumque domini partientur: peremtum etiam divident . quod ſi dominus vitium tauri ſciens, non conſuluerit; taurum

nio putet, *deformatum partum eſſe qui nondum formam aut effigiem hominis accepit*; placet Gennadii locum producere ex libro De Vir. Illuſtr. cap. XVIII. quod eſt de Tichonio, eumque ad antiquiſſimum codicem Capitularem exactum, cui fere conſonat antiqua Parmenſis editio Opp. S. Hieron. *Neque duas in carne reſurrectiones futuras, unam juſtorum, aliam injuſtorum; ſed unam, & tunc ſemel omnium; in qua reſurgent etiam abortivi deformati, ne quid humani generis deformatum & animatum in ſubſtantia intereat. Oſtendit diſtinctionem ſane duarum reſurrectionum ita fieri, ut prima, quam juſtorum Apocalypſis dicit, credamus modo in iſto ſæculo, ubi juſtificati*, &c. Conſerat hæc qui volet cum vulgatis; non enim id nos agimus modo: quod propoſitum habemus, hoc eſt, hinc apparere *abortivos deformatos* eſſe qui jam animati & humana forma prædici ſunt: contra *non deformatos* eſſe intelligendos illos qui nondum ad eum ſtatum pervenerunt. Non prætereundum poſtremo diſtinctionem hanc fetus animati a non animato in hodierno hebræo textu non haberi: proinde paſſim interpretes eam inductam autumant a Septuaginta viris ſecutis leges quæ tum in Ægypto obtinebant. Grotius tamen putavit LXX. pro אסון quod *mors* ſeu *exitium* ſonat, legiſſe אסונן (quod eſſe poſſit ab סון) ac proinde jure vertiſſe ἐξεικονισμένον : quod mihi quoque fit perquam veriſimile.

1 *Servus vindicta liberabitur*) Alludit heic Severus, ut Vorſtio notatum fuit, ad leges Romanas, juxta quas cum tres eſſent modi manumittendi ſervos; cenſu ſcilicet, cum quis ſervus conſentiente domino nomen referret in cenſum; vindicta, cum prætoris juſſu lictor manumittendi ſervi capiti virgam imponens, ſolemnibus quibuſdam verbis eum in libertatem vindicaret; teſtamento, cum quis in ultimis tabulis ſervum liberum ſcriberet: Severus illum uſurpavit, qui maxime propoſitæ rei conveniret: neque enim eſt dubitandum, quin hæ manumiſſiones coram judice fierent.

4 *in triginta didrachmis*) Heb. textus & Vulgata *triginta ſiclos*: LXX. vero, ut ſæpe, pro voce *ſiclus* δίδραχμα, vel δίδραγμα poſuerunt. itaque legendum hoc loco *in triginta didrachmis*, non *drachmis*, ut mendoſe Vulgati libri cum MS. præferunt.

5 *Si quis defoſſum lacum*) LXX. ἐὰν δέ τις ἀνοίξῃ λάκκον. Vide quæ de hac voce notavimus ſupra ad cap. X. Vulgata noſtra heic habet *ciſternam*.

9 *non conſuluerit*) Vix dubito quin Severus ſcripſerit *non concluſerit*, tum hoc loco, tum paullo ſupra, ubi iterum illud verbum *conſuluerit* occurrit; quod ſane propoſitæ materiæ non bene convenit. præterea Exodi loca, cap. XXI. 29. & 36, quorum ſententiam hic expreſſam paucis voluit, in græco textu ita habent: καὶ μὴ ἀφανίσῃ αὐτόν, quæ in antiquiſſima verſione latina, quam Severus eſt ſequutus, ad hunc fere modum fuerint verſa: *& non eum concluſerit*, ſeu *abſconderit*, aut quid ſimile: has enim græcum verbum ſignificationes commode recipit, neque alia ſane hiſce locis convenit. Favet Vulgata, quæ ſequuta fortaſſe veſtigia priſcæ illius interpretationis, quæ ante Hieronymum in Occidente fuit in uſu, legit priori loco, ſeu v. 29. *nec recluſerit eum*. hebræus autem textus utrobique habet ולא ישמרנו, *& non cuſtodierit eum*. Porro conjecturam hanc, quam maxime probabilem facit etiam vocum *conſuluerit* & *concluſerit* affinitas & ſoni congruentia, jam pridem Latinus Latinius in margine libri ſui notaverat, unde in ejuſdem Bibliothecam fuit poſtea tranſcripta & inſerta.

rum dabit . Si quis vitulum ſubripuerit , quinque reſtituet ; ſi ovem ſubripuerit , quadrupli pœna erit : ſi viva penes abactorem pecora reperientur, dupla reſtituet. Nocturnum furem occidi licet, diurnum non licet . Si cujus pecora alterius ſata depaverint, dominus pecoris everſa reſtituet. Si depoſitum perierit, is penes quem 5 depoſitum fuit, jurabit nihil ſe dolo egiſſe: fur inventus duplum dabit. Commendatum pecus a beſtia interceptum, non reſtituetur. Si quis virginem nondum deſponſatam corruperit, dotabit puellam, & ita eam uxorem accipiet . ſi pater puellæ nuptias recuſaverit, dotem raptor dabit . Si quis ſe pecudi miſcuerit, morti dabitur. 10 Sacrificans idolis , pereat . Viduam & orphanum non premendos: Pauperem debitorem non perurgendum ; nec uſuram poſcendam : Veſtimentum pauperis pro pignore non accipiendum : Principem populi non increpandum : Primogenita omnia Domino offerenda: Carnem a fera captam non edendam: Coitiones in teſtimonium 15 falſum , aut in quacumque malitia , non eſſe faciendas . Inimici pecus errans non præteribis , ſed reduces. Si animal inimici ſuccubuiſſe oneri inveneris , erigere debebis. Innocentem & juſtum non occides. Non juſtificabis impium pro muneribus. Munera non accipienda: Advenam benigne habendum: Sex diebus opus facien- 20 dum , ſabbato requieſcendum: Fructus ſeptimi anni non metendos,

XIX. ſed pauperibus & egenis reliquendos. Hæc fere Moyſes ad populum verba Dei retulit , altariumque ex duodecim lapidibus ſub monte conſtituit . Ac rurſum montem , in quo Dominus conſiſtebat , conſcendit , adhibito ſecum Aaron , Nadab & Abiud , majoribusque 25 na-

1 *ſi quis vitulum*) In hebræo שור, *bovem* aut *taurum*, non עגל, quæ vox proprie vitulum deſignat . LXX. tamen μόσχον ſæpius hebræam vocem reddiderunt .

1 *ſi ovem ſubripuerit*) Manifeſtum eſt τὸ *ſubripuerit* heic redundare , cum paullo ante præcedat , & eadem continuetur ſeutentia .

6 *jurabit*) Exodi XXII. 8. juramenti mentio eſt in græco & in Vulgata: in hebræo habetur tantum, *applicabitur dominus domus* אל האלהים *ad judices*, ut plerique interpretantur: LXX ἐνώπιον τοῦ θεοῦ, Vulgata *ad Deos* .

6 *fur inventus duplum dabit*) Sententia obſcura fiet perſpicua , ſi cum fontibus conferatur: Uter deprehenſus fuerit dolo malo egiſſe , ſive depoſitarius, ſive depoſitor; is duplum dabit.

7 *a beſtia interceptum*) Sigonius legendum putavit *ab hoſte interceptum* juxta ea quæ habentur Exodi XXII. v. 10 ſed Severus ad v. 13. ejusdem capitis reſpexit, ubi de pecore θηριάλωτον.

8 *dotabit puellam*) Scilicet , *pretium pudicitiæ non negabit*, ut alibi Vulgata habet, Exodi XXI. 10. Hæc nimirum eſt dos, quam raptor virgini tenetur perſolvere; ſicut ſponſus ſponſæ dotem olim dabat , ſeu munera , græce ἕδνα. Didymus: ἕδνα δὲ κυρίως τὰ τοῦ ἀνδρὸς διδόμενα τῇ γυναικὶ . LXX. tamen heic habent φερνήν.

13 *non accipiendum*) Seu potius ante ſolis occaſum reſtituendum : Exodi XXII. 26. Interpretari autem ſolent de veſtimento nocturno , ſeu veſte ſtragula in qua cubare ſolebant . vide ibidem v. 27.

16 *aut in quacumque malitia*) Conſentaneum eſſet legere *in quamcumque malitiam*.

23 *altarium*) Uſus hac voce Severus Dial. II . cap. II. & Hieron. epiſt. XIV. quæ eſt ad Heliodorum, & B. Pacianus in Parænet. *Altar* etiam a Prudentio dictum non ſemel, & a Beda in Vita Cutberti cap. 31. & 36.

natu septuaginta. Sed hi non valentes Dominum intueri, locum tamen in quo Dominus stabat, viderunt: cujus mirabilis forma & claritudo eximia refertur. Moyses autem accersitus a Domino, interiorem nubem quæ circum Dominum steterat, ingressus, qua-
5 draginta diebus totidemque noctibus ibi fuisse traditur. Quo tempore super ædificando tabernaculo atque arca, rituque sacrificandi edoctus verbis Dei est: quæ ego, quia prolixa admodum videbantur, inferenda huic tam præciso operi non putavi. Sed immorante diutius Moyse, quippe qui XL dies apud Dominum duceret, populus de-
10 sperato ejus reditu Aaron compulit simulacra facere. Tunc ex metallis conflatis vituli caput exstitit. cui cum populus Domini immemor hostias obtulisset, vinoque se & ventri dedisset, despectans hæc justo dolore Deus improbum populum, nisi a Moyse fuisset exoratus, delesset. Sed regressus Moyses, cum duas ex lapide
15 tabulas manu Domini scriptas detulisset, populumque luxui & sacrilegio deditum deprehendisset, tabulas confregit; indignam esse gentem existimans, cui lex Domini traderetur. Multis tamen increpitis, Levitas ad se aggregavit, eisdemque præcepit, ut districtis gladiis populum cæderent. quo impetu XX tria millia virorum per-

1 *Sed hi non valentes Dominum intueri, locum tamen*) Quod ex Sigonii conjectura *valentes* posuerant aliqui pro ante vulgato *volentes*, id nos libentius facimus favente Vaticano MS. sic infra hoc eodem capite, *ut intueri eum populus non valeret*. Quod autem Severus heic tradit, ex græca versione confirmatur: nam quo loco Vulgata juxta hebræum textum, Exodi XXIV. 10., habet: *& viderunt Deum Israel*; Septuaginta legunt, καὶ εἶδον τὸν τόπον οὗ εἱστήκει ὁ Θεὸς τοῦ Ἰσραήλ, *& viderunt locum ubi stetit Deus Israel*. Quæ in sacro textu sequuntur, illustrant illud quod Severus addit, *cujus mirabilis forma & claritudo eximia refertur*.

10 *Aaron compulit*) Ita S. Ambrosius epist. LXVI. quæ est ad Romulum, numer. 2. *coactum Aaron* scribit: ita alii quoque ex Patribus. & sane violentiam quodammodo ipsi a populo factam indicant illa ex versu 1. cap. XXXII. Exodi, *coagregatus adversus Aaron*; quo loco Exodi juxta antiquissimam versionem a S. Augustino, in libro De locutionibus de Exodo, laudatam legebatur, *consurrexit populus in Aaron*, quod est ex græco ἐπανέστη, quæ lectio in Hexaplis habetur. ipse quoque Aaron versu 22. ejusdem capitis ita se excusat apud Moysen, juxta LXX., σὺ γὰρ οἶδας τὸ ὅρμημα τοῦ λαοῦ τούτου: *tu enim nosti populi hujus impetum* & quasi furentem ardorem animi, cui scilicet ego solus non potui resistere.

11 *vituli caput exstitit*) Exodi XXXII., etiam apud LXX., atque alibi in sacris litteris, non solius capitis, sed integri vituli ab Aarone conflati mentio est. Severo nihilominus consentiunt plurimi ex Patribus. vide Observationes nostras.

15 *manu Domini scriptas*) Ita Exodi XXXII. 16. Figuratam tamen locutionem hanc esse quisque per se videt, qua nihil aliud significatur quam eas tabulas nullius artificis manu insculptas, seu οὐ χειροποιήτους.

17 *Multis tamen increpitis*) Non improbanda esset Drusii conjectura legentis *increpitos*, Levitas scilicet, si ex sacris litteris id constaret. Historiæ veritas suaderet legendum, *Multis tamen Aarone increpito*. Rem dubiam in medio relinquimus.

19 XX *tria millia virorum peremta*) Cum hebræus textus & Septuaginta tria tantum millia virorum occisa hac occasione memorent, Vorstius contendit non secus scripsisse Severum. *Ego non dubito* (inquit) *nostram scripsisse* tria millia: *cumque versionis latinæ, quam Vulgatam vocant, codices nonnulli perperam haberent* viginti tria, *eamdem numerum ad marginem primum nostri Auctoris notatum fuisse, deinde vero in ipsum textum irrepsisse*. Probabilis in speciem sen-

peremta traduntur. Tum Moyses tabernaculum extra castra constituit: quod quoties fuisset ingressus, columna nubis adstare pro foribus visebatur, coramque ad Moysen Dominus loquebatur. poscente autem Moyse, ut Dominum in majestate propria videret, responsum, Formam Dei mortalibus oculis perspici non posse; posteriora tamen ejus videre concessum. tabulæque quas Moyses prius confregerat, refectæ. sed in hoc colloquio Dei XL diebus diversatus apud Dominum Moyses traditur. Cumque de monte descenderet tabulas præferens, tanta claritudine facies ejus renidebat, ut intueri eum populus non valeret. sed cum mandata Dei relaturus esset, vultum velamento obtexit, atque ita ad populum verbis Domini locutus est. Hoc in loco tabernaculi interiorumque ejus ædificatio refertur. quo consummato, nubes superne decidit, atque ita tabernaculum obumbravit, ut ipsum Moysen aditu excluderet. Hæc fere duobus libris, Genesi atque Exodo, continentur. exin Leviticus liber sequitur, in quo litandi præcepta traduntur; mandata etiam latæ superius legi adduntur, plena omnia sacerdotalibus institutis. quæ si quis cognoscere volet, perfectius inde capiet: nos enim suscepti operis modum custodientes, solam historiam persequimur. Igitur Levi tribu in sacerdotium segregata, reliquæ tribus dinumeratæ, repertaque hominum DC & III CIↃ. Cum ergo populus mannæ cibo, ut supra retulimus, uteretur, tot tantisque beneficiis Dei, ut semper, ingratus, viles quibus in Ægypto assueverat, dapes

sententia, sed cui multa opponi possint: quod in Observationibus præstabimus fusiori calamo. Illud unum in præsentiarum notabimus, præter duas allatas lectionis discrepantias tertiam aliam in plerisque Vulgatæ sæculi XVI. editionibus haberi, quæ ad XXXIII. millia numerum occisorum hac occasione protendit.

1 *tabernaculum*) Alii tabernaculum intelligunt, sub quo ipse Moses degeret, observantque in hebræo *sibi* addi; alii de publico aliquo & forensi tabernaculo id dictum volunt: favetque huic sententiæ, quod *tabernaculum fœderis* dicatur a Mose, Exodi XXXIII. 7. Illud certum est nondum erectum tum fuisse sacrum illud Tabernaculum, quod templi vicem gereret.

7 *sed in hoc colloquio*) Non parva hic occurrit obscuritas: nam colloquium Mosis cum Deo, de quo hic, non in tabernaculo, sed in monte est habitum, ubi iterum diebus quadraginta Moses perstitit jejunus.

12 *Hoc in loco*) Scilicet ab Exodi XXXV. capite ad usque libri finem.

16 *litandi præcepta*) Haud raro apud ecclesiasticos scriptores *litare* pro *sacrificare* sumitur, cum ejus propria significatio sit, *facto sacrificio numen placare*, ut ait Macrobius lib. III. Saturn. cap. V. In hac significatione usurpatur a Lactantio, De mortibus Persec. cap. X. *&* *quasi non litassent*, *sæpius immolabant*; nec non lib. IV. Institut. ubi de eadem re agit: *Nam cum Diis suis immolant*, *si assistat aliquis signatam* (Cruce) *frontem gerens*, *sacra nullo modo litant*. Noster autem in generali significatione, ut diximus, hoc verbum usurpat tum hoc, tum aliis in locis, quæ infra occurrent.

17 *latæ superius legi*) Antea erat *legis*, quod mutare necessarium duximus.

19 *solam historiam persequimur*) MS. *prosequimur*.

21 *repertaque hominum* DC *&* III CIↃ.) Mancum hunc locum esse suadet sacer textus, qui tum in hebræo tum in græco addit alios quingentos & quinquaginta viros; nec non MS. Vaticanus, qui mendose scriptum exhibet, *repertaque hominum* DC *&* MD. Observo etiam Giselinum ita expressisse hos numeros, ut scripturæ MS. propius accedat, scilicet DC. *&* III. M.

dapes desiderabat. Tum Dominus immensam copiam coturnicum castris intulit; quas cum avide diriperent, primoribus labiis admotis carnibus interibant: magnaque eo die clades in castris fuit, adeo ut xx & III virorum millia periisse tradantur. ita populus eo
5 quem desiderabat cibo punitus est. Inde promotum agmen, & in Faran ventum est. edoctusque a Domino Moyses vicinam esse terram, cujus possessionem eis promiserat Dominus; exploratoribus in eam missis renuntiatur, felicem omni copia esse regionem, sed gentes validas, & munita ingentibus muris oppida. Quod ubi populo com-
10 pertum, magna mentes omnium formido incesserat, eoque mali ventum, ut spreto Moysi imperio ducem sibi constituere pararent, cujus ductu in Ægyptum reverterentur. Tunc Jesus & Chaleb, qui inter exploratores terræ fuerant, conscissis vestibus flentes populum obtestantur, ne exploratoribus credant formidolosa referentibus: se
15 quoque una cum his fuisse, nihil metuendum in solo illo reperisse: promissis illos Dei confidere oportere: hostes prædæ potius quam exitio fore. Sed gens indomita, sanis consiliis male renitens, in perniciem eorum ferebatur. queis rebus commotus Dominus. partem populi hostibus cædendam objecit, exploratoribus interfectis ad vul- XXI.
20 gi formidinem. Secuta est eorum contumacia, qui se Dathan & Abiron ducibus adversum Moysen & Aaron erigere conati sunt. sed eos vivos hiatu suo terra absorbuit. Nec multo post totius populi in

2 *primoribus labiis admotis carnibus*) Expressit phrasin Scripturarum, Num. cap. XI. 33. & Psal. LXXVII. 30., neque tamen ejus vim intellexit. Non enim significatum est, eodem quo primum carnes coturnicum dentibus mandebant momento temporis eos periisse, sed cum adhuc iisdem vesci per plures dies pergerent. *Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat hujuscemodi cibus.* LXX. πρὶν ἐκλιπεῖν, *antequam deficeret*. Vide & notam sequentem.

3 *adeo ut XX & III virorum millia periisse tradantur*) Requires, unde hunc numerum hauserit noster. nam Num. XI. & Psal. LXXVII. ubi hæc referuntur, magna quidem fuisse clades illa dicitur, nullus tamen certus numerus occisorum definitur. Ut quod sentio dicam, tota hæc pericope ab iis verbis, *Magnaque eo die clades*, hinc penitus eliminanda foret, utpote aliunde huc forte translata, atque, huic loco prorsus absona. Confer Numerorum totum caput XI., præcipue vero versus 19. & 20. & 33., & videbis hæc non uno die accidisse, sed mensis fere spatio. Dubitare tamen aliquanto de Severi mente faciunt quæ superiori nota observavimus. Sequitur *desiderabat*, sed legendum puto *desideraverat*.

7 *cujus possessionem eis promiserat Dominus*) Forte *ei*, idque pro *sibi*, ut alibi *sibi* pro *ei*. sic infra sequenti capite de eodem Mose habetur, *promissam sibi terram non ingressus est*. Cur *eis* minus placeat, facile quisque videt.

12 *Tunc Jesus*) MS. *Tum Jesus*. quod etiam ideo libentius noto, ut nemini cum Galesinio *Josue* substituere in mentem veniat: constanter enim LXX. & eos secuti Patres ita scripserunt, ut notum est. Infra *in perniciem eorum*: leg. *suam*.

19 *exploratoribus interfectis ad vulgi formidinem*) Ab his verbis non modo nova periodus, sed & novum caput antea incipiebat, quæ tamen superioribus jungenda erant: nihil enim cum sequentibus cohærent, quin immo, si Num. caput XIV. legas, videbis primum exploratores interfectos dici, scilicet versu 36. & seq., deinde cæsum populum ab Amalecitis & Chananæis, versu 45. & seq.

20 *Dathan & Abiron ducibus*) Deest *Core*, qui quidem primus hujus seditionis incentor & dux fuit, primoque, ut in Scriptura, loco nominandus.

22 *Nec multo post*) *Sequenti die*, ut habetur Num. XVI. 41. LXX. τῇ ἐπαύριον.

in Moysen & Aaron orta seditio est, adeo ut tabernaculum (quod erat nefas nisi sacerdotibus introire) irrumperent. tum vero catervatim in eos grassata mors est: momentoque omnes interissent, nisi Moysi precibus placatus Dominus cladem avertisset. numerus tamen peremtorum septingenti & XIV millia fuit. Nec multo post ob aquæ penuriam, ut jam sæpius, populi exorta seditio 5
est. Tunc Moyses a Domino monitus ut petram virga feriret (familiari sibi experimento, siquidem id jam ante fecisset) semel atque iterum petram percussit, atque ita aqua effluxit. In quo quidem notatus a Domino Moyses refertur, quod per diffidentiam non nisi 10
iterato ictu aquam eduxerit. denique ob hoc peccatum promissam sibi terram non ingressus est, sicut inferius ostendam. Igitur Moyses ex eo loco promovens, cum præter Edom agmen educere pararet, missis ad regem legatis transeundi copiam poposcit, ob jus sanguinis bello abstinendum ratus: etenim gens illa Esau proge- 15
nies erat. sed rex supplices aspernatus, transitum negavit, paratus armis contendere. Tum Moyses in Or montem iter convertit, vetita via abstinens, ne quam inter consanguineos caussam belli præberet. in eo quoque cursu regem gentis Chananæorum delevit, Seon quoque regem Amorrhæorum perculit, omniumque eorum oppidis 20
potitus est. Basan etiam & Balac reges devicit, & castra super Jordanem haud longe ab Hiericho molitus est. Tunc adversus Madia-

1 *adeo ut tabernaculum .... irrumperent*) Vulgata nostra aliter habet Num. XVI. 42. & seq. At Septuaginta Severi sententiam exhibent his verbis: καὶ ἐγένετο ἐν τῷ ἐπισυστρέφεσθαι τὴν συναγωγὴν ἐπὶ Μωυσῆν καὶ Ἀαρὼν, καὶ ὥρμησαν ἐπὶ τὴν σκηνὴν τοῦ μαρτυρίου. *& factum est dum Synagoga contra Moysen & Aaron tumultuaretur, irruerunt in tabernaculum.* Hebræus textus nec cum Vulgata, nec cum LXX. plane convenit.

5 *septingenti & XIV millia fuit*) Addit Scriptura, Num. XVI., *absque his qui perierant in seditione Core*, quæ pridie acciderat.

5 *Nec multo post*) Melius dixisset *multo post*: nam hæc mense primo anni quadragesimi post exitum ex Ægypto, superiora ante septem & triginta annos contigerant, de quibus nihil a Moyse proditum est memoriæ, fortasse quod nihil memorabile toto eo spatio contigerit. Vide interpretes in caput XX. Numer.

13 *cum præter Edom agmen educere p.*) Lege *ducere*, scilicet per mediam regionem Idumæorum, ut supra pag. 16. declaravimus. quod confirmatur & ex Scriptura, Num. XX. 17., & ex iis quæ heic sequuntur: *transeundi copiam poposcit*. Male itaque a Drusio aptantur huic Severi loco illa T. Livii, *præter Caralitem amnem agmen ductum*, & *præter mœnia ipsa fluere*. nam alia significatione *præter* heic usurpatum.

10 *in eo quoque cursu*) Legendum omnino est *in eoque c. Cursum* pro profectione maritima & noster in Dialogis non semel, & alii etiam ex melioribus; de itinere vero terrestri heic positum singulare omnino videri possit. Quod *regem gentis Chananæorum* dicit, intellige regem, qui non toti populo Chananæorum, sed peculiari cuidam ipsorum genti præesset.

21 *Basan etiam*) *Etiam* legit MS. & Giselinus aliique: pro quo in posterioribus excusis libris legitur *quoque*. Notat autem Vorstius hoc loco μνημονευτικὸν ἁμάρτημα Severi, qui *Basan* nomen regionis, cujus rex Og fuit, pro nomine ipsius regis posuerit. Sed nec Balac victum Scriptura alicubi dicit; immo cum eo nec pugnatum fuit. Deut. II. & Jud. XI. 25.

22 *Tunc adversus Madianitas certatum*) Multa hoc loco omittit, ut alibi, Severus, de Balaam propheta, de fornicatione Hebræorum cum feminis Moabiticis, deque strage XXIV. millium impudicorum, &c.

dianitas certatum, victique & subacti sunt. Moyses mortuus est, cum XL in deserto annos populo præfuisset. Ceterum Hebræi ob hanc causam tanto tempore in eremo fuisse traduntur, donec omnes qui verbis Dei non crediderant, interirent: excepto enim Jesu & Chaleb, nemo ultra XX annos natus Ægypto profectus, Jordanem transiit. ipse Moyses ut terram promissam videret tantum, nec contingeret, peccato ejus adscribitur: quod eo tempore quo saxum ferire & aquam producere præceptus est, post tot virtutum suarum experimenta dubitaverit. decessit autem anno ætatis vigesimo & centesimo. de sepulcri loco parum compertum.

XXII.

Moyse mortuo summa rerum penes Jesum Naue filium erat: etenim illum sibi Moyses successorem constituerat, virum virtutibus suis simillimum. Principio autem suscepti imperii, dimissis per castra nuntiis populum certiorem facit, frumentum uti pararent, triduoque proximo iter pronuntiat. Sed Jordanis flumen validissimum transitum prohibebat: quia neque navium copia pro tempore erat, neque vadari fluvius poterat, qui tum pleno alveo ferebatur. Igitur arcam præferri a sacerdotibus, eosdemque adverso flumine consistere jubet. quo facto incisus Jordanis traditur. ita per siccum copiæ traductæ. Erat in his locis oppidum nomine Hiericho, muris validissimis munitum, neque expugnationi neque obsidioni facile. sed Jesus Domino fretus, non armis aut viribus, urbem aggressus ferri arcam Dei circa muros

3 *qui verbis Dei non crediderant*) Num. XIV. ea potissimum caussa tam diuturnæ in deserto peregrinationis assertur, quod, postquam reversi fuerant ex terra Chanaan exploratores, omnem populum timore tanto perculerint, ut in Ægyptum iter flectere seditione facta molitus sit.

10 *de sepulcri loco parum compertum*) Deuter. XXXIV. 6. *& non cognovit homo sepulcrum ejus usque in præsentem diem*. Sane *parum* hoc loco pro *nihil* aut *non* eleganter positum, ut & supra pag. 12. *sed mulier parum dicto audiens*.

12 *virum virtutibus suis simillimum*) Persuasum habeo cum Sigonio *sui* legendum, non *suis*, quod a librariis inductum repetita prima sequentis verbi littera. Quod autem virtutibus simillimum Moysi Jesum filium Naue (sic LXX. ναυὴ, qui in Vulgata dicitur *Nun*) dicit, intelligo de potentia & facultate divinitus utrique concessa mira ac portentosa patrandi miracula: ita enim apud scriptorem hunc perpetuo ea vox accipitur, ut vel in superioris capitis fine, *post tot virtutum suarum experimenta*, & alibi sæpius: respondetque græco verbo δύναμις. Contra Vorstius hoc uno in loco a recepto ac sibi familiari usu recessisse Severum vult, ac in usitata nobis significatione locutum.

15 *flumen validissimum*) Legerim *vadosissimum*, non *validissimum*: quis enim flumen validissimum umquam dixit? præcipue de Jordane, qui contra vadosissimus (quod verbum de Gange usurpapavit Solinus) merito dicitur, quod exili plerumque amne fluat (vide Joannis III. 23.) ut facile multis locis vadari possit. sic Jacob, Gen. XXXII. 10., testatur, se ope solius baculi illum transisse. Vada præterea Jordanis memorantur Josue II. 7. & Jud. III. 28. & XII. 5. & II. Reg. XIX. 18. Denique Severus suimet interpres est, cum addit, Jordanem *tum vadari non potuisse*, *quia* (ita enim forte legendum, non *qui*) *pleno alveo ferebatur*. innuit itaque alias vadari solitum, quod nimirum paullo ante dixerat. Confer hunc Severi locum cum Josephi Ant. lib. V. cap. I.

21 *obsidioni facile*) Antiquissima editio, quam posteriores aliquæ secutæ sunt, scilicet Fabricii & Hornii, *facilis* mendose præferebat.

muros jubet, ſacerdoteſque præire arcam, & tuba canere. ſed cum arca ſepties circumlata eſſet, muri ac turres conciderunt. direptum oppidum atque incenſum. Tum Jeſus Dominum traditur **. Inde adverſus Gai ductus exercitus: locatiſque a tergo urbis inſidiis, Jeſus metum ſimulans terga hoſti dedit. quo viſo, qui in oppido erant 5 patentibus portis cedentibus inſtare. ita hi qui in inſidiis fuerant, vacuam urbem cepere: cæſique omnes abſque ullius effugio. rex

XXIII. captus ſummoque ſupplicio affectus. Quod ubi vicinarum gentium regibus compertum eſt, in bellum conſpirant Hebræos armis depellere. verum Gabaonitæ, gens valida ex urbe opulenta, ul- 10 tro ſe Hebræis dederunt, juſſa facturos pollicentes: receptique in fidem; ut ligna & aquam conveherent imperatum. Sed regibus proximarum urbium deditio eorum iras conciverat. itaque admotis copiis, oppidum eorum Gabaon nomine, obſidione circumſiſtunt. Igitur oppidani, artis rebus ſuis, nuntios ad Jeſum mit- 15 tunt, obſeſſis uti ſuccurreret. ita ille maturato itinere inopinantibus ſupervenit, cæſaque ad internecionem multa hoſtium millia.

Cum

a *arca ſepties circumlata*) MS. *a. ſ. circumacta*.

2 *muri ac turres*) Poſteriores libri impreſſi, Vorſtii & aliorum, *turris*: meodoſe. *turres* MS.

3 *Tum Jeſus Dominum traditur*) Habetur heic lacuna manifeſta, cui tamen ſupplendæ (quod maxime dolemus) nihil prorſus contulit MS. noſter. Galeſinius ita ex ingenio eam ſupplere conatus eſt ſumto argumento ex cap. VI. 26. Joſue: *Tum Jeſur Dominum traditur allocutur, iis male precando qui Hierichon oppidum ope divina diſturbatum inſtaurare aggrederentur*. Nihil aliud ſane, quod ſuppleri commodius poſſit, occurrit. Sed excidit fortaſſe & ſacrilegium ſuppliciumque Achan, de quo Joſ. VII.

4 *Inde adverſus Gai*) Recentiores libri *Haï*; Galeſinius, Giſelinus, Fabricius, Druſius *Geth*, quibus ſuffragatur MS. Vaticanus. Sed neutrum ſincerum eſt: nam in græcis Biblis & apud Hieronymum De locis Palæſtinæ, Γαί, *Gai* ſcriptum diſerte eſt, quod in Vulgata eſt *Hai*, propter diverſam pronunciationem litteræ hebrææ ע. *Geth* autem lunge diverſa regione, ad mare mediterraneum fuit, juxta Gazam & Azotum, de quibus ſimul Joſue XI. 22.

8 *ſummoque ſupplicio affectus*) Vorſtius, *ideſt extremo, capitali*. At Clariſ. Joſeph Averanius in ſuis *De Paſſione Jeſu Chriſti* Diſſertationibus italice ſcriptis obſervat, pag. 224., *ſummum & ſupremum ſupplicium* dictam ab antiquis Juriſconſultis Crucem: reſpexit, puto, potiſſimum ad Paulli locum ex lib. V. Sententiarum tit. XXI. *Si ſervi de Domini ſalute conſuluerint* (puta mathematicos) *ſummo ſupplicio, ideſt cruce, afficientur*. Et ſane rex, de quo heic Severus, *ſuſpenſus in patibulo* dicitur Joſ. VIII. 29. At ſummum extremumque ſupplicium illud omne eſt quod mortem infert. Sane, exempli gratia, Cicero in I. Catilinaria a Vorſtio laudatus, aliud a cruce mortis genus intellexit, cum ſcripſit: *Non hunc* (Catilinam) *in vincula duci, non ad mortem rapi, non ſummo ſupplicio mactari imperabis?* aliud etiam, cum lib. III. de Nat. Deorum ait: *Summo cruciatu ſuppliciòque Q. Varius homo importuniſſimus periit*. Nec aliam ob cauſſam factum autumo, ut Paullus *ſummum ſupplicium* interpretatus ſit *crucem*, quam quod de ſervis ageret: nam ea fere pœna in ſervos mortis reos uſitata erat; quare & *ſervile ſupplicium* dicta Tacito.

9 *in bellum conſpirant Hebræos armis depellere*) Mallem ſcriptum tantummodo vel *in bellum conſpirant*, vel *conſpirant Hebræos armis depellere*. certe aliquod ſubeſſe videtur gloſſema.

10 *gens valida ex urbe opulenta*) Ita Joſue X. 2.

11 *ſe Hebræis dederunt*) Galeſinius heic ex ingenio *dediderunt*. Sic infra cap. XXXVII. *dedidiſſes* pro *dediſſes*; & alia hujuſmodi. Infra placeret *receptiſque*.

Cum dies cædentes deficeret, noxque victis futura præsidio videretur, merito fidei dux Hebræus noctem avertit: dies perseveravit. ita nullum hostibus effugium fuit. quinque reges capti, interfecti sunt. eodem impetu vicinæ quoque urbes imperio adjectæ, regesque earum peremti. Verum, quia omnia hæc in ordinem persequi non fuit consilium, dum brevitati studemus; id modo adnotandum curavimus, xx & novem regna imperio Hebræorum subjecta, quorum terra per undecim tribus viritim distributa est. Leuitis enim in sacerdotium assumtis nulla portio data, quo liberius servirent Deo. Equidem hoc exemplum non tacitus præterierim, legen-

7 *xx & novem regna*) Josue XII. 24. *εἰκοσιεννέα*, ubi tamen quidam græci codices, inter quos Alexandrinus, *τριάκοντα καὶ εἷς*, ut habet & Vulgata nostra juxta Hebræum, *omnes reges triginta unus*.

8 *per undecim tribus*) Notatum ab aliis fuit in hunc locum, non *undecim* sed *duodecim* scribendum fuisse Severo: nam tribus Joseph in duas divisa fuit, scilicet in tribum Manasse, & tribum Ephraim. vide Josue XIV. 4. & alibi.

8 *Leuitis enim in sacerdotium assumtis nulla portio data*, &c.) Eruditissimus æque ac piissimus Cardinalis Robertus Bellarminus in libro de Script. Eccl. agens de Sulpicio Severo, totum hunc locum hac censura castigat: *Dicit Sacerdotes qui habent possessiones, immemores esse præcepti dominici dati quondam Levitis. At Levitæ possessiones habebant, quin etiam oppida & suburbana eorum, Lev. 25., quare Hieremias ex genere sacerdotum agrum vendidisse legitur, Hier. 32. & Barnabas Levites agrum similiter quem possidebat, vendidit, Act. 4.* Si quid tamen pro Severo licet reponere, dicam, Primum, nihil de Leuitis hoc loco scribit, quod non sit omnino consentaneum sacræ Scripturæ verbis, tum Josue XIII. 33. quem potissimum locum præ oculis habuit, tum Deut. X. 9. & XVIII. 1. & alibi sæpius: quæ tamen loca sicut non evincunt nullas habuisse Leuitas possessiones, ita nec id Severus affirmat. Secundo, quod de Clericis sui temporis infra idem subdit, non eos in universum condemnat, quod *possessiones haberent*, sed quod plerique ex iis aviditate nimia pecuniæ prædiis ac opibus quibuscumque artibus sibimet comparandis operam darent: quæ sane non unius Severi querela fuit, sed & S. Hieronymi pluribus in locis, præcipue vero in epistola ad Nepotianum, quæ est II., toto num. 6. Hæc caussa etiam fuit Valentiniano Imperatori, ut lege ad Damasum Pontificem data caverit, ne hereditates & donationes viduarum & pupillorum percipere Clerici possent; de qua lege vide quæ idem Hieronymus supralaudato loco, necnon Ambrosius ab Annalium Ecclesiasticorum Parente relatus ad annum Christi CCCLXX. ubi fuse ea de re agitur a num. 103. ad 120. Animadvertere tamen oportet tum Severum tum Valentinianum de singulis Clericis loqui, non de Ecclesiis, quas aut hereditates capere, aut divitiis in necessarios usus expendendis affluere neuter ægre tulit: in quam sententiam præclare S. Hieronymus: *Sit heres, sed mater filiorum, idest gregis sui Ecclesia, quæ illos genuit, nutrivit & pavit. quid nos* (Clerici) *inserimus inter matrem & liberos?* Nemo itaque negaverit, justum esse ut ii qui altari deserviunt, ex altari vivant juxta Apostolum in epistola I. ad Corinth. IX. 13. quod ipse ibidem Leuitarum exemplo confirmat. Sane hi præter urbes plurimas & suburbana earum, tantos percipiebant ex sacro ministerio proventus, quantos, ut ab aliis subductis diligenter rationibus demonstratum fuit, numquam pro portione a clericis & episcopis Christianis ullo umquam tempore seu ex quotidianis piorum oblationibus, seu ex bonis Ecclesiæ percepti fuerunt: ideoque Leuitarum conditio, quemadmodum clericos monet, ut sæcularibus curis exsoluti & ab habendi cupiditate immunes Deo Deique rebus vacent; ita & laicos obstringit, ut honore prosequantur & suis opibus abunde alant illos qui divino cultui mancipati sunt, *maxime* eos *qui laborant in verbo & doctrina*. I. ad Timoth. V. 17.

gendumque ministris ecclesiarum libenter ingesserim. etenim præcepti hujus non solum immemores, sed etiam ignari mihi videntur: tanta hoc tempore animos eorum habendi cupido veluti tabes incessit. inhiant possessionibus, prædia excolunt, auro incubant, emunt venduntque, quæstui per omnia student. at si qui melioris propositi videntur, neque possidentes neque negotiantes (quod est multo turpius) sedentes munera exspectant, atque omne vitæ decus mercede corruptum habent, dum quasi venalem præferunt sanctitatem. Sed longius quam volui egressus sum, dum me temporum nostrorum piget tædetque: ad inceptum redeo. Igitur, ut supra dixi, diviso per tribus captivo solo pace summa Hebræi perfruebantur, finitimis bello territis, tot victoriis nobiles armis nemine audente tentare. Eodem tractu Jesus mortuus est, anno ætatis decimo & centesimo. de imperii autem ejus tempore parum definio: frequens tamen opinio est XX & VII annis eum Hebræis præfuisse. quod si ita est, a mundi exordio in excessum ejus anni sunt I̅I̅I̅ ɔɔ CCC LXXX & IIII. Jesu mor-

XXIV.

13 *Eodem tractu Jesus*) Excidisse videtur vox *temporis*. sic supra cap. XIII. *Hoc tractu temporum Job fuit*.

14 *frequens tamen opinio est* XX *&* VII *annis*, &c.) Hæc nimirum potissimum olim sententia obtinuit: hanc enim tradunt præter ceteros Clemens Alexandrinus lib. I. Strom., Lactantius lib. IV. cap. 5., Eusebius & Prosper in Chronicis, Augustinus de Civit. Dei lib. XVIII. cap. XI. & alii. Georgius Tharasii Patriarchæ Syncellus: τὰ μὲν (ἔτη) Ἰησοῦ τοῦ Ναυῆ καὶ τῶν μετ' αὐτῶν πρεσβυτέρων ἡ γραφὴ παρεσιώπησεν, ἡ δὲ ἄγραφος συνήθεια τοῦ μὲν Ἰησοῦ κζ, τῶν δὲ πρεσβυτέρων ιη παρέδωκε· καὶ οὕτω σχεδὸν πάντες ὁμοφωνοῦσιν. *Annos Jesu filii Naue, & presbyterorum qui post eum fuerunt, silet Scriptura, sed oralis traditio Jesu quidem* XXVII., *presbyteris vero* XVIII. *tribuit: in quo fere omnes concordant*. Alii tamen ex antiquis aliter putarunt: nam Josephus vigintiquinque annos, Eusebius in Præpar. Evang. lib. X. cap. XIV. triginta, ὥς τινες, *ut nonnullis placet*, Josue imperio assignant: Q. Julius Hilarion unum & triginta; qui tamen, ut Eusebius ac Severus noster, annos Josue & seniorum simul computat, dicens, *Jesus Naue cum Senioribus judicavit* XXXI. Recentiorum porro sententias proponere non est hujus loci: hæc tamen in eo fere conveniunt, ut minori temporis spatio imperium Josue concludant. Ludovicus Capellus in Chronol. sacræ Tabulam VI. littera D, hæc habet: *Verisimile est eum* (Josue) *mox post* κληρουχίαν (seu divisionem Palæstinæ per singulas tribus factam anno post ingressum in Chananæam septimo) *occubuisse: cum enim sortiretur terram, dicitur gravis ætate valde*, Josue XIII. 1. *Oratio autem ab eo habita*, Josue XXIII. & XXIV., *habita est mox post* κληρουχίαν, *& paullo ante obitum suum, qui statim post habitam illam narratur*. Hæc ille, cui in Chronologia primas plerique deferunt; quibus ego initium capitis XXIII. libri Josue opponam, quod est: *Evoluto autem multo tempore, postquam pacem dederat Dominus Israeli, subiectis in gyro nationibus universis, & Josue jam longævo & persenilis ætatis*: ubi hebræi textus verba ad litteram sonant, *Et factum est post dies multos, post quam quiescere fecit Deus Israelem ab omnibus inimicis eorum in circuitu, & Josue senuerat, venerat in dies*: ex quo loco apparet quam falso dictum sit a Capello *verisimile esse Josue occubuisse mox post* κληρουχίαν. Sed de his forte alias.

16 *anni sunt* I̅I̅I̅ ɔCCCCLXXX *&* IIII.) In prima editione, cum qua etiam concordat MS. Vatic., scriptum erat *anni sunt* MD, cetera: quæ scriptura omnino corrupta est, adeo ut pro M legendum sit I̅I̅I̅, quod a Giselino & Drusio in textum merito fuit receptum: nam supra, in cap. III. fine, a mundi exordio ad diluvium Severus constituit annos bis mille ducentos & quadraginta duos; cap. autem XV. a diluvio ad exitum Israelitarum annos mille quingentos septuaginta quinque; quibus si addas quadragin-

mortuo populus ſine duce agebat. ſed cum adverſus Chananæos bellandum eſſet, dux belli Judas aſſumtus eſt. Hujus ductu res proſpere geſtæ: domi militiæque ſummum otium: populus aut ſubactis aut per deditionem acceptis gentibus imperitabat. Inde, ut ſemper
5 fieri ſecundis rebus ſolet, morum diſciplinæque immemor, matrimonia ex victis aſſumere, paullatimque externos mores trahere, ac mox profano ritu idolis ſacrificare occœpit. adeo cuncta cum externis ſocietas perniciosa eſt. Quæ Deus longe ante proſpiciens, ſalubri Hebræos reſponſo inſtruxerat, devictas gentes ut internecioni darent.
10 ſed plebs cupida dominandi, imperare victis cum pernicie malebat. Igitur cum relicto Deo idola colerent, deſtituti divino auxilio a rege Meſopotamiæ evicti & ſubacti, VIII annis captivitatem pependerunt: donec Gothoniel duce in libertatem reſtituti per quinquaginta annos rerum potiti ſunt. Rurſumque corrupti longæ pacis malo,
15 idolis litaverunt. Moxque aderat pœna peccantibus: ab Eglom enim rege

ta annos peregrinationis in eremo, ac viginti ſeptem imperii Joſue, exſurgit omnino ſumma III M IↃCCCLXXXIIII. Hæc emendatio cum tam plana & evidens ſit, mirari ſatis non poſſum, cur in pleriſque editionibus, Hornii & Vorſtii præcipue, corruptus numerus retentus ſit. Giſelinus hæc notaverat: *Sic reſtitui, cum prior numerus tantum eſſet M. D. CCCLXXXIIII. conjecturæ occaſionem dedit litterarum M. & $\overline{\text{III}}$ cognatio, & præcipue altera ſupputatio, quæ incidit in mortem Samſonis.*

2 *dux belli Judas aſſumtus eſt*) Scilicet, cum ageretur de exſtirpandis penitus Chananæorum reliquiis, Dei monitu prima tribus Juda claſſicum cecinit. ita ex Judicum I. Sed ſi Severi verba tum hoc loco tum infra cap. XXVIII. attendas, Judas quaſi vir quidam dux in ſpeciem inducitur, ut etiam in ſacro codice.

3 *domi militiæque ſummum otium*) Videtur heic Severus minus apte locutus; nam ſi ſummum otium, ergo bellum eſſe jam deſierat: etenim, ut Vorſtius notavit, *ſummum otium* reſpondet ac æquivalet *ſummæ paci*: quod ſuperiori capite ſcriptum. Mox occurrit *per ded.* legendum fortaſſe *in deditionem acceptis g.*

7 *adeo cuncta cum externis ſocietas*) Non *cuncta*, ſed *omnis* ſocietas ſcribendum fuit.

12 VIII *annis captivitatem pependerunt*) Editi omnes VII. *annis*, contra hiſtoriam Judicum III. 8., ubi libri & verſiones omnes *octo annos* legunt, quomodo ſcripſiſſe etiam Severum, ſed facili lapſu a librariis male tranſcriptum nullus dubito. Porro Giſelinus notat in hunc locum, infra occurrere: *Salomoni ſervitutem pependerat*, & *pependiſſe ſervitium*. Illud cap. XLI. occurret, hoc lib. II. cap. XV.

13 *Gothoniel*) Ita LXX. ex hebræo עתניאל, quem nos *Othoniel* dicimus.

13 *per quinquaginta annos*) Etiam heic mendum irrepſiſſe putari poſſit, & Severum ſcripſiſſe *per* XL. *annos*, ut habetur Jud. III. 11. & apud Joſephum. Ego tamen nihil hoc loco mutandum contendo, tum quia ita poſcere videtur Severi calculus, quem infra ſuo loco proferemus; tum vero quia apud Clementem Alexandrinum lib. 1. Strom. & Euſebium Præparat. Evang. lib. X. cap. 14., nec non in codice Alexandrino τῶν Ο', πεντήκοντα (quod tamen ex textu expunxit, & in marginem ablegavit Grabius, ut τεσσαράκοντα ſubſtitueret) *quinquaginta* anni diſerte imperio Othonielis dantur; quibus ex Latinis concinit Q. Julius Hilarion in libello *De Duratione Mundi*, ut ſane præfert editio Biblioth. Patrum Pariſienſis anni 1589., qua paſſim utimur.

15 *ab Eglom enim rege*) Libri editi *ab Eglo*; ſed notat Vorſtius verſionem græcam habere Ἐγλὼμ, latinam ſeu Vulgatam *Eglon*; vultque alterutro modo ſcripſiſſe Severum, cui lubens acquieſco. In MS. Vaticano τὸ *enim* deeſſe video: itaque ſuſpicor ibidem *Eglon* ſcriptum, ſed ab aliis ultimam litteram pro *enim*, ut compendioſe ſcribitur, fuiſſe acceptam. primitus tamen a Severo *Eglom* juxta LXX. fuerit exaratum.

rege Moabitarum devicti, duodeviginti annis fervierunt, donec inftinctu Dei Aod regem hoftium dolo interemit, contractoque tumultuario exercitu libertatem armis vindicavit. idem per LXXX annos in pace Hebræis præfuit. Huic Semigar fucceffit: hicque adverfus Allophylos congreffus, fecundo eventu prælium fecit. Rurfumque Hebræos fectantes idola rex Chananæorum Jabin nomine fubjugavit, graviffimamque in eos per XX annos dominationem exercuit, donec priftinum Debbora mulier ftatum reddidit. adeo nihil fpei in eorum ducibus erat, ut muliebri auxilio defenderentur. quamquam hæc in typum Ecclefiæ forma præmiffa fit, cujus auxilio captivitas eft depulfa. Sub hac duce vel judice XL annis Hebræi fuerunt. Rurfumque ob peccata Madianitis traditi, duro imperio habebantur, afflictique malo fervitutis divinum auxilium imploraverunt. ita femper in fecundis rebus, immemores cæleftium beneficiorum, idolis fupplicabant; in adverfis, Deo. Unde cum reputare in animo foleo, populum tot beneficiis Dei obligatum, tot cladibus cum peccaret coercitum, expertumque & mifericordiam & feveritatem Dei, nequaquam emendatum; & cum femper veniam erroris acciperet, femper peccaffe poft veniam; nihil mirum videri poteft, Chriftum ab his non effe

2 *Aod regem hoftium d. i.*) Libri omnes editi cum MS. Vaticano *Adon*, quod expunximus, fecuti veram lectionem, quam libri omnes tum græci tum latini exhibent: nam *Adon* a librariis per errorem confictum facile omnes vident.

4 *huic Semigar fucceffit*) Ita editi libri hoc loco & infra cap. XXIX., ubi de alio quopiam, quem cognominem huic Severus inducit, qui tamen cap. XXVIII. *Simmichar* fcribitur. Itaque cum ipfe variet, & cum toties in nominibus propriis in hoc Opere librariorum culpa peccatum fit, dubitavimus utrum lectionem τῶν Ο' fequi deberemus, quibus eft Σαμεγάρ, Jud. III. 31. & V. 6., cum & apud Auguftinum Quæft. XXV. in lib. Jud. ex emendatione PP. BB. *Samegar* habeatur. Apud Q. Julium Hilarionem inter judices *Semergar* quemdam relatum videas, de quo infra erit dicendi locus. Rem in medio relinquimus.

4 *adverfus Allophylos congreffus*) Hieronymus in Amosi cap. I. *Ubicumque in veteri Teftamento* (& *quidni etiam in novo?* addit perperam Relandus) ἀλλοφύλους, *id eft* alienigenas *legerimus*, *non commune omnium externarum gentium nomen*, *fed* (plerumque, non femper) *proprie Philiftiim*, *qui nunc Palæftini vocantur*, *accipiendi funt*.

5 *fecundo eventu prælium fecit*) Antea erat *fecundum*: non dubitavimus tamen Drufii emendationem adoptare, cum tam manifefta eam ratio fuadeat: nam præterquam quod fæpius a Severo bella ac prælia *fecundo eventu* gefta fcriptum fuit; quifnam divinare poffit, quid illud fit prælium primum, quod hic indicetur, fi legas *fecundum*?

10 *cujus auxilio captivitas eft depulfa*) Defideratur fortaffe vox aliqua, ut *Dæmonis*, vel *idololatriæ*. Auguftinus lib. XII. contra Fauftum cap. 33. *Quæ eft illa mulier plena fiduciæ hoftis tempora ligno transfigens*, *nifi fides Ecclefiæ cruce Chrifti regna Diaboli perimens?* Ambrofius etiam in libro De Viduis: *Ad provocandos animos feminarum femina judicavit*, *femina difpofuit*, *femina prophetavit*, *femina triumphavit*, & *præliaribus intermiffa copiis*, *imperio viros docuit militare femineo*. *fecundum mysterium vero*, *fidei militia*, *Ecclefiæ victoria eft*.

16 *tot beneficiis Dei obligatum*) Scripferit fortaffe *Deo obligatum?* Infra cap. III. habetur *utpote obligatus divinis beneficiis*.

19 *Chriftum ab his non effe receptum*) MS. liber concinnius, *Chriftum ab his non receptum*.

esse receptum, cum jam inde ab initio toties in Domino rebelles deprehendantur: magisque mirum est, illis semper peccantibus numquam Dei, si quando eum imploraverunt, defuisse clementiam. Igitur cum eis, ut supra retulimus, Madianitæ dominarentur, conversi ad Dominum misericordiam solitam flagitantes, impetraverunt. Erat in Hebræis Gedeon quidam nomine, vir justus & carus Domino acceptusque. huic angelus de campo messis domum revertenti adstitit: Dominus, inquit, tecum, potens in virtute. at ille voce humili, non esse in se Dominum ingemiscebat: siquidem quod populum captivitas premeret, virtutumque Domini, qui eos de terra Ægypti eduxerat, flens recordabatur. tum angelus, Vade, inquit, in hoc spiritu quo locutus es, & populum de captivitate eripe. ille vero abnuere, se infractis suorum viribus, cum

XXV.

1 *toties in Domino rebelles*) Jure quidem merito mirum fit Vorstio, si Severus scripserit *in Domino*, & non potius *in Dominum*.

7 *de campo messis domum reverteni*) Paullo aliter habet Sacra Historia, Jud. VI. 11., nimirum apparuisse angelum Gedeoni, dum hic clam in torculari, ob metum Madianitarum, excutiebat virga frumentum: *ῥαβδίζων σῖτον ἐν ληνῷ*: LXX.

8 *Dominus, inquit, tecum, potens in virtute*) Placet Vorstii conjectura, qua & initio addit: &, *Dominus, inquit, tecum*. *Neque enim aliter* (subdit ille) *vox* inquit *cum præcedenti verbo* adstitit *videtur cohærere posse*. Sic Vulgata: *Apparuit ei angelus Domini, & ait: Dominus tecum*. Sane conjunctio & eo facilius hoc loco excidisse potuit, quod cum præcedentis verbi *adstitit* (quod ex usu antiquorum MSS. scriptum fuerit *adstitet*) ultima syllaba conveniret: hujusmodi vero in iisdem antiquis libris, ne dicam etiam in impressis, frequentissime occurrunt menda, ideoque eodem pacto in uno aut altero Severi loco jam excusso & commode suppleri possit. Cap. IX. pag. 16. ad ea verba *benedici sibi ab eo flagitabat*, notavimus forte legendum *ideoque benedici*, vel & *benedici*, seu *benedicique*: ex bis tamen conjecturis, quæ secundo loco posita est maxime probabilis sit, propterea quod verbum *ignoravit* proxime præcedat. Sic cap. XVII. pag. 27. sententia magis apte & concinne fluet, si post verba *Moyses ordines populi distribuit*, suppleatur &, quod itidem elisum fuerit ob præcedentis syllabæ concursum: & *tribunos .... præficiens*, *necessarium disciplinæ ritum posteris tradidit*. Quod vero sequitur, *potens in virtute*, respondet græcis verbis *δυνατὸς ἐν τῇ ἰσχύϊ*, ut legitur in exemplari Alexandrino, in Complutensi & aliis; vel, ut Romanum & nonnulla alia præferunt, *ἰσχυρὸς τῶν δυνάμεων*. Duplicem autem ea Scripturæ verba interpretationem suscipiunt; nam alii Deo, alii Gedeoni ipsi ea aptant. S. Augustinus, Quæst. XXXII. in lib. Jud., *Quod angelus dixit ad Gedeon*, Dominus tecum potens in fortitudine, *nominativus casus est, non vocativus, hoc est*, Dominus potens tecum est: *non*, tu potens. In hac autem significatione, juxta LXX. intellexisse ea videtur & Severus. Plerique tamen juxta Vulgatam nostram, quæ hebræa verba גבור החיל interpretata est *virorum fortissime*, de Gedeone ea intelligunt dicta; cui sententiæ favent quæ ibidem versu 14. Gedeoni ab angelo reponuntur: *Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israel de manu Madian*.

9 *siquidem quod populum*, &c.) Giselinus omisit *quod*: quem libenter secutus essem ego ipse; nam sensus eo pacto concinnior evadit. sed quoniam ipse Giselinus fatetur omnes impressos libros illud agnoscere, nec a MS. Vaticano abesse video, nihil mutandum censui.

12 *Vade, inquit, in hoc spiritu quo locutus es*) Ita nimirum interpretatur versiculum 14. Jud. VI. supra a nobis relatum, in quo tamen pro *spiritu* est *ἰσχύϊ* in græco textu.

13 *abnuere, se infractis s. v.*) Hornius putavit Sulpicium scripsisse, *abnuere, in se fractis suorum v.* Sed Vorstius contra dicit *infractis* esse pro simplici *fractis*

cum ipse minimus esset, tantum onus suscipere. perstare contra angelus, Ne dubitaret posse fieri quæ Dominus loquebatur. Perfecto igitur sacrificio, dirutaque ara quam Baalis idolo Madianitæ sacraverant, ad suos profectus, castra castris hostium contulit. sed Madianitis etiam gens Amalech se conjunxerat. Gedeon vero non amplius quam ad triginta & II millia exercitum paraverat. sed priusquam confligeret, Deus ad eum locutus est, Nimiam esse hanc multitudinem, quam in prælium vellet educere: Hebræos pro solita perfidia eventum pugnæ non Deo, sed virtuti suæ daturos: itaque daret volentibus discedendi potestatem. quod ubi populo divulgatum, xx & II M a castris recesserunt. Sed ex x millibus quæ resederant, admonitus a Domino, non amplius quam trecentos tenuit: reliquos ab armis dimisit. Ita media vigilia castra hostium ingressus, jussis omnibus tuba cane-

Bis, nec insolens videri debere, *abnuit se facere*, vel *facturum esse*; itaque nihil mutandum monet: hujus sententiæ nos ipsi accedimus. Vox *infractis* infra occurret in eadem significatione.

1 *cum ipse minimus esset*) Jud. VI. 15. *Ecce familia mea infima est in Manasse, & ego minimus in domo patris mei.*

1 *perstare contra angelus*) MS. non agnoscit *contra*, nec omnino male: *perstare angelus*.

2 *Perfecto igitur sacrificio*) Sacrificium a Gedeone hac occasione oblatum tradidit Severus, aliique ante & post eum clarissimi interpretes, quod tum græco textui, tum Vulgatæ omnino conforme videtur: ille enim, Jud. VI. 18., ἐξοίσω θυσίαν, καὶ θύσω ἐνώπιόν σου, *Feram sacrificium, & sacrificabo coram te*: hæc autem ibidem, *Portans sacrificium & offerens tibi*. Alii tamen melius docent, Gedeonem non sacrificium, sed prandium angelo, quem sub humana specie susceperat, attulisse. Vide interpretes, in primis Cornelium a Lapide, qui etiam observat in græcis libris legendum non θύσω, sed θήσω (ita sane habet Alexandrinus codex) quomodo legit & S. Augustinus in latina versione, *& ponam in conspectu tuo*.

3 *quam Baalis idolo Madianitæ sacraverant*) Probe advertit Drusius ex Jud. VI. nihil aliud colligi, quam hanc aram a civibus Gedeonis fuisse sacratam, a quibus ad necem quæsitus est, propterea quod eam evertisset.

5 *non amplius quam ad triginta & II millia*) Drusius: *Certum ex Jud. VII. 3. triginta duo millia fuisse. quocirca male adjecit* ad *præpositionem, quæ hic* circiter *denotat, ut in illo Terentii*, quasi talenta ad quindecim coegi. *Sic infra*, nam fere ad LXX. erant, *cum historia narret LXX. fuisse*. Contra Vorstius, voculam *ad* sæpe παρέλκειν, ut in ipso Terentii loco: nam non *ad*, sed *quasi* ibi est pro *circiter*: Severum autem ipsa XXXII. memorare voluisse, inde apparere, quod præmiserit *non amplius*: quod denique lib. II. cap. VIII. dicat *fere ad septuaginta erant*, tum *fere*, tum *ad* ibi redundare.

10 XX. & II. CIↃ. *a castris recesserunt*) Manifestissimum est mendum, quod Lipsiensis, & Mediolanensis Sigonii Opp. editio, XXX. pro XX. legant, repugnantibus ceteris libris impressis. Giselinus ita hunc locum edidit, $\overline{XX}$. & II. *a castris recesserunt*. sane lineam transversam pro millesimi nota alibi sæpius usurpatam videre est, quæ tamen etiam numero II. fuit apponenda. Nescio autem, cur Drusius notaverit se audacter XX. & II. *millia* emendasse, quum prius esset in libris XX. CIↃ.: nam Drusii lectionem habent, præter Giselinum, Galesinius, Fabricius & Sigonius, Drusio certe ætate superiores.

13 *Ita media vigilia*) Ita græcus textus hebræo usquequaque concors, Jud. VII. 19. ἐν ἀρχῇ τῆς φυλακῆς μέσης, vel ἀρχομένης τῆς φυλακῆς τῆς μεσούσης: *initio mediæ vigiliæ*. *Nox* nimirum *in tres vigilias distribuebatur, vigiliæ vero in quattuor horarum spatia*, verba sunt Macrobii, citante Drusio in hunc locum; quæ tamen in fonte reperire haud potui. Ut ut sit, conveniunt interpretes priscis quidem Hebræis noctem in tres vigilias fuisse dispertitam, posterioribus vero in quatuor juxta morem Romanorum. hinc Matth. XIV. 25. & Marc. VI. 48. *quarta vigilia noctis* memoratur.

canere, magnum terrorem injecit; neque cuiquam resistendi animus fuit. turpi fuga, qua quisque potuit, dilapsi; sed, occurrentibus omni ex parte Hebræis, passim fugientes cadunt. reges Gedeon persecutus ultra Jordanem, comprehensos neci dedit. Ea pugna centum & xx M ex hostibus cæsa, xv capta traduntur. Tunc consensu omnium Gedeoni, ut princeps populi esset, delatum: quod ille aspernatus, communi jure cum civibus vivere, quam præesse suis maluit. Depulsa igitur captivitate, quæ septem annos populum continuerat, pax per XL annos fuit. sed defuncto Gedeon, filius ejus **XXVI.** Abimelech, ex concubina ortus, fratribus interemtis, pessimis quibusque consentientibus & maxime Sichimorum principibus operam ei navantibus regnum occupavit: isque discordiis civilibus exercitus, cum suos bello premeret, turrim quamdam, in quam se amisso oppido fugientes receperant, expugnare aggressus, dum incautius subit, saxo a muliere ictus periit, cum triennio imperium tenuisset. Huic successit Thola, qui duobus & xx annis regno potitus est.. post hunc

2 *qua quisque p., dilapsi*) Omnes vulgati libri *quo q. p., dilapsis. Sed &c. Qua* ex conjectura mutavimus, *dilapsi* MS. etiam auctoritate fulti. Præterea interpunctionem restituimus.

4 *centum & xx. CIↃ. ex hostibus cæsa, xv. capta*) Giselinus ita edidit: *centum & xx. ex h. c., xv. capta*. Vide supra penultimam notam. Ceterum Severum reprehendunt, quod xv. mille hostes captos dixerit, cum & hos maximam partem cæsos secundo prælio trans Jordanem liqueat ex cap. VIII. Jud. vers. 11: nam illa centum viginti millia prima pugna perierunt, ibid. v. 10.

6 *ut princeps populi esset, delatum*) Nimirum regnum ipsi, posterisque ejus hereditario jure oblatum, Jud. VIII. 22. Quod itaque subditur, *communi jure cum civibus vivere, quam præesse suis maluit*; non usquequaque verum est: nam ipse quidem Gedeon præfuit populo quoad vixit: regium tantum nomen & dominatum a se & familia sua repulit, dicens, *Dominabitur vestri Dominus*.

9 *sed defuncto Gedeon*) Ita MS., cum impressi libri habeant *Gedeoni*, in quo duplex mendum est: primum, quod *Gedeoni* pro *Gedeone* scribatur; alterum, quod seu *Gedeoni* seu *Gedeone* sit contra morem Severi, qui nomina propria hominum ἄκλιτα effert, ut paullo supra *Gothoniel duce*, & sexcenta hujusmodi. quo capite mihi suspectus est & ille alter locus, quo & paullo supra *Gedeoni* scribitur.

11 *Sichimorum principibus*) Supra initio cap. x. monuimus *Sicimorum* legendum juxta græcum textum, σίκιμων & σίκιμα: alia tamen exemplaria σύχεμ hanc urbem dicunt, juxta quam scripturam *Sychemorum* scribendum fuerit. Ceterum mox in MS. nostro legitur *operam navantibus* sine *ei*.

12 *regnum occupavit*) Non itaque inter Judices hic esset recensendus, utpote qui paucorum factione electus tyrannidem exercuit.

13 *cum suos bello premeret*) Ipsos puta Sychemitas, unde ipsi maternum genus, & a quibus rex fuerat salutatus: horum enim urbem captam diruit, turrim concremavit. Alia tamen ab hac fuit turris illa, in cujus oppugnatione periit Abimelech: nam hæc in civitate Thebes erat, ut liquet ex Jud. cap. IX. 50. & seqq.

15 *Huic successit Thola*) MS. pro *Thola* legit *Cholias*, & ita edidit Flaccius & alii eum sequuti. Galesinius autem primus restituendum monuit *Thola* juxta Scripturæ textum tum hebræum, tum græcum ac latinum. Hic autem, ut perhibet Sacra Historia, vere *dux* seu *judex* fuit, non vero regium sibi nomen aut jus usurpavit, ut Severus videtur asserere.

16 *duobus & XX. annis regno potitus est*) Hebræus textus, Septuaginta (ut nostri quidem præferunt codices) nec non Vulgata, Tholæ tres & viginti annos assignant: non ideo tamen in Severi libro mendum irrepsisse putandum est; nam ita se scripsisse paullo post confirmat, cum de Jairo dicit, *Qui cum æque viginti & duos annos principatum obtinuisset*. Severo præterea adstipulatur Q. Julius Hilarion: *Tola judicavit ann. 22. Mortuo Tola electus est a populo Jabir*,

hunc Jair fuit, qui cum æque viginti & duos annos principatum obtinuisset, populus relicto Domino idolis se mancipavit: obque id Israelitæ subacti sunt ab Allophylis & Ammonitis, duoque de xx annis sub eorum imperio fuerunt. Quo tempore eis Dominum invocantibus divinum scilicet responsum redditum est: Simulacra potius invocarent; se non ultra misericordiam ingratis præstiturum. at illi flentes culpam fateri, & precari veniam; abjectisque idolis Deum implorantes, negatam licet misericordiam impetraverunt. Igitur Jepta duce ad libertatem armis vindicandam frequentes conveniunt; missis prius ad Ammon regem legatis, ut finibus suis contentus, bello abstineret. at ille prælium non abnuens, aciem instruxit. Tum Jepta, prius quam signum pugnæ daretur, vovisse dicitur, si prospere pugnasset, eum qui sibi primus revertenti obvius fuisset, hostiam Deo dandum. Ita victis hostibus, cum domum rediret, filia ei obviam fit, quæ patrem exceptura victorem, cum tympanis & choris læta processerat. tum Jepta consternatus, dolore

Is ipse judicavit populum annis 22. Eusebius in Chronico latino: *Thola annis* 22. *alias* 23. *secundum hebræos*. Prosper: *Tholam annis XXVI*. (sed leg. XXIII.) *vel XXII. ex alio codice*. Porro apud Eusebium verba *alias* 23. *secundum hebræos* desiderantur in editione Scaligeri, quæ nec in quamplurimis MSS. leguntur, ut notavit Pontacus. Illud sane *secundum hebræos* facile posteriori manu additum apparet; nam græci codices cum hebræo in eo concordant: quæ autem præcedunt *alias* 23., agnovisse videtur & Prosper. Verum enimvero quum apud Eusebium lib. x. Præp. Evang. cap. xiv. & apud Syncellum, qui Eusebium compilavit, viginti & tres anni adtribuantur Tholæ, θωλὰ κγ', nulla facta mentione alterius lectionis; crediderim primum varietatem lectionis in latinos Eusebii codices, ex antiquissima forte editione latina, qua usus Severus & Hilarion, irrepsisse: quod & suadent Prosperi verba *ex alio codice*; postea vero additum illud *secundum hebræos*: nimirum quia in Hieronymi versione, quæ nunc Vulgata audit, ex hebræo expressa, anni tres supra viginti Tholæ tribuerentur.

1 *qui cum .... obtinuisset*, &c.) Observa hoc loco orationis genus abruptum, Severo haud infrequens, quod græco nomine *anacoluthon* vocant Grammatici; nam dicendum fuisset, *cumque is ... obtinuisset, populus*. reliqua.

8 *Igitur Jepta duce*) Drusius: *Scriptura hæc a scribis est, non a Sulpicio, qui sine dubio* Jephtha, *vel* Jephthe *scripsit, ita poscente prisca consuetudine*. Nimirum Ἰεφθάε apud LXX. legitur.

10 *missis prius ad Ammon regem legatis*) Quæ controversia hac legatione ultro citroque agitaretur, omisit brevitatis gratia commemorare Severus, sed fuse exponitur Jud. XI. Giselinus aliique *Amon* uno *m* ediderunt, mendose. notavit præterea Drusius veritatem historiæ postulare, ut legatur *ad regem filiorum Ammon*, ut est in hebræis, græcis & latinis codicibus. Severus fortasse scripserit, ut a Vorstio est animadversum, *Ammonitarum regem*, postea vero a scribis male decurtata ea vox fuerit.

12 *priusquam signum pugnæ daret*) Non in ipso procinctu pugnæ votum nuncupavit Jephthe juxta sacros codices, sed cum Ammonitarum fines esset ingressurus: quin nec uno prælio fusum hostium exercitum dicunt, innuunt potius irruptione facta occupatam fere omnem & vastatam ab Hebræis illorum regionem.

13 *eum qui sibi primus*, &c.) Ita fere Septuaginta & Vulgata. Hebræum textum commodius interpretari se putant aliqui hoc pacto: *Quidquid occurrerit mihi obvium*, &c.: adeo ut armenta potissimum & greges occurrentes sibi in via animo spectaverit Jephthe. Verum de tota hac controversia ab omnibus interpretibus sacris multum & varie agitata non est hic disputandi locus.

Digitized by Google

lore conscissis vestibus, indicat filiæ voti necessitatem. At illa, non feminea constantia, mori non recusans, duos tantum tamen menses vitæ spatium petit, ut æquales suas prius videret: quibus actis ultro ad patrem redit, votumque Domino reddit. Jepta principatum sex annis tenuit. huic Esebon successit, & tranquillis rebus exacto imperio, anno septimo decessit. postque eum Allon Zabulonites annis x, itemque Abdon annis VIII rerum potiti, pacis tempore nihil quod historia loqueretur, ediderunt. Rursum Israelitæ ad idola conversi, divino destituti præsidio, subjecti Allophylis, per XL captivitatis annos pœnas perfidiæ pependerunt. Ea tempestate Sampson natus traditur. hujus mater diu sterilis, angelum vidit; dictumque ei est: Vino & sicera atque immundis abstineret: fore, uti puerum ederet libertatis vindicem & hostium ultorem. ita mulier enixa puerum, Sampson nomen ei indidit. Is intonso capite, miræ virtutis fuisse traditur: adeo ut leonem in via obvium manu discerperet. Uxorem ex Allophylis habuit; quæ cum absente viro in alterius matrimonium convenisset, dolore ereptæ conjugis perniciem genti molitus est (fretus Domino & viribus, palam victores clade afficiebat) ccc siquidem vulpibus captis, ardentes lampades earum illi-

XXVII

3 *ut æquales suas prius videret*) Sacer textus: *ut plangam virginitatem meam cum sodalibus meis*. Paullo supra edidit Fabricius *duos tantum menses*, omisso *tamen*. Sane alterutra vox redundare videtur.

5 *huic Esebon successit*) Hujus viri nomen hebraice scribitur אבצן *Absan*, ut olim legit Josephus historicus, vel *Ebsan*, aut *Ibsan*: LXX. *ἀβαισὰν Abæsan*, vel *ἀβεσσὰν Abesan* reddiderunt: atque ita Hieronymus. In aliis tamen exemplaribus græcis, ut in Alexandrino, est *ἐσεβὼν*, *Esebon*, quam lectionem sequutus est Severus, ac Q. Julius Hilarion (apud quem tamen mendose est *ἐν Sebon* pro *Esebon*) nec non Eusebius in Chronico; nam lib. x. Præp. Evang. cap. XIV. est *ἐσβὼν*, *Esbon*. Sed & Hexapla, a Montfauconio edita, sunt audienda: אבצן. O'. *ἀβεσσάν*. O'. *ἄλλως*, *ἐσεβὼν*. Θ. *ἐσβὼν*: Scilicet. Hebr. *Absan*. LXX. *Abessan*, aliter *Esebon*. Theodotion *Ebson*. Qui *Esebon* vel *Ebson* transtulerunt, in hebræo codice transpositis litteris אבצן forte legerunt.

6 *Allon Zabulonites*) Scribendum *Ælon* ex græco *αἰλὼν*: alii *Elon*, *Ælaon*, *Elaon*: Vulgata *Ahialon*. Hunc judicem Eusebius Præp. Evang. lib. x. cap. XIV. recenset, in Chronico autem expungit, eo quod apud τοὺς LXX., ut ipse ait, non habeatur: quod tamen minime verum est. itaque apud Syncellum ab Anniano reprehenditur his verbis: *Ælon insuper* (ita ibidem in latina versione legendum, non *Aodum*, uti nec in græco textu *αὐδ* seu *αὐδὼν*, sed *αἰλὼν*) *judicantem Israel annis decem non recenset; quem Septuaginta interpretes undecimo inter judices loco posuerunt*. Miror Cl. Goarium, Syncelli editorem & interpretem, nedum hoc mendum correxisse, sed etiam in Præfatione, ubi Eusebii errores a Syncello reprehensos recenset, hoc quoque ita referre: *Aodi judicis annos decem non observavit*.

7 *Abdon annis VIII.*) Ita Romana editio τῶν O', & alii libri ex hebræo עבדון. Alexandrinus tamen codex habet *λαβδὼν*, quæ lectio ab Eusebio, & ex eo ab Augustino & aliis usurpatur. Nescio itaque quo jure Eusebium Scaliger accuset & traducat ut *auctorem harum deformitatum*. Prosper, qui cum Eusebio Ælon omisit, huic annos ejus attribuit: *Labdon XVIII. alias VIII.*

10 *Sampson*) Ita ex græco *σαμψὼν* ex more Severi.

14 *miræ virtutis fuisse traditur*) Restituimus *fuisse* ex MS. & prioribus editionibus; nam in plerisque recentioribus desideratur. Paullo infra parenthesi visum est a ceteris distinguere verba *fretus Domino*, &c.

19 *ardentes lampades*) Scilicet faces. Virg. IX. Æn. *Princeps ardentem conjecit lampada Turnus*. Plaut. Men. Act. v. Sc. 2.

illigavit caudis, atque eas agris hostium immisit: ac tum forte maturis messibus facile incendium fuit, vineæque & olivarum arbores exustæ. Grandi Allophylorum exitio abreptæ uxoris injuriam ultus videbatur: quo dolore Allophyli permoti, mulierem tanti mali caussam cum domo & patre incendio consumserunt. sed Sampson parum se vindicatum ratus, urgere omnibus incommodis profanam gentem non desinebat. Tum compulsi Judæi, vinctum eum Allophylis tradiderunt. sed traditus, ruptis vinculis, arrepto osse asini, quod casus telum dederat, mille ex hostibus prostravit. ingravescente autem æstu cum siti affectus esset, invocato Domino, ex osse quod manu tenebat, aqua fluxit. XXVIII Ea tempestate Sampson Hebræis præerat, Allophylis unius virtute domitis. igitur insidiantes vitæ ejus, nec palam eum tentare audentes, uxorem ejus, quam ille postea acceperat, pecunia corrumpunt, virtutem viri uti proderet. Illa eum blandimento muliebri aggressa, diu eludentem & multum cunctantem perpulit ut indicaret, in crinibus capitis virtutem suam subsistere. mox dormienti insidiata, crinem ejus abstulit, atque ita eum Allophylis tradidit: nam sæpe prius traditum comprehendere nequiverant. Tum illi, effossis oculis, vinctum compedibus in carcerem conjecerunt. sed spatio temporis accisos crines crescere, & cum eis virtus redire occœperat: jamque Sampson conscius recepti roboris, tempus modo justæ ultionis opperiebatur. Erat Allophylis moris, cum dies festos agerent, Sampson quasi in pompam publicam producere, capto insultantes. ita die quodam, cum publicum epulum in honorem idoli dedissent, Sampson exhiberi jubent: templum autem, in quo omnis populus omnesque Allophylorum principes epulabantur, duabus subnixum columnis miræ magnitudinis erat. Productus Sampson, inter columnas statuitur. tum ille tempore arrepto, invocato prius Domino, columnas disjecit: turbaque omnis ruina domus obruta. ipse cum hostibus non inultus occubuit, cum xx annis Hebræis præfuisset. Huic Simmichar successit,

1 *ac tum forte*) Ita legendum censeo, prout etiam Hornius edidit: nam ceteri omnes libri *at tum f.* præferunt. Porro legenda omnino est huic fere similis in Ovidii Fast. lib. IV. historia de vulpe Carseolana.

6 *parum se vindicatum*) Galesinius *parum a se vindicatum* ex arbitrio, ut solet: apud Hornium *vindicantem* lego, quod typographicum est mendum.

11 *quod manu tenebat*) Non ita est, nam jam antea projecerat Samson asini mandibulam. vide Jud. XVI. 17. Præterea Josephus lib. V. cap. X. & multi docti interpretes, gravibus permoti rationibus, volunt aquam fluxisse non ex hac maxilla, sed ex petra quæ esset in eo loco, ut pote qui ex re gesta *Maxilla*, seu *Lechi* hebraice dictus fuit, ut versu 9. Jud. XVI. dicitur. Videsis inter ceteros P. Calmetum Comm. in Judicum caput modo laudatum, & in Dictionario.

13 *uxorem ejus*) Dalilam, seu, ut LXX. legunt, Dalidam non uxorem Samsonis, sed meretricem fuisse plerique jure sentiunt.

20 *accisos crines*) In prima editione aliisque multis ita legitur, quod Galesinius primus mutavit in *accisus crinis*, consentiente Vorstio, qui alteram lectionem *manifestum sphalma* dicit. sed plurali numero usum Severum manifesto indicio est illud *eis*, quod sequitur.

31 *Huic Simmichar successit*) Unde hunc judicem accersat Sulpicius, incertum. Cornelius a Lapide in cap. XVII. Judicum, ubi Michæ historia refertur: *Hunc Micham*

Digitized by Google

cessit, de quo nihil amplius Scriptura prodidit: nam neque finem imperii ejus reperi, & fuisse populum sine duce invenio. ideo cum adversus Benjamin tribum civile bellum fuit, Judas temporarius dux belli assumtus est. Sed plerique, qui de temporibus scripserunt, 5 annum unum imperio ejus adnotaverunt: plerique ita eum præterierunt, ut post Sampson Heli sacerdotem subjunxerint. nos eam rem, ut parum compertam, in medio relinquemus. Per hæc tempora civile, ut diximus, bellum exarserat: caussa autem motus hæc fuit. Levites quidam cum concubina iter faciens, urgente nocte 10 compulsus, in oppido Gabaa, quod ab Benjamitis incolebatur, secesserat. Cum eum senex quidam hospitio benigne recepisset, juvenes ex oppido hospitem circumsistunt, stupro eum subdere parantes. Multum a sene increpiti, ægreque exhortati, vicario demum concubinæ ejus corpore in ludibrium accepto, advenæ pepererunt: illu- 15 samque nocte tota, postero die reddiderunt. Sed illa (stupri injuria,

XXIX

an

Micham videtur significare Sulpicius in Chronico cum post Samsonem ponit judicem Simmichar, *quasi ab Hebræo aliquo audiverit* Semo Michah, *id est* cujus nomen Michah. *Et huc Samsonis etiam apud Cedrenum successor trahi posset* Schamanes, *vel potius* Schemanes, *vel* Schamades: cetera. Sed hæc conjectura ex ipsis Severi verbis refutatur: *de quo nihil amplius Scriptura prodidit*. nam innuunt ipsum legisse illud nomen in Scriptura, aliumque omnino a Micha fuisse, de quo multis ibidem agitur. præterea addit, *plerosque qui de temporibus scripserunt, annum unum imperio ejus adnotavisse*. Porro ex multis scriptoribus, quos Simmicharis meminisse dicit, unum invenio Q. Julium Hilarionem, qui in sæpius laudato libello hæc habet: *Mortuo eo* (Samsone) *judicavit Semergar ann. I. Post huac fuit populus in pace*, &c. Cum itaque Severus, Hilarion, Cedrenus in eo consentiant, ut post Samsonem alium quemdam judicem recenseant, nec in nomine multum dissentiant; eumque Severus asserat tum Scripturam, tum multos scriptores ejusdem meminisse: credibile fit in quibusdam Scripturæ codicibus post Samsonis obitum alterius judicis mentionem occurrisse, ac fortasse repetitum *Semgar*, de quo Jud. VII. vers. ult. Adde quæ supra notavimus de varia ejus nominis scriptura.

2 *ideo cum adversus Benjamin tribum civile bellum fuit*) Legerem *tribuum*, ut clarius indicaretur, quodnam illud civile bellum fuerit: secus *adversum tribum Benjamin* scribendum fuisset. Ceterum *adversus Benjamin* sine ulla adjectione habetur & capite sequenti.

4 *Sed plerique, qui de temporibus s.*) Repudiandum videri possit illud *plerique*, quod pugnet cum altero quod mox sequitur: *plerique ita eum*, &c.

7 *Per hæc tempora*) Nimirum hæc quæ sequuntur, post Samsonis obitum facta putavit, quia post illum in libro Judicum narrantur. multo tamen antea accidisse colligas vel ex versiculo 28. cap. XX., ubi Phinees filii Eleazari, Aaronisque nepotis tunc summo sacerdotio fungentis est mentio. Sane Josephus lib. V. cap. II. hæc inserit post obitum Josue in eo interregno, quod usque ad Judices sequentes fuit; & interpretes omnes consentiunt multo ante Samsonem esse collocanda.

13 *ægreque exhortati*) Sigonius, Drusius, Vorstius *exorati* legendum monent: quibus assentior & ego: nisi forte *dehortati* magis placeat. sane inter voces *increpiti* & *exorati* non tam bene convenit.

15 *Sed illa (stupri injuria, an verecundia, parum definio) viso viro*) Libri aliqui mendose habent *verecundiæ*. Fallitur vero Severus cum in ipso viri conspectu animam efflasse dicit hanc feminam, quæ antea obierat. Ceterum, ut alibi non raro, ita & hoc loco præter Scripturam sacram præ oculis habuisse videtur Severus Josephi Antiquitates Judaicas, qui sane ibidem eam potissimum caussam mortis ejus indicat, quod præ nimia verecundia & pudore in conspectum viri non ausa fuerit venire, quod eum indignissime rem laturum putaret: de quo nihil in sacris libris. Quod vero diximus Severum in hoc opere con-

fu-

an verecundia, parum definio) viso viro animam efflavit. Tum Levita in testimonium diri facinoris, membra ejus in duodecim discissa partes per duodecim tribus misit, quo promtius omnes facti invidia commoveret: quod ubi omnibus compertum, undecim reliquæ tribus adversus Benjamin in bellum conspirant. Huic bello Judas, ut diximus, dux fuit. sed duobus præliis male pugnatum: tertio demum Benjamitæ victi, cæsique ad internecionem. ita paucorum scelus publico exitio punitum. Hæc quoque Judicum volumine continentur. Regum libri sequuntur. Sed mihi annorum ordinem & seriem temporum persequenti, parum continuata videtur historia: nam, cum post Sampson Judicem Semigar fuerit, paulloque post historia consignet, populum sine judicibus egisse; Heli etiam sacerdos libris Regnorum fuisse referatur: sed cum, quot anni inter Heli & Sampson fuerint, minime Scriptura prodiderit: video medii quiddam fuisse temporis, quod laboret ambiguo. Ceterum a die mortis Jesu usque in id tempus quo Sampson defunctus est, numerantur

fuisse libros Josephi, alio exemplo confirmari possit: nimirum si, quæ de transitu Jordanis sub Josue ab utroque dicuntur, invicem conferantur, ut factum est ab iis qui in Josephum notas ediderunt.

9 *Regum libri sequuntur*) Antea erat *sequentur*, quod mutandum in *sequuntur* suadet ratio, evincit Vaticani libri auctoritas. Sic supra cap. xx. *Enim Leviticus liber sequitur*. Ceterum non *Regum*, sed *Regnorum* scripserit Severus; ita enim paullo post, & infra non semel eos libros citat ex usu sui temporis. sic inter ceteros Hieronymus lib. II. contra Rufinum n.26., qui tamen primus alterum titulum invexit. *Tertius sequitur* Samuel (ait ipse in Prologo Galeato) *quem nos* Regnorum *primum & secundum dicimus. Quartus* Malachim, *id est* Regum, *qui tertio & quarto* Regnorum *volumine continetur. meliusque multo est* Malachim, *id est* Regum, *quam* Malacoth, *id est* Regnorum *dicere: non enim multarum gentium describit regna, sed unius Israelitici populi, qui tribubus duodecim continetur*. verum & hic Hieronymi locus in plerisque editionibus est vitiatus. Porro qui *Regnorum* dicebant, græcum τῶν LXX. titulum Βασιλειῶν expresserunt (apud quos itidem primi duo, qui apud Hebræos Samuelis nomine prænotantur, Βασιλειῶν seu Regnorum I. & II. dicuntur) nec male: nam tertio & quarto libro, qui apud Hebræos sunt Regum I. & II., duorum regnorum historia texitur. Præterea allata Hieronymi verba illud etiam significare videntur, in hebræis codicibus adhuc alterutrum titulum apponi solitum, in aliis *Malachim*, in aliis *Mamlachot*: sed vehementer suspicor eum locum interpolatum ab aliquo qui hebraice sciret, adeo ut Hieronymus scripserit hoc pacto: *meliusque multo est* Regum *quam* Regnorum *dicere*; ille vero, quisquis fuerit, temere hebraicas voces addiderit.

12 *populum sine judicibus egisse*) Ita & cap. XXVIII., sed Scriptura non de Judicibus loquitur, sed tantum dicit nondum *fuisse regem in Israel*. Vide Jud. XVIII. & XIX. & XXI. vers. ultimo.

12 *Heli etiam sacerdos libris Regnorum fuisse referatur*) Vorstius: *Ad vocem* fuisse *subaudiendum* judex, *vel* inter judices. Verum quidem est Heli judicis officio functum; id enim I. Reg. IV. 18. aperte declaratur; sed cum dignitatem illam nullibi attribuat ipsi Severus, quin potius initio sequentis capitis cum a Judicum numero diserte excludat, nihil est hoc loco supplendum.

14 *video medii quiddam... quod laboret ambiguo*) Hæc profecto fuit ex illis difficultatibus, de quibus S. Paullinum per litteras consuluit. Vide ipsius Paullini ep. XXVIII. n. 5., quem locum habes primo Tomo a nobis inter Testimonia relatum. adde etiam quæ paullo infra heic sequentur.

16 *numerantur anni CCCC. & XIX.*) Pleræque editiones pro *& XIX.* habent tantum *& IX.*; sed scribendum esse *XIX*.

Digitized by Google

tur anni cccc & xix : a mundi autem exordio anni IIII ccc & III. quamquam ab hac supputatione nostra ceteros discordare non nesciam : sed mihi conscius sum, me non incuriose latentem annorum ordinem protulisse, donec in hæc tempora incidi, de quibus dubitare me fateor. nunc reliqua exsequar. Igitur, ut supra retuli, Hebræi sine judice aut duce ullo, proprio arbitrio agebantur. Heli sacerdos erat: sub hoc Samuel natus est. Huic pater Elcana, mater An-

5 XXX.

primus vidit & monuit Giselinus: nam si ab annis a mundi exordio IIIIMCCCIII., quos hic numerat Severus, subtrahas annos IIIIMDCCCLXXXIIII., quos supra extremo capite XXIII. idem numeravit, reliqui sunt cccc. & XIX. Item si annos cujusque Judicis & captivitatis juxta Severi conputum colligas, erunt omnes cccc. & XIX. Quod ut planius fiat, placet hoc loco in seriem hos annos singillatim colligere. Nonnulli tamen in hoc calculo subsunt errores, quos emendare non est hujus loci.

Tabella chronologica a Josue excessu ad Samsonis mortem juxta Severum.

1. Servitus ann.	8.	XXIV.
Gothoniel Judex	50.	
2. Servitus	18.	
Aod	80.	
3. Servitus	20.	
Debbora	40.	
4. Servitus	7.	XXV.
Gedeon	40.	
Abimelech	3.	XXVI.
Thola	22.	
Jair	22.	
5. Servitus	18.	
Jephthe	6.	
Esebon	7.	
Ælon	10.	
Abdon	8.	
6. Servitus	40.	XVII.
Samson	20.	
Summa omnium an.	419.	

Hæc singillatim notanda fuerunt, etiam ut appareat quam male Sigonius hoc loco pro CCCCXIX. legendum contendat CCCXXXIX., & pro IIIIMCCCIII. paullo infra IIIIMCCXXIII.

1 *a mundi a. ex. anni* IIIICCC & III) Ita Galesinius & Giselinus juxta principem editionem, & antiquum scribendi morem. Recentiores editiones IIII. mutarunt in IV, omissa linea transversa, quæ millesimi nota est.

3 *me non incuriose*) Ita emendavit Giselinus, cum alii antea *me non curiose* edidissent. Sic infra cap. XL. *quæ non incuriose a nobis sunt digesta.* vitiatam tamen lectionem exhibet etiam Hornius, & Leidensis editio anni 1643.

6 *proprio arbitrio agebantur*) In editione Galesinii Romana deest vox *arbitrio*, Giselino & ceteris omnibus eam retinentibus. Porro Vorstius contendit legendum *agebant*, sicut superiori capite *populum sine judicibus egisse.* Clericus contra dicit defendi posse vulgatam lectionem, ut sit *agebantur proprio arbitrio*, sicuti ad Rom. VIII. 14. *spiritu Dei agi.* qui hos Severi libellos edidit Lipsiæ an. 1711. cum observationibus philologicis ad modum Minellii, addit aliud exemplum *agi diris malis* ex Plauti Amphitr. act. IV. sc. 3., quasi Sulpicius hoc sibi vellet, *Israelitas modo ad hoc, modo ad illud propria voluntate impulsos fuisse, & cæcum affectibus imperium præbuisse.* Sed hæc interpretatio a mente & stilo Severi prorsus abhorret; a mente, inquam, nam id unum heic sibi vult quod superiori capite, *populum sine judicibus egisse*; eo enim se respexisse indicat his verbis, *ut supra retulimus* : a stilo, ita enim alibi loqui solet, ut initio cap. XXIV. *Jesu mortuo populus sine duce agebat.* & cap. XXIV. *parvum etiamnum puerum sub patre agentem.* Sic etiam Lactantius in lib. de M. P. cap. IX. & XXI. *insolentissime agere cœpit*: & Divin. Instit. lib. V. cap. XXII. *qui in rebus prosperis agit, impatiens est*: & alia multa hujusmodi apud optimos quosque scriptores. Malim itaque cum Vorstio legere *agebant*.

7 *Elcana*) Antea erat *Elchana* cum aspiratione, quam tamen non habent Græci, ἐλκανά.

Anna. hæc diu ſterilis, cum conceptum a Deo peteret, voviſſe traditur, ſi puer naſceretur, ſacrandum Domino. ita enixum puerum Heli ſacerdoti tradidit. Mox, cum adoleviſſet, Dominus ad eum locutus eſt, Heli ſacerdoti iram denuntians ob vitia filiorum, qui ſacerdotium patris in quæſtum verterant, munera a ſacrificantibus exigentes. quamquam plerumque eos pater increpaſſe referatur: ſed levior objurgatio non ſatisfecerat diſciplinæ. Igitur Allophylis in Judæam irruentibus obviam itum. ſed victi Hebræi, parant aciem reſtituere. arcam Domini ſecum in pugnam efferunt, & cum ea filii ſacerdotis prodeunt: quia ipſe annis gravior luminibus obductis ſatisfacere officio nequiverat. ſed ubi arca in conſpectum hoſtium deducta eſt, majeſtate quadam præſentis Domini territi, fugam parabant: aſſumtaque rurſum conſtantia, & non ſine Domino mutatis animis, totis viribus concurrunt. Victi Hebræi: arca capitur: filii ſacerdotis cadunt. Heli delato ad ſe mali nuntio conſternatus, animam exſpiravit, cum per annos xx ſacerdotium adminiſtraſſet.

XXXI. Victores ſecundo prælio Allophyli, arcam Dei quæ in poteſtatem vene-

1 *cum conceptum a Deo pet.*) *Conceptum* dicit pro fetu. ſic Plinius lib. xx. cap. 22. *non edendum gravidis, niſi mortuo conceptu.*

2 *enixum puerum*) Non male id quidem judice Vorſtio, ſed multo melius, ſi me audias, *enixa puerum*; præcipue quia antea matrem vel concepiſſe, vel gravidam fuiſſe minime dixera; quod non omittendum fuiſſet, ſi *enixum* ſcriptum voluiſſet hoc loco Severus. Præterea *ita mulier enixa puerum* ſupra dixit capit. xxvii. in pari prope caſu.

4 *locutus eſt, Heli ſacerdoti iram denuntians ob vitia filiorum*) Hunc locum ita ex conjectura emendavimus, cum in omnibus antea editis libris legatur: *locutus eſt. Heli ſacerdoti iram denuntiat ob vitam filiorum.* Potuiſſet equidem & ſuppleri hoc pacto: *locutus eſt, & Heli ſacerdoti iram denuntiat*, ſeu potius *denuntiavit*: ſed prior lectio genuina viſa eſt. Quod vero *vitia* pro *vitam* legendum ſit, miror neminem vidiſſe. Sic paullo infra interpunctionem reſtituimus, quæ antea erat: *munera a ſ. exigentes, quamquam pl. eos pater incr. referatur. Sed levior*, &c. Sed hujuſmodi emendationes, adeo multæ ſunt, notare mittimus.

7 *Allophylis in Judæam irruentibus*) Judæam hoc loco & alibi infra, ut cap. xxxi., accipit pro ea parte Palæſtinæ, in qua Hebræi tunc quum hæc facta ſunt, habitabant. Ceterum Judæa, cum ita appellari cœpta eſt, comprehendebat etiam illum tractum maritimum, qui ad Philiſtæos ſeu Allophylos ſpectabat.

10 *annis gravior luminibus obductis*) Eadem de Iſaac verba ſupra dixerat cap. viii.

11 *in conſpectum hoſtium*) Nihil muto, moneo tantum MS. habere *in conſpectu hoſtium*.

16 *cum per annos XX ſacerdotium adm.*) Secutus eſt codices græcos, ſeu verius antiquam Vulgatam latinam, quæ ex ipſis erat expreſſa. Sic Hilarion ſæpe laudatus, *Judicavit Heli ſacerdos annis xx.* Hebræi tamen codices, quos ſecutus eſt Euſebius in Chronico, & Præp. Evang. lib. x. cap. xiv., Heli quadraginta annos aſſignant, quomodo habet etiam Vulgata noſtra, nec non aliqui græci codices, ſed corrupti: Romana enim editio, & Alexandrinus codex retinent antiquam & ſinceram lxx. interpretum lectionem.

17 *ſecundo prælio*) Utroque modo intelligi ea vox *ſecundo* poteſt, vel quia proſpere pugnatum, vel quod ſecunda ea pugna fuerit, qua arcam Dei ab Hebræis Philiſtiim tulerunt. Hoc ego magis probarim.

17 *quæ in poteſtatem venerat eorum, oppido Azoto*, &c.) Editiones omnes ita diſtinguebant, ut *eorum* jungeretur *oppido*. Vorſtius tamen ſecus faciendum vidit, & monuit: cui adſtipulamur.

Digitized by Google

venerat eorum, oppido Azoto in templum Dagon intulerunt. sed simulacrum dæmoni dicatum, ubi arca illata est, corruit: quumque idolum loco restituissent, nocte insecuta discerptum est. Inde mures per omnem regionem exorti, noxiis morsibus multa hominum mil-

3 *Inde mures ... noxiis morsibus*, &c.) Dubitare quispiam possit Severum aliunde sumsisse hoc quod narrat, mures scilicet Philistæos vexasse & peremisse suis morsibus; cum id non habeatur in sacro textu nec juxta editionem septuagintaviralem, quæ mures quidem memorat regionem vastantes, at homines dicit perculsos morbo quodam, quem plerique mariscas, dysenteriam nonnulli, alii aliter sunt interpretati. Apparet tamen hunc Scriptorem, non secus ac S. Gregorius M., ita Scripturæ verba intellexisse, quasi una fuerit clades, eaque a murium morsibus illata vitæ Philistæorum: ita enim iste commentatur in 1. Reg. v. 6. *Sed & modus interfectionis exponitur* (scilicet in sacro textu); *quia quisquis mori hac interfectione dicitur, dum ad purgandum ventrem exiret, in superiori* (sed lege *in secretiori*, ut in Vulgata, & apud eumdem Gregorium paullo infra) *parte natium morderi a muribus perhibetur*: & quæ ibidem sequuntur. Eadem fere Rabbinis quibusdam placuit sententia, quos vide in Criticis Sacris, tum Drusii Commentario hujus loci, tum cap. VI. libri ejusdem apud Munsterum, Clarium, & eumdem Drusium. Quod vero *mures per omnem regionem exortos* narrat Severus, sumsit ex citato versu 6. cap. V. & ex versu 1. cap. VI. Regum 1. juxta versionem LXX., quam confirmat & Josephus lib. VI. cap. 1. In hebræo enim textu neutribi murium habetur mentio, idque jam inde a tempore S. Hieronymi, qui eam itidem omisit in sua interpretatione, ut fidem faciunt antiqui codices a Mattianæo & Vallarsio, quin etiam multo ante a Nicolao Lyrano & aliis laudati ad versum 6. supracitatum. Quod autem ibidem in Vulgata nostra nunc legatur, ex antiquiori versione ex græca expressa postea additum, ut alia multa, fuit: quod ego jam ante Gregorium M. factum arbitror, quum videam eum non modo nullam codicum aut versionum, ut in libro Job, discrepantiam heic notare, sed ipsum sacrum textum, ut in hodiernis libris habetur, ex versione Hieronymi interpolata conflatum perpetuo ob oculos habuisse. Quod itaque Baronius ad annum 232. §. XLVIII & Mariana De Larina, Vulgata, cap. 8., post Gregorii ætatem hanc veteris & novæ versionis commixtionem factam volunt, in ceteris concesserim, in Regum libris ob rationem allatam negaverim. Sed quod spectat ad hebræum textum, quæ in eo desiderantur, absunt etiam in plerisque versionibus Orientalibus ex ipso expressis, nec non in aliquot græcis exemplaribus ad eum correctis, seu verius corruptis. Neque enim ambigi potest, quidquid alii nimis Hebræis devoti dictitent, quin ex LXX. supplenda sint: nam ex verss. 5. & 17. cap. VI. constat, etiam juxta hebræos codices hodiernos, Philistæos, ut a se exitium murium regionem vastantium averterent, aureas aliquot ipsorum imagines obtulisse. debuit itaque in superiori capite hoc singillatim recenseri divinitus immissum supplicium. ita Gaspar Sanctius, & alii sanioris sententiæ. Exciderint itaque librariorum culpa seu negligentia ex codicibus hebræis quæ ibidem legebantur, cum græca versio quæ dicitur τῶν LXX., fuit adornata, immo etiam cum Josephus condidit Historiam gentis suæ, ac fortasse multo post: nam in Hexaplorum Originis reliquiis ad utrumque locum cap. V. & VI. pro ἐξέζεσεν, seu ἐξέζεσεν, quo verbo usi sunt LXX., adnotatur alium quempiam interpretem vertisse ἐξέβρασεν. Quid? quod Vallarsius noster Not. in cap. VI. Regum referens Veronensem MS. ibidem ad versum 1. addere, *Et ebullivit terra illorum mures*; putare mavult *post Hieronymi tempora pericopen istam ex hebræo archetypo decidisse, quam fuisse ab eo ex LXX. interpretibus huc importatum. Et vero*, statim addit, *cum in hebraico legit veterum quidam sive Aquila is fuerit, sive Symmachus, sive quis alius Hexaplarium Interpretum, qui ἐξέβρασεν vertit, quod proprie est* ebullivit, *pro ἐξέζεσεν* LXX., *quod est* efferbuit. *Legerit pari pacto Hieronymus, qui & eum interpretem pressius sequutus est.* Verum ego, primum quidem unius codicis, licet antiqui, auctoritate tantam quæstionem non crediderim esse dirimendam, cum tot alii eam pericopen omittant: secundo, non video cur

millia leto dabant. Quo malo compulsi Azotii, ad declinandam calamitatem, arcam Dei ad Gethæos transtulerunt; qui cum simili clade afficerentur, in oppidum Ascalonensium arcam transvexerunt. his vero, advocatis gentis ejus primoribus, consilium fuit, arcam Domini Hebræis reddere. ita ex sententia principum augurumque & sacerdotum, imposita vehiculo multis cum muneribus remittitur. Illud mirabile, quod cum oneri boves feminas subjecissent, vitulosque earum domi retinuissent, iter nullo duce in Judæam pecudes direxerunt, non revocante affectu fetus relicti: cujus rei miraculo reguli Allophylorum usque in fines Hebræorum arcam secuti, religiosum officium præstiterunt. Judæi autem, ubi referri arcam viderunt, certatim ex oppido Bethsamis cum gaudio obviam ruere, festinare, exsultare, grates Domino referre. mox Leuitæ, quorum hoc negotium erat, sacrificium Deo celebrant, bovesque eas

seu Hieronymus seu alius quispiam verbum ἐξέζεσεν æque ac ἐξέβρασεν nnn potuerit reddere *ebullivit*, ut apud Lucianum σκωλήκων ζέσας, *vermibus scatens*, seu *ebulliens vermes*; & in antiquo proverbio ζεῖ χύτρα, ζῇ φιλία: postremo, additionem quam præfert Veronensis codex, ex antiquiori Vulgata desumtam crediderim ab aliquo, & in margine primum adscripram: neque enim verisimile est, ut si quidem a Hieronymi manu in versionem ex hebræo expressam fuisset inserta, a ceteris MSS. & Vulgata nostra fuisset expuncta: maxime quum alia similis pericope ex veteri versione in eam fuerit importata cap. v.

3 *in oppidum Ascalonensium*) Ita græci codices, εἰς ἀσκάλωνα; in hebræis & Vulgata est *Accaron*, quod itidem oppidum erat ad Palæstinam proprie dictam pertinens. Josephus Ascalonis tantum meminit: scribit tamen arcam per quinque Palæstinæ primarias urbes circumductam: a qua interpretatione non abludit sacer textus 1. Reg. v. 9. Ceterum etiam cap. vi. 16. quo loco hebræus & Vulgata habent *reversi sunt in Accaron*, LXX. præferunt εἰς ἀσκάλωνα.

7 *cum oneri boves feminas subjecissent*) Joannes Clericus notat hunc loquendi modum, utpote minus accuratum: neque enim hæ boves portabant arcam, sed currum cui arca imposita erat, trahebant.

12 *ex oppido Bethsamis*) Drusius: *Immo ex agro, ubi triticum metebant.* Scripserit autem Severus *Bæthsamys* juxta græcum Βαιθσαμύς. alii *Bethsames*, vel *Bethsame*.

13 *grates Domino referre*) Hoc loco, ut notavit etiam Vorstius, *referre grates* est agere gratiam, scilicet verbis tantum, cum apud alios scriptores *referre gratias* sit beneficium beneficio rependere. Ausonius in Oratinne ad Imperatorem Gratianum pro accepto ab ipso consulatu: *Ago tibi gratias, maxime Imperator, & si possem, etiam referrem.*

13 *Leuitæ, quoram hoc negotium erat, &c.*) Notat Vorstius post Drusium, quibus adstipulatur & Clericus, Severum *alucinatum videri, quod Leuitarum in universum hoc munus fuisse putarit, ut sacrificium celebrarent*: sicuti antea vocabulis *sacerdos* & *sacerdotium* non satis recte usus est, quod omnes Leuitas, id est Leui posteros, Sacerdotes vocaverit. Verum hoc objectum haud ægre dilui possit, si observetur primum, Leuitas (quod erat ipsorum munus, ut colligitur ex Num. iv. & 1. Paral. xv.) arcam e plaustro deposuisse, ut sacer textus declarat: deinde urbem Bethsames sacerdotalem fuisse (vide Josue xxi. 15.) in eaque proinde sacerdotem aliquem sacrificio totius civitatis nomine offerendo idoneum repertum facile fuisse: postremo verba Severi commode hanc suscipere interpretationem: *Leuitæ Sacerdotes, quorum hoc negotium erat*. Sic Josue iii. 3. ubi Vulgata, *Et sacerdotes stirpis Leuiticæ*, hebræus habet הכהנים הלוים *sacerdotes Leuitas*. Nulla itaque culpa Severi fuerit, si sacerdotes proprie dictos *Leuitas* vocaverit; cum revera sacerdotes omnes *Leuitæ* essent, licet non omnes Leuitæ sacerdotio fungerentur stricte sumto.

eas quæ arcam adduxerant, immolant. Sed in oppido quod supra diximus, teneri arca non potuit: itaque passim Dei nutu per totam urbem sævitum. area in Cariathjarim oppidum translata est, ibique per viginti annos fuit. Ea tempestate Samuel sacerdos Hebræis præerat. quietis a bello rebus populus in otio degebat. pax dein- XXXII.

3 *per totam urbem sævitum*) Deesse videtur aliquid, scilicet *strage pestilentiæ*, adeo ut juxta LXX. & Vulgatam nostram perierint *de populo septuaginta viri & quinquaginta millia plebis*: qui tamen locus a multis interpretibus, non recentioribus tantum, sed etiam antiquis, præeunte Josepho, ita intelligitur, ut septuaginta tantum percussos fuisse statuant. Quæ sententia ideo fit admodum probabilis, quia vix una civitas, in Palæstina præcipue ubi admodum frequentes erant, tantam civium multitudinem habere potuit. Præterea si tanta clades ibidem facta fuisset, aliquot saltem dierum ea spatio contigisset, adeo ut jam per totam innotuisset regionem illam, nec proinde cives Cariathjarim ausi fuissent arcam intra mœnia sua recipere. atqui Bethsamitæ, quasi rem nuperrimam & nondum divulgatam, denuntiant civibus illis arcam a Philistæis redditam, simul quærentes num ipsi ad se vellent eam traducere. Sed vide interpretes ipsos, quorum plerique hebræum textum ita reddunt: *percussit Deus septuaginta viros e vel ex quinquaginta millibus plebis*. Ita Serarius apud Cornelium a Lapide, & Clericus. At Bochartus Hieroz. sive de Animalibus Script. part. 1. lib. II. cap. 36. hoc pacto: *septuaginta homines, quinquaginta* scilicet *ex mille hominibus*, adeo ut omnes fuerint CIↃCCCC., quorum partem vigesimam Deus percusserit: quod confert cum decimationibus militiæ Romanæ.

3 *in Cariathjarim oppidum translata est*) In domum scilicet Abinadab in colle excelsiori urbis sitam: LXX. ἐν τῷ βουνῷ, ubi forte arx erat. Sed hebræum verbum בגבעה, quod *in colle* sonat, Latinus interpres *in Gabaa*, quasi heic esset nomen proprium loci, vertit tum hoc loco, tum II. Reg. VI. 3. & 4. *De domo Abinadab, qui* (sed lege *quæ*; nam ad domum refertur) *erat in Gabaa*: ubi LXX. ἐξ οἴκου Ἀβιναδὰβ τοῦ ἐν τῷ βουνῷ. Vide I. Paral. XIII. & Joseph. lib. VI. cap. 2.

4 *Samuel sacerdos*) Heic rursus monent Samuelem non sacerdotem, sed Levitam fuisse, quod verbis Hieronymi confirmant, tum ex lib. adversus Vigilantium num. 5. *Samuel & Levita & Propheta fuit*; tum ex lib. I. contra Jovinian. num. 23. *Simulque noscendum quod Samuel Levita, non Sacerdos, non Pontifex fuerit. unde & faciebat illi mater sua EPHOD BAD, superhumerale videlicet lineum, qui habitus proprie Levitarum & minoris est ordinis. unde & in Psalmis non nominatur inter sacerdotes, sed inter eos qui invocant nomen Domini*. Moyses, *inquit*, & Aaron in sacerdotibus ejus, & Samuel inter eos qui invocant nomen ejus. Non negant tamen Augustinum lib. XVII. de C. D. cap. 4. & in Ps. XCVIII., Hieronymum in c. ad Corinth. I. & alios, putasse Samuelem successisse Heli non in principatu tantum, sed etiam in Pontificatu. Illud sane constat Samuelem non semel sacrificia obtulisse, Saulem & Davidem regali unctione consecrasse, aliaque ejusmodi quæ ad sacerdotes spectabant, peregisse: itaque quasi extra ordinem sacerdos fuisse videtur. Nec obstat, quod mater ei Ephod pararet; nam id ad ejus spectat pueritiam, quando munia ætati illi convenientia obibat: nec item obstat locus ex Psalmo allatus; alioquin Moysen verum sacerdotem fuisse dicendum esset.

5 *quietis a bello rebus*) Severus sentit cum plerisque interpretibus, qui statim a morte Heli Israelitas in pace sub Samuelis regimine vixisse multorum annorum spatio putant: alii secus & rectius sentiunt, qui per viginti annos adhuc Philistæis eos servisse, ac demum opera Samuelis in libertatem vindicatos volunt. Sane hic planus Scripturæ sensus videtur esse: nam I. Reg. VII. 2. a collocatione arcæ in Cariathjarim annos XX. effluxisse dicitur, ac tum demum Israelitæ juxta hebræum textum נהו (pro quo verbo vulgatus interpres legit נחה reddens *quieverunt*) *lamentati sunt*, seu *ingemuerunt ad Dominum*. tum eis Samuel (ibidem versu 3.) promittit Deum ipsos a servitute Philistæorum libe-

deinde Allophylorum irruptione turbata. Trepidantibus cunctis ob conscientiam peccati, Samuel, cæsa prius hostia, Domino fretus suos in prælium eduxit; primoque impetu fusis hostibus, victoria penes Hebræos stetit. Sed hostili metu remoto, secundis tranquillisque rebus, corruptis consiliis (more vulgi, cui præsentia fastidio, 5 insueta desiderio sunt) regium nomen, cunctis fere liberis gentibus semper invisum, populus desiderabat, planeque non sine exemplo amentiæ præoptabat libertatem servitio mutare. Igitur frequentes Samuelem circumsistunt, ut, quia jam ipse senuisset, regem eis constitueret. at ille placide, salubri oratione, ab insana voluntate de- 10 torquere plebem: dominationem regiam & superba imperia exponere: libertatem extollere, servitutem detestari: postremo divinam eis iram denuntiare, siquidem homines mente corrupti, Deum regem habentes, regem sibi ex hominibus flagitarent. His atque aliis istiusmodi frustra dictis, cum populus in sententia perseveraret, 15 Dominum consulit; qui permotus vecordia insanæ gentis, nihil adversum se petentibus negandum respondit. Igitur Saul, sacerdotali XXXIII. prius a Samuele unguento perfusus, rex constitutus est. Hic ex tribu Benjamin, Cis patre ortus, modestus animi, forma excellenti erat:

liberaturum, dummodo ex animo ad Dominum convertantur, & idolorum cultum detestentur. deinde (versu 4. & 5.) Samuel eos in Masphat congregavit, ut solemni habita supplicatione pro eis oraret, utque ipsi in eo conventu de republica deliberarent: ac tum demum eos judicare cœpit (versu 6.) Eo conventu a Philistæis cumperto, id quod erat raris, Israelitas de libertate armis vindicanda deliberare, illos statim imparatos primo impetu aggredi & opprimere consilium fuit. sed cum sacrificium Samuel pro suis offerret inito certamine, non sine præsenti Dei ope fusi hostes fuerunt. Itaque, ut a versu 13. & deinceps aperte dicitur, ab eo tempore Israelitæ excusserunt jugum servitutis Philistæorum, adeo ut, quamdiu Samuel judex fuit, nihil contra moliri ausi sint.

3 *in prælium eduxit*) Ita ex MS. Vulgati omnes habent *in prælium deduxit*, quod minus aptum huic loco; ideo reiiciendum duximus. Quod autem *cæsa prius hostia* dixit, minus consentaneum est Scripturæ, quæ prælium initum narrat, dum illud sacrificium offerretur. addit etiam, quod silentio præteriit Severus, hostes ingentibus tonitruis perterrefactos & in fugam versos: quod etiam auctor Ecclesiastici cap. XLVI. 20. notavit. ubi additur & Tyriorum principes in ea pugna Philistæis auxilio fuisse.

5 *more vulgi, cui præsentia*, &c.) Præclare Severus hæc & quæ sequuntur de regia dominatione. Sed in eo aliquantum excusandi sunt Hebræi, quod Samuelis filios, judices ab eo jam sene constitutos, degeneres patris & in avaritiam pronos experirentur: tum quod finitimas gentes omnes, si forte Philistæos excipias, sub regibus agere viderent. utramque sane caussam ex ore ipsorum expressam habemus in sacro textu.

7 *non sine exemplo amentiæ*) Vorstius: *Adeo ut insigne exemplum amentiæ hoc esset.*

13 *Deum regem habentes*) Ita I. Regum VIII. 7., X. 19., & XII. 12. Regimen illud præclare θεοκρατίαν dixit Josephus, contra Apionem.

16 *nihil adversum se petentibus*, &c.) Huc refer S. Augustini præclaram sententiam: *Aliquando Deus iratus dat quod petis, & Deus propitius negat quod petis.*

17 *sacerdotali prius a S. unguento*) Infra cap. XXXIV. *David regali unguento perlitus*: cap. XXXVII. *regali unguento illitus*: cap. XXXVIII. *regali unguento unctus*. Cur itaque heic *sacerdotale* unguentum hoc dicit? Forte quia *regale* dici non potuit, cum nulli adhuc reges eo peruncti fuissent: præcipue cum ejusdem utrumque generis esset.

Digitized by Google

erat; ut merito dignitas corporis dignitati regiæ conveniret. Sed principio regni hujus aliquanta ab eo pars populi desciverat, parere imperio abnuens, seque Ammonitis conjunxerat. verum hos Saul impigre ultus est: victique hostes, & venia Hebræis data. tum Saul iterato a Samuele unctus traditur. Inde Allophylorum irruptione atrox bellum exortum. locum exercitui ad conveniendum Saul in Galgalis constituerat: & quum per septem dies Samuelem opperitus esset, ut sacrificium Domino fieret; tardante illo, quum populus dilaberetur, illicita præsumtione rex ad vicem sacerdotis holocaustum obtulit. multumque a Samuele increpitus, sera peccatum pœnitentia fatebatur. Igitur ex peccato regis metus omnem exercitum pervaserat: castra hostium haud longe sita præsens periculum ostendebant: neque cuiquam exeundi in prælium animus: plures *lacrymas* & latebras petiverant. nam præter imbecillitatem animorum, qui alienum a se Dominum delicto regis arbitrabantur, in maxima ferramentorum inopia exercitus erat; adeo ut præter Saul

1 *ut merito dignitas corporis dignitati regiæ conveniret*) Vide quæ de hoc argumento exempla congerunt Interpretes in cap. IX. Reg. I. unde hæc libavit Severus.

3 *seque Ammonitis conjunxerat*) Ut ab aliis notatum est, hæc aliter in sacro textu narrantur.

3 *verum hos Saul*) MS. *Sed hos Saul*.

4 *tum Saul iterato a Samuele unctus traditur*) Nimirum I. Reg. XI. 15. juxta LXX. *& unxit ibi Samuel Saulem coram Domino*: ubi juxta hebræum & Vulgatam legitur, *& fecerunt ibi Regem Saul coram Domino*. hujus secundæ unctionis meminit & Josephus. Sic David tribus vicibus unctus fuit: primum a Samuele, I. Reg. XVI. 13. I.; iterum, cum a tribu Juda rex salutatus fuit, II. Reg. II. 4.; tertio, cum a cunctis tribubus Israel pro rege est habitus, II. Reg. V. 2.

7 *in Galgalis*) Samuel, I. Reg. X. 8., Sauli præceperat ut in rebus artis in Galgala se conferret, & ibi per septem dies exspectaret suum adventum, quo victimarum oblatione Deum placaret, & a se divinum disceret oraculum. Minime itaque ad historiæ veritatem dicitur, *Saulem constituisse* eum *locum exercitui ad conveniendum*.

8 *opperitus esset*) *Opperitus*, pro quo aliquæ editiones *oppertus*, habuit antiquus liber Herdesianus, habet & MS. noster, ubi tamen deest *esset*.

9 *illicita præsumtione*) Plerique interpretes in hoc consentiunt, ut in eo non peccaverit Saul, quod ipse obtulerit sacrificium (si quidem ipse obtulit, & non potius sacerdotis alicujus opera usus est) sed quod septem integris diebus Samuelis adventum non exspectaverit, prout Dei verbis jusserat ipse Propheta. Lyranus tamen & alii nonnulli Severi sententiam sequuntur.

11 *ex peccato regis metus omnem exercitum perv.*) Hæc & sequentia, quæ Severus post Saulis peccatum contigisse dicit, in sacris libris antea facta narrantur: adeo ut suspicari quis possit, in sacro codice quo ille est usus, versus aliquos transpositos fuisse. sed ipse fortasse per anticipationem ibidem hæc scripta putaverit.

14 *plures* lacrymas *& latebras pet.*) Manifestum mendum, cui tamen sanando nihil confert MS. noster. Optime tamen monuit Drusius, Severum forte edidisse *lacunas* (sive *lacus*) *& latebras*; quod confirmat ex LXX. I. Reg. XIII. 6. ubi cum legatur ἐν τοῖς σπηλαίοις, καὶ ἐν ταῖς μάνδραις, καὶ ἐν ταῖς πέτραις, καὶ ἐν τοῖς βόθροις, καὶ ἐν τοῖς λάκκοις, potuit in antiquissima versione latina *lacuna* vel *lacus* haberi: nam ex lexico veteri βόθρος, *fossa*, *fovea*, *lacuna*: & λάκκος, *lacuna*, *lacus*, *cisterna*. Sic supra cap. X. dicitur *in lacum demissus*. Nos tamen rem arbitrio lectorum maluimus relinquere: diverso tantum charactere vocem *lacrymas*, utpote spuriam, edidimus.

Saul & Jonathan filium ejus, nemo gladium aut lanceam habuisse tradatur: nam Allophyli superiore bello victores usum Hebræis ademerant, neque cuiquam conficiendi teli bellici aut rustici ferramenti potestas fuerat. Igitur Jonatha audaci consilio, solo armigero suo comite castra hostium ingressus, viginti fere ex hostibus interemtis, universum exercitum terrore perculerat. tum vero nutu Dei in fugam versi, non imperia exsequi, non ordines observare, omne præsidium in pedibus habere. quod ubi Saul animadvertit, suis propere eductis fugientes persecutus, victoria potitus est. Eo die rex edixisse traditur, ne quis, nisi confectis hostibus, cibum caperet. sed Jonatha interdictionis ejus inscius, favo reperto, tincto spiculo mel degustaverat. *sed* ubi regi ex Domini ira compertum est, morte affici filium jussit: sed populi auxilio ab exitio vindicatus est. Ea tempestate Samuel a Domino monitus, regem adiit, verbis Domini nuntians, uti genti Amalec, quæ olim Hebræos ex Ægypto venientes transitu prohibuerat, bellum inferret; addito interdicto, ne quid ex spoliis devictorum concupisceret. ita in fines hostium ductus exercitus, rex captus, gens subacta. Saul victus prædæ magnitudine, præcepti divini immemor, capta servari & ferri jubet. quo facto offensus Dominus, Samuelem alloquitur: Pœnitere se, quod Saul regem constituerit. Dictum sacerdos regi refert. mox a Domino monitus, David regali unguento perlinit, parvum etiamnum puerum, sub patre agentem, pastorem ovium, assue-

XXXIV.

1 *gladium aut lanceam*) 1. Reg. XIII. 22. tum in hebræo, tum in græco, & in latino vulgato textu *gladium & lanceam*, non *aut lanceam* habetur. Valde itaque mihi probatur Clerici interpretatio, nimirum neminem ex Hebræis, præter Saulem & Jonathan, gladium simul & lanceam babuisse ob penuriam armorum; sed quosdam gladios habuisse, lanceas alios: nam quis credat, in tanta multitudine bellatorum neminem ferrea gestasse arma?

2 *superiore bello victores usum Hebr. adem.*) Vorstius: *Excidit sine dubio vox* armorum, *aut quid simile*. At hæc referri possunt ad præcedentia. Illud *superiore bello* non de proximo intelligas, quo sub Samuele Philistæi fusi; ut Cicero: *quid proxima, quid superiore nocte egeris*. Vel l. *superioribus bellis*: aut, ut habuit prima editio (notante Gis.) *superiores bello*. tum vero *victores* esset repudiandum, vel in *victis* mutandum. Ceterum in sacro textu id unum innuitur, Philistæos, cum Israelitis dominati sunt, omnes fabros ferrarios ab eorum regione eliminasse ea de caussa, ne umquam arma bellica sibimet ad libertatem vindicandam possent parare.

7 *non ordines observare*) Vorstius suspicatur scriptum fuisse primitus *servare*, quomodo alii dixerunt.

11 *sed Jonatha interdictionis ejus inscius*) Antiquæ editiones *inscio*. MS. brevius & concinnius, *Sed Jonatha interdicti nescius*. Vorstius monet heic & paullo supra legendum potius *Jonathan*, quia apud LXX. est Ἰωνάθαν, sane *Jonathan* edidit & Drusius, quantum ex eius notis colligo. At infra cap. XXXV. *Jonathæ* in secundo casu bis legitur, quod ex recto *Jonatha* derivatur.

12 sed *ubi regi*) Legendum *quod ubi*, vel *id ubi*: alioquin deerit aliquid. Drusius edidit, *Sed id ubi regi*. Verum illud *sed* ter continuo repetitum fastidio non caret, ut ait Giselinus. Vide & Vorstium.

18 *Saul victus*) Fabricius in Orthodox. edidit *victor*, & ita apud Galesinium atramento pictum video cum typi *victus* habeant.

23 *parvulum etiamnum puerum*) Non puer parvulus, sed adolescens vigesimum

assuetum sæpius cithara canere: ob quod postea a Saule assumtus, inter ministros regios habebatur. Qua tempestate Allophylis atque Hebræis bello flagrantibus, cum ex adverso acies constitissent, Goliath quidam ex Allophylis, vir miræ magnitudinis & roboris, suorum ordines prætergressus, ferocibus verbis probra in hostes jaciens singularem pugnam ciebat. Tum rex magna præmia & filiæ nuptias despondit, si quis provocantis spolia retulisset: sed nemo ex tanto agmine aggredi audebat. Igitur David etiamnum puer, pugnæ se obtulit: rejectisque armis, quibus infirma ætas gravabatur, virga tantum & quinque lapidibus sumtis, in prælium processit: primoque ictu, misso funda lapide, Allophylum perculit: caput victi & spolia abstulit: gladium postea in templum posuit. Allophyli autem omnes in fugam versi, victoriam concessere. Sed e prælio reversis, multus circa David favor invidiam regis accenderat: timens autem tam carum omnibus cum invidia & pernicie necare, sub specie honoris objectare eum periculis statuit. Ac primum tribunum eum fecerat, ut rem bellicam curaret. inde, cum ei filiam sponpondisset, fidem fregit, eamque alteri tradidit. mox filia regis natu minor, Melchol nomine, amore David flagrare occœperat. igitur nuptiarum ejus istiusmodi conditionem proponit: si centum præputia David ex hostibus retulisset, regiam virginem matrimonio illius cessuram: sperabat enim juvenem periculosa audentem facile periturum. sed longe aliter ac ratus erat, evenit: nam ut proposuerat, impigre David centum præputia ex Allophylis retulit; atque ita regis filiam in matrimonium

mum circiter annum agebat David, cum unctus fuit rex. Hebræus & græcus textus I. Reg. XIV. II. id unum dicunt, eum minimum natu fuisse inter filios Isai. Ibidem versu 18. dicitur juxta Vulgatam nostram *fortissimus robore, & vir bellicosus, & prudens in verbis*. Sed vide Cornelium a Lapide, aliosque sacros interpretes.

3 *Goliath quidam*) Ita Vulgata & LXX. Γολιάθ. male itaque libri omnes editi præferunt *Goliat*.

8 *David etiamnum puer*) Vide quæ paullo ante notavimus: adde etiam Saulem proceræ staturæ hominem ei vestes & arma sua utenda dedisse, ut cum Goliath pugnaret: neque ea recusavit, quod, ut Severus addit, *iis infirma ætas gravaretur*, sed quod assuetus non esset ita armatus incedere.

12 *gladium postea in templum posuit*) Forte *in templo*: intellige autem tabernaculum Dei, quod erat in Nobe, unde eum postea resumsit, Saulem fugiens. I. Reg. XXI. 9.

18 *eamque alteri tradidit*) Scilicet Merob natu majorem, quam junxit Hadrieli Molathitæ, I. Reg. XVIII. 17. & seqq.

19 *Melchol nomine*) Ita LXX. μελχόλ. In hebræo textu *Michal* legunt vulgo: Vulgata tamen habet *Michol*.

24 *centum præputia ex Allophylis retulit*) I. Reg. XVIII. 27. juxta hebræum & Vulgatam ducentos Philistæos occidisse David, eorumque præputia Sauli obtulisse dicitur: sed apud LXX., quos noster sequitur, centum tantum dicuntur, quot nimirum poposcerat rex. Sane lectionem hanc confirmat ipse hebræus textus & vulgatus II. Reg. III. 14. *Redde uxorem meam Michol, quam despondi mihi centum præputiis Philistæorum*: nam si ducenta obtulisset, cur non totidem heic David ipse memorasset? Josephus pro præputiis hostium capita, eaque sexcenta, allata ad Saulem a Davide scribit contra sacræ historiæ fidem.

XXXV. nium accepit. Crescebat in dies in eum regis odium stimulante invidia: quia bonos semper mali insectantur. igitur ministris & Jonathæ filio imperavit, vitæ ejus ut insidias pararent. sed Jonathæ carus acceptusque jam inde a principio David fuerat: itaque rex increpitus a filio, cruentum imperium repressit. Sed non diu mali 5 boni sunt. nam cum spiritu erroris Saul affligeretur, eique David assisteret cithara laborantem deliniens; lancea eum ferire conatus est, nisi ille letalem ictum propere declinasset. Exinde jam non occulte, sed palam ei necem parabat: nec ultra se David regi credidit. Ac primum fugiens, ad Samuelem se contulit: inde ad Abi- 10 melech, postremo ad regem Moab confugit. mox per Gad prophetam

6 *nam cum spiritu erroris Saul*, &c.) *Spiritus Dei malus* dicitur in sacris litteris, *Dæmonium* scilicet, quod & capite sequenti a Severo *spiritus erroris* dicitur ex imitatione forte Joannis, epist. 1. cap. IV. 6. Alii atram bilem fuisse censent, sive melancholiam, quæ Saulem vexaret: ideoque opportunum ei curandæ remedium fuisse musicen. Sed utrumque stare potest. dæmon eum invadens scilicet, in deliria & furores melancholicos stimulabat.

7 *lancea eum ferire c. est.*) Hæc prima & unica mentio habetur Saulis lancea Davidem transfigere tentantis, juxta versionem LXX. 1. Reg. XIX. 10.; cum Vulgata nostra juxta hebræum capite superiori versu itidem 10. idipsum narret, addatque *declinasse David a facie ejus secundo*, quasi & antea id contigerit. Sed nec Josephus Ant. Jud. VI. cap. 14. hujus facti meminit plus quam semel, hac eadem nimirum occasione.

9 *palam ei necem parabat*) Nimirum cum satellites misit, qui eum domi suæ interficerent.

10 *inde ad Abimelech*) Ita LXX. *Ἀβιμέλεχ*: contra hebræus textus perpetuo & Vulgata Achimelech אחימלך. At S. Hilarius, alium forte interpretem secutus, in Ps. LI. num. 3. *Achimelec* legit; interpretatur enim *fratris mei imperium*: & Augustinus Enarrat. in eumdem Psalmum utramque lectionem agnoscit. liquet ergo variasse ipsos græcos codices, & antiquissimam latinam versionem ex iis expressam. Porro Ludovicus Capellus Criticæ Sacræ lib. II. cap. 2. num. 11. hanc scripturæ varietatem factam censet *ob litterarum* ח *&* ב *figuræ similitudinem*: ב *enim nihil aliud est quam* ח *in latus inclinatum*. At multo probabilius Scipio Maffejus, patriæ decus, in pereruditа Præfatione ad editionem Veronensem Opp. S. Hilarii, ad col. 78. *Cujus diversitatis ratio est*, inquit, *quod in antiquis hebræorum libris nomen hoc non scriberetur per beth, seu cheth dicamus*, אחימלך, *ut in recentioribus, sed per caph: quæ littera* כ *cum maximam habeat similitudinem cum* ב, *facillima fuit earum commutatio. Hoc autem certo comperi a veteri auctore Breviarii in Psalmos D. Hieronymo olim adscripti; sic enim ad hunc locum:* In Regnorum libro, & in ipso hebraico Psalterio Abimelech scriptum est; sed quoniam beth & caph apud Hebræos litteræ modico apice distinguuntur, ideo error facilius obrepsit. Hæc ille. Ego putarim verum viri nomen fuisse Achimelech per ח (sic enim concordat cum 1. Reg. XIV. 3., ubi *Achia* dicitur per apocopen, Hebr. אחיה, LXX. *Ἀχιά*) sed ob soni litterarum ח & כ vicinitatem, pro אחימלך scriptum אכימלך: tum in aliquibus exemplaribus כ in ב mutatum. Porro hic Achimelech Marci II. *Abiathar* dicitur, non, ut putavit Capellus loco modo citato, non, inquam, *vel lapsu aliquo μνημονικῷ, vel quia Abiathar fuit filius Achimelech, qui* &c.; sed quod tum patri, tum filio utrumque nomen esset, Achimelech & Abiathar. quod ex collatione textuum II. Reg. VIII. 17. & I. Paralip. XV. 11. & XVIII. 16. manifeste liquet. quibus in locis cum bis *Achimelech* legatur etiam apud LXX., manifesto evincitur *Abimelech* ex prava scriptura derivatum. Ut in semitam redeamus, uti notavit Drusius, *post vocem* Abimelech *adde, si placet*, post ad regem Geth: *nam id omissum a Sulpicio*.

Digitized by Google

tam monitus, in terram Judæ regressus, vitæ periculum adiit. Ea tempestate Saul Abimelech sacerdotem interemit, quod David recepisset: & cum ex ministris regiis nemo in sacerdotem manus inferre auderet, Doeg Syrus cruentum ministerium exsecutus est. Post
5 id David desertum petiit. illuc quoque eum Saul persequutus est: sed inani opera ejus exitium moliebatur, quem Dominus protegebat. Erat in deserto spelunca vasto recessu patens. in hujus interiora David se conjecerat. Saul nesciens in primo speluncæ aditu reficiendi corporis gratia successerat, ibique somno captus requiescebat.
10 quod ubi David animadvertit, hortantibus cunctis ut opportunitate uteretur, abstinuit regis exitio: diploidem tamen ejus abstulit. Mox egressus, tuto eminus loco a tergo regem allocutus est, sua in illum commemorans beneficia, Ut sæpe pro regno ejus caput periculis objectasset, utque postremo præsenti tempore a Domino sibi tradi-
15 tum interimere noluisset. Ad hæc culpam Saul fateri, veniam precari, lacrimas fundere, pietatem David extollere, malitiam suam incusare, regem eum & filium appellans. Tantum ex feroci illo animo mutatum, crederes nihil ultra adversum generum ausurum. sed Da-

1 *In terram Judæ*) Libri quidam *Judææ*. melius fortasse *Juda*, ut est etiam apud LXX. *εἰς γῆν ἰούδα*.

1 *vitæ periculum adiit*) Nimirum ut a Ceilensibus Sauli obsidionem ejus oppidi paranti traderetur. ita 1. Reg. XXIII.

2 *Abimelech Sacerdotem interemit*) cum *omni domo patris sui*, ut Scriptura loquitur, uno Abiathar ejus filio fuga elapso, ut fusius ibidem.

2 *quod David recepisset*) MS. *cur David recepisset*, quam genuinam lectionem esse, alia multa similia Severi loca evincunt. Sic cap. XXXVIII. *veniam a Domino petens, cur in id animos extulisset, ut regni* &c.: ubi tamen perperam Sigonius & Vorstius *quod* pro *cur* legendum esse monent. cetera exempla ibidem indicabimus. Ita & Horatius libro I. epistol. VIII.

Fidis offendar medicis, irascar amicis,
Cur me funesto properent arcere veterno.

4 *Doeg Syrus*) Melius MS. *Doec*, juxta græcum *δωὴκ*. *Syrus* autem dicitur juxta LXX. & Josephum, qui in Vulgata juxta hebræum est *Idumæus*. ratio diversitatis est, quia illi pro האדמי legerunt הארמי, parva admodum inter ד & ר figuræ discrepantia. iidem tamen græci interpretes in titulo Psalmi LI. reddiderunt *δωὴκ τὸν ἰδουμαῖον*: ita & apud Hilarium sæpius *Doec Idumæus*. aliqui codices, ut Complutensis, etiam hoc loco *ἰδουμαῖος* legunt. Similis omnino in hac voce immutatio etiam occurrit IV. Reg. XVI. 6. Vide ibidem Calmetum.

8 *in primo speluncæ aditu*) Vorstius monet ita scriptum pro *in primum s. aditum*.

9 *reficiendi corporis gratia*) Notarunt Drusius & Vorstius apud LXX. haberi *παρασκευάσασθαι*, quod Severus (seu potius latinus interpres antiquissimus) verterit *corpus reficere*. Iidem addunt Henricum Stephanum in Thesauro linguæ græcæ jam pridem suspicatum fuisse pro *παρασκευάσασθαι* primitus scriptum fuisse *ἀποσκευάσασθαι*, quod *purgare ventrem* significat, estque consentaneum hebraicæ *φύσει* & ceteris omnibus interpretibus. Quod autem *somno captum requievisse* Saulem additur, Severi interpretamentum videtur, quo tamen confirmatur sacros tunc codices latinos habuisse *corpus reficere*, aut aliquid simile.

11 *diploidem tamen ejus abstulit*) LXX. *ἀφεῖλε τὸ πτερύγιον τῆς διπλοΐδος τοῦ σαοὺλ λαθραίως*: *abstulit*, seu *abscidit*, *oram diploidis Saul clam*. Interpres noster, *oram chlamydis*.

17 *regem eum & filium appellans*) I. Reg. XXIV. 21. *Scio quod certissime regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum Israel.*

David, qui penitius ingenium mali ſpectatum haberet & cognitum, nihil regi credendum ratus, intra eremum ſe continebat. Saul vecors animi, quia comprehendendi generum poteſtas non erat, filiam ſuam Melchol David, ut ſupra retulimus, nuptam, Phaltim cuidam in
XXXVI matrimonium dedit. David ad Allophylos confugit. Ea tempeſtate 5
Samuel diem functus eſt. Saul Allophylis bellum inferentibus Dominum conſulit, nullumque eſt ei reſponſum redditum. tum per mulierem cujus, viſcera ſpiritus erroris impleverat, Samuelem evocatum conſulit. dictum ei ab eo eſt, poſtero illum die cum filio victum ab Allophylis in prælio caſurum. Igitur Allophyli caſtris in 10
hoſtili ſolo poſitis, poſtero die aciem inſtruunt, David tamen ex caſtris remiſſo: quia parum crediderant ſibi illum adverſum ſuos fidum fore. Sed conſerto prælio, Hebræi fuſi: filii regis cadunt: Saul equo delapſus, ne vivus in poteſtatem hoſtium veniret, gladio ſuo incubuit. De ætate imperii ejus parum certa comperimus, niſi quod 15
in Actibus Apoſtolorum XL annos regnaſſe dictus eſt. quamquam ego arbitror tum a Paullo, cujus illa prædicatio refertur, etiam Samuelis annos ſub regis iſtius ætate numeratos. Plerique tamen
qui

1 *qui penitius*) Ita libri omnes impreſſi præter Colonienſem a Vorſtio laudatum, qui habuit *penitus*, & Lipſienſem, contra tamen ipſius Vorſtii mentem, qui *penitus* quidem magis ſibi placere notavit, receptam tamen lectionem in textu retinuit. Cur autem *penitus* magis ipſi arriſerit, neſcio. unum ſcio, *penitius* latiniſſimum eſſe, & huic loco accommodatiſſimum. Sequitur *ingenium mali*, pro quo forte legendum *ingenium malum*.

2 *intra eremum ſe continebat*) Quo tempore ingreſſus noctu tentorium Saul dormientis, ejus haſtam abſtulit. quod fuſe narratur 1. Reg. XXVI.

4 *Phaltim cuidam*) Druſius: *Editio Romana Bibliorum φαλτὶ habet, ceteræ φαλτὶν. Faltim autem eſt ex φαλτὶμ, quod in locum φαλτὶν irrepſit librariorum culpa*. Utcumque res ſe habeat, cum aſpiratione initio ſcribendum fuit *Phaltim*, non, ut hactenus Mſctiptorum vitio obtinuit, *Faltim*.

7 *nullumque eſt ei reſponſum redditum*) MS. non agnoſcit verbum *eſt*.

8 *cujus viſcera ſpiritus erroris impl.*) LXX. γυναῖκα ἐγγαστρίμυθον, *mulierem ventriloquam*, ſeu *Pythoniſſam*. Sed vide quæ circa initium capitis ſuperioris notavimus de *ſpiritu erroris*.

8 *Samuelem evocatum*) Diverſas Patrum & interpretum de hac Samuelis evocatione ſententias congeſſit Calmetus in peculiari Diſſertatione præfixa Commentarin librorum Regum.

9 *cum filio victum*) Legendum *cum filiis* juxta ſacram hiſtoriam, atque adeo Severum ipſum paullo infra ſcribentem *filii regis cadunt*. conſentiunt Druſius & Vorſtius.

13 *Saul equo delapſus*) Druſius: *Hoc de ſuo addidit, ut apparet: nam nec in Scriptura, nec etiam apud Joſephum legitur*.

16 *quamquam ego arbitror*, &c.) Ita & Euſebius, quem infra laudat, quemque ex recentioribus plerique ſequuntur. at mihi, quoties locum Apoſtoli Act. XIII. expendo, integros quadraginta annos Saulis regno aſſignatos videre videor: nam verſu 20. Judicum tempus omne annis fere CCCCL. comprehenditur, juxta quidem codices græcos & ſyriacos, *uſque ad Samuel prophetam*, ipſo nimirum comprehenſo (cur enim tempus, quo Samuel propheta judex fuit, a præcedentium judicum ætate divelli & ſeparari debuiſſet?) donec (verſu 21.) Hebræi ſibi regem petierunt: *Et exinde* (ſcilicet poſt annos fere CCCCL. & judicem Samuelem) *poſtulaverunt Regem: & dedit illis Deus Saul filium Cis ..... annis quadraginta*. Ergo illud quadraginta annorum ſpatium regno Saulis juxta Paullum eſt adſcribendum. ſed de hoc fortaſſe alias.

17 *cujus illa prædicatio*.) Forte *illic*.

Google

qui de temporibus ſcripſerunt, xxx eum annos regnaſſe adnotaverunt: cui opinioni nequaquam accedimus. nam ea tempeſtate qua Domini arca in Cariathjarim oppidum translata eſt, necdum regnare Saul cœperat: refertur autem per David regem ex illo oppido arcam ſublatam, cum per xx annos ibi conſtitiſſet. ergo, cum intra id tempus Saul regnaverit atque deceſſerit, parvo admodum ſpatio tenuit imperium. Eadem nobis de temporibus Samuelis caligo, ut qui cum Heli ſacerdote natus, admodum ſenex ſacerdotio functus referatur. A nonnullis tamen qui de temporibus ſcripſere (quia vere nihil de ejus annis ſacra hiſtoria ſignavit) LXX annis præfuiſſe populo refertur: ſed unde hæc auctoritas fuerit aſſumta, non reperi. Nos in tanta erroris copia, Chronicorum adnotationem ſecuti (quia eam ex Apoſtolorum Actibus, ſicut ſuperius

1 xxx *eum annos reg.*) Neſcio quos heic auctores laudet. nonnulli quidem XL. annos integros Sauli attribuerunt, D. Paullum ſequuti: alii xx. tantū, in quibus Joſephus juxta Epiphanii verſionem: *quæ lectio* (judicio Druſii & editoris nuperrimi Operum Joſephi) *in omnes partes melior eſt*. ita etiam ſenſit Theophilus & Eutychius Antiocheni, & Clemens Alexandrinus. Horum ſententiam præ oculis habuit fortaſſe noſter: nam facile irrepſerit in ipſius textum error, ſcilicet xxx. pro xx.

2 *nam ea tempeſtate*, &c.) Argumentum hoc ſi quidquam valeret, contra ipſum Severum faceret: nam ſi viginti tantum excurrerunt anni ab arca in Cariathjarim locata uſque ad illud tempus quo David eam in Sion tranſtulit, nullo pacto potuerunt Samuel & Saul quadraginta annis populo præeſſe, ut ſtatuit Severus; cum vel juxta ipſius mentem, ut patet ex fine cap. XXXI., paullo poſt Heli mortem & ſub initium imperii Samuelis arca Cariathjarim allata fuerit. Verum quo pacto nodus ille ſolvendus ſit, ſuo loco notavimus.

8 *ut qui cum Heli*) MS. non agnoſcit *ut*, neque tamen ſatis adhuc dilucidatur obſcurus & implexus locus, niſi paullo infra expungas *tamen*, & interpunctionem ita reſtituas: *qui, cum .... referatur; a nonnullis qui de temporibus ſcripſerunt .... præfuiſſe populo refertur*. Sane vix dubito quin ita ſcripſerit Severus.

10 *quia vere nihil*) Ita MS., Galeſin., Giſelin., Fabricius & alii. Hornius & Vorſtius *fere*.

11 LXX. *annis præf.*) Druſius: *Quærendum quinam Chronologi ſic ſentiant, & an non potius legendum ſit* xx. annis; *quæ auctoritas a Joſepho aſſumta*. Ego conjecturam Druſii rejicio, præcipue quod is numerus cum præcedentibus non cohæreat, ut par eſſet. quos autem auctores hic laudet, me cum Druſio neſcire fateor. Hilarion: *Huic* (ſcilicet Heli) *ſucceſſit Samuel, etiam ipſe Dei Sacerdos* (congruit etiam in hoc cum Severo: ſed vide quæ notavimus ſupra pagina 53.) *& judicavit annis* XL., *uſquequo unxit Saul*. Si poſt Saulem regnantem triginta adhuc annis ſuperſtitem fuiſſe Samuelem ponas ex ſententia ejuſdem Hilarionis, aut aliorum ejus ætatis Chronologorum; nam hoc Scriptura omnino ſilet; exſurget ſumma prædicta. Quid? quod Africanus, apud Euſebium Præp. Evang. lib. x. cap. x., Heli & Samueli attribuit annos nonaginta: *ἐφεξῆς δὲ Ἠλὶ καὶ Σαμουὴλ ἔτη ϟ'*: ex quibus ſi viginti Heli adſignes juxta LXX., reliqui erunt ſeptuaginta proprii Samuelis. Hunc itaque auctorem ſequi potuit Severus, quoniam ejus liber judicio Dodvvelli jam tum latinitate donatus fuerat.

12 *Chronicorum adnotationem ſecuti*) Druſius & Vorſtius Euſebii Chronica a Hieronymo latina facta laudari jure cenſent: & Pontacus in Apparatu in Notas & caſtigationes in illud opus: *Nonnumquam vocatur ſimpliciter* Chronicum *ſine adjectione nominis auctoris. Severus enim Sulpicius* (lib. I.) *non ſemel ita ſcribit*: Legitur, *inquit*, in Chronicis, *dum refert aut citat aliquid ex hoc Chronico*. meminit nimirum Chronicorum etiam cap. XLII. & XLVI. & alibi.

perius memoravimus, profectam arbitramur) Samuelem & Saulem
XXXVII XL annos principatum egisse referimus. Saul peremto, David in terra Allophylorum, perlato ad se mortis ejus nuntio, miro pietatis exemplo flevisse traditur. Tum Chebron Judææ oppidum petiit. ibi rursum regali unguento illitus rex appellatus est: sed Abner, 5 qui magister militiæ Saul regis fuerat, spreto David Isbaal regis sui filium regem constituit. Crebris deinde præliis inter duces regum concursum: pulsus Abner sæpius; fratrem tamen Joab, qui ex parte David exercitui præerat, fugiens peremit. quo dolore postea Joab, cum se Abner David regi dedisset, jugulari eum præcepit non 10 sine dolore regis, cujus fidem cruentaverat. Per idem tempus omnes fere natu majores Hebræorum publico consensu regnum ei totius gentis detulerunt; nam per septem annos in Chebron tantum regnaverat. ita tertio rex ungitur, annorum circiter XXX. Allophylos in regnum irruentes secundis præliis repulit. Ea tempestate arcam 15 Domini, quæ in Cariathjarim oppido, ut supra retulimus, erat, in Sion transtulit. cumque ædificare Domino templum in animo haberet, divinum ei responsum redditum, Semini illius id reservari. Bello deinde Allophylos domuit, Moabitas subjugavit, Syriam subegit, stipendiumque ei imposuit; auri atque æris ex præda immen- 20 sum modum retulit. Bellum deinde adversum Ammonitas ex injuria Chanun regis eorum exortum. Syris denuo rebellantibus, qui cum Ammonitis in bellum conjuraverant, David summam rerum Joab principi militiæ permiserat: ipse a bello remotus, intra Hierusalem
XXXVIII commorabatur. Qua tempestate Bersaben quamdam miræ feminam

1 *Samuelem & Saulem*) Mendose in sola Lipsiensi editione *Saulum*.

6 *Isbaal regis sui filium*) Drusius: *Sic vocatur* I. *Paralip.* VIII. 33. *ubi latin. vetus* Esbaal. *ceterum* II. *Samuel* II. 8. Isboseth *nominatur*.

11 *omnes fere natu majores*) Vorstius: *Miratur Drusius, cur adjecerit voculam* fere, *cum nemo excipiatur. Sed solemne hoc est Auctori nostro, ut eam voculam παρέλκουσαν faciat, ut infra cap.* XL. *bis.* Factum id autem post Isboseth insidiis Rechab & Baana occisum.

14 *annorum circiter* XXX.) Etiam hoc loco *circiter* abundare videtur; nam II. Reg. V. 4. *filius triginta annorum* perspicue dicitur.

18 *Semini illius id reservari*) Notant Drusius & Vorstius, semen juxta textum II. Reg. VII. 12. heic poni de uno filio, scilicet Salomone, ut & Geneseos IV. 25.: huc spectat & Paulli locus ad Galat. III. 16. Addunt editionem Coloniensem habere *servari*; sed repugnant alii libri antiquiores, ut Galesinii & Giselini.

21 *ex injuria Chanun regis*) Drusius: *vel* Chanon, *sive* Anon. Certe mihi quoque suspectum sit *Chanun*, tum quod in editione græca est *ἀννὼν* cum duplici *ν*, & sine aspiratione, tum quod MS. licet corruptam lectionem præferat *ex injuria anjmæ regis*, indicio est tamen antiquiores codices propius accessisse ad græcorum lectionem.

24 *Bersaben quamdam*) Legerem *Bersabee* indeclinabile, ut infra, vel *Bersabeen* in quarto casu. *Bersabee* autem est ex græco *βηρσαβεέ*, quomodo græci omnes patres ac latini antiquiores hoc nomen efferunt. ita Hilarius, & ipse Hieronymus juxta MS. antiquum Capituli Veronensis in epist. ad Eustochium, quæ in novissima editione est XXII. num. 12., ubi libri impressi juxta Vulgatam habent *Bethsabee*. itaque LXX. legerunt בר־שבע. In codice hebræo II. Reg. XI. dicitur בת־שבע בת אליעם, *Batseba*

nam pulcritudinis ſtupro compertam habuit. Hæc *viri* cujuſdam uxor, qui tum in caſtris erat, fuiſſe traditur. hunc David iniquo pugnæ loco objectum hoſtibus, interficiendum curavit. ita mulierem matrimonio vacuam, ſed jam ex ſtupro gravidam, numero uxorum aggregavit. Tum per Nathan prophetam graviter increpitus, licet agnito errore, caſtigationem Domini non effugit: namque filium ex furtivo illo concubitu editum paucos poſt dies amiſit, multaque in domum familiamque ejus exſecranda acciderunt. ad extremum Abſalon filius ejus arma impia adverſus patrem ſuſtulit, regno eum depellere cupiens. Adverſus hunc Joab acie conflixit, admonitus a rege, ut victo parceret: ſed ille ſpreto imperio, parricidiales conatus ferro ultus eſt. Flebilis ea victoria fuiſſe regi traditur: tanta in eo pietas erat, ut etiam parricidæ filio ignoſci voluerit. Vix hoc bellum exſtinctum videbatur, aliud rurſum exortum Sabæa quodam duce, qui peſſimum quemque ad arma incitaverat: ſed propere motus omnis morte ducis repreſſus. Crebra deinde adverſus Allophylos David prælia ſecundo eventu habuit: cunctiſque bello domi-

ſeba filla Eliam. 1. Paral. autem בת־שוע בת עמיאל, *Bat-ſua*, vel *Bat-ſeva filia Amiel*: ubi in primo nomine ב in ו mutatum fuit, in ſecundo eſt litterarum tranſpoſitio, ſervata tamen nominis etymologia: nam, ut notavit etiam Calmetus, tum *Eliam* tum *Amiel* ſonant *populus meus eſt Dei*.

5 *ſtupro compertam habuit*) *Stuprum* pro *adulterio* haud infrequens in latinis ſcriptoribus, ſed *ſtupro compertam* pro *cognitam* Severo peculiare. ſane *comperire* eſt *deprehendere*: itaque *ſtupri compertas* dixerunt veteres mulieres ejuſmodi turpitudinis reas manifeſtas & convictas. Hæc fere Vorſtius.

1 *Hæc* viri *cujuſdam uxor*) Minime dubium eſt mihi Severum ſcripſiſſe, *Hæc Uriæ cujuſdam uxor*. nam primo, maxima intercedit ſimilitudo inter *Uriæ* & *viri*, adeo ut librarii antiqui facile labi potuerint: ſecundo, alibi ſæpius, immo perpetuo, nomina ipſa virorum ponit, ac pleruͤque, ad imitationem meliorum, ita ſcribere ſolet: *Uriæ cuidam*, pro *cuidam nomine Uria*: ſic paullo ſupra *Phalem cuidam*, & paullo infra *Sabæa quodam duce*, immo hoc ipſo in loco *Berſabeu quamdam*, &c.: tertio denique, quæ potiſſima ratio eſt, hoc eodem capite infra habetur *Salomonem filium ex Berſabee Uriæ uxore ſuſceptum*. qui enim illic *Uriam* poſuiſſet, niſi ante nominaſſet? Emendationem ſatis ſit indicaſſe: in textum, qui volet, inſerat.

3 *ita mulierem matrimonio vacuam*) MS. hanc emendationem ſuggeſſit, ubi tamen *in* ſeu *m* redundat: *mulierem in matrimonio vacuam*. Antea erat *mulierem in matrimonio viduam*, &c. itaque legendum conjiciebam *mulierem viduam*, *ſed jam ex ſtupro in matrimonio gravidam*. *Mulier vacua*, ſive *ſine marito* dictum fuit etiam a Tacito Annal. XIII. de Pontia: *Sed ubi mulier vacua fuit*, &c.

6 *licet agnito errore*) *Agnoſcere errorem* eſt fateri non ſine pœnitentia. ſic Dial. 1. cap. XIV. *lapa furti crimen agnoſcit*. ſic Tacitus Annal. VI. ita loquentem inducit M. Terentium: *Fortunæ quidem meæ fortaſſe minus expediat adnoſcere crimen quam abnuere: ſed utcumque caſura res eſt, fatebor*, &c. David itaque licet ſe peccaſſe faſſus ſit & doluerit, pœnam tamen *non effugit*: MS. *fugit*.

8 *multaque.... exſecranda acciderunt*) Innuit Thamarem virginem ab Ammon fratre compreſſam, ipſumque Ammon ab Abſalone occiſum.

9 *Abſalon filius*) MS. *Abeſſalon*, plane juxta LXX., qui ſcribunt ἀβεσσαλώμ.

14 *aliud rurſum exortum*) Sigonius, non improbante Druſio, *cum* excidiſſe putavit: *cum aliud*, &c. ſed ea adjectione nihil eſt opus.

14 *Sabæa quodam duce*) Græci interpretes σαβεέ, *Sabee*: itaque ſcripſerit fortaſſe Severus. in Vulgata eſt *Seba* II. Reg. XX.

mitis, & tam exteris quam domesticis motibus compressis, florentissimum regnum in pace habebat. Tum eum subita cupido incessit, ad metiendas imperii vires, populum censere. ita a Joab militiæ magistro decies centena & trecenta civium millia dinumerata. Hujus eum facti mox piguit pœnituitque, veniam a Domino petens, cur in id animos extulisset, ut regni sui potentiam ex fuorum potius multitudine quam ex favore divino æstimaret. Itaque missus ad eum angelus, trinam ei pœnam denuntiat, datque arbitrium unam eligendi. sed proposita triennii 5

4 *decies centena & trecenta civium millia*) Ita nimirum colligitur ex II. Reg. XXIV. 9., ubi juxta Hebræorum textum & omnes interpretes ex Israel *octingenta millia*, ex tribu Juda *quingenta millia pugnatorum* censa referuntur: (nam quod Theodotionem pro octingentis nongenta, pro quingentis quadringenta posuisse in Hexaplis notatur, nobis perinde est.) Ingens sane numerus bellatorum, ex quo consequitur omnes utriusque sexus & ætatis Judæos ad quinquaginta fere aut eo amplius centena millia pervenisse. attamen I. Paralip. XXI. hic census mirum quantum excrescit. Multi autem multa commenti sunt, ut utrumque textum conciliarent, sed irrito, ut videtur, conatu: nam quo major numerus statuitur, eo magis fidem omnem superat, in illa tam angusta regione immensum illum accolarum numerum degere atque ali potuisse. Præstat itaque credere scribarum culpa aut negligentia Paralipomenon textum corruptum in notis numeralibus, quibus olim sacrorum librorum scriptores creduntur usi. ita Calmetus. vide etiam ex Heterodoxis Ludovicum Capellum Criticæ sacræ lib. I. cap. X. num. IX., immo toto fere eo capite, ubi de numerorum ex variis Scripturæ locis inter se collatorum diversitate disputat, & Clericum in commentario; qui tamen de utriusque calculi fide suspicionem movet.

5 *veniam a Domino petens*) Merito Vorstius & Clericus notarunt participium casus recti *petens* cum proxime antecedenti *eum piguit* non congruere. Simile huic est quod supra cap. I. vidimus: *visum est mihi .... locuturus*. Sed de his videnda Ars critica ejusdem Clerici parte 2. sect. I. cap. X, ad quam ipse lectorem amandat.

5 *cur in id animos ext.*) Hoc eodem libro cap. XLIV. *Achab verbis Dei a propheta increpitus, cur abusus divino munere, hosti sibi tradito pepercisset*: tum lib. II. cap. XV. Holofernes *ira accensus, cur ex ..... putaretur*: denique Tomo I. Dial. I. cap. X. *virgis utrumque compescuit, multum objurgatos, cur ipsi ..... prodidissent*. Hæc adversus Vorstii notam, qui monuit *legendum omnino quod in id animos extulisset, ut Sigonius monuit*: quibus adde quæ cap. XXXV. pag. 59. notavimus.

5 *animos extulisset, ut*, &c.) Hæc Ambrosii, Augustini omniumque fere interpretum sententia est, in eo peccasse David fastu, ambitione, elatione animi. aliorsum tamen id factum accepit Josephus, quem sequuntur Abulensis, Cajetanus & alii. nimirum in eo David deliquisse statuunt, quod in hoc censu neglecta ab eo fuerit lex Exod. XXX. 13., qua juberi putant, ut in censu quisque persolvat dimidium siclum. verum non ea lex est, qua in perpetuum cautum fuerit, ut in quolibet censu peragendo ea pecunia solveretur; sed ideo census tum Moysi imperatus, ut quilibet ad Tabernaculi constructionem conferret symbolam. nec sane ullo in loco hoc Deus Davidi peccatum exprobravit, aut David sibi; sed haud obscure aliud, de quo Severus.

7 *missus ad eum angelus*) Gad propheta, non angelus. Vorstius Gad ita vocatum ait a Severo, *quod sciret prophetas quoque in sacris litteris* מלאכים *ἀγγέλους, idest nuntios, Dei puta ad homines, adpellari*. Dixisset saltem *Gad angelus*. Ego memoria potius lapsum crediderim in eo, ut angelum de quo mox, optionem hanc Davidi dedisse significare voluerit.

8 *triennii fame*) Ita LXX., ut & hebræus codex I. Paralip. XXI. 12., qui contra hoc loco *septem annos famis* indicat, cui concordat & Josephus. Conciliationes varias comminiscuntur interpretes; sed verosimillimum videtur, in he-

Digitized by Google

nii fame, trium mensium fuga, morte tridui; fugam & famem detestatus, mortem elegit: momentoque temporis LXX millia virorum interiere. Tum David videns angelum, cujus dextera populus prosternebatur, veniam precari, seque unum pro omnibus
5 pœnæ objicere: se dignum exitio, quia ipse peccasset. Ita aversum plebis supplicium. David in loco, in quo angelum viderat, aram Domino statuit. Mox annis & morbo infractior, Salomonem filium, ex Bersabee Uriæ uxore susceptum, successorem regni constituit. Is regali unguento per Sadoc sacerdotem unctus, patre adhuc inco-

lu-

hebræum textum hoc loco mendum irrepsisse. *Videntur*, inquit Grotius, *numeri hi olim per notas scripti, ut & apud gentes alias; & hinc facilis mutatio.* Sane inter litteras ז & ג, quarum prior septem, altera tres notat, admodum facilis in scriptura præsertim minutiore confusio. Quod LXX. lectionem præterea confirmat, est numerus trium mensium exsilii, & trium dierum pestilentiæ: nam pro pœnæ gravitate gradatio fit ab annis ad menses, a mensibus ad dies, servato tamen ubique ternario numero. addit Clericus septem annorum famem pœnam esse multo reliquis atrociorem. Præter jam laudatos confer Ludovicum Capellum in Critica Sacra, & Samuelem Bochartum, & Calmetum.

1 *trium mensium fuga*) scilicet *exsilio*, Sic Virgilius: *Nos patriam fugimus*. est ex græco φεύγειν, & φυγή.

1 *morte tridui*) Planum est *mortem* hic esse pestem; sequiturque LXX., qui pariter utuntur voce θάνατος.

1 *fugam & famem detestatus, mortem elegit*) Si hebræum & Vulgatam attendamus, id unum David deprecatur, ne in manus hominum incidat, scilicet fugam ab hostibus suis: ceterum seu fame, seu peste puniri debeat, Deo committit. At LXX. addunt eum sibi pestem elegisse; cujus rationem hanc tradit Josephus: quod famis & hostium incommoda facile ipse tolerare & evadere posset, has pœnas respuit; elegit autem pestilentiam, cujus discrimen æque sibi ac subditis subeundum esset. quam interpretationem sequuntur plerique ea Patribus. Ceterum pro *detestatus* forte legendum *deprecatus*.

2 *momentoque temporis*) Non consentiunt interpretes quamdiu duraverit hæc pestis. LXX. (quibus concordat Josephus, & Chaldæus paraphrastes, Syriacus & Arabs) a mane ad prandii tempus, seu sex fere horarum spatio eam stragem concludunt: ἀπὸ πρωΐθεν ἕως ὥρας ἀρίστου. Hanc sententiam sequutus certe Severus, & multi ea antiquis Patribus. Vulgata juxta hebræum habet *de mane usque ad tempus constitutum*. quæstio autem est, quodnam sit illud *tempus constitutum*, עת מועד. Bochartus vel meridianum tempus, vel vespertinum esse asserit, sed vespertinum potius, cum circa diei horam nonam conveniret populus ad publicas preces: ita fere Vatablus & alii. Sed hoc Tostatus aliique magno numero, quos inter Clericus & Calmetus, de triduo jam Davidi a Deo constituto intelligunt.; huic tamen sententiæ illud aperte refragatur, quod Scriptura dicit, Deum repressisse cladem illam dicendo *Sufficit*: quod sane factum, antequam triduum illud impleretur. non ergo duravit usque ad præstitutum antea tempus, quod erat integri tridui. Tum *matutinum* & *constitutum* tempus ad eumdem diem debet referri, ut fuse Bochartus ostendit, Rabbinorum etiam auctoritate fultus; quamvis inter eos non conveniat qua parte diei tempus מועד impleatur. Præstat itaque LXX. interpretationem, utpote antiquissimam, multorumque tum veterum tum recentiorum Hebræorum auctoritate fultam sequi, quæque magis Dei misericordiam commendat, & obscurum verbum hebraicum illustrat.

2 *LXX millia virorum interiere*) Mendose Lipsiensis editio *interire*, ceteris reclamantibus.

4 *seque unum pro omnibus*) Ita MS. liber, quomodo legendum conjecit jam pridem Drusius, approbantibus Hornio & Vorstio. antea erat *seque vivum p. o.*

6 *in loco, in quo angelum viderat, aram st.*) In area nimirum Areunæ, aliter Ornam Jebusæi, ubi postea templum a Salomone fuit exædificatum.

lumi rex appellatus. David, cum regnasset annos XL, defunctus est.

XXXIX. Salomon initio regni urbem muro circumdedit. Huic per soporem adstare Dominus visus est, petendi quæ vellet tribuens optionem. sed ille non aliud sibi quam sapientiam dari poposcit, reliqua omnia parvi æstimans. ita somno excitatus, cum ante sacrarium Domini 5 constitisset, indultæ sibi a Domino sapientiæ documentum dedit. Namque duæ mulieres una in domo diversantes cum eodem tempore pueros edidissent, atque ex his alter post diem tertium nocte obisset; mater defuncti somno alterius insidiata mortuum suum supposuit, viventem abstulit. inde inter eas de puero altercatio; postremo 10 res ad regem delata. difficilis judicii absolutio inter negantes, ubi testis deerat. Tum Salomon divinæ sapientiæ munere perimi puerum, corpusque ejus dividi inter ambigentes jubet. cumque una earum judicio acquievisset, alia vero cedere potius puero quam discerpi eum mallet; Salomon ex affectu feminæ hanc vere matrem esse conjectans, 15 puerum illi adjudicavit, non sine circumstantium admiratione: siquidem latentem veritatem prudentia protulisset. Ita in admirationem ingenii prudentiæque ejus reges vicinarum gentium amicitiam ab eo

XL. fœdusque petiere, parati imperata facere. Queis opibus confisus, templum Domino immensi operis facere aggressus, paratis per triennium 20 impendiis, quarto fere imperii anno primum fundamentum jecit, a profectione Hebræorum ex Ægypto anno fere octavo & octogesimo &

5 *cum ante sacrarium Domini constitisset*) *Sacrarium* est ipsum altare, non Arca, ut Drusius volebat. Sic infra cap. XLIII. Helias *cæsum vitulum imposuit, cum prius sacrarium aqua opplesset*. Ceterum in Gabaon, ubi erat tabernaculum fœderis, sapientiam petiit & obtinuit Salomon: tum profectus Jerusalem, stitit se coram Arca, & sacrificium obtulit in gratiarum actionem pro impetrata sapientia, ac solemni convivio ministros suos excepit. Hæc ex III. Regum excerpsi, ut appareat judicium illud celebre inter duas feminas de filio litigantes non coram Arca fuisse prolatum, ut Severi verba innuunt, qui brevitatis studio multa præterit, pleraque obiter attingit.

11 *difficilis judicii absolutio*) Forte *judici*. Sane *absolutio* est pro *solutio*, ut supra cap. XI. *quod cum a prudentibus Ægyptiorum non posset absolvi*. de somno Pharaonis sermo est. Sic in S. Martini Vita cap. VI. & XI. *absolvit errore*. atque alibi ad eumdem modum.

19 *Queis opibus*) Ita veteres libri impressi: Lipsiensis unus, quod sciam, *quis opibus*.

21 *quarto fere imperii anno*) Vocula *fere* περίλκει, ut supra cap. XXXVII. notatum fuit. Hæc ex Vorstio.

22 *anno fere octavo & octogesimo & quingentesimo*) En tibi ob oculos Severi calculum.

Moyses dux annis	40.	XXI.
Josue	27.	XXIII.
Judices	419.	XXIX.
Heli	20.	XXX.
Samuel & Saul	40.	XXXVI.
David	40.	XXXVIII.
Salomon	4.	hoc cap.
Summa omnium an.	590.	

In hac tabella duorum quidem annorum discrimen interesse vides, & ideo fortasse *fere* addidit. præterea annus quartus Salomonis in hac serie non videtur includendus: nam sub initium anni, scilicet *mense secundo*, ut III. Reg. VI. 1., templi fundamenta jacta fuerunt. attende etiam quæ ipse statim addit, *siquidem per seriem superius comprehensam*, &c. Porro calculus hic displicuit Bellarmino, qui hac inter ceteras censura Severum notavit: *Dicit præterea templum fundatum esse an. 588. ab egressu filiorum Israel*

& quingentesimo: licet libro Regnorum tertio CCCCXL fuisse referantur; quod nequaquam convenit: siquidem per seriem superius comprehensam facilius fuerit, ut minus fortassis annorum, quam amplius, adnotarim. Sed non dubito, librariorum potius negligentia, præsertim tot jam sæculis intercedentibus, veritatem fuisse corruptam, quam ut propheta erraverit: sicut in hoc ipso nostro opusculo futurum credimus, ut describentium incuria, quæ non incuriose a nobis sunt dige-

rael de Ægypto. at Scriptura 3. Reg. 6. notat an. 480. Sed de hac quæstione in proxime sequentibus notis.

3 *licet libro Regum tertio CCCCXL fuisse r.) Tertio* Giselinus, aliique ex antiquioribus editoribus, quod postea compendii caussa mutatum in *III*. Pro *XL*. Galesinius habet mendose *LX*., quam lectionem secutus Pontacus in Notis ad Chron. Hier. pag. 35. edit. Vernn. Sane hebræus textus & Vulgata habent *anno quadringentesimo & octogesimo*: quem numerum sequitur Eusebius in Chronico. at noster sequutus est versionem τῶν LXX., quæ habuit ἐν τῷ τεσσαρακοστῷ καὶ τετρακοσιοστῷ ἔτει τῆς ἐξόδου υἱῶν Ἰσραὴλ: quomodo etiam nunc habet exemplar Vaticanum, & Syncellus pag. 175. edit. Paris. Contra Complutensis editio atque aliæ pro τῷ τεσσαρακοστῷ exhibent τῷ ὀγδοηκοστῷ, quod vel ex hebræo, vel potius ex Symmacho sumtum. vide Origenis Hexapla a Montfauconio collecta. Minus recte proinde P. Brasichelius S. Palatii Apost. Magister in Indice librorum expurgandorum hæc margini Severi paullo infra adfigenda mandavit: III. *Reg. VI. I. in omnibus hebræis, græcis & latinis exemplaribus aperte dicitur*, quadringentesimo & octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Ægypti: *qui numerus verissime & incorrupte subsistit. vide Canum lib. II. de Locis, cap. 5. ad 12. argum.* At Canus egregie & luculenter, si quisquam alius, Severi caussam eo loci insciens tuetur ac propugnat.

4 *Sed non dubito*, &c.) Nemo sanus negaverit in libris sacris etiam hebraice scriptis errores aliquos leves irrepsisse, præcipue in numeris. si quis adhuc dubitat, adeat Criticam Sacram Ludovici Capelli. At multi reprehendunt Severum, quod corruptum textum libri Regum audacter pronuntiaverit: alii majori numero eum defendunt & sequuntur; quippe qui, licet annis aliquot, prout suæ cuique constant rationes, ab ejus calculo recedant, in eo tamen consentiant, ut numerum annorum CCCCLXXX. libro Regum expressum rejiciant. Videndus, præter Canum proxime superiori nota laudatum, Ludovicus Capellus in Chronologia Sacra, ubi epistolam ad fratrem Jacobum de hoc argumento antea a se scriptam recenset. si Capellus non suppetit, adi Vossium, Petavium, aliosque. Qui ante Severum sacram chronologiam pertractarunt, omnes, Eusebio excepto, in diversas quidem, sed tamen a citato textu libri Regum longe remotas sententias abierunt. Hi sunt *Josephus*, qui libro VIII. cap. 2. intervallum hoc annis DXXXXII. comprehendit (ut quidem est in græco textu, non ut apud antiquum interpretem Epiphanium, *anno quingentesimo secundo*. confer & cap. 4. lib. XI) *Theophilus* Antiochenus, qui lib. III. ad Autolycum *a morte Mosis, & initio Jesu filii Nave usque ad mortem David Patriarchæ annos* CCCCXCVIII. numerat; quibus si addas annos quadraginta in deserto transactos sub Mose, & quatuor Salomonis, erunt omnes DXLII. (nescio cur alii DCII. huic adscribant) Julius *Africanus*, qui apud Syncellum pag. 175. edit. Paris. annos plus quam DCCXL. huic spatio attribuit: confer etiam cap. X. lib. X. Præpar. Euang. Eusebii. His adde *Clementem* Alexandrinum, *Philastrium* Brixianum, *Hilarionem*. Porro hi omnes ante Severum auctoritati libri Regum prætulerunt librum Judicum, & Paulli testimonium Act. XIII. 20. Sane Eusebius ipse Præfatione latina in Chronicum fatetur: *juxta volumen Judicum supputantur anni* DC. quod item habetur apud Syncellum loco citato. Quod spectat ad Paulli testimonium, licet aliam in Vulgata sententiam exhibeat, juxta tamen græcos & syriacos codices, quos plerique omnes latinis in hoc potissimum loco præferunt, Judices Hebræis per annos CCCCL. usque ad Samuelem prophetam datos a Deo docet. Quid reponit Eusebius? Syncello ibidem teste: τὸν γὰρ ἱερὸν ἀπόστολον φησὶν ὧν. ἔτη τῶν ἀρ-

gesta, vitientur. Igitur Salomon cœptum templi opus vigesimo anno explicuit. Celebrato deinde ibidem sacrificio, dictaque oratione, qua populum templumque benedixit, Dominus ad eum locutus est, denuntians fore, si quando peccassent ac Dominum reliquissent, templum illud solo æquandum. quod jampridem impletum videmus, & mox.... connexum rerum ordinem exponemus. Interea Salomon florens opibus, omnium qui umquam fuerant regum ditissimus, quique semper ordo rerum est, ab opibus in luxum & vitia delapsus, cum adversum interdictum Dei ex alienigenis conjugia sumsisset, et jam septingentas uxores & trecentas concubinas haberet, idola eis ritu gentium suarum, quibus litarent, constituit. Quibus rebus aversus Dominus, graviter increpito pœnam denuntiavit, fore ut regnum ex parte majore ademtum filio, servo illius traderetur. idque ita accidit. Nam de- XLI.

fun-

τὸν οὐκ ἀκριβολογησάμενον εἰπεῖν, ἀλλ' ἐκδοχῇ κοινοτέρᾳ: quæ ita vertenda fuerunt: *Enimvero sanctum apostolum dicit annos Judicum* CCCCL. *asserere, non quod diligenter rem expenderit, sed vulgatam traditionem sequutum.* Hanc licet absurdissimam & Paullo iniquissimam sententiam pridem suam fecisse viden Clericum Notis in Tabulam I. Chronologicam, ad calcem Comm. Librorum Hist. V. T. Ut ad Syncelli locum redeamus, emendare oportet & quæ præcedunt ex Goari interpretatione, ubi legitur: *Eusebius autem memoratos a divino Apostolo penes Actuum librum Judicum annos* 450. *stabilire ac ratos haberi cupiens, ex ejus dictis quibusdam errorem passus est.* Nam ex toto illo loco & ex Chronico manifestissimum est Eusebium nullam Paulli in hac quæstione rationem habuisse, quin immo sollicitum fuisse, ut contrariam sententiam stabiliret ac defenderet. Goarus itaque græci verbi *συνῆσαι*, si tamen mendo caret, vim non intellexit, quod non *stabilire*, ut alibi fere, sed *contrahere* hoc loco significat. locus proinde totus ita interpretandus: *Eusebius autem memoratos a divino Apostolo in Actibus Judicum annos* 450. *contrahere volens, quibusdam hujusmodi usus est argumentis*, &c.

1 *vigesimo anno*) Gisel. *vicesimo*. Ceterum templum septem annis perfectum dicitur III. Reg. VI. 38., anno regni Salomonis undecimo. sed non nisi post vigesimum annum dedicatum fuit juxta LXX.; nam is per alios tredecim sequentes amplis sibi & reginæ palatiis construendis intentus fuit. vide ibidem cap. IX. 10. Apparet itaque Severum, dum hæc scriberet, spectasse potissimum quæ initio cap. VIII. ejus libri habent, ut diximus, Septuaginta: *Et factum est, ut complevit Salomon ædificare domum Domini, & domum suam post annos viginti, tunc congregavit rex Salomon omnes seniores Israel in Sion*, & cetera, quæ habentur etiam in Vulgata nostra. Proinde illud *vigesimo anno* non ab initio regni Salomonis est repetendum, ut editor Minellianus fecit, qui *vigesimo quarto* scriptum maluisset. sed neque placet illorum sententia, licet passim obtineat, qui dedicationem templi in annum Salomonis undecimum vel duodecimum conjiciunt, quod & græcæ versioni aperte adversatur, & minus consentanea videtur hebræo textui.

5 *quod jam pridem impletum videmus*) Severus spectasse his verbis videtur ultimam templi eversionem a Romanis factam; verum Dei verba ad primam potius a Chaldæis patratam videntur fuisse referenda: nam tunc utique Salomonis templum fuit dirutum.

5 *& mox..... connexum rerum ordinem exp.*) Locus sane mutilus, licet nemini antea animadversus. supplendum fortasse *juxta*, ut sit *& mox* juxta *connexum rerum ordinem exponemus*, aut quid simile. sed lacunam ipsam præstat in textu relinquere, quam aliquid ex arbitrio supplere. Præterea neque illud *mox* omnino huic loco aptum videtur; nam templi excidium sub Vespasiano capite demum libri secundi trigesimo refertur.

9 *& iam septingentas ux.*) Omnes libri scriptum præferunt conjunctim *etiam s. u.*; sed omnino legendum separatim *& jam s. u.* Paullo ante forte leg. *conjugia assumsisset*, ut supra cap. XXI. *matrimonia ex victis assumere.*

13 *Nam defuncto Salomone*) *Nam* supplevimus ex MS. Cur autem in editis omissum fuerit, ea fortasse caussa fuit,

Digitized by Google

functo Salomone anno imperii quadragesimo, cum Roboam filius anno ætatis sexto & decimo regnum patrium tenere cœpisset, pars populi ab eo offensa discedit. Etenim cum laxari sibi stipendium poposcisset, quod Salomon gravissimum imposuerat; repudiatis precibus 5 supplicum favorem universæ plebis averterat. itaque consensu omnium imperium ad Hieroboam defertur. Is medio genere ortus, aliquamdiu Salomoni servitutem pependerat. sed cum ei responso Achiæ prophetæ regnum Hebræorum annuntiatum comperisset, necare eum clam destinaverat. quo ille metu in Ægyptum confugit; ibi-

quod præcedentia *idque ita accidit* in alia ac Severus posuit, significatione fuerint accepta: nam huic perinde sunt ac si dixeris, *idque ita, ut prædictum fuerat, accidit*: at aliquis interpretari maluit, *idque accidit hoc pacto: scilicet defuncto Salomone* &c.

2 *anno imperii quadragesimo*) Hic numerus diserte habetur tum III. Reg. XI. 42., tum II. Paralip. IX. 30. Contra Josephus lib. VIII. cap. 3. & alibi, octoginta annos regno Salomonis attribuit. Quid ita? num in suis id exemplaribus legerit? Quidquid sit, P. Pezronius alias laudati Operis cap. IX. Josephi computum mordicus tenetur atque defendit.

3 *anno ætatis sexto & decimo*) Drusius, referente Vorstio, conjecit satis acute Severum scripsisse *anno ætatis* XLI. (ut quidem habetur III. Reg. XIV. 21. & II. Paralip. XII. 13. etiam in græcis libris) facilem autem librariis lapsum fuisse, ut pro XLI. ponerent XVI. At Romanum exemplar τῶν LXX. & Aldinum in illa satis longa additione quam habent post versiculum 24. capitis XII. ita nimirum præferunt. *Et regnavit Roboam filius ejus* (Salomonis) *pro eo in Hierusalem, cum filius esset sex & decem annorum cum regnum adivit*: υἱὸς ὢν ἑκκαίδεκα ἐτῶν ἐν τῷ βασιλεύειν αὐτόν: *& duodecim annis regnavit*: καὶ δώδεκα ἔτη ἐβασίλευσεν ἐν Ἱερουσαλήμ: Aldina tamen editio pro δώδεκα habet δεκαπέντε. Porro hæc additio, cujuscumquemodi sit, in antiquissima etiam latina versione fuerit, siquidem & Lucifero Caralitano in libro de Regibus apostaticis laudata. inde autem Severo errandi data fuit occasio; si tamen in eo est error: nam quæ illo capite XII. & II. Paralip. X. 8. habentur etiam in Vulgata, Roboamum admodum adolescentem regni habenas cepisse facile persuadent. Præterea si illa ætate fuisse dicas quæ in nostris codicibus expressa est, annorum scilicet XLI., gravissima oboritur difficultas in annis vel regni vel vitæ Salomonis, de qua alibi. Sane Capellus Critic. Sacræ lib. I. cap. X. num. XI. censet in citatis Scripturæ locis pro XLI. legendum XXI. At qui additionem illam consarcinavit, maluit XVI. Ceterum in Capelli sententiam concedunt Grotius, Ludolphus, Clericus, hæretici quidem omnes, sed in hujusmodi quæstionibus maximi faciendi; siquidem ipsorum caussæ maxime interest hebræos codices quam emendatissimos defendere ac propugnare, ut sane faciunt pro viribus, quotiescumque manifestissima ratione non coguntur fateri in eos quoque aliquas labeculas ex incuria librariorum irrepsisse.

5 *favorem u. pl. averterat*) Vorstius: *Legendum fortasse* a se averterat.

6 *ad Hieroboam*) Vulgo scribitur *Jeroboam*; sed cum apud græcos aspero spiritu afficiatur, aspirationem etiam in latina translatione habere debuit, ut sane perpetuo legitur in editione a Giselino curata. Sic *Hierusalem* supra, quæ vulgo *Jerusalem*.

6 *medio genere ortus*) Vorstius: *neque plebejo prorsus, nec tamen regali, sed inter utrumque medio*: de quo tamen nihil Scriptura. itaque aliud fortasse his verbis, si tamen sincera sunt, voluit significatum Severus; puta, quod in supra laudata additione III. Reg. XII. in græcis aliquot libris habetur; filium nimirum fuisse Jeroboam *mulieris meretricis*: καὶ ὄνομα τῆς μητρὸς αὐτοῦ Σαριρὰ γυνὴ πόρνη: quam lectionem in latina versione legit etiam Lucifer Caralitanus laudato libello de Regibus apostaticis. *Medium* proinde fuerit idem ac *dubium, incertum*, a qua significatione non abhorrere eam vocem multa exempla evincunt. Quod vero sequitur, Jeroboam *Salomoni servitutem pependisse*, idem Vorstius notat non satis apte dictum: nam is quidem Salomonis *servus* dicitur; non ideo tamen mancipium, sed minister aulicus est intelligendus, ut liquet ex III. Reg. XI. 28.

ibique uxore accepta ex stirpe regia, cognita demum Salomonis morte in solum patrium regressus, voluntate populi, ut supra retulimus, sumsit imperium. Penes Roboam tamen duæ tribus, Judæ & Benjamin, resederant: ex his ad trecenta millia paravit exercitum. quumque acies promoverentur, verbis Dei populus admo- 5 netur, prælio abstineret: ex suo nutu Hieroboam regnum accepisse. ita spreto regis imperio, exercitus dilapsus, Hieroboam imperium invaluerat: sed cum Hierosolymam Roboam obtineret, ubi templo a Salomone facto populus sacrificare Domino consueverat; veritus Hieroboam, ne ab eo plebem religio averteret, statuit animos e- 10 jus superstitione occupare. itaque vaccam auream in Bethel, alteram apud Dan constituit, quibus populus litaret: sacerdotesque, omissa Levi tribu, ex plebe instituit.. Invisum Domino flagitium expostulatio consecuta. Crebra deinde inter reges prælia: dubio eventu regnum obtinebant. Roboam septimo & decimo imperii an- 15

XLII. no exacto, vita functus est. In hujus locum Abiu filius ejus regnum Hierosolymæ sex annos tenuit; quamvis in Chronicis triennio regnas-

1 *unore accepta ex stirpe regia*) Nullibi hoe in sacris libris scriptum exstat, ideoque Clericus a Severo additum ex arbitrio definit: sed non ita est: sequutus est rursum additionem illam de qua supra, io qua hæc habentur: *Et Susacim* (rex Ægypti, quem Vulgata *Sesac* vocat) *dedit ipsi Hieroboam Ano sororem Thecemine seniorem unoris sue et in uxorem. hæc fnit magna in medio filiarum regis, & peperit ipsi Hieroboam Abiam*: quæ sane efficta videntur ad imitationem eorum quæ capite xi. de Adad leguntur, ubi juxta LXX. ad vers. 19. *Et invenit Ader gratiam coram Pharaone multam, & dedit illi unorem sororem unoris sue, sororem Thecemine maiorem*: v. 20. *Et peperit ipsi Ader soror Thecemine Gnnebath filium snnm, & nutrivit illum Thecemina in medio filiorum Pharaonis*: cetera.

4 *ad trecenta millia*) Drusius aliique monent legendum *ad ducenta millia*; nam erant omoino eentum octoginta millia. & sane ex cc. facilis lapsus in ccc. Porro Alexaodrinom exemplar concordat cum Vulgata; alii græci libri habent taotum *centum & viginti millia*, ἑκατὸν καὶ εἴκοσι χιλιάδας.

10 *ne ab eo plebem*) *Ab eo* est pro *ab se*, ut supra cap. xx. pag. 33. lin. 17. *sed gens indomita ..... in perniciem eorum ferebatur*, pro *in perniciem snam*, ut legeodum monuit Drusius; licet Hornius & Vorstius malint intelligere in perniciem Josuæ & Chalebis, oec non Moysis & Aaronis. qui si bunc locum attendissent, nihil sane mutandum in illo altero, sed aliter exponendnm vidissent. Sic alibi Severus reciprocum pro demonstrativo ponit, neque id male.

11 *vaccam anream in B., alteram, &c.*) Quos nos dicimus *vitulos aureos*, *vaccas* appellare solent LXX. δαμάλεις δύο δαμάλεις χρυσᾶς. sic & Osee x. 5. in nostra Vulgata.

14 *expostulatio consecnta*) MS. *postulatio cons.* Sane *postulationem* pro querelarum interpositiooe dictum volunt etiam a Plauto.

16 *Abiu filins ejns*) Vorstius ita emendavit ex græco ἀβιού; aliæ editiones *Abiud* præferunt.

17 *sex annos*) Omitto quæ heic Sigonius, Drusius, Vorstius. Prima froote vitiato codice, qui pro III. referret VI., usus videtur boe loco Severus: oam juxta hebræum & græcum textum tres tantum aoni Abiæ tribuuntur, nec secus Eusebius in Chrooico. At cum III. Reg. xv. 8. & 9. annus quo mortuus Abia, & ioauguratus fuit Asa, cum anno vigesimo quarto Jeroboam enmpooatur apud LXX. in plerisque libris, liquet sex annos ipsi Abiæ eosdem tribuisse, qui juncti annis decem & octo ejusdem Jeroboami, post quem Abias regnare cœpit, ib. v. 1., efficiunt annos vigintiquatuor. Sane Cantabrigiensis codex II. Paralip. XIII. 2. *sex annos* diserte tribuit Abiæ, ἓξ ἔτη, & Alexandrious III. Reg. xv. corrupte *sexdecim*. καὶ δεκαέξ ἔτη ἐβασίλευσεν.

Digitized by Google

gnasse referatur. Huic Asa filius successit, a David quintus fere, quippe abnepos ejus. fuit religiosus Domini cultor: namque deletis aris lucisque idolorum, vestigia paternæ perfidiæ sustulit. fœdus cum rege Syriæ firmavit: ejus auxilio Hieroboæ regnum, quod tum
5 a filio tenebatur, multa clade affecit, ac sæpe victis hostibus prædam ex victoria retulit. post unum & quadragesimum annum æger pedibus decessit. Huic triplex peccatum adscribitur: unum, quod societate regis Syriæ nimium confisus sit: alterum, quod prophetam Domini hoc ipsum increpantem in vincula conjecit: tertium, quia
10 in pedum dolore remedium non a Domino sed a medicis speraverit. Sed initio regni hujus, Hieroboam rex decem tribuum defunctus est. regnum Nadab filio reliquit. Is malis operibus, & tam suis quam paternis meritis invisus Domino, non ultra biennium regno potitus est, privataque imperio indigna progenies. Baasam A-
15 chiæ filium successorem habuit, æque a Domino alienissimum. isque sexto & vigesimo imperii anno defunctus est. regnum ad Elam

1 *Asa filius*) Hoc item nomen ad exemplaria græca emendavit Vorstius, cum ante *Asab* legeretur, ut est etiam in MS.

1 *a David quintus fere*) Drusius mavult *quartus*, Davide non connumerato. Sed sententia perspicua est, Asa fuisse quintum regem Hebræorum, si a Davide numerare incipias. sumtum hoc fortasse ex Eusebii Chronico.

4 *quod tum a filio tenebatur*) Non a filio Nadab, sed a Baasa, qui Nadabo regnum vitamque ademerat, & Jeroboami stirpem penitus deleverat. vide III. Reg. XV. 16. & II. Paralip. XVI. Ibidem cap. XV. 19. bellum illud post trigesimum quintum Asæ annum gestum refertur; qui tamen numerus minime constare potest, siquidem Baasa, qui tertio Asæ anno regnum usurpavit, viginti quatuor tantum annorum spatio regnavit, III. Reg. XV. 28. & 33: itaque in libro Paralipomenon alii pro *triginta quinque* legendum putant *vigintiquinque*, alii, majori numero, trigintaquinque annos numerare incipiunt ab initio scissionis regnorum Juda & Israel, juxta quam rationem trigesimus quintus annus illic expressus ad decimum quintum fere Asæ annum esset referendus juxta Hebræorum calculum, secundum vero LXX. ad duodecimum. Hæc conciliatio confirmatur ex II. Paralip. XIV. 1., ubi juxta omnes codices quievisse terra dicitur in diebus Asæ per decennium, quo elapso cum Zare Æthiope primum rem habuit Asa, ac demum, II. Paralip. XVI. 1., post triennium aut eo amplius, scilicet post annum XXXVI. vel XXXVIII. regni Asæ seu Judæ, contra Baasa bellum gessit, adjuncto sibi rege Syriæ.

7 *triplex peccatum adscribitur*) Nimirum II. Paralip. XVI.

9 *in vincula conjecit*) Forte *conjecerit*, nam præcedit *quod*: atque eo pacto respondebit verbis *confisus sit*, *speraverit*.

9 *tertium, quia in p. d.*) *Quia* pro *quod* sæpius habet Severus, ut Dial. 1. cap. VII. bis, & alibi.

12 *regnum Nadab filio r.*) MS. *Nabæch* corrupte, sed legendum *Nabath* vel *Nabat*, ut est apud LXX. *ναβάτ*. *Nabath* legitur etiam apud Luciferum Caralit. de Regibus apost. *Jeroboam filii Nabath*.

13 *paternis meritis*) Legendum omnino *paternis*, ut jam pridem monuerunt Sigonius, Drusius, Vorstius, non *maternis*, quod hactenus obtinuit.

14 *progenies. Baasam Achiæ filium*) In omnibus antiquis libris editis, ut & in MS., erat *progenies Banachiæ filium*, quod primus juxta Drusii conjecturam mutavit Vorstius, utpote manifestissimum mendum.

16 *sexto & vigesimo*) Sigonius & Drusius monent legendum *quarto & vigesimo*, ut III. Reg. XV. 33. habetur etiam apud LXX., Eusebium & Syncellum. Sane facilis error, ut pro XXIV. librarii scripserint XXVI.

16 *regnum ad Elam*) Antea erat *Helam*; sed sine aspiratione legendum hoc nomen monuit & Drusius, quia nec in hebræo nec in græco textu aspiratur.

Digitized by Google

lam filium devolutum, nec ultra biennium retentum. namque eum Zambri princeps equitum epulantem interfecit, regnumque occupavit: vir perinde in Dominum atque homines impius. Ab hoc pars populi secessit: Thamni cuidam regium nomen delatum. sed Zambri ante hunc septem annos & cum eodem duodecim regnavit. At in parte tribus Judæ Asa mortuo, Iosaphat filius ejus regna- 5

2 *Zambri princeps equitum*) *Zambri* libri omnes editi, & MS. tum hoc loco, tum proxime sequenti: utrobique tamen Vorstius *Jambri* substituerat, quia ita infra vocari pergitur: nam, ut ipse recte observavit, licet ille de quo heic scribitur, *Zamri* seu *Zimri* fuerit; alter de quo postea, *Amri*; apparet Sulpicium per errorem utrumque simul confudisse: ipsum proinde vel *Zambri* semper, vel *Jambri* dicere debuit. At ego ob eamdem rationem censeo *Zambri* primitus perpetuo scriptum, deinde vero vel ex usu pronuntiationis superiorum temporum, vel ex litterarum Z & J in MSS. similitudine, *Jambri* emersisse. In hac autem me opinione confirmat Alexandrinus Codex τῶν LXX., in quo semper pro ἀμβρὶ, *Ambri*, scriptum apparet ζαμβρὶ, *Zambri*: hæc præterea nominis similitudo, quam in sacro Codice deprehendit, errandi occasionem Severo facile præbuit, ut duos viros pro uno eodemque habuerit. Ceterum fallitur Vorstius, dum lectionem suam stabilire volens, non modo pro illa laudat antiquam Coloniensem editionem, verum etiam in MS. quodam sic legisse Drusium tradit: nam Drusius ipsam forte Coloniensem editionem, vel aliam ex ea expressam laudavit, non MS. aliquem Severi, quem habuisse Drusium minime constat. Porro ejus verba sunt: *Ceterum in uno codice offendi* Jambri: at *Codex* dici ab eo potuit etiam liber æreis typis impressus. Postremo quod litteram *b* huic homini inserat noster, græcam ille lectionem secutus est, in qua non modo *Zambri* pro *Zamri*, & *Ambri* pro *Amri*; sed & *Mambre* ac *Nembrod* pro *Mamre* & *Nemrod* scribitur. *Zambri* retinet & vulgata.

3 *Ad hoc pars populi secessit*) Zambri septem tantum diebus regnasse sacræ perhibent litteræ, posteaque ab exercitu, qui *Amri* militiæ principem regem salutaverat, intra Thersæ mœnia obsessum, in sua se regia subjecto igne concremasse; ab Amri autem secessisse populi partem, quæ *Thamni*, ut eum vocat Severus juxta LXX., vel *Thebni* regem sibi adscivit. Θαμνὶ autem ex Θαβνὶ factum autumat Drusius ex antiquo charactere: nam revera β ab μ in antiquis libris exiguo apice distinguitur. ita quoque σεννααχηρεὶβ in σενναχηρεὶμ mutatum.

5 *Zambri ante hunc septem annis*, &c.) Multimodis peccatum his paucis verbis a Severo, vel quod Zambri cum Amri confudit, de quo supra diximus; vel quod primum septem annos regnasse Zambri ponit ante Thamni, qui ante Amri septem non annis, sed tantum diebus ex Scriptura rex fuit; vel denique quod duodecim annis eumdem Zambri postea cum Thamni regnasse addit. Duodecim quidem annis, nec iis expletis, in universum regnasse Amri constat, sed Thebni cum ipso nonnisi annis quatuor aut quinque regni partem obtinuisse vulgo colligunt ex collatione versiculorum 10., 15., 23. & 29. capitis XVI. libri III. Regum. Verum multo aliter græci codices: nam illi præterquam quod in duobus prioribus versiculis plerique omnes nihil de annis Asæ habent, versu demum 28. & 29., ubi Vulgata juxta hebræum componit initium regni Achabi filii Amri cum anno trigesimo octavo Asæ regis Juda, illi initium regni Josaphat filii Asæ conjiciunt in undecimum annum Amri, & anno secundo Josaphati Achab filium Amri regnasse perhibent: unde apparet juxta eosdem LXX. annos duodecim Amri ab anno trigesimo primo Asæ esse numerandos: quod etiam non obscure indicat Scriptura versu 23. *Anno trigesimo primo Asa regis Juda regnavit Amri super Israel duodecim annis: in Thersa regnavit sex annis*. qui locus non levem iniicit scrupulum iis qui hebræum computum sequuntur. Juxta eosdem LXX. sequitur Thebni initio regni fuisse interfectum, quod & Vulgata juxta hebræum suadet ibidem vers. 22.

6 *Asa mortuo*) Rursus libri impressi & MS. *Asab* exhibent. huic annos regni

Digitized by Google

gnare cœpit, vir religiosis virtutibus merito clarus. Is cum Jambri pacem habuit. defunctus est autem, cum regnasset annos v & xx. Hujus imperii tempore Achab, Jambri filius, rex decem tribuum fuit, ultra omnes in Dominum impius: namque Jezabel filia Basæ regis ex Sidone in matrimonio accepta Baali idolo aram lucosque constituit, & prophetas Domini interemit. quo tempore Elias propheta oratione cælum conclusit, ne pluviam terræ daret; idque regi denuntiavit, ut se impius caussam mali esse cognosceret. Igitur suspensis cælo aquis cum loca omnia adusta solis ardoribus non victum hominibus, non pabulum jumentis darent; ipse se intra periculum famis propheta concluserat. Ea tempestate cum eremum petiisset, corvis cibum ministrantibus vixit. aquam torrens proximus, donec aruit, de-

XLIII.

gni unum supra quadraginta tribuit Scriptura etiam in plerisque codicibus τῶν LXX.: nonnulli quadraginta tantum.

1 *religiosis virtutibus*) Sigonius conjiciebat legendum *religionis virtutibus*.

2 *Is cum Jambri pacem habuit*) *Zambri* legendum heic & infra jam monui in superioribus notis. Ceterum Drusius negat hoc quod a Severo dicitur, fieri potuisse, propterea quod Amri, quum Josaphat regnare cœpit, jam fato functus esset, ut colligitur ex III. Reg. XVI. 29.: sed, ut supra attigimus, LXX. eodem in loco biennio circiter Amri superstitem faciunt Asæ Josphat patri, quo spatio nullum ipsi cum Israelis rege bellum fuisse conjecit Severus, licet nihil de ea re habeat Scriptura. Eusebius in Chronico annum primum Amri cum trigesimoprimo Asæ, & primum Josaphat cum ejusdem Amri duodecimo componit; nimirum uno anno a LXX. discrepans, quod integros ipse annos unum & quadraginta Asæ regi tribuat, illi incœptos. Ceterum hic computus confirmatur ex serie superiorum regum etiam juxta hebræos codices, qui hinc quidem Roboamo annos XVII., Abiæ III., Asæ XLI. tribuunt, quorum summa est LXI.; illinc Jeroboamo XXII., Nadabo II., Baasæ XXIV., Elæ II., Amri XII., qui conficiunt numerum annorum LXII. Liquet ergo annum I. Amri incidisse in XXXI. Asæ. quod si hunc anno quadragesimo primo ineunte, Amri vero duodecimo nondum completo mortuos ponas, initium regni Josaphat in undecimum Amri, & annus primus Achabi Amri filii in secundum Josaphati incidet, quod apertis verbis LXX. ibidem tradunt. At, inquies, hebræi codices aliud plane docent non solum hoc ipso qui in quæstionem venit textu, sed & vers. 8. ejusdem capitis, ubi anno vigesimo sexto Asæ Thersa regnasse dicitur, nec non vers. 10. & 15., quibus in locis vigesimo septimo ejusdem Asæ regnasse perhibetur Zambri. Quid ergo? nonne satius est codices græcos sequi, cum etiam hebræos consentientes habent; hebræos autem, ubi a se invicem & a græcis dissentiunt, repudiare?

4 *Jezabel filia Basæ regis*) Sigonius, Hornius, Vorstius *Basæ* aut a Severo perperam positum, aut corruptum asserunt a librariis, & *Ethbaal* pro eo reponendum monent, aut juxta græcos *ἰεθεβαάλ*, *Jethebaal*. Sed si error in eo est, non Severo nec ejus exscriptoribus est adscribendus, cum Lucifer quoque Caralitanus in libro de Regibus Apostaticis legat *Jezabel filiam Basan & Helam regis Sidoniorum*. Sequitur *in matrimonio accepta*, ut cap. IX. *in matrimonio postulans*: Vorstio tamen mirum fit, ni scripserit *in matrimonium accepta*, ut alibi fere solet Severus loqui.

6 *Elias propheta*) Drusius: *Leniter scribendum Elias; nam est aleph in Scriptura hebraica*. Quin etiam græci leni spiritu afficiunt, ἠλίας. Antea erat *Helias*.

10 *ipse se intra periculum famis propheta concluserat*) Sic Dial. I. cap. XI. *se homo Christi intra periculum famis ipse concluserat*. Siccitas hæc per triennium & menses sex perseveravit, uti Lucæ IV. 25., & Jacobi V. 17. dicitur. *cum facta esset*, pergit Lucas, *fames magna in omni terra*, scilicet in universa illa regione, & in ipsa Syria, ubi Sarepta & Sidon, ut ex sequentibus apparet.

12 *cum eremum petiisset*) Gisclin. & Fabric. *petisset*.

dedit. Inde admonitus a Domino Sareptæ oppidum petiit: ad mulierem viduam divertit; cumque ab ea esuriens cibum peteret, illa causſari, non esse ſibi niſi pugillum farris & puſillum olei: quo absumto una cum filiis mortem exſpectaret. ſed cum Elias verbis Dei polliceretur nec hydriam farre, nec vas oleo esse minuendum; 5 mulier poſcenti fidem non cunctata prophetæ credere, promiſſorum fidem conſecuta eſt; ſiquidem divinis incrementis tantum accreſceret, quantum quotidie detrahebat. Eodem tempore ejuſdem viduæ filium mortuum Elias in vitam reduxit. tum juſſu Domini regem adiit,

3 *pugillum farris, & puſillum olei*) Antea erat *puſillum farris*; ſed jampridem Druſius acute conjecit legendum *pugillum farris*, quia in libris græcis eſt δρὰξ ἀλεύρου, & in verſione vulgata, *quantum pugillus capere poteſt*. Vorſtius male renititur, *Non aſſentior*, inquiens, *quia ſequitur* puſillum olei. *quomodo enim* puſillum olei, *ita &* puſillum farris *videtur ſcribere voluiſſe*. Sed *puſillum olei* recte exprimit græca verba ὀλίγον ἔλαιον, non ita *puſillum farris* reſpondet illis ὅσον δρὰξ ἀλεύρου. Quid plura? Si primum poſuiſſet Severus *puſillum farris*, non eamdem ſtatim vocem repetiiſſet; cum brevius & elegantius dicere poſſet *puſillum farris & olei*. Præterea *pugillum farris* dixit & Hieronymus in epiſtola ad Furiam, quæ eſt in editione noviſſima LIV., de hac Sareptana vidua inter cetera hæc ſcribens num. 16. *Et in pugillo farris ſeminarium ſibi meſſis dominicæ præparavit*. Aſt, inquies, pro *farris* nunc ibi legitur *farinæ*, & miratur Druſius, cur noſter pro *farina* poſuerit *far*. Ita ſane: verum, quod notavit Vallarſius, in Hieronymi loco antea erat *farris*: hanc autem ſinceram eſſe lectionem vel inde apparet, quod nullus ſcriptor pro voce *farinæ* voluiſſet ſupponere *farris*, contra *farris* facile mutatum ab aliquo fuerit in *farinæ*, quia ita & in Vulgata, qua nos utimur, quotidie lectitaret. Sed in ea. epiſtola Hieronymus voce *farris* uſus eſt, ſicuti & altera *pugillo*, ex antiquiori editione; quemadmodum & Proſper in libro de Promiſſ. & benedict. Dei part. II. cap. 29. *Illa vero* (vidua Sareptana) *teſtando dicit modicum ſe farris habere in hydria, & paruum olei in oleario, unius ſcilicet & cum liberis diei victum, quo abſumto eſſet moritura cum liberis*. & paullo infra, *ſacramento farris & olei unctione munita*. Ceterum & farina a *farre* derivatur, & *far* pro *farina* uſurpatum antiquis, ut Columellæ lib. VIII. cap. 4. *furfures modice a farina exereti, qui ſi nihil habeant farris, non ſunt idonei*: adeo ut nemo mirari debeat, cur qui primus olim Scripturas ſacras ex græcis latinas fecit, ἄλευρον reddiderit *far*. Denique S. Hilarius de Trin. lib. v. n. 3. *Verum triticum eſt, quod ſpica ſtructum, & ariſtis vallatum, & folliculis decaſſum, & in far comminutum, & in panem coactum, & in cibum ſumtum, reddiderit ex ſe naturam panis & munus*. Ubi libri editi habent quidem, *& in farinam comminutum*, ſed, ut monuit P. Coutantius, plerique MSS. *in far com*. exhibent, quomodo legitur & in Capitulari antiquiſſimo codice Veronenſi, ibidem in noviſſima editione laudato.

4 *una cum filiis*) LXX. τοῖς τέκνοις, quos ſequitur præter Proſperum, proxima nota laudatum, Eucherius apud Cornelium a Lapide, aliique. Joſephus tamen & Vulgata cum hebraico textu punctis vocalibus diſtincto unum huic viduæ filium fuiſſe tradunt; quæ diſcrepantia ex ambigua hebraicæ vocis lectione profecta eſt. Sane hæc ſecunda ideo fortaſſe magis placuit, quia mox de ejuſdem viduæ filio quopiam ab Elia reſuſcitato ſermo eſt. ſed prior, ut puto, verior eſt; quia ibidem ſequitur verſ. 15. *& comedit ipſe & illa & domus ejus*, ubi iterum græci καὶ τὰ τέκνα αὐτῆς. Hieronymus in epiſtola & loco ſupra laudatis utramque lectionem conjungere videtur: *Recordemur viduæ Sareptanæ, quæ & ſuæ & filiorum ſaluti Eliæ prætulit famem, ut in ipſa nocte moritura cum filio ſuperſtitem hoſpitem relinqueret*. Sed forte legendum *cum filiis*, ut ſententia ſibimet conſtet. ſimile quippiam etiam apud Eucherium occurrit.

7 *divinis incrementis*) Non repudio receptam lectionem, ſed moneo meliorem alteram hanc mihi videri, *diurnis incrementis*, quibus perbelle reſpondeat quod ſequitur, *quantum quotidie d*.

Digitized by Google

adiit, exprobratoque ei facrilegio popofcit ad fe omnem populum congregari. qui cum propere conveniffet, accitis idolorum ac lucorum facerdotibus cccc fere & L, inter eos inde orta eft altercatio: Elia Dominum prædicante, illi fuperftitiones fuas adferebant. po-
5 ftremo placuit fieri periculum, ut, fi cujus cæfam hoftiam miffus cælo ignis abfumeret, rata effet religio quæ virtutem edidiffet. Ita facerdotes occifo vitulo Baal idolum invocare cœperunt: fruftraque confumtis invocationibus imbecillitatem domini fui tacite fatebantur. Tum vero Elias irridens eos, Ne forte, inquit, dormiat: clamate ve-
10 hementius, ut fomno quo tenetur evigilet. Enimvero miferi trepidantes muffare, & tamen quidnam Elias facturus effet exfpectare. at ille cæfum vitulum impofuit, quum prius facrarium aqua oppleſ-

1 *facrilegio*) Idololatria fcilicet. fic fupra cap. XIX. *populam laxui & facrilegio deditum*: fic infra hoc eodem capite.

3 *cccc fere & L*) Drufius: *Suo more addidit fere, quod hic plane redundat. nam prophetæ Baal erant numero quadringenti & quinquaginta. Præterea non optima fide hæc refert, cum ait accitis* idolorum & lucorum facerdotibus cccc & L, *nam præter idoli Baal facerdotes cccc & L, erant etiam luci five lucorum facerdotes cccc. vide III. Reg. XVIII.* 19. Sed legendus & verficulus 22. ejufdem capitis, ex quo ducitur argumentum, quadringentos prophetas lucorum illuc non conveniffe cum reliquis ccccl., cum quibus folis rem habuit Elias. Ita Clericus & Calmetus. Non erat itaque cur Severi fides aut diligentia carperetur a Drufio hoc loco, quum ille brevitati ftudens aliter melius fcribere non potuerit.

3 *inde orta eft altercatio*) MS. non agnofcit *orta eft*.

6 *quæ virtutem edidiffet*) Vorftius monet etiam hoc loco, ut alibi fæpius, *virtutem* dici *actionem miraculofam*. Obiter vero moneo vocem *miraculofus* a me etiam alicubi fuiffe inconfulto ufurpatam, quæ tamen nulla antiqua & idonea auctoritate fulciatur, uti quidam doctus amicus mihi fignificavit. Sane Vorftius fubtilis alioqui latinarum elegantiarum indagator, quod ex ipfis in Severum notis liquet, & præcipue ex duobus libellis, quorum uni *de latinitate falfo fufpecta*, alteri *de latinitate merito fufpecta* titulum fecit; non abhorruit ab ejus vocis frequenti ufu: nam præter hunc locum, & alterum in notis ad cap. XLV. pag. ed. Lipf. 136., video ab eo ufurpatam femel atque iterum in nota quadam ad cap. XIV. pag. 42., ubi ita fcriptum reliquit: *Cognatæ enim res funt potentia, per quam miraculofa actio fit, & actio miraculofa ipfa*. Et ipfe quidem facile fe tueri poffit argumento ex analogia ducto: nam ficuti ex *monftrum*, *portentum*, *prodigium* & fexcentis fimilibus derivata funt *monftrofus*, *portentofus*, *prodigiofus*; cur non etiam ex *miraculum* fieri potuit *miraculofus*? Licet autem in antiquorum, qui nunc exftant, fcriptis hujus vocis exempla non fuppetant, quemadmodum illarum; unde tamen fcias iis minime probatam & receptam fuiffe? Hæc quafi in Vorftii defenfionem dicta funto. nobis enim non tantum fumimus, ut in folœcifmos nonnumquam non prolabamur, a quibus vix elegantiores noftri & proximorum fæculorum fcriptores latinos immunes effe compertum eft.

8 *tacite fatebantur*) MS. *taciti fat.*

9 *Tum vero Elias*) *Tum forte* MS. Vatic. (in quo tamen deeft *Elias*) Galefinus, Gifelinus, Fabricius, Sigonius, Drufius: quod primum in editione Elzeviriorum, tum ab Hornio & Vorftio mutatum video in *Tum vero Helias*: nimirum quod illud *forte* mendofum vel fuperfluum videretur hoc loco.

12 *cæfum vitulum*) Sic fupra *occifo vitulo*, ad quem locum Drufius: *Bovem, ut eft in noftra Vulgata, & הפר in codice hebræo, id eft juvencum: quas ætates fub uno nomine μόσχου græci comprehendunt.* His adde quæ nos in cap. XVIII. pag. 30. de ea voce notavimus.

12 *facrarium aqua oppleffet*) Drufius & Vorftius volunt *facrarium* heic vocari aquæductum, qui circa altare fuit: fed nos jam fupra in cap. XXXIX. pag. 66. alio exemplo oftendimus *facrarium* Severo effe altare ipfum. addimus nunc ex cap. LII. *ut foli ac lunæ divinos honores darent, eifdemque etiam ex metallis facraria ædificarent.*

plesset: invocatoque Domino, exspectantibus cunctis ignis cælo delapsus aquam cum hostia absumsit. Tum vero populus solo stratus Dominum fateri, idola exsecrari: postremo Eliæ jussu profani sacerdotes comprehensi deductique ad torrentem, necati sunt. Redeuntem inde regem propheta prosecutus est. sed cum ei Jezabel regis uxor vitæ periculum pararet, ad remotiora secessit. ibi eum Dominus adlocutus est, septem millia virorum esse adhuc pronuntians, qui se idolis non dedissent. mirum id Eliæ fuit, qui solum se a sacrilegio immunem esse crediderat. Ea tempestate Achab rex Samariæ vineam Nabuthæi adhærentem sibi concupivit; quam cum ille ei vendere noluisset, dolis Jezabel interfectus est. ita Achab vinea potitus est, cum tamen Nabuthæi mortem doluisse referatur. Mox per Eliam verbo Domini increpitus, agnitoque crimine, cilicio indutus egisse pœnitentiam traditur. quo facto imminentem pœnam avertit. Namque rex Sy-

XLIV. 5 10

1 *exspectantibus cunctis*) Non semel observavi Tomo I., præcipue pag. 21., sæpius a Severo *exspectare* dictum pro *spectare*, *inspectare*: quod etiam ex hoc loco confirmari possit. Nec id insolens antiquioribus & maxime idoneis latinæ linguæ scriptoribus, ut Ciceroni lib. 1. de Oratore cap. 36. *Potes igitur*, inquit *Crassus .... oratores putare eos quos multas horas exspectavit, cum in campum properaret, & ridens & stomachans Scævola?* & Horatio lib. 1. satyra v.

Hic ego propter aquam, quod erat deterrima, ventri
Indico bellum, cœnantes haud animo æquo
Exspectans comites.

Et Statio, lib. v. Silv. II.

.... qualis per jugera circi
Cum pulcher visu, titulis generosus avitis
Exspectatur equus.

Similia & in Justioo aliquando observasse memini, quæ nunc non succurrunt.

7 *septem millia*) Ita III. Reg. XIX. 18., sed nomerus *septem* ponitur sæpe in Scripturis pro magno & iodefinito numero, ut io hunc locum Calmetus. Sic 1. Reg. II. 5. *donec sterilis peperit plurimos*, Heb. & LXX. *septem*. Sequitur *qui se idolis non dedissent*; forte *dedidissent*.

9 *Achab rex Samariæ*) *Samariam* urbem, unde postea regioni nomen, primus exædificavit Amri, sedemque regni statuit: itaque reges Israel postea reges Samariæ dicti. sic infra cap. XLVII. *omniumque qui in parte decem tribuum Samariæ præfuerunt*. Sed hoc loco, cum jam antea de Achabo multa dixisset, non erat opus addere eum Samariæ regem fuisse: & fortasse glossema id fuerit.

9 *vineam Nabuthæi*) LXX. ναβουθαί. Itaque Drusius suspicatur initio scriptum fuisse *Nabuthæ*. *Adhærentem sibi*, idest domui suæ regiæ: Drusius, Vorstius.

10 *vendere noluisset*) Neque lex id permittebat, nisi inopia gravi presso: Levit. XXV. 23. & seqq.

12 *doluisse referatur*) Ita in græcis codicibus legitur III. Reg. XXI. 16. & 27., ut Drusius & Vorstius antea notaruot; de quo nihil in hæbreo aut Vulgata.

sa *verbo Domini increpitus*) Vorstius: *Putem legendum esse* verbis, *idest nomine Domini, quemadmodum in cap. superiore scriptum*, Cum Helias verbis Dei polliceretur; *& in hoc ipso capite*, Achab verbis Dei a propheta iocrepitus.

13 *agnitoque crim.*) Vide quæ notavimus supra pag. 63.

14 *quo facto imminentem pœnam avertit. Namque, &c.*) Hæc præpostere dicta videntur; nam bellum Syrorum præcessisse videtur Naboth mortem; hæc enim cap. XXI., illud XX. Reg. III. narrantur. sed io plerisque græcis libris contra Naboth mors cap. XX., bellum Syrorum XXI. habetur. Itaque Scholion antiqoum observat: ἰστέον ὅτι ἐν τῷ ἑξαπλῷ ἐναλλὰξ κεῖται· πρῶτον μὲν τὰ κατὰ τὸν υἱὸν Ἀδερ βασιλέα Συρίας, ἔπειτα δὲ τὰ κατὰ τὸν Ναβουθαί. *Sciendum quod in Hexaplo versa vice posita sunt, priori quidem loco quæ de filio Ader rege Syriæ, posteriori autem quæ de Nabutha.* Nimirum in Hexaplo græci textus series ad hebræum archetypum fuit invertenda, ut græca hebræis e regione respoode-

Digitized by Google

Syriæ magno cum exercitu, duobus & triginta regibus in societatem belli adscitis, fines Samariæ ingressus; cum rege urbem obsidere cœpit. Artis deinde obsessorum rebus, dat belli conditiones: si aurum & argentum & feminas tradidissent, fore uti vitæ eorum parceret. sed tam 5 injustis conditionibus extrema perpeti satius visum. Et cum jam omnium desperata esset salus, propheta a Domino missus regem adit: hortatur ut in prælium exeat: cunctantem multis confirmat. ita eruptione facta, fusi hostes copiosaque præda reperta. Sed post annum reparatis viribus Syrus in Samariam regressus, acceptam cladem ul-10 tum ire cupiens, rursum victus est. eo prælio cxx millia Syrorum interiere: regi venia data: regnum ei & pristinus status concessus. Tum Achab verbis Dei a propheta increpitus, cur abusus divino munere hosti sibi tradito pepercisset. Igitur Syrus post triennium bellum Hebræis intulit. adversum hunc Achab pseudoprophetarum impulsu 15 in prælium descendit, spreto Michæa propheta & in vincula conjecto, quod ei exitiabilem fore pugnam denuntiasset. ita eo prælio Achab interfectus Ochoziæ filio imperium reliquit. Is æger corpore cum ex XLV. mi-

derent; quæ caossa fuit, ot postea aliqui codices græci, ut Alexandrinus, Hexaplaris textus ordinem sequuti sint. at in antiqua Vulgata, qua usus Severus, secus fuit. Josephus concordat cum lxx.

3 *Artis deinde obs. rebus)* Antea erat *arctis d. obs. rebus*, pro qua lectione Sigonius *fractis*, Drusius *arctis* malebant legere. at alii vulgatam lectionem se tueri posse crediderunt exemplo Terentii, qui dixit *acta res est, peris*. sed hæc, ut & illa *actum est*, jurisconsultorum formulæ nihil ad rem faciunt: præterea nec ea erat conditio urbis Samariæ, ut dici posset *actum de ea esse*; sed in magnas angustias & in summum discrimen redacta erat. *Arctis suorum viribus* idem Severus lib. II. cap. XVI. iterum dixit, seu potius *artis*, ut teste Cellario scribendum esse placet eruditis. *Artas res* dixit & Tacitus in tertio Historiarum.

10 cxx *millia Syrorum)* Drusius notat hebræos & græcos codices habere tantum *centum millia*; uti legit & Josephus. addit eodem tempore oppressa fuisse ruina muri in Aphec alia viginti septem millia; ut fortasse Sulpicius ediderit cxxvII. Sed antiqui latini Scripturæ codices habuerunt profecto *centum viginti millia*, sicuti in græca editione Aldi ἑκατὸν καὶ εἴκοσι χιλιάδας. itaque nil mutandum.

12 *a propheta increpitus)* Tum hoc, tum superiore loco, ubi scriptum est *propheta a Domino missus*, non Eliam, sed alium quemdam prophetam intellige, cujus nomen nec in sacris libris exstat. plerique Michæam fuisse autumant; de quo infra. Increpitus autem fuit Achabus, quod victoriam singulari Dei dono nactus, non debuerat de rege Benadad, seu de filio Adad aliquid statuere, nisi Deo consulto. Sic I. Reg. xv. Saul vehementer exprobratur, quod regi Agag & optimis spoliis ejus pepercisset.

16 *quod ei exitiabilem f. pugnam)* MS. *cur ei ex. f. p.*; sicut supra cap. xxxv. pag. 59. *cur David recepisset*. Vide quæ ibidem notavi, & pag. 64. Si quis alia exempla desiderat, in promto sunt quæ Tom. I. pag. 108. indicavimus. Sed quoniam me hic locus admonuit, unum addam, quod pag. 64. a me omissum fuit: nimirum Giselinum, dum in notis vulgatam ibi lectionem defendit, subdere: *Sed & Prudentium eadem acceptione usum esse videor mihi observasse Hymno IV. Cathem.*

Quæ circumfremit, ac vorare tentat,
Insanos acuens furore dentes,
Cur te, summe Deus, precemur unum.

ad quem locum ita, uti proposuimus, a nobis castigatum aliquando plura annotabimus. Verum, quod vehementer miror, in Prudentii editione ab ipso curata de hoc ne verbum quidem: præterea in textu non *cur*, sed *cum* habetur, uti & in ceteris posterioribus editionibus. Attamen *cur* retinendum omnino fuit pro *quod*.

Digitized by Google

ministris, qui idolum pro salute ejus consulerent, misisset; Elias a Deo monitus obviam se eis obtulit, increpitosque renuntiare regi jubet, mortem ejus consequuturam. Tum rex comprehendi eum ac deduci ad se jubet: sed missi, cælesti igne absumti. rex, ut propheta prædixerat, obiit: successit autem Joram ei frater ejus, isque duodecim annis imperio potitus est. At in parte duarum tribuum Josaphat rege defuncto Joram filius regnum tenuit annos duodeviginti. is Achab filiam uxorem habuit, socero quam patri propior. post hunc Ochozias filius imperium adeptus est. hoc regnante Elias translatus refertur. Eodem tempore Elisæus discipulus ejus multis signis potens exstitit, quæ omnia notiora sunt quam ut nostro stilo egeant. ab eo viduæ filius resuscitatus, & Syrus lepra purgatus, & famis tempore omnium

quod. ita enim maxime perspicuus fit poetæ sensus: alludit enim ad Danielem, de quo scriptum est, in lacum leonum missum fuisse, quod verum Deum coleret & tribus vicibus quotidie adoraret: nihil tamen a bestiis læsum, quin immo missis cælitus dapibus refectum. Quibus præmissis subdit Prudentius, eodem pacto circa nos Christianos nequidquam spiritus malos fremere, ac ritu leonum dentes acuere ad vorandum, *car* seu *quod te, summe Deus, precemur unum*. Contra si *cum* ponas, non redditur caussa, propter quam circa nos fremant dæmones, & historia Danielis non bene respondet. adde quod non *precemur*, sed *precamur* tum dicendum fuisset.

4 *rex .... obiit*). Sine liberis, cum imperium biennio tenuisset, ut III. Reg. XXII. 52., non tamen exacto, ut colligitur ex IV. Reg. III.

5 *Joram ei frater ejus*) Notavit Calmetus in v. 57. cap. I. Reg. IV. *Neque in hebræo, neque in chaldæo, arabico, & codicibus quibusdam Septuaginta legimus Joramum fratrem esse Ochoziæ. Ita tamen exhibent Syriacas, Vulgata & codices græci plerique, favetque communis sententia*. At nonne ejusdem libri cap. III. v. I. Joram Achabi filius discrte dicitur, & v. 2. Jezabelem, quod de Ochozia quoque III. Reg. XXII. 53., matrem habuisse innuitur?

7 *annos duodeviginti*) Mendum subesse his verbis nullus dubito: nam IV. Reg. VIII. 17., & II. Paralip. XXI. 5. & 20. etiam apud lxx., octo tantum annos regnasse perhibetur. consentiunt Eusebius, Prosper & Julius Hilarion in suis Chronicis. Forte ex IIX., ut olim scribere solebant, factum fuit XIIX. Præterea Chronologi statuunt hos annos numerandos esse non a morte Josaphati fratris, sed aliquanto antea: quod non obscure indicatur IV. Reg. VIII. 16.

9 *hoc regnante Elias*, &c.) Non hoc Ochozia, qui duarum tribuum rex fuit, sed Joram patre, immo avo Josaphat regnantibus Scriptura refert Eliæ raptum. sed cum Josaphati ætate regnaverit in Israel alius Ochozias Achabi filius, de quo paulo ante Severus; manifestum est hunc cum illo memoriæ lapsu ab eo fuisse confusum. Confer libri IV. Regum caput primum & secundum, in quibus Ochoziæ regis Israel ægrotatio, & Eliæ raptus refertur: capite demum octavo vers. 24. Ochoziæ regis Juda mentio fit, quo tempore Elisæus adhuc vivebat *multis*, ut Severus loquitur, *signis potens*: itaque non male postea subdidit: *Hujus Elisæi temporibus, ut diximus, Ochozias duarum tribuum erat rex*, &c. Sed Eliæ raptus multo ante contigerat, & ad alium, ut dixi, Ochoziam spectat.

10 *Elisæus*) Apud Gisel. *Helisæus*, sicut antea *Helias*. Notat præterea Vorstius græcos scribere ἐλισσαῖ cum aspiratione & diphthongo; qua ratione scribendum esset *Helisæus*.

11 *quam ut nostro stilo egeant*) MS. non agnoscit *nostro*.

11 *ab eo viduæ filius* &c.) Sequuti Vaticanum MS. totum hunc locum aliquanto elegantiorem & magis perspicuum damus: nam primo expunximus initio verbum substantivum *est*; secundo quater conjunctionem & in sequentibus supplevimus, quæ sane vix omitti poterat. Conferat lector, si lubet, hanc nostram emendationem cum vulgata antea lectione, quæ ita se habebat: *Ab eo est viduæ filius resuscitatus, Syrus lepra mundatus. Famis tempore, omnium rerum copia fugatis hostibus invecta; in usum trium exerci-*

Digitized by Google

mnium rerum copia fugatis hostibus invecta, & in usum trium exercituum aquæ præbitæ, & de exiguo olei immodicis incrementis solutum mulieris debitum & ipsi sufficiens vivendi substantia data. Hujus temporibus, ut diximus, Ochozias duarum tribuum erat rex; decem vero Joram, ut supra retulimus, imperabat: interque eos fœdus ictum. nam & adversus Syros junctis viribus bellatum, & adversum Jehu, qui per prophetam in regem decem tribuum unctus fuerat, pariter in prælium egressi, eadem pugna interiere. Sed regnum Jorami Jehu tenuit. *Posito* Ochozia in Judæa rege, qui uno anno regnavit, mater ejus Gotholia imperium occupavit ademto nepoti imperio, etiam tum parvo puero, cui Joas nomen fuit. sed huic ab avia præreptum imperium, post octo fere annos per Sacerdotem & populum depulsa avia redditum. Hic initio regni observantissimus divini cultus fuit, magnisque sumtibus templum exornavit: post adulatione principum depravatus, adoratusque ab eis, Dei iram meruit. namque ei Azahel rex Syriæ bellum intulit: inclinatisque rebus suis, auro templi pacem redemit. nec tamen ea potitus est, facti invidia a suis interfectus anno imperii quadragesimo. huic Amassia filius successit. At

XLVI.

ercituum aquæ præbitæ (MS. mendose *aquis præbitis*): *de exiguo olei immodicis incrementis solutum mul. d., & ipsi s. v. s. d.* Porro *de exiguo olei* pro *de exiguo oleo* se tuetur auctoritate Ovidii, Fast. V. Eleg. 11. v. 20.

Exiguum pleno de mare demat aquæ.

8 *eadem pugna interiere*) Ochozias non in pugna cecidit, sed postea comprehensus a Jehu in urbe Samaria, occisus est.

9 Posito *Ochozia in Judæa rege*) Ita libri omnes editi habent; quæ ita Vorstius aliique ante eum interpretantur, ut *posito* sit pro *composito* seu sepulto: sed frustra conantur hæc eo trahere. Mendum apertissimum est; nam si legas *Post Ochoziam in Judæa regem*, vel *Pro Ochozia in Judæa rege*, sententia perspicua omnino evadit.

10 *Gotholia*) lxx. *γοθολία*: nobis est *Athalia*: sic supra *Gothoniel*, qui nobis *Othoniel*, & alia multa ad eumdem modum: quæ omnia ex litteræ hebrææ ע pronuntiatione varia profecta sunt. Sequitur in Hornii editione *imperium post occupavit*, ubi *post* insertum fuit.

10 *ademto nepoti imperio*) Athalia Ochoziæ mater omnes nepotes suos occidit præter unum Joas, quem recens editum amita Josabeth occultavit, quoad impia avia regnum occupavit.

12 *post octo fere annos*) Drusius dubitavit legendum *post sex fere annos*; nam Josabeth Joam aluit occulte per sex annos, septimo vero restitutum fuit ipsi regnum opera Jojadæ pontificis & Levitarum. Sed II. Paralip. XXIII. 1. in plerisque græcis libris id factum dicitur *anno octavo*, quem numerum posuit & Clemens Alexandrinus Strom. 1.

13 *Hic initio regni*) Quamdiu nimirum Jojada sacerdos vixit, IV. Reg. XII. 2, & Paral. XXIV. 2. Postea ipsum Jojadæ filium Zachariam sacerdotem recta monentem occidendum curavit: de quo Matthæus cap. XXIII. 35.

14 *adulatione principum depravatus, adoratusque ab eis*) lxx. II. Paralip. 17: *Et factum est post mortem Jojadæ ingressi sunt principes Juda, καὶ προσεκύνησαν τὸν βασιλέα, & adoraverunt regem.* eadem fere & Vulgata. Severus carpere videtur adorationem illam, quasi sacrum Deoque debitum cultum: sed nil frequentius in Scriptura eo obsequio hominibus præstito; nec secus in historia profana. Vide unum Cornelium Nepotem in Conone cap. III.

15 *Dei iram meruit*) MS. non habet *Dei*, uti nec apparet in sacro textu II. Paralip. XXIV. 18. *Et facta est ira contra Judam & Jerusalem.* Ita & lxx.

17 *facti invidia*) Scriptura in ultionem Zachariæ filii Jojadæ occisum asserit: fortasse ob utrumque. Ita fere & Hornius.

18 *Amassia*) lxx. & græcis Patribus est *Amasias*, vel *Amessias*, vel *Amesias* uno s. Paullo infra in MS. est *Is Amessias*.

At in parte decem tribuum defuncto Jehu Joachas filius ejus regnavit, invisus Deo malis operibus, ob quæ regnum ejus Syris prædæ fuit, donec Dei misericordia depulsis hostibus pristinum habere statum cœperunt. Joachas diem functus Joæ filio reliquit regnum. Is Amassiæ regi duarum tribuum civile bellum intulit, victoriaque potitus multam prædam in regnum suum convertit. idque Amassiæ ob delictum accidisse traditur: siquidem Idumæorum fines victor ingressus, idola gentis ejus assumserat. Hic novem annos regnasse scribitur, quantum in libris Regnorum reperi. sed in Paralipomenis, atque etiam in Chronicis, novem & viginti annos imperium tenuisse adnotatum est; ea nimirum id persuadente ratione, quæ in his Regnorum libris facile perspici potest. Joram enim rex decem tribuum octavo anno imperii Amassiæ traditur regnare cœpisse, unumque & quadraginta annos imperium tenuisse: regnante demum Ozia Amassiæ filio, quarto imperii ejus anno defunctus est. qua ratione viginti & novem annos

1 *Joachas*). lxx. *ἰωάχαζ* cum z in ultima.

4 *cœperunt*) Non cohæret cum superioribus; nam referendum esset ad *regnum ejus*: ergo *cœpit*, vel *cœperat*. Sed forte respexit Severus ad decem tribus, ex quibus regnum illud constabat, & quarum initio fit mentio.

4 *Joæ filio*) Infra initio capitis xlvii. *Joas* dicitur recto casu, uti & apud lxx.: itaque & hoc loco legendum *Joæ* sine aspiratione; non, ut antea, *Johæ*.

5 *victoriaque potitus*) Ipso Amasia capto, Hierosolyma & templo direptis. sed ipsos fontes adisis.

6 *Amassiæ ob delictum*) Sequi placuit lectionem MS., cum antea esset *ob Amassiæ delictum*.

8 *novem annos*) Mendosum scilicet codicem nactus est Severus, qui iv. Reg. xiv. 2. loco *vigintinovem* haberet tantum *novem*. Quid si ibidem legerit non *novem*, sed *quadraginta novem* (ut est apud Eusebium in Præp. Evang. lib. x. cap xiv.: ubi fortasse tamen pro *κθ'* a librariis intrusum fuerit *μθ'*) vel potius *triginta novem*? quem numerum habet Clemens Alexandrinus Strom. 1. *μετὰ δὲ τὸν ἰωὰς διαδέχεται τὴν βασιλείαν ἀμασίας, ὁ υἱὸς αὐτοῦ ἔτη τριακονταεννέα*: & Theoph. lib. iii. ad Autolycum, *ἀμασίας ἔτεσι λθ'*.

9 *quantum in libris Regnorum reperi*) Lipsiensis editio omittit *in*, quam ceteri omnes libri cognoscunt, & ipse Vorstius in notis.

11 *ea nimirum id persuadente ratione*) Ita Galef., Gisel., Fabric.: mendose Hornius & Vorstius, *eo nimirum id p. r.*

11 *quæ in his Regnorum libris*) Legendum puto *Chronicorum*, non *Regnorum*: nam quæ sequuntur, ex Chronicis petita videntur, licet a librariis multimodis corrupta.

12 *Joram enim rex*) Legendum *Ieroboam* heic & paullo infra. Hornius: *omnino existimarim ex contracta scriptura nominis* Jeroboam, *errore scribarum factum* Joram.

12 *octavo anno imperii Am.*) iv. Reg. xiv. 23. anno decimo quinto Amasiæ regnasse dicitur Jeroboam: at Eusebius in Chronico initium regni Jeroboam componit cum decimo octavo Amasiæ anno. itaque heic exciderit vox *decimo*, seu potius nota numeralis x. Omitto quæ in hæc & sequentia notarunt Sigonius, Drusius, Vorstius: corruptum enim textum non animadvertentes longe ab Auctoris scopo aberrarunt.

14 *Ozia A. filio*) Qui in libris Regum dicitur *Azarias*, in Paralipomenis est *Ozias*.

14 *quarto imperii ejus anno*) Textus omnino corruptus: nam *vigesimo nono* dicere debuisset, ut cum Eusebio consentiret, & sibimet computus quadraret. Itaque scripsit Severus antiquo Romano more, xxviiii. *imperii ejus anno*, sed properantes scribæ, ut supra, omiserunt præcedentia, & iiii. in *quarto* mutarunt. Ceterum libri Regum (iv. Reg. xv. 8.) multo aliter habent: nam Zacharias filius & successor Jeroboam regnasse dicitur

Digitized by Google

nos Amassiæ effecit. Itaque nos hoc ipsum secuti, quia rationem temporum persequi placet, Chronicorum auctoritati accessimus. Igitur Amassiæ Ozia filius successit. nam in parte decem tribuum Ioas diem functus Ioram filio locum fecerat: postque hunc Zacharias ejus filius regnavit. Horum nos regum, omniumque qui in parte decem tribuum Samariæ præfuerunt, adnotanda esse tempora non putavimus: quia brevitati studentes, superflua omisimus: & ad cognitionem temporum ejus potissimum partis annos credimus persequendos, quæ in captivitatem posterius abducta prolixius tempus in regno habuit. Igitur Ozias regnum Judæ adeptus præcipuam curam Domini cognoscendi habuit, Zacharia propheta plurimum usus (Esaias etiam sub hoc primum prophetasse traditur) quo merito prosperis eventibus adversus finitimos bella gessit. Arabas etiam devicit. Jamque Ægyptum terrore nominis sui concusserat, elatusque secundis rebus illicita præsumens, incensum Deo obtulit: quod solis facere sacerdotibus fas erat. itaque cum per Azariam sacerdotem increpitus eo loco decedere congeretur, atque in iram exarsisset, lepra oppletus decessit. quo morbo af-fe-

XLVII.

tur anno *trigesimo octavo* Azariæ, sive Oziæ, regis Juda; quo fere tempore & Jeroboamum patrem obiisse putes. Sed præterea totus ille locus multis & inexplicabilibus ambagibus est circumseptus, ubi agitur de conciliandis annis Amasiæ & Azariæ cum annis regum Juda. Ut ad Severum revertamur; hic si ex libris Regum annos XXIX. Amasiæ arguere voluisset, potuisset equidem, si versiculum 10. cap. XIII., & v. 17. cap. XIV. cum 1. ejusdem capitis contulisset. Primo enim in loco habemus Joas patrem Jeroboami regnasse annis XVI.; secundo loco, post mortem Joas vixisse Amasiam adhuc annis XV.; tertio denique ex loco constat Amasiam regnare cœpisse anno secundo Joas. si enim ex XVI. annis Joas sumas XIV., jungasque alios XV., efficies nimirum XXIX. Sequitur in MS. *esse defunctum*, quam lectionem textui inserere animus fuit, & repudiare autea vulgatam *defunctus est*. sed, nescio quomodo, secus factum est.

1 *effecit*) Forte *effi.it*, puta Jeroboam: promiscuus est enim in MSS. usus vocalium *e* & *i*. Ceterum hoc ad Eusebii Chronicum, nec male, referunt Drusius & Vorst.

3 *Ozia filius*) Scribendum videtur *Ozias*, sicut paullo infra habetur.

8 *credimus persequendos*) Forte *credidimus*; quia præcedit *omisimus*.

12 *Esaias etiam*, &c.) Vide libri Isaiæ initium. Ceterum hæc parenthesi a ceteris distinguenda duximus: secus, ut hactenus est factum, sequentibus cohærere videntur. Vorstius sane perperam notavit: *Quod Esaias sub Ozia vaticinatus est*, eo merito *Oziam prosperis eventibus adversus finitimos bella gessisse scribit*. nam contra Severus Oziæ prosperitatem ex Zachariæ familiaritate & Oziæ ipsius pietate arcessit. Sed placet apponere verba sacri textus II. Paralip. XXVI. 5. juxta LXX. *Et erat requirens Dominum in diebus Zachariæ intelligentis in timore Domini*; alia lectio *in visione Domini*, *ἐν ὁράσει θεοῦ* (quo pacto ipse Severus legisse videtur, dum *prophetam* hunc Zachariam appellat: cui lectioni favet textus hebræus. sed vide Drusii Observationes lib. XIV. cap. 20.) *& in diebus ejus* (scilicet quamdiu vixit Zacharias) *exquisivit Dominum, & prosperavit eum Dominus*. Hunc Zachariam ab Isaia cap. VIII. 2. nominatum & Barachiæ filium dictum observant interpretes. Pseudo-Hieronymus in Tradit. in libros Paralip. hunc Zachariam dicit filium Zachariæ filii Jojadæ, qui natus postumus patris nomen habuerit. si ita est, tum Jojadam, tum Zachariam alio nomine Barachiam dictos fuisse oportet. Alius ab hoc, & multo recentior, Zacharias propheta, cujus inter prophetas minores liber exstat: hic etiam se dicit Barachiæ filium.

16 *sacerdotibus fas erat*) MS. *f. mos erat*.

17 *eo loco decedere*) Sic postea *decessit*, scilicet e sanctuario, quo pedem intulerat, ut adoleret incensum super [illegible] thymiamatis.

fectus vita functus est, quum regnasset annos duos & quinquaginta. Regnum inde Joathæ filio datum: isque admodum sanctus fuisse traditur, prospereque imperium administravit: gentem Ammonitarum bello victam stipendium præstare coegit: regnavit autem annis XVI, XLVIII eidemque Achaz filius successit. Celebris circa hæc tempora Ninivitarum fides traditur. Id oppidum, olim ab Assur Sem filio conditum, caput regni Assyriorum fuit, frequens tum incolentium multitudine, alens virorum millia C & XX, atque, ut in magno populo, abundans vitiis. Queis Deus motus Jonam prophetam ex Judæa ire præcepit, ac denuntiare urbi excidium, sicut olim Sodoma & Gomorrha divinis ignibus conflagrassent. verum propheta prædicationis istius ministerium detrectans, non contumacia, sed præscientia qua videbat Dominum pœnitentia populi placandum, navim quæ longe diversa regione Tharsos petebat, conscendit. Sed, ubi in altum processum, nautæ sævitia maris compulsi, quisnam esset mali caussa sorte explorare. cum super Jonam sors decidisset, tamquam piaculum tempestatis in profundum projectus est: exceptusque a ceto, marino monstro, ac devoratus, post triduum fere Ninivitarum litoribus ejectus jussa prædicat: Urbem scilicet ob peccata populi triduo perituram. Igitur non

3 *gentem Ammonitarum*) MS. *g. Ammanitarum*.

5 *circa hæc tempora*) IV. Reg. XIV. 26. dicitur Jonam jam prophetasse sub Jeroboamo filio Joas. non liquet tamen, utrum is eodem tempore, an aliquanto ante vixerit. Ab Eusebio in Chronico ad tempora Azariæ & Joatham rejicitur, quem seqoitur heic Severus, & Augustinus de C. D. lib. XVIII. cap. 27. *His adjungitur Jonas eodem Ozia regnante, & Johel cum jam regnasset Joatham, qui successit Oziæ. sed istorum prophetarum duorum tempora in Chronicis* (Eusebii & Hieronymi, ut diserte dicit cap. 31.) *non in eorum libris potuimus invenire, quoniam de suis diebus tacent.*

6 *ab Assur Sem filio*) Antea erat *ab Assur Seon filio*, quod nos in *Sem* mutandum esse cum Drusio minime dubitavimus juxta Gen. X. 22. Sequitur nimirum antiquorum fere omnium sententiam, qui ab Assur Semi filio conditam Niniveo tradiderunt: hanc sententiam nonnulli etiam ex recentioribus propugnant. Mihi tamen illorum potiora visa sunt argumenta, qui a Nembrod jacta Ninives fundamenta ex Gen. X. 11. contendunt, ut notavi supra ad pag. 8.: quam sententiam ex antiquis Theophilum sequutum video lib. II. ad Autolycum.

8 *virorum millia C & XX*) Hunc tantum numerum non virorum, sed solum puerorum fuisse volunt interpretes. Sane Jonæ IV. 11. iis aptantur hæc verba: *qui nesciunt quid sit inter dexteram & sinistram suam*; quæ Severus aut non attendit, aut aliter intellexit: non desunt enim qui ignorantiam & vecordiam totius illius populi iis verbis expressam velint.

10 *sicut olim Sodoma & Gomorrha*, &c.) Drusius: *Hæc de suo adjecit & ex ingenio promsit, aut ex commentario antiquo sumsit.*

12 *qua videbat*) Edit. Colon. *quia vid.* Hæc ex Jonæ IV. 2. sont petita.

14 *Tharsos petebat*) In Joppe portu navem ascendit, quæ in *Tharsis* (ita & græci, εἰς Θαρσεὶς) tendebat. de ea voce multa interpretes. Mox pro *sævitia*, f. *scævitia*.

18 *Ninivitarum litoribus ejectus*) Merito reprehendunt hoc loco Sulpicium, quod Niniveo maritimam civitatem, & quidem ad mediterraneum sitam, putaverit. Omnino probabile est ad litus Joppense, unde digressus erat, ejectum a marina bellua prophetam.

19 *triduo perituram*) sequitur τοὺς LXX., apud quos solos pro *quadraginta* habentur Jonæ III. 4. tantum *tres dies*. hos sequuntur antiqui Patres græci & latini. Verum hunc numerum ex librariorum incuria irrepsisse jam a primis temporibus in græcum textum conjiciunt cum Theo-

Theodoreto plerique : alii in ipsos græcos interpretes ejus mutationis caussam referunt, seu , ut August. lib. XVIII. de C. D. cap. 44., divino numine inspirante, seu quod non bona fide neque ex exemplaribus emendatis hebræa expresserint. Nonnulli ex S. Justini Dial. cum Tryph. argumentum ducunt , primitus apud Lxx. non *tres dies* , sed *quadraginta tres* fuisse expressos : *qui revera* (inquit Canus de Loc. Theol. lib. XI. cap. 5. in responsione ad 12. argum.) *ab initio prædicationis Jonæ computantur* : *hos vero tres sacer auctor omisit , quia toto triduo illa semper verba intonabat* : Adhuc quadraginta dies , *&c: quamvis ab initio , si Ninive subverteretur , quadraginta tres erant interfluxuri* . Sed textum S. Justini corruptum alii contendunt , ita ut ex duabus lectionibus una facta fuerit: ita Montfauconius in Hexapl. Origenis. Placet itaque ipsa Justini verba recitare : οἵ τινες τοῦ ἰωνᾶ κηρύξαντος αὐτοῖς.... ὅτι μετὰ (ἐν ἄλλοις τρεῖς) τεσσαρακοντατρεῖς ἡμέρας παμπληθεὶ ἀπολοῦνται , κ. τ. λ. : *Qui* (Ninivitæ) *Jona ipsis prædicante..... quod post* (*in aliis* libris, vel exemplaribus *tres*) *quadraginta tres dies universi perituri essent*, &c. tum paulo post : ἀλλὰ καὶ τοῦ ἰωνᾶ ἀνιωμένου ἐπὶ τῇ τεσσαρακοστῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, ὡς ἐκήρυξε, μὴ καταστραφῆναι τὴν πόλιν, κ. τ. λ. : *Verum etiam Jona ægre admodum ferente , quod civitas non everteretur , ut prædixerat , quadragesima tertia die* . Ad hæc porro loca Fridericus Sylburgius hæc primum ex Hœschelii notis excerpsit κατὰ λέξιν : *In superiori editione post* ἐν ἄλλοις *est spatium vacuum , quantum tres quattuorve litteras capiat : ei ergo inserui* τρεῖς , *ut hæc inclusa per incuriam amanuensis e margine in textum sint insulta : nam doctus aliquis ista marginali annotatione monere voluisset, in aliis exemplaribus pro* τεσσαρακοντατρεῖς , *legi tantum* τρεῖς, *detracto numero majore , qui est* XL. , *sicut videlicet in vulgatis Bibliis Jonæ* III. 3. *legitur* . At eodem jure quo ille ex conjectura addidit τρεῖς, nonne aliud quodpiam verbum potuisset quis substituere , puta βιβλίοις , adeo ut hæc parenthesi essent includenda, ἐν ἄλλοις βιβλίοις τεσσαρακόντα , veluti glossema aliquod e margine in textum translatum ? Sed audiamus iterum Sylburgium . *Auctius* , pergit ille, *minorem numerum* τρεῖς *expunxit, &* μετὰ τεσσαράκοντα ἡμέρας *legendum judicat : itidemque infra* τῇ τεσσαρακοστῇ ἡμέρᾳ : *Imperitia quippe scribarum abbreviaturas ignorantium mutationem invectam censet* . At si qua mutatio his in locis facta est , non adjectione vocum τρεῖς, aut τρίτῃ , sed potius τεσσαρακόντα & τεσσαρακοστῇ facta est : neque enim martyr Justinus a lectione τῶν O'. in Ecclesia tum recepta indicta caussa recessisset , ut Aquilam puta sequeretur , tunc temporis Christianis maxime suspectum interpretem . Nos itaque in tanta opinionum varietate & dissensione quid potissimum de Justini loco sive de Jonæ textu sentiamus , adhuc incerti sumus . Miramur tamen eam lectionem , quæ ex omnium fere sententia Septuaginta viris adscribitur, non probari: quæ tamen, nisi mea me fallit opinio , nihil absurdi , nihil a veri specie alienum præ se ferat. Nam Jonas nunciaturus venerat Ninivitis imminens excidium : hoc nempe unum in mandatis a Deo habebat : idque triduo præstare potuit , nam totidem diebus universa civitas obiri poterat, ut cap. III. 3. dicitur . Sequitur ibidem , ut ipso die primo , quo tertiam urbis partem propheta peragravit , magnus civium animos divinæ vindictæ timor invaserit , & anteactæ vitæ pœnitentia , ita ut primum sponte sua tum regis edicto & exemplo incitati solemne & maxime arctum jejunium statim instituerint , sordidatis vestibus induti processerint , in cinere & pulvere jacuerint . Interea Jonas urbe jam peragrata , inde egressus ad orientalem plagam (nam & ex opposita parte urbem ingredi debuit a Syris profectus) ibidem in proximis campis substitit , ut videret quidnam mali accideret illi civitati : quamquam & ab initio , & tunc cum maxime , Ninivitarum pœnitudine perspecta , vehementer dubitaret Deum facile illis parsurum . At quamdiu exspectavit ? Una nocte hedera seu , ut alii vertunt , cucurbita , ut illi pro umbraculo esset , exorta repente est , altera nocte eadem exaruit . ita ibidem IV. 10. Biduo itaque ibidem exspectavit (quod temporis intervallum debuit excurrere , ut Jonæ dictū de futura post triduum urbis clade usquequaque comprobaretur) ac tum demum a Deo monitus probe intellexit illum pœnitentia Ninivitarum omnino placatum fuisse , & aversam ab urbe extremam stragem quam ipse nuntiaverat . *Si quadraginta dies* legas , non ita facile respondebis , vel cur , si tanto antea Deus ingruentem Ninivitis pœnam Jonæ nuntiandam commiserit , ille tantopere timuerit ne mendax deprehenderetur , cum

 inter-

Digitized by Google

non dissimulanter, ut olim Sodomis, audita est vox Prophetæ: ac statim jussu regis exemploque populus universus, quin & recens nati, cibo potuque abstinentur: jumenta itidem & diversi generis animalia compulsa fame ac siti lamentantium speciem cum hominibus præbebant. ita imminens malum aversum. Jonæ apud Deum conquerenti, quod fides dictis non adfuisset, responsum, Pœnitentibus veniam negari non posse. XLIX. At in Samaria Zachariam regem admodum impium, quem superius regnasse memoravimus, Sella quidam interemit, regnumque occupavit: idemque Manæ insidiis, exemplo facti sui, perit. Mane ereptum Sellæ imperium tenuit, filioque Pa-

interea in patriam facile reverti aut alio proficisci potuisset; vel cur adeo cito tantoque fervore ad placandum numen convolarint qui ad eam diem perditissime vixerant; vel denique quid totis illis quadraginta diebus Jonas fecerit, aut ubi fuerit. Verum hæc obitet dicta sint; ex quibus tamen nullum vel contra Vulgatæ auctoritatem vel contra ipsum hebræum textum præjudicium illatum volo.

1 *non dissimulanter, ut olim Sodomis*) Scilicet, non cum contemtu & neglectu: sicut olim Sodomis nuntiato ab Angelis per Lotum excidio, cum risu & ludibrio exceptus Lot fuit. Vide quæ de verbo *dissimulo* notavimus supra pag. 22.

2 *ac statim*) Legendum puto *at statim*.

2 *quin & recens nati*) Indictum a rege infantibus ipsis lactentibus jejunium non invenies in libro Jonæ: nam quod versu 5. habetur *a maiore usque ad minorem*, non de infantibus dictum videtur, neque de jejunio: nam refertur ad proxime præcedentia *& vestiti sunt saccis*. lxx. tamen ibidem habent *ἀπὸ μεγάλου αὐτῶν ἕως μικροῦ αὐτῶν*, quæ apud Ambrosium, Enarrat. in Jonam, latine sonant *a magno eorum usque ad parvum eorum*, & de parvulis infantibus jejunare compulsis ab eo itidem explicantur. quæ etiam est communis interpretum sententia.

3 *cibo potuque abstinentur*) Ita MS. præfert, hancque pro vera & sincera Severi lectione habeo; nam veterum confirmatur exemplis, ut Salustii, qui in Fragmentis lib. IV. Hist. num. V. *quos ignavia aut prava calliditas.... armis abstinuit*: Martialis, lib. IX. Epigr. LXV.

Languidior nostri si quando est Paullus Atili,
Non se, convivas abstinet ille suos.

Et Columellæ lib. VIII. cap. 5. *Pullorum si vacua non est ingluvies, cruditatem significat, abstinerique debent*. Vulgata antea lectio erat *cibo potuque abstinere jubentur*: quæ ideo etiam suspecta est, quod jam præcesserat *jussu regis*.

4 *lamentantium speciem*) Alludit ad Jonæ verba III. 8., quæ juxta lxx. ita latine habentur apud S. Ambrosium ex edit. Rom. *& cooperti sunt saccis homines & pecora, & clamaverant ad Deum vehementer*. vide & Vulgatam.

5 *ita imminens malum aversum*) Observant sacri interpretes Ninivitas postmodum ad ingenium & scelera sua rediisse, ideoque post Jonam missum illuc Nahum, qui iterum excidium eis interminaretur; quod re ipsa inflictum fuit. Vide Nahum II., & Tobiæ XIV. 12., ubi senex ille moriens filiis mandat, ut fugiant ex Ninive. *Video enim*, inquit, *quia iniquitas ejus finem dabit ei*. Confer etiam quæ eodem capite versu 8. habentur in græco textu, & quæ S. Hieronymus in Prologo Commentarii in hunc Prophetam.

8 *Sella quidam*) Apud lxx. est *σελλούμ*, & in Vulgata nostra *Sellum*. sic qui paulo post dicitur *Mane*, illis *μαναήμ*, nobis est *Manahem*, sicut pro *Pache* habent illi *φακεσίας*, vel *φακεσίας*, vel *φακεΐας*, nos *Phaceia*. Non vacat itaque Sulpicii textus a suspicione mendi, maxime dum *Pache* pro *Phace*, seu *Phacea* exhibet.

9 *exemplo facti sui, perit*) Fabricius in Ortodox. *periit*, credo ex conjectura. sane in lapidibus & libris antiquis I maius non raro ponitur pro duobus.

Pache reliquit. eumdem vero Pache quidam ejusdem nominis interemit, regnumque occupavit. mox ab Osee peremtus, eodem scelere quo assumserat imperium, amisit. Hic ultra omnes reges superiores impius, pœnam sibi perpetuamque genti captivitatem a Deo meruit. 5 namque ei Salmanassar rex Assyriorum intulit bellum, victumque tributarium sibi effecit. sed cum occultis consiliis rebellionem pararet, regemque Æthiopum, qui tum Ægyptum obtinebat, in auxilium ac-

1 *quidam ejusdem nominis*) Hic alter τοῖς lxx. dicitur φακεέ, & in vulgata *Phacee*: itaque a primo nonnihil distinguitur. Sic in Chronico latino Hieronymi ille *Phaceas*, hic *Phacee*.

3 *Hic ultra omnes reges superiores impius*) Observat hoc loco Vorstius, quod & alii antea fecerant, veritati minime consentaneum esse hoc quod affirmat Sulpicius, idque jure colligunt ex apertissimo testimonio IV. Reg. XVII. 2. *Fecitque malum coram Domino, sed non sicut reges Israel, qui ante eum fuerant*.

4 *perpetuamque genti captivitatem*) Sed jam antea sub rege Phacee Theglathphalasar rex Assyriorum magnam partem populi Judæorum ex decem tribubus in Mediam transtulit: confer IV. Reg. XV. 29. &c.

5 *Salmanassar*) Ita scribitur heic, & infra apud Gisel. & Fabric. Editiones recentiores habent *Salmanasser*. ceterum tum græcis tum latinis uno *s* in fine plerumque scribitur. Fuit autem iste filius Theglathphalasar.

7 *regemque Æthiopum, qui &c.*) IV. Reg. XVII. 4. dicitur tantum rex Ægypti, & vocatur סוא *So*, vel *Sua*, ut reddidit Hieronymus. a lxx. dicitur σηγώρ, sed in codice Alex. σωὰ (sic & Josepho) & σουά in Cantab. Drusius quærendum proponit, unde habeat Severus hunc Ægypti regem Æthiopem fuisse. Ego ex Africano putarim, aut ex aliquo Africani compilatore. Eadem porro & aliorum antiquorum persuasio fuit, ut Joannis Chrysostomi ab ipso Drusio indicati, qui Homilia XXX. in Euangelium Joannis hæc de Osee habet: καὶ πρὸς τὴν τῶν αἰθιόπων κατέφυγε συμμαχίαν: *&* *ad Æthiopum confœderationem confugit*: & Syncelli, qui pag. 204. edit. Paris. de Salmanasar scribit: ἔπειτα δὲ μαθὼν τὸν Ὡσηὲ πρεσβευόμενον εἰς συνάδειαν ἐλθεῖν τῷ Ἀδραμέλεχ τῷ κατὰ τὴν αἴγυπτον, καὶ σηγὼρ βασιλεῖ αἰγύπτου, κ. τ. λ. quæ Goarus ita interpretatus est. *De Osee postmodum, qui missis legatis Adramelech Æthiopem Ægypto proximam, & Segor (Taracem) Ægypti regem in belli societatem vocaverat, certior factus*, &c. Ego pro εἰς συνάδειαν ἐλθεῖν legendum conjicerem εἰς βοήθειαν ἐλθεῖν, *in auxilium vocaverat*, & illud τῷ κατὰ τὴν αἴγυπτον redderem Severi verbis, *qui tum Ægyptum*, seu *Ægypti partem obtinebat*. Quod itaque isti dicunt de Æthiope rege Ægypti ab Osee ad fœdus secum ineundum vocato, ex Africano, uti dicebam, fortasse sumserint, qui in suo opere chronologico Ægyptiorum dynastias recensens, ut ex Syncello liquet, quæ XXV. dicitur, 40. annis juxta eumdem Africanum, juxta Eusebium ex Manethone 44. perduravit (ut pag. 74. & 184. Syncellus notavit) & ex tribus Æthiopibus regibus constitit, quibus nomen fuit, primo *Sabbacon* σαβάκων, secundo *Sevechus* σεύηχος, tertio *Tarcus* τάρκος, qui & τάρακος. Et hunc quidem fuisse qui *Tharaca* in sacris libris IV. Regum XIX. 9. & Isaiæ XXXVII. 9. dicitur, nemo est qui jure ambigat. Eum autem qui hunc præcessit, *Sevechum* eumdem esse ac regem *Sua* supra nominatum, & nominis similitudo aliqua, & maxime temporis congruentia Africano persuaserit. Sane apud Syncellum pag. 204. habemus, illum captivitatem decem tribuum in annum mundi 4750. conjecisse: pag. itidem 184. habemus dynastiam Æthiopum regum initium habuisse anno mundi 4732., quæ proinde ex præmissis ad annum usque 4772, juxta Syncelli tationes pervenerit. itaque si Taraco annos imperii duodeviginti cum eodem Africano tribuas, constabit *Sevechum* anno 4754. regni finem habuisse, initium vero juxta Africanum, qui ejus regno annos quatuordecim tribuit, anno fere 4741: intra quod temporis intervallum juxta ipsius mentem contigit captivitas decem tribuum sub Salmanasare. Quod si a Sabbacone ordiri computum magis placet, regnaverit iste ab anno 4732. per annos octo (quot nimirum ei tribuit Africanus citata pag. 74.) ad annum usque 4740., tum Sevechus ad annum 4754.: vel

accerseret, idque Salmanassar comperisset, perpetuis eum vinculis in carcerem conjecit, urbemque excidit: populum universum in regnum suum abduxit, Assyriis in hostili solo ad custodiam positis (exinde ea pars Samaria appellata: quod lingua Assyriorum *custodes* Samaritas vocant) ex quibus plerique divinas cæremonias receperunt reliquis 5 in

vel eo pacto constabit captivitatem Israelitici regni eo regnante accidisse, multoque magis nihil obstare juxta hunc calculum, quo minus ipse ab Osee per legatos ad opem sibi ferendam quinquennio circiter antea fuerit interpellatus. In hac autem de Africani calculo conjectura illud me magis confirmat, quod Eusebius Æthiopum regum dynastiam in suo Chronico aliquanto post decem tribuum deportarionem fixerit, quodque Syncellus Æthiopibus quidem illis tribus regibus certa juxta Manethonem regni tempora adnotaverit, eaque cum annis a mundo condito comparaverit, sed eosdem reges ad historiæ sacræ normam componere minime sollicitus fuerit; quin potius *Adramelechum* quemdam Æthiopem commentus sit (quo nomine in Scripturis IV. Reg. XIX. 37. & Isaiæ XXXVII. 36. quidam ex Sennacheribi Assyrii filiis vocatur) tum quod idem ipse Æthiopem hunc ab altero rege Ægypti *Segor*, quem LXX. nominant, distinguat, prætereaque captivitatem Israeliticam decennio integro post Africani epocham figat: nam reliquum est, ex solo Africani computo Æthiopem regem ab Osee ad societatem secum ineundam potuisse invitari, ex eoque proinde originem habuisse hanc senteotiam, quam, utpote receptissimam, tum Severum nostrum, tum Chrysostomum, tum ipsum denique Syncellum sequutos vidimus. Ut de recentioribus pauca dicamus, Marshamus, Sæc. XVI. rerum Ægypt., & Usserius in Chron., quos plerique laudant & sequuntur, *Suam* regem eumdem esse volunt ac *Sabbacon*, quem vidimus primum Ægyptum occupasse: at contra Pezronius, cap. XIII. Antiquitat. temporum restitutæ, pro *Sevecho* stat: alii in diversa abeunt.

2 *urbemque excidit*) Solus Fabricius *cecidit*. Sigonius & Vorstius notant scribendum fuisse *cœpit*, non *excidit*: quia illud habetur in sacra historia, non isthoc: sed multo melius Cellarius, Geograph. Antiq. lib. III. cap. XIII. num. LXXXII.

Longo post tempore Assyrii everterunt (Samariam) *licet desit sacro codici eversionis historia: Michæas tamen, divinus vates, prædixerat cap.* I. *commate* 6., *&* *Sulpicius Severus lib.* I. *cap.* XLIX. *adfirmavit, de Salmanassare dicens*, &c. Vide & Calmetum in IV. Reg. XVII. 4.

3 *exinde ea pars Samaria appellata*) Sequutus est procul dubio Hieronymum in Chronico, uti etiam Prosper, Isidorus, Eucherius & alii. Ejus verba sunt: *Sennacherib rex Chaldæorum ad custodiendam regionem* (hinc illud Severi *ad custodiam*) *Judææ accolas misit Assyrios, qui æmulatores Judaicæ legis facti, Samaritæ nuncupati sunt; quod latina lingua exprimitur* custodes. Verum hæc doctis viris minime probantur, cum constet ex Samaria urbe primaria partum postea universæ provinciæ nomen; illam autem ab Amri rege multo ante ædificatam fuisse, & ex montis in quo sita erat, vel ex *Semer* prioris montis ipsius domini nomine שמרון *Samron*, seu *Samariam* appellatam. Ceterum has Assyriorum seu Cuthæorum colonias illuc deductas fuisse non a Salmanasar, ut Severo placuit, neque a Sennacherib, quem Hieronymus post Eusebium cum Salmanasar confundit, sed ab *Asor Haddan* Esdræ IV. 2. dicitur. Fuit autem *Asor Haddan*, seu *Assarhaddon* Sennacheribi filius, Salmanassari nepos. Vide Tobiæ I. 18. & IV. Reg. XIX. 37. A capta proinde Samaria ad Cuthæorum illuc migrationem non paucorum annorum intervallum intercessit.

4 *quod lingua Assyriorum*, &c.) Notavit Vorstius & hoc esse falsum: nam *custodire* quod hebræis est שמר, Assyriis seu Chaldæis נטר dicitur.

plerique divinas cæremonias receperunt, reliquis, &c.) Rursus Vorstius post Sigonium & Drusium notat, male a Severo hos Samaritas in duas classes distingui: nam Scriptura nullo facto discrimine prodit eos coluisse Deum & simul idola sua.

in errore gentilitatis perseverantibus. hoc bello Tobias in captivitatem ductus est. At in parte duarum tribuum rex Achaz ob impietatem invisus Deo, cum finitimorum bellis sæpe premeretur, deos gentium colere decrevit, nimirum quia eorum auxilio victores frequentibus præliis exstitissent. ita in hoc nefariæ mentis piaculo diem functus est, cum XVI annis in regno fuisset. Huic Ezechias filius successit, multum paterni dissimilis ingenii: namque initio regni populum sacerdotesque ad Dei cultum cohortatus, multis disseruit, Ut frequenter castigati a Domino, sæpius essent misericordiam consequuti: ut postremum decem tribus in captivitatem nuper abductæ sacrilegii pœnas dissolverent: curandum eis sedulo, ne eadem pati mereantur. Ita conversis ad religionem omnium animis, Levitas Sacerdotesque omnes ad celebranda secundum legem sacrificia ordinavit: celebrarique Pascha instituit, quod jam pridem fuerat omissum. cumque dies festus adesset, dimissis per omnem terram nuntiis conventus diem edixit: ut, si qui post abductionem decem tribuum in Samaria resedissent, ad solemne sa-

L.

1 *Tobias in captivitatem ductus est*) Vide Tobiæ I. 2.

2 *rex Achaz.*) Antea erat *Achas*, sed male: nam *Achaz* jam supra dixerat cap. XLVII. ἄχαζ etiam habent LXX.

4 *quia eorum auxilio victores*) Alludit ad ea quæ II. Paralip. XXVIII. 23. leguntur. Libri omnes impressi *illæ* interserunt: *quia eorum illæ auxilio victores*. verum vel *illi* legendum fuisset, vel *victrices*. primum magis placeret, ni omnino vox illa abesset a MS. Vaticano. Sane ad præcedens verbum *finitimorum* hæc referuntur.

11 *sacrilegii pœnas dissolverent*) Vorstius: Dissolvere *pro simplici* solvere: *pro quo alibi &* absolvere *dicit*. Ceterum ab aliis recte observatum est, Ezechiam initio regni hæc de decem tribuum deportatione nec dixisse, nec dicere omnino potuisse: nam anno quarto Ezechiæ Salmanasar bellum intulit regi Oseæ, septimo autem eumdem regem cum suis tribubus in Assyriam abduxit. Errandi occasionem huic dederit Eusebii Chronicum, in quo Oseæ annus nonus & ultimus componitur cum Achazi undecimo.

15 *cumque dies festus adesset*) Paschæ solemnitatem, quæ septem diebus celebrabatur, *diem festum* dicit, juxta Vulgatam, in qua ἑορτὴ *dies festus* dicitur, præsertim in Evangeliis. Exempli gratia Joan. VII. 14. *jam autem die festo mediante*: ἤδη δὲ τῆς ἑορτῆς μεσούσης: ubi tamen de solemnitate Tabernaculorum est sermo, quæ per septem itidem, seu octo dies peragebatur: Levit. XXIII. 39. Eodem pacto paullo infra *dies sacer*, tum lib. II. cap. XXX. *Ac tum forte in diem Paschæ*.

16 *conventus diem edixit*) Nimirum quia non primo mense, sed secundo Pascha eo anno peragendum fuit, juxta id quod cautum fuerat Num. IX. 10. Coloniensis editio, notante Vorstio, pro *edixit*, ex editoris arbitrio, ut alia multa, *indixit*.

16 *ut, si qui post abductionem decem tribuum*, &c.) Supra notavimus hæc ante decem tribuum deportationem contigisse, argumento ducto ex IV. Reg. XVIII. 10. Atqui II. Paralip. XXX. 6. & seqq. significari videtur, jam tum Israelitas migrasse in Assyriam: verum id non de ultima sub Salmanasar deportatione, sed de illa prima sub Theglathphalasar, de qua IV. Reg. XV. 29., intelligi commode potest ac debet. Non mirum autem Sulpicium, præeunte præsertim Eusebio, in errorem hunc lapsum: mirandum magis Criticorum κορυφαῖον Joannem Clericum in eumdem impegisse lapidem, commentario in illud Paralip. caput, præcipue quum in secunda tabula Chronologica ex Usserii opere excerpta & in calce libri a se posita, contrarium statuatur.

ſacrum convenirent. ita frequentiſſimo conventu dies ſacer publica lætitia exactus, longo poſt intervallo religione legitima per Ezechiam reſtituta. Pari deinde induſtria qua divina curaverat, rem bellicam adminiſtravit, Allophyloſque frequentibus præliis contudit, donec ei Sennacherib rex Aſſyriorum bellum intulit. Magno cum exercitu fines ejus ingreſſus, lateque agris vaſtatis, nullo obſiſtente urbis obſidionem urgebat: Ezechias enim multitudine inferior, non auſus manum conſerere, muris ſe tuebatur. Rex Aſſyrius portis adſultans, minitari excidium, deditionem imperare: Ezechiam fruſtra Deo confidere: ſe Dei nutu potius arma ſumſiſſe: victorem omnium gentium, everſorem Samariæ effugi non poſſe, ni matura deditione ſibimet conſuluiſſent. In hoc rerum ſtatu Ezechias Deo fretus, Eſaiam prophetam conſulit, ejuſque reſponſo edocetur, Nihil ex hoſte periculi fore: divinum autem auxilium non defuturum. Nec multo poſt Tharacas rex Æthiopum regnum Aſſyriorum invadit. LI. quo nuntio Sennacherib ad ſua tuenda converſus, fremens & clamitans, Victori ſibi victoriam eripi, bellum omiſit, miſſis ad Ezechiam litteris cum verborum contumeliis denuntians, ſe paullo poſt rebus domi compoſitis ad excidium Judææ mature rediturum. Sed nihil his Ezechias motus oraſſe Dominum traditur, ne hanc tantam hominis inſolentiam inultam ſineret. ita eadem nocte angelus caſtra Aſſyriorum aggreſſus, multa hominum millia leto dedit. rex trepidus in oppidum Niniven confugit, ibique a filiis interfectus dignum ſe exitum tulit. Per idem tempus Ezechias æger corpore, mor-

6 *urbis obſidionem urgebat*) Non Jeroſolymæ, ſed Lachis, tum Lobnæ. Confer IV. Reg. XVIII. & XIX. cum II. Paralip. XXXII. & Iſaiæ XXXVII. & XXXVIII., ubi hæc fuſius traduntur.

10 *arma ſumſiſſe*) Ita MS., ita conjecerat jampridem Sigonius: nam libri impreſſi *a. ſuppreſſiſſe* mendoſe præferunt.

11 *everſorem Samariæ*) Non ipſe Sennacherib everterat Samariam, ſed ante eum Salmanaſar & Theglathphalaſar: ſed Severus bona fide exſcripſit quæ IV. Reg. XVIII. 34. leguntur: quo tamen loco, dum *manu ſua* Sennacherib captam Samariam innuit, ita intelligendus eſt, ut potentiam imperii ſui & præcedentium regum victorias exaggeret. confer & capitis XIX. verſiculum 11. & ſeqq., nec non Paralip. XXXII. 13. & 14.

15 *Tharacas rex Æthiopum*) Antea erat *Tirbac*, apud Giſel. & alios *Tircbac*; ſed in MS. *Tarrachas*, quod in *Tharacas* mutavimus, ut cum græco Θαρακὰ concordet. Porro notavimus antea hujus regis mentionem haberi IV. Reg. XIX. 9. & Iſaiæ XXXVII. 9.; utrobique autem, ut & hic apud Severum, *Æthiopum rex* dicitur, quem tamen poſt Sevechum, de quo ſupra, in Ægypto regnaſſe certum eſt. Venerit itaque hoc tempore ex Æthiopia orientali, ſeu Arabia, cum exercitu auxilio Sevecho contra Sennacheribum: ſeu, ut Joſephus & Severus tradiderunt, *regnum Aſſyrium invaſerit*.

21 *eadem nocte*) Scilicet vel qua Sennacherib Lobna profectus eſt contra Tharaca, vel qua Iſaias ejuſdem cladem vaticinatus fuit. Porro Herodotus de Sennacherib exercitu longe diverſa ſcripſit, veris falſa immiſcens.

22 *multa hominum millia*) Centum octogintaquinque millia, quæ peſte periiſſe Joſephus tradidit.

24 *dignum ſe exitum tulit*) Non *exitium*, ut in impreſſis libris, ſed *exitum* habet MS. Ex Voſſio colligo, Druſio ſuboluiſſe ita ſcripſiſſe Severum; ſed nihil ille mutare auſus eſt ex conjectura.

24 *per idem tempus*) Scilicet anno regni

Digitized by Google

morbo incubuerat. Cumque Esaias ei verbum Domini annuntiasset, vitæ ejus finem adesse; flesse rex traditur. ita xv annos prorogari sibi ad vitam meruit: quibus peractis, nono & vigesimo imperii anno decessit. regnum Manasse filio reliquit. Is a
5 patre multum degenerans, relicto Domino culturas impias exercuit: ob quod in potestatem Assyriorum traditus, malo coactus agnovit errorem, populumque adhortatus est, uti relictis idolis Dominum colerent. Nihil sane dignum memoria gessit: regnavit autem annos v & L. Amon deinde filius ejus regnum
10 adeptus est, nec ultra biennium eo potitus est: paternæ impietatis heres, Domini negligens, suorum insidiis circumventus periit. ad Josiam filium imperium devolutum. Is admodum religiosus fuisse traditur, summaque cura divina administrasse, Helchia sacerdote usus bene. Is cum in templo librum verbi Dei scri-

LII.

gni ejus decimo quarto; nam quindecim annos post morbum hunc superstes fuit, & in universum undetriginta regnavit, ut dicitur IV. Reg. XVIII. 2. Incidit itaque Ezechiæ morbus in eumdem annum quo Sennacheribus Judæam bello premebat (vide eiusdem capitis vers. 13.) antequam ipsius exercitus ab angelo cæderetur: nam & in eo morbo promisit ipsi Deus Jerosolymæ liberationem & Assyriorum cladem: IV. Reg. XX. 6. Nec obstat quod tum in libris Regum & Paralipomenon, tum apud Isaiam Ezechiæ morbus post obitum Sennacheribi referatur: is enim est Scripturæ mos, ut quam semel instituit narrationem, absolvat primum, tum addat ea quæ vel eodem tempore vel etiam antea contigerunt. Calmetus scribens in vers. 1. capit. XX. Reg. IV. pro hac sententia stat: idem in vers. 6. contrariam propugnat, sibique aperte contradicit. Videndum etiam num quæ de Sennacheribi bello, clade, fuga & commoratione Ninivitica, Regum & Paralipomenon libris, nec non Tobiæ I. 21. & seqq. referuntur, postremo Ezechiæ morbus, infra unius anni spatium coartari possint. Sane Usserius *in Ann.* & Pridæus *Hist. Heb.* Sennacheribi cladem & fugam non anno XIV. Ezechiæ, sed XVIII. adfigunt, & medio illo tempore Ægyptum ab eo occupatam & vastatam, ex Isaiæ XX. & Nahum III., tradunt.

1 *verbum Domini ann.*) Legendum putarim *verbis Domini ann.* Confer IV. Reg. XX. 1. & Isa. XXXVIII. 1. utrobique Isaias ad regem ita fari orsus inducitur: *Hæc dicit Dominus*.

3 *nono & vigesimo*) Gisel. *nono & vicesimo*, ut alibi: apud eumdem mox *Manassæ*.

6 *in potestatem Assyriorum traditus*) Hæc & sequentia ex II. Paralip. XXXIII. 11. petita sunt, ubi tamen Babylonem abductus dicitur. nimirum Assyria & Babylonia unius imperio regi occœperant.

7 *agnovit errorem*) Scilicet *doluit & fassus est*. Vide quæ de hujus verbi significatione notavimus pag. 63.

9 *regnum adeptus est*) MS. *regnum indeptus est*.

10 *nec ultra biennium*, &c.) Ita hebræi codices, & plerique græci. Eusebius tamen annos XII. a LXX. Amoni tributos legerat, quos & sequi maluit in Chronico; quo nomine a Syncello mendacii arguitur, sed immerito: ita enim præfert etiam nunc Alexandrinus liber. Eusebium exscripsit Prosper.

10 *paternæ impietatis heres*) Ita diserte IV. Reg. XXI. 20. & 21. Josephus: *μιμησάμενος τὰ τοῦ πατρὸς ἔργα, ἃ νέος ὢν ἐκεῖνος ἐτόλμησεν: imitatus patris opera, quæ ille in iuventute patrarat.*

13 *Helchia sacerdote*) Hebraice scribitur חלקיה *Helcia*, seu *Chelcia*, græce χελκίας *Chelcias*, quo modo scripserit etiam Severus: sed vide Pontaci notas in Eusebium, apud quem *Elchias* habent vulgati libri. Fuit autem is sacerdos summus, *ἀρχιερεύς*.

14 *librum verbi Dei scriptum*) Lege *verbis Dei*, ut alibi sæpius scriptum hoc in opere occurrit. Porro fuisse ipsius Mosis autographum colligunt nonnulli ex II. Paral. XXXIV. 14.; sed non e-

ſcriptum, repertum a ſacerdote legiſſet, quo continebatur, Hebræam gentem ob crebras impietates & ſacrilegia delendam; piis ad Deum precibus fletuque jugi imminentem cladem avertit. Quod ubi indultum ſibi per Holdam prophetiſſam comperit, majore cura, utpote obligatus divinis beneficiis, cultum Dei exercuit. Igitur vaſa omnia anteriorum regum ſuperſtitionibus idolis conſecrata cremavit; namque eo profani ritus invaluerant, ut ſoli ac lunæ divinos honores darent, eiſdemque etiam ex metallis ſacraria ædificarent. quibus Ioſias in pulverem redactis, ſacerdotes quoque profanarum ædium interfecit. Sed ne ſepulcris quidem impiorum pepercit: quod olim prædictum a propheta, impletum animadverſum eſt. Hujus octavo & decimo imperii anno Paſcha celebratum. Poſt triennium fere adverſus Nechao regem Ægypri, qui bellum Aſſyriis inferebat, in prælium egreſſus, priuſquam inter ſe acies concurrerent, ſagitta ictus eſt: exque eo vulnere in urbem relatus, deceſſit, cum regnaſſet annos I & XX. Joachas inde filius ejus regnum adeptus, tri-

LIII.

vincunt. ipſum præterea non totum Pentateuchum, ſed Deuteronomium, vel quatuor tantum Deuteronomii capita, a XXVIII. ad XXXI., exhiboiſſe volunt, quæ ſeorſum ad latus Arcæ in volumine exarata poſita fuerint, juxta Deuteron. XXXI. 26. Notandum *librum legis* ספר התורה, & *librum fœderis* ספר הברית dici ſæpius, ut IV. Reg. XXII. 8. II. & alibi. præterea de Paſchate celebrando in eo libro ſancitum, ibidem XXIII. 22., tum de extirpandis divinis & necyomantis, ibidem 24., de quibus nihil in quatuor illis capitibus. Itaque vel totus Pentateuchus fuerit, vel potius integer Deuteronomii liber: qui integer coram populo legi potuit, ut factum refertur IV. Reg. XXII. 2.

4 *per Holdam prophetiſſam*) Male hactenus *per Ollam pr.* Hebr. eſt חלדה, græcis ὀλδὰ: itaque *Holda*, ut eſt etiam in Vulgata, ſcribendum fuit.

9 *ex metallis ſacraria*) *Sacraria* Severo ſunt altaria, ut ſupra notavimus. unde autem didicerit ea altaria ex metallis conficta, haud liquet.

11 *quod olim prædictum a propheta*) Vide III. Reg. XIII. 2., & confer IV. Reg. XXIII. 16. Prædixerat nimirum propheta quidam ſub Jeroboam, futurum ut naſceretur ex ſtirpe David rex, Joſias nomine, qui in altari Bethel mactaret profanos ſacerdotes, & oſſa cadaverum cremaret. poſt annos pluſquam trecentos & quinquaginta prædictionem ſecutus eſt eventus.

13 *Poſt triennium fere*) Sigonius monuit *tredecim annis* pro tribus reponendum: at Druſius nihil mutandum voluit, quippe qui alucinatum velit Severum, dum Joſiam regnaſſe ſcribit annis XXI.: qua ratione triennium fere a celebratione Paſchatis ad eiuſdem mortem interceſſit. Illud certiſſimum eſt annos triginta & unum regnaſſe Joſiam, ut aperte traditur IV. Reg. XXII. I. & II. Paralip. XXXIV. I. tum in hebræis, tum in græcis codicibus. diſſicile autem creditu eſt in Severi codicibus latinis fuiſſe eum numerum corruptum: multo proclivius eſt, in ipſius Severi textu a librariis duplex illud mendum invectum; præcipue cum alterutro eius loco vitiato, vitium in alterum quoque facile manaverit. Exempli gratia, ſi pro *cum regnaſſet annos* I. & XXX., ſcripſerit aliquis *annos* I. & XX.; hæc corruptio alteri corruptioni viam patefecit, ut pro *Poſt tredecim fere annos*, alius quis ſubſtitueret *Poſt triennium fere*. Sed hæc lectorum iudicio relinquimus.

17 *Joachas*) Græci ἰωαχάζ: ſic ſupra *Achas* pro *Achaz* ſcriptum fuerat. Porro hic Paralip. III. 15. & Jerem. XXII. 11. alio nomine *Sellum* dicitur.

17 *regnum adeptus*) MS. *reg. indeptus*.

Digitized by Google

tribus menſibus tenuit, captivitati ob impietatem deſtinatus: namque eum Nechao rex Ægypti victum captumque duxit. nec multo poſt in vinculis diem functus eſt. Judæis ſtipendium annuum imperatum: rex eis Eliachim arbitrio victoris datus, 5 qui poſtea immutato nomine Joachim vocitatus eſt. Hic Joachæ frater, Ioſiæ filius fuit, fratri quam patri propior, ſacrilegio inviſus Deo. Igitur cum regi Ægyptio pareret, quippe cui tributum penderet, Nabuchodonoſor rex Babylonius Judæam terram occupavit armis, & per triennium jure belli victor poſſedit. et- 10 enim cedente jam rege Ægypti, determinatiſque inter eos imperii finibus convenerat, Judæos ad Babylonem pertinere. Ita cum Ioachim, exactis in regno annis undecim, filio ejuſdem nominis locum

2 *victum captumque)* Antea erat *vinctum captumque*, ſed male; nam ſi prius *vinctum* dictum fuiſſet, cur ſtatim *captumque* addendum fuiſſet? Nec opponas alludi ad IV. Reg. XXII. 33. ubi legitur *vinxitque eum:* nam præterquam quod aliter ibidem habent LXX., prius vincendus, dehinc vinciendus fuit. nam & ratio per ſe ipſa monet, & Ezechielis textus XIX. 2. 3. juxta multorum interpretationem perſuadet, hunc regem ducto adverſus Nechao exercitu prælio victum fuiſſe. Correctionem hanc meam confirmat ipſe Severus, quum infra Nechao regem *victorem* appellet.

3 *nec multo poſt*, &c.) Hornius obſervavit ſacros libros nil habere de tempore quo Joachas in Ægypto ſuperſtes fuerit.

4 *Eliachim)* Legendum eſſet *Eliacim*, quia apud LXX. eſt ἐλιακίμ, apud hæbræos אליקים. Fuit hic alter ex Joſiæ filiis, & quidem natu maior Joachazo.

5 *qui poſtea immutato nomine Joachim v. eſt.)* Lipſienſis editio inverſis verbis *nomine immutato*. Ceterum ipſe Ægyptius rex nomen ipſi immutavit, eadem tamen ſignificatione retenta. Antea erat *Joachis* tum hoc, tum ſequentibus locis, quæ correximus ex lectione LXX. & ex ipſo Severo, qui initio libri II. *ſub rege Joachim* habet.

5 *Hic Joachæ frater, Joſiæ filius fuit)* Ita omnino legendum iuxta ſacram hiſtoriam, & ea quæ heic ſequuntur, *fratri quam patri propior*. Vulgati libri *Hic Joachæ fratris Joſiæ filius* (in recentioribus editionibus *Joſiæ F.*) *fuit*, quæ minus bene Sigonius verbis tranſpoſitis emendat: *hic Joachæ filii Joſiæ frater fuit*.

6 *fratri quam patri propior)* Fabricii & Hornii libri *proprior*: male.

10 *determinatiſque inter eos imperii finibus convenerat*, &c.) Hæc *merum commentum appellat* Hornius: *nam hujus tranſactionis nec ulla memoria exſtat, & ſatis clare ex ſacris refutari poteſt. Quippe Nabuchodonoſor victoria ſua uſus ipſam Ægyptum penetravit, & totam Syriam Nechoni, non ulla tranſactione, ſed armis ademit, ac jure belli, ut ipſe Sulpicius loquitur, tenuit.* Confer IV. Reg. XXIV. 7., & Beroſum apud Joſephum lib. X. cap. II., prætereaque Ezechiel. XXIX. & XXX.

12 *filio ejuſdem nominis)* In græcis libris aliqua eſt differentia inter nomen patris & filii, quam notavit & Hieronymus initio Comm. in Danielem & Matthæum: ille ἰωακίμ ſeu ἰωακεὶμ *Joacim*, filius ἰωαχίμ ſeu ἰωαχεὶμ *Joachim*: quam tamen non advertiſſe Severum apparet, adeoque utrumque *Joachim*, uti editum eſt, vocavit. Neque hoc peculiare Severo; nam teſte Hieronymo in Matth. utrumque nomen ſcriptorum vitio & longitudine temporum apud græcos latinoſque confuſum eſt. Apud Hebræos majus etiam diſcrimen intereſt: nam pater יהויקים *Jehoiakim*, filius יהויכין *Jehoiachim*, qui inverſis litteris יכניה *Jechonia* dicitur I. Paralip. III. 16. & apud Jeremiam ſæpius (capite tamen XXII. in hebræo bis eſt כניהו mendoſe) denique Matthæi I., ubi tamen plerique ex noſtris interpretibus verſ. II. *Joachim* patrem, verſ. 12. *Joachim* filium deſignatum volunt. Ita & Hieronymus Comm. in Daniel. cap. I. & in Matth.

locum fecisset, isque regis Babylonii in se iram concitasset (Deo nimirum agente, cui constitutum erat Judæam gentem captivitati & internecioni dare) Nabuchodonosor Hierosolymam cum exercitu ingressus, urbem murosque ac templum solo stravit : auri immensum modum, & sacra ornamenta vel publica vel privata, puberesque omnes virilis ac muliebris sexus transtulit, relictis, quorum imbecillitas aut ætas fastidio victoribus fuit. quæ turba, inutilis servitio, exercendis colendisque agris, ne incultum esset solum, deputata: eisdemque rex Sedechias præpositus, ademtis viribus inani tantum umbra regii nominis concessa. Sed Joachim tribus mensibus tempus imperii habuit. Is cum populo Babyloniam translatus, & in carcerem conjectus est. trigesimum post annum emissus, atque a rege in amicitiam receptus, mensaque & consiliis participatus, non sine solatio depulsæ calamitatis decessit. LIV. Interea Sedechias rex turbæ inutilis, quamquam sine viribus, infido ingenio & Dei immemor, qui non intelligeret captivitatem ob delicta gentis illatam, postremis denique malis debitus, regis animum offendit. Ita ei post novem annos Nabuchodonosor bellum intulit, compulsumque intra muros confugere triennio obsedit. qua tempestate Hieremiam

1 *isque regis Bab. in se iram concitasset*) De patre id intelligendum, non de filio, qui trimestri tantum spatio regnavit. Pater autem, quod rebellasset contra Nabuchodonosor, ipsius in se iram accendit, ipsumque cum exercitu ad Jerosolymam obsidendam a Babylone venire impulit, & cetera quæ IV. Reg. XXIV. & alibi narrantur.

4 *urbem murosque ac templum solo stravit*) Nihil hujusmodi in sacris litteris, quæ postea sub Sedecia urbem templumque incensum tradunt. quin ipse Severus sibi contradicit, cum paullo post Sedeciam scribit *compulsum intra muros*, certe Jerusalem, *confugere, triennii obsidionem* tolerasse, & quæ ibidem sequuntur. Quod etiam antea dixit, *Nabuchodonosor Hierosolymam cum exercitu ingressus*, ex conjectura ductum videtur.

5 *ornamenta vel publica vel privata*) MS. *orn. & publica & privata*. Vorstius notaverat *vel* positum pro *&* r quomodo *Sulpicii ævo solebant*. Fortasse illud a librariis venit.

7 *quorum imbecillitas*, &c.) IV. Reg. XXIV. 14. *nihilque relictum est, exceptis pauperibus populi terræ*.

9 *deputata*) Scilicet *adsignata*. Sic lib. II. cap. VII. *deputari leonibus*. Simile est illud Macrobii Saturn. VII. cap. 14. *ad deputatam tibi a natura sedem*.

9 *Sedechias*) Melius *Sedecias*: græce σεδεκίας. Patruus erat Joachim; sed apud LXX. IV. Reg. XXIV. *filius* dicitur. *Matthanias* antea vocabatur, sed a victore aliud nomen accepit; quod dominorum in servos jus olim fuit.

13 *trigesimum post annum*) Ut notarunt Sigonius & Vorstius, legendum *trigesimum septimum post annum*: ita enim diserte habetur IV. Reg. XXV. 27.

17 *postremis denique malis debitus*) Drusius: *Sic* mors naturæ debita: *&* cælo debita progenies: *quod est Claudiani in Gigantomachia*.

18 *post novem annos*) Anno nono regni ejus, mense decimo, decima die mensis: IV. Reg. XXV. 1.

20 *triennio obsedit*) Drusius: *Rescribendum ex historia*, biennio fere: *nam biennium integrum nondum erat exactum. Siquidem obsessa fuit mense decimo anni noni, capta autem mense quarto anni undecimi, nona die mensis*. Confer IV. Reg. XXV. 2. 3. & Jeremiæ XXXIX. 1. 2. & LII. 4. & seqq.

miam prophetam, qui jam sæpius imminere urbi captivitatem pronuntiaverat, consulit, si quid spei forsitan superesset. Sed ille cælestis iræ non ignarus, eadem sæpius interrogatus respondit, ipsi regi specialem pœnam denuntians. Tum verò Sedechias
5 in iram excitatus, trudi prophetam in carcerem jubet: moxque eum crudelis facti piguit; sed obsistentibus Judæorum principibus, quibus jam inde a principio moris fuerat bonos premere, absolvere innocentem non est ausus. Iisdem cogentibus, in lacum immensi profundi, cœnoque ac sordibus, atque ex eo exi-
10 tiabili fœtore horridum, demissus est, ut ne simplici quidem morte exspiraret. sed rex licet impius, aliquanto tamen sacerdotibus mitior, educi prophetam de lacu & carceris custodiæ reddi jubet. Interea obsessos vis hostium & penuria urgebat: consumtisque omnibus quæ mandi poterant, fames invaluerat.
15 Ita defessis inedia defensoribus, oppidum captum incensumque: rex, ut propheta dixerat, effossis oculis, Babyloniam translatus: Hieremias misericordia hostili carcere exemtus. Cum eum Nabuzardan princeps regius captivum cum ceteris duceret, delata sibi optione ab eo, utrum in solo patrio deserto desolato-
20 que subsistere, an secum abire in summis honoribus vellet, residere in patria maluit. Nabuchodonosor, abducto populo, residuis (quos belli conditio vel prædæ fastidium relinqui a victoribus fecerat) Godoliam ejusdem gentis præposuit, absque ullo insigni regio aut imperii nomine: quia præesse paucis & cala-
25 mitosis nulla dignitas erat.

CHRO-

1 *Hieremiam*) Cum aspiratione, ut apud Giselinum heic, & apud alios etiam, infra occurrit, ex græco *Ἱερεμίας*.
2 *Consulit*) Forte *consuluit*. Ceterum hæc ex Jerem. XXVII. & seqq., ubi tamen paullo aliter narrantur.
11 *aliquanto tamen sacerdotibus mitior*) Paullo ante *principes* eos dixerat: itaque & heic Vorstius monet *legendum sine dubio* principibus. Hornius tuetur receptam lectionem: *nam synedrium intelligitur, cujus magna pars sacerdotes erant*.
16 *ut propheta dixerat, effossis oculis*) Jeremias (nam de eo sermo est) prædixerat quidem Sedeciam ductum iri captivum Babylonem, sed de cæcitate nihil: quin immo contraria videtur habere cap. XXXII. 4. 5. & XXXIV. 3. Porro Ezechiel XII. 13. Sedeciæ cæcitatem aperte prædixit: & hi textus facile inter se conciliantur.
18 *Nabuzardan*) Ita Giselinus edidit, cui favet græc. *ναβουζαρδάν*· alii libri *Nebuzardan*.
22 *vel prædæ fastidium*) MS. *& prædæ fastidium*, ut supra *ornamenta & publica & privata*.
22 *quos . . . relinqui a victoribus fecerat*) Antea erat *reliqui*. jampridem Giselinus dubitaverat utrum *relinqui a victoribus*, an potius *reliquias victoribus* legendum esset: hocque secundum verius putavit. Sigonius primum prætulit; quod & ego facio. Drusio tamen visus est hic solœcismus esse pro *reliquos fecerat*: *quales nonnulli*, inquit, *sunt in Cicerone*; præcipue quod *vitium hoc orationis in Sulpicio novum aut insolens non sit*. Citat præterea ipsius verba ex epistola ad Desiderium præfixa Vitæ S. Martini. Sed frustra omnia: nam, ut demus Severum scribere potuisse *quos . . . . reliqui fecerat*; numquam tamen scripsisset *reliqui a victoribus fecerat*. lege itaque *relinqui*.
25 *nulla dignitas erat*) In MS. hæc adduntur: *Explicit Sacrorum Chronicorum liber primus: incipit liber secundus. Legi* (pro *lege*) *feliciter*.

CHRONICORUM

sive

HISTORIÆ SACRÆ

LIBER SECUNDUS.

I. Captivitatis tempora prophetarum vaticiniis atque actibus illustrata sunt, maximeque Danielis egregia ad conservandam legem perseverantia, & in absolutione Susannæ divino consilio, ceterisque ab eo gestis, quæ ordine persequemur. Hic sub rege Ioachim captus deductusque Babyloniam, parvus admodum puer: postea ob elegantiam vultus inter ministros regios assumtus, unaque cum eo Ananias, Misael & Azarias. Sed cum eos rex delicatioribus cibis curari præcepisset, idque Asphanæ eunucho

10 15 20 25

17 *maximeque Danielis egregia*, &c.) Insignem totius hujus periodi emendationem suppeditavit nobis liber Vaticanus, quæ ut lectori magis commendetur, vulgatam antea lectionem cum variantibus MS., prout Roma ad nos missæ sunt, ob oculos proponemus. *Captivitatis tempora . . . illustrata sunt. Maxime itaque* (MS. *maximeque*) *Danielis egregiam ad e. l. perseverantiam, & in absolutionem Susannæ divino consilio* (ad quæ verba Vorstius: *Siganius legendum censet* divinum consilium; *Drusius vero* in *delendum*: *ego rursus prætulerim prius*) *ceteraque ab eo gesta ordine perseq.* (MS. *ceterisque ab eo gestis quæ in ordine prosequemur*.

21 *sub rege Joachim*) Scribendum esset *Joacim*, seu *Joakim*, ut est apud Danielem; nam heic de Josiæ filio agitur, non de nepote; quos tamen, ut supra vidimus, cognomines putavit Severus. Anno itaque tertio Joacim desinente, seu quarto ineunte (sic enim Daniel cum Jeremia, xxv. 1., conciliatur) Nabuchodonosor obsedit Jerusalem, regem cepit, & *vinctum catenis duxit in Babylonem* (II. Paral. xxxvi. 6.) scilicet ducere proposuit; sed quibusdam conditionibus propositis regno restituit, acceptis obsidibus Daniele & aliis de stirpe regia, quos abduxit Babylonem cum parte vasorum templi, ut Daniel. 1. & Paral. ultimo habetur.

22 *parvus admodum puer*) Infra *annos natus duodecim* dicitur, cum Susannam absolvit, de quo suo loco. Nonnulli interpretes ex cap. 1. Danielis vers. 4. arguunt, non *parvum admodum puerum* eum fuisse; itaque fere viginti ei annos adscribunt. Sed de his nos infra aperte conjecturam nostram proponemus.

25 *Asphanæ eunucho*) *Asphanez* dicitur apud Danielem, pro quo nomine S. Hieronymus in *editione vulgata* ἀσφανέζ (alii aliter scribunt: vide Hexapla Origenis) *scriptum reperisse* scribit

nucho negotii dediſſet, Daniel paternarum traditionum memor, ne ex menſa regis gentilium cibis participaret, popoſcit ab eunucho, ut leguminibus tantum uterentur. Cauſſante Aſphane, ne diſſimulatum imperium regis conſecutura macies prode-
5 ret; Daniel Domino fretus pollicetur, majoris decoris ſibi vultus ex leguminibus, quam ex cibis regiis fore. fideſque dictis adfuit, ita ut minime eorum vultus comparabiles haberentur, qui imperialibus impendiis procurabantur. Igitur a rege in honore & gratia adhibiti, prudentia & diſciplina brevi omnibus
10 regis proximis antelati. Per idem tempus Suſanna quædam Joachim

ſcribit. editionem vulgatam intelligit ſeptuagintaviralem, cui Origenes *de Theodotionis opere aſteriſcos* appoſuit & obelos. vide ipſius Hieronymi præf. in Danielem. Quod autem Aſphanæ *præpoſito Eunuchorum* (gr. ἀρχιευνούχῳ) cura demandata dicatur Danielis & ſociorum, ipſos quoque exſectos fuiſſe Judæi apud Hieronymum lib. 1. adverſus Jovinianum, & Com. in Daniel. tradiderunt, idque juxta Iſaiæ vaticinium XXXIX. 7.

1 *paternarum traditionum memor*) Scilicet *a patribus acceptarum*. nimirum gentiles carnes ſuillas & alia multa lege Moyſis vetita in uſu habebant, tum idolothytis ſæpe veſcebantur, quæ Judæi exſecrabantur. Sic infra cap. XXII. *admonita* (Eſter) *ne paternarum traditionum immemor .... gentilium cibis participaret*. Meminit & Paullus ad Galat. 1. 14. τῶν πατρικῶν παραδόσεων, & Petrus epiſt. 1. cap. 1. 18. ἀναστροφῆς πατροπαραδότου.

4 *diſſimulatum imperium regis*) *Diſſimulatum* pro *neglectum* & *ſpretum* dixit alibi, ut ſuis locis diligenter notavimus. Vide lib. 1. cap. XIII. pag. 12.

8 *in honore & gratia adhibiti*) Forte *habiti*.

10 *regis proximis antelati*) Sic infra cap. 11. *regis proximum* appellat, & cap. XIII. *Mardochæus inter proximos regis erat*. Sunt autem *regis proximi*, qui gratia apud regem maxime valent, & ſecretioribus conſiliis adhibentur. iidem & *amici regis* dicti fuerunt. Apud Ammianum Marcellinum lib. XIV. cap. 11. eadem, ut puto, ſignificatione Conſtantinus Imperator deliberat *cum proximis* de cæde Galli Cæſaris, & paullo infra eodem cap. *ſed perfidiam proximorum .... verebatur*.

10 *Per idem tempus*) Initium ducit a Suſannæ hiſtoria, quod facit & auctor Synopſis Scripturæ Athanaſio adſcriptæ: nimirum quia hæc initio libri olim habebatur; immo ante initium ejuſdem libri ſeorſim, ut conſtat ex verſione Syriaca, quam infra memorabimus, & ex fragmento 1. S. Hippolyti in Danielem apud Combefiſium tom. 1. Auctar. PP., & in editione Opp. S. Hippolyti a Fabricio curata (Hieronymus in Iſaiæ caput 111. *Et inveteratos dierum malorum duos presbyteros juxta Theodotionem in Danielis principio legimus*) idque merito; nam adhuc puer Daniel erat. Multi ex antiquis, quia in hebræis codicibus non legebatur, hanc totam narrationem, ut & alia Danielis capita, non habuerunt pro canonicis, aut de eorum αὐθεντίᾳ dubitarunt, quorum ſententiam adhuc tuentur mordicus qui extra Eccleſiæ Catholicæ caſtra degunt: quibus tamen ſatis ſit reſpondere, hæc ſemper & reliqua ab antiquiſſimis uſque temporibus in ſacris Chriſtianorum cœtibus lectitari ſolita, & pro ſinceris Danielis libri partibus ab Eccleſiis omnibus habita, & a Patribus pleriſque laudata, demum Tridentinæ Synodi decreto fuiſſe confirmata. Sed de his multi ex inſtituto pleniſſime diſputant.

10 *Suſanna quædam*) Forte *cuidam*, ſcilicet *Joachim nupta*. Sane *q* in *c*, ac viciſſim, utpote ſono affines litteræ, facile permutantur in antiquis maxime libris. Nam cur *quædam* minus placeat, hæc ſunt: primum, quod paullo ante feminam hanc nominaverat: ſecundum, quod plura de ea ſtatim addat: tertium, quod notiſſima in ſacra hiſtoria ſit; adeo ut τὸ *quædam*, quod de ignota fere perſona dici ſolet, ei minime conveniat.

Eadem

chim nupta, spectatæ femina pulchritudinis, a duobus presbyteris appetita, cum impudicis non acquievisset, falso crimine incessitur: iisdem presbyteris deferentibus, in remotis locis adolescentem cum ea deprehensum, sed illum juvenili alacritate senum manus effugisse. ita presbyteris fides habita: judicio populi Susanna damnatur. Quæ cum secundum legem ad supplicium duceretur, Daniel tum annos natus XII, increpitis Judæis quod innocentem morti dedissent, reducere eam in judicium, caussamque denuo audiri postulat. Enimvero multitudo Judæorum quæ tum aderat, non sine Domino existimans puerum contemtæ ætatulæ in hanc constantiam prorupisse, favore accommodato, in consilium revertitur. Initur denuo judicium: Danieli, ut inter majores natu resideret, delatum. Igitur separari

Eadem momenta suadent *cuidam* primitus scriptum; præcipue quod non hic sit *Joachim*, seu *Joacim* (. ita enim & heic esset scribendum) de quo, seu de quibus paullo ante aut in superiori libro Severus: quamquam teste & annuente Syncello, S. Hippolytus (ὁ ἱερὸς ἱππόλυτος) in peculiari libro *de Susanna & Daniele*, aliique olim, nulla alia puto quam nominis similitudine ducti, Joacim regem qui Hierosolymis triennio regnavit, ac postea Babylonem ductus fuit, eumdem maritum Susannæ fuisse putaverint, patrem vero Chelciam, seu Helciam Pontificem, qui sub Josia reperit legis librum, fratrem vero Jeremiam.

1 *a duobus presbyteris*) Vorstius: *Utitur vocabulo græco, quod in ipsa historia Susannæ visitur, cum latine dicere posset* Seniores. *Est autem nomen dignitatis, respondetque hebræo* זְקֵנִים. In Thalmude Babylonico contineri perhibent jura in Babylonia a Judæis usurpari solita. *γερουσίαν* etiam Alexandriæ eos habuisse testis Strabo apud Joseph. Antiq. XIV. cap. 12.

2 *appetita, cum impudicis non acquievisset*) Geminus huic locus occurrit supra lib. I. cap. X., ubi de Josepho: *appetitum sæpius, nec acquiescentem sibi*. Sic infra cap. XIII. *appetitam reginam clamitans*.

3 *in remotis locis*) Nescio cur Drusius mallet *in occultis locis*: nihil enim mutandum occurrit.

7 *tum annos natus* XII.) Drusius: *quotum annum egerit, historia non prodidit: tantum dicit fuisse παιδάριον νεώτερον, id est* puerulum juniorem. *Quærendum igitur unde hæc habeat Severus*. Inde puto hæc habuisse Severum, unde hausit interpolator Ignatii epist. ad Magnesianos, unde Theodoretus, in Ezech. I., nimirum ex antiquiori versione, quæ septuagintaviralis dicta fuit. Confirmat hanc conjecturam Syriaca hujus Danielis capitis versio illa, quæ secundo loco exhibetur in Polygluttis Waltoni Tom. IV.; nam hæc & in ceteris multum distat a vulgatis libris, & duodecim annos Danieli diserte tribuit. Porro notum est viris doctis Susannæ historiam & reliqua quæ in Danielis hebræo textu non habentur, non a Theodotione primum, sed multo ante sub nomine τῶν ό in græcum fuisse translata sermonem: hanc tamen versionem teste Hieronymo Ecclesiæ postea repudiarunt, recepta interpretatione Theodotionis, quam ipse Hieronymus latinam fecit. itaque ante Hieronymum Ecclesia occidentalis interpretatione antiquissima vulgata, quæ ex græco Septuagintavirali ducta esset, usa est: nonnullis fortasse, ut alibi sæpius, ita etiam in hoc libro ad recentiorum interpretum græcorum normam mutatis. Hanc itaque præ oculis habuit Severus noster: hanc sequutus, fidenter duodecim annos Danieli adscripsit.

8 *quod innocentem morti dedissent*) Drusius & Vorstius notant hoc loco *dare morti* idem esse ac *morti adjudicare, damnare capite*, licet in alia significatione accipi soleat, scilicet pro *occidere, capite plectere*. Clericus tamen pro *dedissent* mavult *dedidissent*: ita ut *dedere morti* hoc loco significet *dare ducendam ad mortem*.

13 *Danieli*) MS. *Danielo* tum heic, tum infra: *quod ubi Danielo*.

Digitized by Google

parari accuſatores jubet: unumque ex eis interrogat, ſub cujus
generis arbore adulteram deprehendiſſet. ex varietate reſponſi
falſitas deprehenſa: Suſanna abſoluta: presbyteri, qui innocen-
ti periculum creaverant, capite damnati. Ea tempeſtate Na- II.
5 buchodonoſor ſomnium vidit myſterio futurorum mirabile,
cujus interpretationem quum per ſe non poſſet evolvere, ad-
ſcitis ad interpretandum Chaldæis, qui magicis artibus extiſ-
que hoſtiarum ſcire occulta & futura præcinere videbantur:
mox, veritus ne more hominum non vera ſed placita regi
10 ex ſomnio conjectarent, viſa ſupprimit, popoſcitque ab eis,
ut, ſi vera in his divinatio eſſet, ſomnium ipſum ſibi dice-
rent: tum demum interpretationi eorum crediturum, ſi prius
enuntiando ſomnium artis periculum feciſſent. Illi vero tan-
tam molem abnuentes, non eſſe id humanæ opis confitebantur.
15 Rex motus, quod falſa divinandi profeſſione homines erroribus
illuderent, cum adſtricti præſenti negotio nihil ſcire ſe confi-
terentur. ita edicto regis in eos animadverſum, palamque o-
mnes hujus artis interficiebantur. Quod ubi Danieli comper-
tum, regis proximum appellat: enuntiationem ſomnii inter-
20 pretationemque ejus pollicetur. res ad regem defertur: Dani-
el accerſitur. jam revelato ſibi per Dominum myſterio, viſio
regis refertur, ſolutioque. Sed res poſtulat, ut regis ſomnium
& interpretationem prophetæ & conſequentium fidem expo-
namus. Viderat rex per ſoporem imaginem capite aureo bra-
chiis-

1 *unumque ex eis interrogat*) Sigonius legi voluit *unum atque alterum ex eis*: Druſius *unumque ex eis, & poſt alterum*, aut *utrumque ex eis*. Mihi, ait Vorſtius, *neutra conjectura placet: minime vero Sigonii*: cetera. Mihi veriſſima lectio videtur *unumquemque ex eis*.

6 *adſcitis ad int. Chaldæis*) Periodus hæc ſuſpenſa & imperfecta eſt, ut aliæ in Severo non paucæ. *Chaldæos* autem pro magis & ſupra poſuit lib. 1. cap. 14. pag. 23. Vide quæ ibi notavimus.

7 *qui magicis artibus*) Druſius: *Mirum ni ſcripſit*, quique magicis artibus, *ut magos innuat, quos a Chaldæis diſtinguit interpres vetus Dan.* IV. 5. (leg. 4.) & v. 7. magi, Chaldæi & aruſpices. *Græca ſunt*, μάγοι, χαλδαῖοι, καὶ γαζαρηνοί. *Infra* magos & Chaldæos advocat. Juvat Druſii conjecturam, quod & hoc ipſo in loco, ſcilicet Dan. II. 2. & 10., *Chaldæi* diſtinguuntur ab *hariolis & magis*: ſæpius tamen ibidem uno omnes nomine *Chaldæi* dicuntur.

10 *viſa ſupprimit*) Hornius: *Non aſſequutus eſt mentem vel Danielis vel Joſephi Sulpicius: nam uterque tradit*, ſomnium regi excidiſſe. *Nulla ergo fraus ab eo commiſſa, ſed quærebat quod amiſerat*.

15 *Rex motus*) ſcilicet *ira, indignatione*. Sic Tom. 1. epiſt. ad Baſſulam: *nec tamen adverſum eos poſſum moveri*. Non itaque, quod aliqui libri indicant, ſententia manca eſt.

21 *viſio regis refertur ſolutioque*) Jam pridem notaveram legendum forte *regi*; ſed MS. liber aliud quod mutemus, ſuggerit: habet enim *viſa regis refertur, abſolvitque*. lege itaque *viſa regi refert, abſolvitque*. *Abſolvit* pro *ſolvit* dixit ſæpius Severus, ut lib. 1. cap. 11. *Viſa* paullo ante legitur abſolute poſitum pro ſomnio: *viſa ſupprimit*. *Refertur* autem mendum manifeſtum eſt, quod tamen occaſionem forte præbuit ei qui primus hæc ex antiquo codice deſcripſit, ut cetera mutaret.

24 *imaginem capite aureo*) Galeſinius ſubſtituit *ſtatuam* ex Vulgata, quem alii nonnulli ſequuti ſunt. Sed Hieronymus audiendus Comm. in Dan. *Pro*

chiisque argenteis, ventre & femoribus æreis, cruribus ferreis, quæ in pedes partim ferreos, partim fictiles desinebat. sed ferrum atque testum inter confusum coire non poterat. Ad extremum, imaginem lapis sine manibus abscissus proterebat: redactaque omnia in pulverem, vento ablata. Igitur secundum prophetæ interpretationem imago visa figuram mundi gerit. caput aureum Chaldæorum imperium est: siquidem id primum & opulentissimum fuisse accepimus. pectus & brachia argentea secundum regnum annuntiant: Cyrus enim victis Chaldæis atque Medis imperium ad Persas contulit. in ventre æreo tertium regnum portendi pronuntiatur; idque impletum videmus: siquidem Alexander ereptum Persis imperium Macedoniæ vindicavit. crura ferrea imperium quartum, idque Romanum, intelligitur, omnibus ante regnis validissimum. pedes vero partim ferrei, partim fictiles, dividendum esse Romanum regnum, ita ut numquam inter se coeat, præfigurant: quod æque impletum est. siquidem jam non ab uno imperatore, sed etiam a pluribus, semperque inter se armis aut studiis dissentientibus res Romana administratur. Denique commisceri testum atque ferrum numquam inter se coeuntem materiam, commistiones humani generis futuræ a se invicem dissidentes significantur. siquidem Romanum solum ab exteris gentibus aut rebellibus occupatum, aut dedentibus semper pacis specie traditum constat; exercitibusque nostris, urbibus

statua, *idest ἀνδριάντι, quod solus interpretatus est Symmachus, ceteri* imaginem *transtulerunt, volentes hoc nomine similitudinem ostendere futurorum*. Sic infra *imago* semper dicitur.

1 *brachiisque argenteis*) Observat Vorstius encliticam *que*, cum sequantur similia quibus addita non est, indicare excidisse aliquid, nimirum *pectore: pectore brachiisque argenteis*. Sic infra *pectus & brachia argentea*.

3 *inter confusum*) Gisel. *Aut uniendæ sunt hæ dictiones, aut inferendum reciprocum* se. Vorstius *se* excidisse confirmat, & præterea trajectionem factam fuisse putat, legendumque *ferrum atque testum confusum inter se coire non poterant*: nam capite sequenti *inter se coire*, & *inter se coeuntem*, de hac eadem re dicitur. Denique addit *testum* pro *testa* novum quidem esse, retinendum tamen; quia quæ sequuntur, genere ei congruunt. Contra Clericus falli ait Vorstium; neque enim *testum*, sed *testus* masculino genere olim usurpatum, ut Vossius tradit in Etymolog., & declinatum ut *manus*: præterea hoc pacto sententiam hanc vult esse construendam: *sed* (imago in pedibus) *inter ferrum & testam confusum coire non poterat*. Ego Clericum falli potius crediderim, nec cum Vorstio trajectionem verborum factam putaverim, sed reciprocum *se* excidisse tantummodo.

18 *sed etiam a pluribus*) Illud *etiam* inutile videtur. Forte scripsit Severus *non ab uno imp., vel duobus, sed etiam a pluribus*.

19 *res Romana administratur*) MS. *administretur*.

19 *Denique commisceri*, &c.) Deesse videtur aliquid. certe locus admodum obscurus.

23 *aut dedentibus semper pacis specie*) Sigonius emendat *aut d. se per pacis speciem*, quod cum Vorstio valde probo.

24 *constat*) Giselin. *Scribendum* constet, *aut certe infra* videmus *reponendum*.

Digitized by Google

urbibus atque provinciis permiſtas barbaras nationes, & præcipue Judæos inter nos degere, nec tamen in mores noſtros tranſire, videamus. atque hæc eſſe poſtrema tempora prophetæ annuntiant: in lapide vero ſine manibus abſciſſo, qui au-
5 rum, argentum & ferrum teſtumque comminuit, Chriſti figuram eſſe. Is enim non conditione humana editus (ſiquidem non ex voluntate viri, ſed ex Deo natus eſt) mundum iſtum, in quo ſunt regna terrarum, in nihilum rediget, regnumque aliud incorruptum atque perpetuum, id eſt futurum ſæculum,
10 quod ſanctis paratum eſt, confirmabit. de quo uno adhuc quorumdam fides in ambiguo eſt, non credendum de futuris, cum de

3 *poſtrema tempora prophetæ annuntiant*) Sigonius notat, hæc Sulpicium ex aliis Prophetis ſumſiſſe: verum ego unum Danielem præ oculis habuiſſe cenſeo, atque adeo ſcripſiſſe *propheta annuntiat*. Sane Daniel. 11. 28. habemus *quæ ventura ſunt noviſſimis temporibus*: ad quæ verba ita Hieronymus: *Noviſſimi autem dies aut ex eo numerandi ſunt tempore quo Danieli ſomnium revelatum eſt, uſque ad conſummationem ſæculi, aut certe hoc ſentiendum, quod univerſa interpretatio ſomnii tendat ad finem, in qua imago ſtatuæ* (ita MSS.) *quæ cernitur, conterenda eſt*. Sed quod maxime conjecturam meam confirmat, illud eſt, quod in Severo ſequitur, *in lapide vero ... Chriſti figuram eſſe*, quæ manifeſte ex Daniele petita ſunt, & ex verbis *propheta annuntiat* neceſſario pendent. Porro hanc in lapide abſciſſo ſine manibus Chriſti figuram agnoſcunt interpretes omnes Chriſtiani tum antiqui, tum recentiores fere omnes. Impius Porphyrius olim teſte Hieronymo hæc ad populum Judæum referre maluit, noviſſime Grotius ad Romanos.

6 *ſiquidem non ex voluntate viri, ſed ex Deo natus eſt*) Carpit Druſius Severum, quod hæc Chriſto aptet, in quibus de regeneratis ſermo eſt. Fecit nimirum hoc & Hieronymus epiſt. LXV. ad Principiam, num. 8. *Virgo de virgine, qui non ex voluntate viri, ſed ex Deo natus eſt*.

8 *in nihilum rediget*) MS., Giſelinus & Fabricius *redigit*: jure tamen in *rediget* mutatum fuit, ut & concordet cum eo verbo quod ſequitur.

11 *non credendum de f.*) Clericus in Notis ad epiſt. Severi De ultimo judicio, cap. VIII., hunc locum ſub mendo cubare merito pronuntiavit, & ſic emendandum, *re*, ut ipſe ait, *accuratius penſitata*, cenſuit: *num credendum*, vel *an credendum*. Verum, ut mihi quidem videtur, omnino legendum eſt *non credentium de futuris*, &c. Similia habet Auguſtinus de C. D. lib. XX. cap. ult. num. 4. *Hoc enim eſt noviſſimum judicium quod ponet in terra, cum venerit ipſe de cælo. de quo jam videmus impletum quod hic ultimum poſitum eſt*, & in nomine ejus gentes ſperabunt. *Per hoc certe quod negari non poteſt, etiam illud credatur quod impudenter negatur*. Sequitur in eamdem ſententiam num. 5., quem integrum (quoniam Baluzius inſigni ſane alucinatione edidit poſt librum de Mort. Perſec. uti ineditum *Lactantii fragmentum de extremo judicio*, & Walchius in calce noviſſimæ ed. Lactan.) placet hoc loco producere cum variantibus. *Nullus* (apud Auguſt. *Nullus igitur*) *vel negat vel dubitat, per Jeſum Chriſtum tale, quale ſacris litteris* (Aug. *iſtis ſacris litteris*) *pronuntiatur* (leg. *prænuntiatur*, ut apud Aug.) *noviſſimum futurum judicium* (Aug. *futurum eſſe noviſſimum judicium*) *niſi qui eiſdem litteris neſcio qua incredibili animoſitate ſeu cæcitate non credit, quæ jam veritatem ſuam orbi demonſtravere terrarum. In illo itaque judicio, vel circa id* (Aug. *illud*) *judicium has res didicimus eſſe venturas: Heliam Theſbitem fide Judæorum Antichriſtum perſecuturum* (male apud Aug., *Eliam Theſbitem, fidem Judæorum, Antichriſtum perſecuturum*) *Chriſtum judicaturum, mortuorum reſurrectionem, bonorum*

de præteritis convincantur. Igitur Daniel multis a rege muneribus donatus, præfectus Babyloniæ atque omni imperio, in summis honoribus habebatur. ejus suffragio Ananias, Azarias & Misael ad summam æque dignitatem & potestatem provecti. Eodem fere tempore præclara Ezechielis prophetia exstitit, revelato ei futurorum & resurrectionis mysterio. exstat liber magni operis, & cum cura legendus. At in Judæa, cui post excidium Jerosolymæ Godoliam præpositum supra memoravimus, ægre ferentes Judæi principem sibi ex stirpe non regia arbitrio victoris datum, Ismael quodam duce & concitatore nefandæ conjurationis, dispositis eum in convivio insidiis peremerunt. At hi qui extra noxiam fuerant, ultum ire facinus cupientes, propere adversum Ismael arma capiunt. sed ille, quia cognovit exitium sibi imminere, relicto exercitu quem contraxerat, non amplius quam octo comitantibus ad Ammonitas confugit. Igitur populum universum metus pervaserat, ne paucorum scelus omnium exitio rex Babylonius ultum iret: nam præter Godoliam multos

IV.

rorum malorumque direptionem (leg., ut apud August., *d r:mtionem*) *mundi conflagrationem, eius denique* (Augustin. *ejusdemque*) *renova'ionem. Quæ omnia quidem ventura esse cred.ndum est: sed quibus modis & quo ordine veniant, magis tunc docebit rerum experientia, quam nunc ad perfectum hominum intelligentia vale:e* (l. *valeat*) *consequi* (Aug. transpositis verbis, *quam nunc valet consequi ad p. b. i.*) : *existimo tamen eo quo a me commemorata sunt ordine, esse ventura.*

1 *muneribus donatus*) *Donatus* habet MS., & ita legendum esse ratio suadet, non *donatur*, ut in libris impressis.

6 *& resurrectionis mysterio*) Drusius & Vorstius notant, spectasse his verbis Severum caput xxxvii. Ezechielis, sed illo toto capite non agi de resurrectione mortuorum, sed de restitutione populi Judaici in pristinam libertatem. Verum quidem est plerosque interpretari, sub resurrectionis metaphora indicatam fuisse a propheta liberationem a captivitate Babylonica: at iidem fatentur hinc etiam veritatem & totius ordinem resurrectionis probari. Videndus Tertullianus de Resurrect. carnis cap. 30. & seq., nec non Hieronymus Comm. in Ezech., qui primum dicit ejus capitis *famosam esse visionem & omnium Ecclesiarum Christi lectione celebratam*; nimirum quia per illam erudirentur & confirmarentur fideles in fide resurrectionis. dehinc subdit: *Nec statim hæreticis occasionem dabimus, si hæc de resurrectione communi* (ad litteram) *intelligi denegemus: numquam enim poneretur similitudo resurrectionis ad restitutionem Israelitici populi significandam, nisi staret ipsa resurrectio, & futura crederetur: quia nemo de rebus non exstantibus incerta confirmat.*

7 *liber magni operis, & cum cura legendus*) Vide quæ habet S. Hieronymus de obscuritate Ezechielis in epistola ad Paullinum Nolanum, quæ incipit *Frater Ambrosius*, & in Prologo Comm., nec non passim in Commentario ipso in eumdem prophetam.

9 *ægre ferentes Judæi*) Supplendum est *quidam*, aut quid simile, juxta historiæ veritatem, & propter ea quæ sequuntur: *at hi qui extra noxiam fuerant:* & infra, *ne paucorum scelus omnium exitio*, &c.

14 *relicto exercitu quem contraxerat*) Hæc sumsit ex Ierem. xli., ubi tamen non exercitum, sed captivorum utriusque sexus turbam magnam secum abduxisse scribitur Ismael post Godoliæ cædem.

Digitized by Google

multos ex Chaldæis cum eo interfecerant. itaque cofilium ineunt fugiendi in Ægyptum. Sed prius Hieremiam frequentes adeunt, fciſcitantes divinum reſponſum. at ille verbis Dei univerſos hortari: In ſolo patrio manerent: ſi id feciſſent, Dei
5 præſidio tuendos, nullumque a Babyloniis periculum fore: ſin Ægyptum peterent, omnes ibi ferro ac fame diverſoque mortis genere perituros. Sed plebs, aſſueto malo, inſolens parendi ſalubribus conſiliis & divino imperio, profecta eſt in Ægyptum. quid de ea poſtea actum, ſacris litteris ſiletur; nobis nihil com-
10 pertum. Hoc tractu temporum Nabuchodonoſor elatus rebus ſecundis ſtatuam ſibi auream immenſæ magnitudinis poſuit, adorarique V.

9 *ſacris litteris ſiletur*) Immo Jerem. XIX. 27. 28. aperte prædicitur maximam partem in Ægypto perituram gladio & fame; paucos vero qui evaſerint, in terram Juda redituros. Joſephus autem, quem plerique ſequuntur, id contigiſſe tradit, cum Nabuchodonoſor Ægyptum bello adorſus eſt, quem ibidem deprehenſos Judæos captivos in Babyloniam duxiſſe addit.

10 *Hoc tractu temporum*) LXX. hæc refernnt ad annum Nabuchodonoſuri decimum octavum, ἔτους ὀκτωκαιδεκάτου, quum quæ cap. II. Danielis habentur, anno regni ejuſdem ſecundo adſcribantur. Pridæus, in Hiſt. Judæor., maxime probabile cenſet hanc temporis notam, quæ in hebræis libris non habetur, ex margine in textum inſertam; eam vero minime reſpuendam, cum quæ ſequuntur, in alium annum commodius referri non poſſe credat, quam hunc decimum octavum regni Nabuchodonoſori, quo Palæſtina & Syria ſubactis & vaſtatis, ex ſpuliis ſtatuam Belo erexiſſe ipſum ſtatuit. Georgius Syncellus, qui pag. 230. edit. Pariſ. hæc anno decimo octavo itidem contigiſſe juxta LXX. expreſſit, initium hujus epochæ ducit ab excidio urbis & templi, ſeu a Sedeciæ captivitate, eumdemque annum componit cum anno *trigeſimo quinto*, ſeu potius *trigeſimo ſexto* λϛ'. regni Nabuchodonoſori; quod magis placet: nam quæ Dan. III. & IV. habentur, ad poſtrema tempora regni Nabuchodonoſori referenda videntur, quum ejus potentia, Tyro poſt longam obſidionem expugnata & Ægypto vaſtata & domita, ad ſummum faſtigium pervenerat, quo tempore civitatis Babylonis ornandæ & amplificandæ curam ſuſcepit. Vide quæ infra in hujus ſententiæ confirmationem addemus.

11 *ſtatuam ſibi*) Illud *ſibi* non eſt expreſſum apud Danielem, ſed ab interpretibus ſubintelligitur. Hieronymus Com. in cap. III. Daniel. I. *Nunc ſtatuam ſibi fieri jubeat, ut ipſe adoretur in ſtatua*. vide eumdem ibidem ad verſ. 12.: vide & Iſidorum Peluſiotam. Sed Pridæus, ut proxima nota attigimus, idolum Beli expreſſum in hac effigie ſtatuit: quod etiam mihi perſuadent verba illa ſacri textus: *Notum ſit tibi rex, quia Deos tuos non colimus, & ſtatuam quam erexiſti, non adoramus*. Idem ſcriptor alibi monet hanc ſtatuam eamdem facile eſſe, quam Diodorus Siculus memorat in templo Beli adhuc exſtitiſſe, quum illud Xerxes ſpoliavit & diruit. Verum quidem eſt, ſubdit ipſe, in Daniele ſexaginta cubitos, ſeu pedes nonaginta, altitudinis ei tribui, apud Diodorum autem pedes tantum quadraginta: ſed cum Scriptura eidem ſex tantum cubitos latitudinis adſcribat, humani corporis proportio non patitur, ut ſexaginta cubitos in longitudinem haberet: neceſſe itaque eſt, ut his ſexaginta cubitis tum ipſius ſtatuæ tum baſis ejus altitudo comprehendatur: contra ſolius ſtatuæ altitudo a Diodoro expreſſa optime congruit cum ratione latitudinis eidem a Scriptura tributæ. Hæc ille. Juvat hanc ſententiam quod ab aliis obſervatum eſt: nimirum ubi dicitur in noſtra Vulgata erectam fuiſſe hanc ſtatuam *in campo Dura provinciæ Babylonis*, melius forte verti potuiſſe *civitatis Babylonis*

rarique eam ut sacram effigiem præcepit. quod cum certatim ab omnibus (depravatis adulatione omnium animis) fieret; Ananias, Azarias & Misael profano officio abstinuerunt, non ignorantes honorem hunc soli Deo debitum. Igitur rei ex edicto regis constituuntur: propositaque eis conditio pœnarum ardens caminus, ut præsenti metu adorare statuam cogerentur. verum illi devorari ignibus, quam piaculum committere, maluerunt. Itaque vincti pedibus in medias flammas conjiciuntur. sed ministros infandi operis, dum promtius damnatos in ignem propellunt, flamma absorbuit: Hebræos (mirum dictu, & incredibile non visentibus) ignis non attigit, quum a spectantibus deambulantes in camino psalmum Deo dicere cernerentur. visusque cum his inter ignem quartus specie angeli, quem Nabuchodonosor propius intuitus, filium Dei se vidisse confessus est. Tum rex haud dubius divinam in re præsenti fuisse virtutem, missis per omne regnum suum edictis, facti miraculum provulgavit; confessus soli Deo honorem deferendum. Nec multo post rex objecto sibi somnio, mox voce

bylonis: nam מדינה *Medina* tum provinciam tum civitatem significat. Quod ad vocem *Dura* spectat, Hieronymus in hunc locum ex emendatione Martianæi in Hexapl. *Pro Dura Theodotio Deira, Symmachus Duran, LXX. περίβολον transtulerunt, quod nos vivarium, vel conclusum locum dicere possumus.*

1 *ut sacram effigiem*) Hoc ex ingenio adjecit Severus, alludens, ut puto, ad pium & religiosum cultum, qui apud Christianos sacris imaginibus semper est habitus.

7 *vincti pedibus*) Drusius legendum aliquando putavit *vincti compedibus*, ex græco πεπεδημένοι. sed sententia eadem est, quomodocumque legas: neque enim compedes manibus etiam ligandis inserviunt; quod tamen hinc exsculpere volebat ipse. Vulgata *ligatis pedibus*.

11 *a spectantibus*) Galef., Gisel., Fabr., Hornius junctim *aspectantibus*.

13 *quem Nabuchodonosor propius intuitus*) Num hæc scribens respexit ad ea quæ vers. 93. habentur: *Tunc accessit Nabuchodonosor ad ostium fornacis, &c.*? Sed hoc factum postquam quartum illum viderat specie similem *filio Dei*, quod versiculo superiore legitur.

14 *filium Dei*) Primo dicit apparuisse *qua tum specie angeli*, tum *filium Dei* a rege visum subdit. nimirum apud Danielem *angelus* dicitur 49. & 95. qui 92. non quidem *filius Dei*, sed *similis filio Dei* appellatur etiam in Vulgata. In græco textu est, ἡ ὅρασις τοῦ τετάρτου ὁμοία υἱῷ θεοῦ, quod sane ex Aquilæ Theodotionisque versionibus, ut alia multa, derivatum est: nam Symmachus & LXX. aliter interpretati fuerunt, ut ex Hieronymi Commentario colligitur. Ea porro verba *similis filio Dei* non paucos ex Patribus in eam opinionem duxerunt, ut ipsum Dei Filium, seu *Verbum*, humana specie regi apparuisse opinati sint, quos secutus videtur & Severus. Hieronymus: *Speciem autem quarti, quem similem dicis filio Dei, vel angelum debemus accipere, ut Septuaginta transtulerunt, vel certe, ut plerique arbitrantur, Dominum Salvatorem. Sed nescio quomodo rex impius Dei Filium videre mereatur*: & quæ sequuntur. Sed plura & majora obstant, quo minus hanc amplectamur sententiam.

16 *provulgavit*) Drusius legendum conjecit *promulgavit*. sed perinde est. Festus *promulgo* dictum vult a *vulgo*, quasi *provulgo*.

17 *Nec multo post rex*) Puta eodem trigesimo sexto anno regni sui, de quo supra ex sententia Syncelli diximus, desinente: nam post annum integrum, δωδεκάμηνον (quod spatium non bene Severus particula *mox* expressit) voce cælo emissa perculsus in

voce etiam cælo emissa admonitus, potestate regia abjecta, atque ab omni conversatione humana remotus, herbis tantum vitam sustinens egisse pœnitentiam traditur. servatum ei nutu Dei imperium, donec impleto tempore, agnito demum Deo, post se-
5 ptem annos & regno & statui pristino restitutus est. Hic post devictum, ut supra diximus, Sedechiam, quem captivum Babylonem transtulit, regnasse traditur annos VI & XX: quamquam id non in Sacra Historia scriptum invenerim. sed forte accidit, ut

in amentiam incidit, qua per septennium punitus a Deo, integrum adhuc annum regno potitus est: nam quadragintaquinque annis in universum, ut infra videbimus, ex supra allata hypothesi regnavit. Porro MS. liber non agnoscit vocem *rex*, quæ & commode omitti potest.

3 *egisse pænitentiam traditur*) Quæ de voluntaria impii regis pœnitentia per septennium peracta heic dicuntur, nullo pacto conveniunt cum veritate historiæ Danielis IV. expressæ: præterea apertam involvunt contradictionem. nam si semet ultro pœnitentiæ devovit rex, cur post septem demum annos Deum agnovisse dicitur? jam tum novisse dicendus fuerat, cum primum sui peccati pœnas a se exegisse ponitur. In amentiam itaque & furorem lapsus, ab hominum consortio remotus in agris ferino ritu & victu per septem annos vitam transegit: donec mentis compos factus, agnovit Dei vindicem manum, ac statim resipiscens veniam impetravit. Quæ autem de Nabuchodonosori metamorphosi comminiscuntur plerique interpretes, lubens volensque prætereo.

3 *servatum ei*) Excidisse videtur copolativa *que*: *servatumque ei nutu Dei imperium*.

7 *annos VI & XX*) Anni regni Nabuchodonosori tribus diversis modis a Scriptoribus numerantur. primo, ab eo tempore, quo a patre, ut dicitur, in societatem regni adscitus missus fuit cum exercitu in Palæstinam. hoc pacto numerat Jeremias cap. XXV. 1., ubi primum annum Nabuchodonosori componit cum quarto Joacim, licet ex parte respondeat etiam anno tertio ejusdem Joacim, ut ex Dan. I. 1. colligitur. Juxta haoc epocham omne tempus regni ejus anni quadragintaquinque fuerunt: nam Joacim post annum tertium (qui, ut vidimus, concurrit cum primo Nabuchodonosori) octo adhuc annos regnavit, post quos in captivitatem ductus, triginta septem annos in vinculis detentus, post Nabuchodonosori mortem statim a filio Evilmerodacho exemtus fuit e carcere. fiunt autem ex his triginta septem annis & aliis octo, anni quadraginta quinque regni Nabuchodonosori. Verum alio modo numerarunt hujus regis annos Berosus aliique Historici Babylonii, quibus & Canon qui mathematicus dicitur, consentit: nimirum tres & quadraginta tantum: quos volunt repetendos esse non a tempore quo a patre in Palæstinam missus fuit, sed biennio serius, cum patre mortuo solus regnavit. Hanc sequutum epocham statuunt Chronologi Danielem cap. II. 1.: neque enim cum prima accommodari potest quod ibidem dicitur, anno secundo objectum regi somnium & a Daniele explicatum. Verum ne de hac quidem secunda accipi posse puto: nam cum Daniel admodum puer in captivitatem abductus fuerit, ut ex historia Susannæ colligitur & ex ipso Danielis cap. 1. 4., non est verisimile statim post quatuor annos somnium regis declarasse, cum ibidem cap. II. 25. non jam puer, sed *homo de filiis transmigrationis* dicatur, Chal. אנש, græce ἄνδρα. Præterea quis credat Danielem ac tres socius, si adhuc id ætatis egissent, a rege gravissimis illis muneribus gravatos fuisse, de quibus in fine ejusdem capitis? Demum primo eo tempore nondum imperium Nabuchodonosori ad eam gloriam & potentiam pervenerat, quæ in illa visione repræsentatur, Danielis II. 37. & seq. His rationibus persuasus ample-

ut dum multa evolverem, annotationem hanc jam interpolato per ætatem libello sine auctoris nomine reperirem, in quo regum Babyloniorum tempora continebantur: quam prætereundam non putavi, siquidem & Chronicis consentiret, & ita illius nobis ratio quadraret, ut per ordinem regum, quorum tempora continebat, usque in primum Cyri regis annum LXX annos (tot enim per Sacram Historiam a captivitate usque ad Cyrum fuisse referuntur) impleret. 5

VI. Post Nabuchodonosor, filius ejus regnum est adeptus, quem in Chronicis Evilmarodach fuisse vocitatum reperi.

persuasus amplector Syncelli sententiam, quam tamen ipse ex aliis antiquioribus forte hausit: nempe ut *annum secundum* Dan. II. I., uti & annum *decimum octavum* cap. III. I. in græcis libris, de quo supra, expressum, repetam a tempore, quo Sedecias captus, urbs diruta, templumque succensum, ac populus fere omnis in Babyloniam abductus fuit. hanc sequutus videtur & Severus juxta canonem quem insta laudat. Sedeciæ enim captivitas incidit in annum decimum nonum Nabuchodonosori juxta primam hypothesim: supersunt autem vigiati sex de quadraginta quinque.

1 *jam interpolato per ætatem libello*) Giselinus: *Puto loqui auctorem de Chronico quopiam anonymo, sive id annuale fuerit, sive sæculare, eoque per genealogias digesto, & temporum successu a diversis aucto: cuiusmodi eo tempore fuisse plurima ex uno hoc compendio videre est. Scribi itaque heic commodius possit* in interpolato per ætates libello. Probatur hæc conjectura Vorstio, mihi non item. Dicit *jam interpolatum per ætatem libellum*, quia præ vetustate & usu attritus ac fortasse fronte & titulo mutilatus, rursus compactus & consarcinatus fuerat: ea enim vis est verbi *interpolatus*. Sed nec Chronicon fuisse apparet, sed Babyloniorum regum canonem.

4 *siquidem & Chronicis consentiret*) Male libri omnes *consentirent*. Drusius: *Si Eusebii Cronicon intelligit, non video qui hoc verum esse possit: nam Eusebius longe aliter supputat annos captivitatis*. Atqui supra notavimus juxta Pontacum Eusebii librum eo nomine semper a Severo designatum. Sane cum Eusebius nomina tantum regum Babyloniorum ponat, Nabuchodonosori puta, Evilmerodachi, Baltassaris, nullo certo tempore ipsorum regno assignato; cumque eorumdem regum catalogum cum singulorum præterea annis exhiberet liber ille anonymus, consentite hunc Chronicis haud immetito dixit.

LXX *annos*) Anni regum Babyloniorum a captivitatia initio ad ejusdem finem hi sunt juxta Severum, atque adeo juxta libellum, unde ipsos descripserat: Nabuchodonosori post Sedeciam victum anni XXVI., Evilmerodachi XII., Baltassaris XIV., Darii XVIII., qui simul juncti efficiunt annos LXX. Luce clarius itaque est Severum a Sedecia capto septuaginta annos captivitatis Judæorum numerasse, non autem, ut Petavius lib. XII. de D. T. cap. XXII. scribit, a ptimo anno Nabuchodonosori, atque adeo a tertio aut quarto Joachimi, ut quidem numerandos esse consentiunt recentiores fere omnes, & ex antiquis nonnulli, ut Syncellus.

8 *Post Nabuchodonosor, filius ejus regnum est adeptus*) MS. *filius ejus regnum indeptus*. quod hunc in Chronicis *Evilmarodach vocitatum* addit, frustra est: ita enim appellatur etiam in sacro textu IV. Reg. XXV. 27., & in Vulg. Jerem. LII. 31. Sed non dissimulanda Vorstii alucinatio, qui dum notat ad hunc locum, *quod Evilmerodacho nomen quoque Nabuchodonosori fuerit, non liquet*, non intelligit *Post Nabuchodonosor* a reliquis separandum, idemque valere ac *mortuo patre Nabuchodonosor*.

Digitized by Google

peri. Hic duodecimo imperii anno diem functus fratri minori, qui Balthasar dictus est, locum fecit. Is cum quarto & decimo anno publicum epulum principibus ac præfectis suis daret, sacra vasa, quæ per Nabuchodonosor de templo Hierosolymæ ablata, nec in regales usus usurpata sed recondita in thesauris habebantur, proferri imperavit. Cum his per luxum ac licentiam regalis convivii promiscue omnes virilis ac muliebris sexus, uxores concubinæque eius uterentur; subito rex in pariete conspicit digitos scribentes: cernebanturque in versum ductæ litteræ,

s *Hic duodecimo imperii anno*) Sumsit hæc ex anonymo Severus, quæ tamen nulla certa ratione aut auctoritate fulciuntur, quin immo oppugnantur ab omnibus tum antiquis tum recentibus scriptoribus. Josephus lib. x. Ant. Jud. cap. ult. annos XVIII. ipsi tribuit; alibi tamen, scilicet lib. I. contra Apionem, juxta Megasthenem & Berosum, duos tantum: canon vero qui dicitur Mathematicus, tres adsignat. Non est hujus loci hæc expendere: Scriptura tamen, ubi hujus regis meminit, non adeo breve regni ejus tempus fuisse innuit. vide loca superiori nota indicata, ac diligenter considera.

1 *fratri minori, qui*) Qui Chaldæos scriptores sequuntur, negant Baltassarem fratrem fuisse Evilmerodachi; nepotem ex forore, vel fororis virum affirmant. Quid? quod Vorstius eo progressus est, ut diceret: *Quod vero Evilmerodachi fratrem eam* (Baltassarem) *facit, ejus nec vola nec vestigium est in Originibus*. At Danielis IV. Nabuchodonosor pater Baltassaris sæpius dicitur. hoc sane argumento licuit impune Severo Baltassarem putare fratrem Evilmerodachi, præeunte etiam Eusebio in Chronico: licet fortasse vel filius, vel nepos fuerit, ut alii contendunt.

2 *quarto & decimo anno*) Ita rursum Baltassaris anni ex anonymo scriptore consignantur: hic unde hauserit, vel utrum sibi finxerit, incertum. Josephus lib. x. cap. ult. annos XVII. ei tribuit: neque tamen in eo majori auctoritate pollet: fallitur enim, quod Baltassarem confundat cum Nabonnido, cui Berosus & alii annos regni totidem tribuunt. Equidem magna de horum regum duratione in Scriptura est caligo, quam qui ex scriptoribus profanis discutere satagunt, ægre admodum hos cum sacra historia conciliare possunt. Volunt nimirum hunc esse qui apud Berosum Laborosoarchodus appellatur: at hujus regno novem tantum menses iidem assignant, cum Daniel cap. VIII. I. anni tertii regni Baltassaris meminerit. Ut hinc se expediant, ex eodem Beroso Neriglissarum ejus patrem quasi tutorio nomine pro filio Laborosoarchodo, seu Baltassare, regnum per quadriennium administrasse comminiscuntur. At canon Mathematicus Neriglissari quidem meminit, eique quinque annos tribuit, sed præterit Laborosoarchodum. Si itaque ille filii nomine administravit regnum, cur recensitus fuit in serie regum, omisso etiam ipso filio? Sed hæc obiter, & opinantis in modum.

5 *nec in regales usus*) Male libri omnes editi *ac in regales usus*. Particulam negativam exigit orationis contextus, exhibet MS. liber Vaticanus.

5 *recondita in thesauris*) Dan. I. 2. *Et vasa intulit in domum thesauri Dei sui*.

7 *omnes virilis ac muliebris sexus*) Ita supra lib. I. cap. LIII. Antea erat *omnis*, quod mendose scriptum pro *omnes* notavit etiam Sigonius: contra Drusius & Vorstius tueri volunt, dicentes veteres scripsisse *omnis* & *omneis* pro *omnes*. Bene id quidem in casu quarto, in recto non item.

8 *conspicit digitos*) MS. *conspicatus est*.

9 *in versum ductæ litteræ*) Piguisset referre, Sigonium conjecisse legendum *in candelabrum versus d. l.*, nisi ejus conjecturam placuisse Drusio & Vorstio viderem. Ego cum Hornio

ræ; sed qui posset scripta legere non reperiebatur. Igitur rex perterritus magos & Chaldæos advocat: quibus mussitantibus nec quicquam respondentibus, regina regem admonet: Esse quemdam Hebræum, Daniel nomine, qui olim Nabuchodonosor occulti mysterii somnium revelasset, jam tum ob illustrem sapientiam 5 summis honoribus donatum. Itaque accitus Daniel, perlegit interpretatusque: Ob delictum regis, qui sacra Deo vasa temerasset, ipsi exitium imminere, regnumque ejus Medis ac Persis datum. quod mox consecutum est: nam eadem nocte Balthasar interiit,

nio sic judico: *Sensus planus & elegans est, litteras illas non confusim fuisse pictas in pariete, sed in versum, idest voces & linsam ductas.*

1 *qui posset scripta legere non reperiebatur*) P. Souciet S. J. in prolixa Dissertatione De nummis Hebræorum, pag. 50., hanc affert caussam, quod verba illa scripta essent litteris antiquis hebræis, quas Samaritanas nunc dicimus. Mirum id sane, neminem inter Chaldæos fuisse qui Hebræorum characteres nosset. Præterea inscriptio illa Chaldaica lingua exarata fuit: cur itaque characteribus exoticis, seu Samaritanis scribi par fuit? Hoc certe repugnat hypothesi Cl. Scriptoris, quam pluribus in eadem Dissertatione stabilire nititur. Sed nec eo confugere oportet, ut ignotis characteribus, ut quidam ex Rabbinis, aut transpositis, ut alii, scripta putemus hæc verba; cum ea sit indoles scripturæ Orientalium, ut ægre eam legere possit qui non intelligit saltem obscure ea quæ legit, præcipue ubi singula verba, ut heic, seorsim accipienda, & per integram sententiam explicanda erant.

2 *quibus mussitantibus*) MS. *quibus mussantibus.*

3 *regina regem admonet*) Hieronymus: *Hanc Josephus aviam Balthasaris, Origenes matrem scribunt: unde & novit præterita quæ rex ignorabat. Evigilet ergo Porphyrius, qui eam Balthasaris somniatur uxorem, & illudit plus scire quam maritum.* Sane aviam, seu matrem fuisse hinc elucet, quod ipsa non interfuerit convivio, sed post auditum regis visum supervenerit.

3 *quemdam Hebræum, Daniel nomine*) Severus his verbis inducit reginam Danielem quasi penitus ignotum Baltassari indicantem: sed in sacro textu non eam vim habet ejus oratio. Neque sane verisimile est, virum tam insignem sub Nabuchodonosoro, & inter primarios aulicos conspicuum, Baltassari sive filio, sive nepoti non cognitum; licet in illa animi perturbatione ejus forte non meminerit.

6 *perlegit*) In textu est מנא מנא תקל ופרסין. Hæc literis græcis expressa tribus tantum constant verbis, Μανὴ Θεκὲλ Φάρες. consentit Hieronymus: *Tria tantum verba in pariete scriptura figuaverat.* Dubito itaque primam vocem bis positam non esse antiquam: nec video qui פרסין, & non potius פרס olim lectum fuerit.

6 *interpretatusque*) Ita MS. liber, & expressi omnes, quos viderim, præter Lipsiensem, in quo est *interpretaturque.*

9 *eadem nocte Balthasar interiit*) Eadem fere Dan. v. 30., sed ibi diserte occisus fuisse dicitur. Josephus, quum sibi persuasisset hunc Baltassarem eumdem esse ac Nabonadium seu Nabonnidum, de quo Berosus & alii Babyloniorum regum scriptores, scribit, Ant. lib. x. cap. 12., eumdem, dum Babylon a Cyro & Dario obsideretur, solemne illud convivium magnatibus suis instruxisse; sed paullo post expugnata civitate in hostium venisse potestatem. Sed Baltassar ex progenie Nabuchodonosori certe fuit, Nabonnidus eidem prorsus extraneus, ut ex iisdem auctoribus constat. Verum non minus, mea sententia, falluntur, qui Nabonnidum eumdem esse volunt ac Darium Medum: cum iidem Babylonii scriptores Nabonnidum Babylonis civem, ac ex conjuratorum numero fuisse dicant, quod Dario minime convenit. Κοινῇ τὴν βασιλείαν περιτιθέασι Ναβοννήδῳ τινὶ τῶν ἐκ Βαβυλῶνος, ὄντι ἐκ τῆς αὐτῆς ἐπισυστάσεως: *Communi consensu regnum detulere Nabonnido cuidam ex Babylone, qui in eadem conjuratione fuerat.* Berosus apud Josephum.

teriit, regnumque ejus Darius natione Medus occupavit. Danielem illustri opinione compertum universo imperio præposuit, secutus superiorum regum judicium: nam & Nabuchodonosor eum regno præfecerat, & Balthasar veste purpurea & torque aureo donatum, tertium regni principem constituerat. Igitur hi qui una cum eo rerum potentes erant, exagitati invidia,

5 VII.

quod

1 *Darius natione Medus occupavit*] Doctissimus Petavius, de Doct. Temp. lib. x. cap. 9., quo capite contendit *Darium* hunc *Medum* esse Nabonnidum Berosi, hæc inserit: *Favet huic sententiæ Sulpicius Severus lib.* II. Historiæ Sacræ, *ubi post Balthassarem regnasse scribit Darium Medum*, qua tempestate Astyages Medis imperabat (quæ verba infra in fine cap. VIII. habentur): *quod postremum tametsi falsum est (neque enim Astyages amplius regnabat, si (forte siquidem) quinque fere annis antea victus a Cyro fuerat) apparet tamen ex Sulpitii auctoritate, Darium illum non fuisse Astyagis filium Medorumve regem; tum quem Nabonnidum Berosus vocat, esse Darium Medum. Consentit & imperii utrobique tempus: Berosus Nabonnido* XVII. *annos assignat, Sulpicius uno amplius*. Hæc ille. Sed quanti valere debeat in hac tanta quæstione dirimenda Severi auctoritas, non video: nec si aliquid valeat, quid certi ex ejus verbis pro Petavii sententia erui possit, ignoro. Nam primum vidimus ex quibus obscuris fontibus duxerit totam regum Babyloniorum chronologiam: nec in hoc cum Beroso aut aliis Chaldæis scriptoribus consentire voluit, a quibus in superioribus regibus penitus discordat. Secundo, quod *Darium natione Medum* dicat, in eo sequitur Danielis textum. Quod item paullo infra Astyagem eo tempore Medis imperasse addidit, sumsit itidem ex Danielis cap. XIII. versiculo 65, qui tamen spectat ad caput sequens, ubi Beli & Draconis historia texitur. sed quia Scripturæ textum non intellexit, in apertissimam se se implicuit contradictionem, de qua infra. Dicit præterea Darium *regnum occupasse*: quod de alienigena qui armorum vi regnum occupet, intelligendum est, non ut de Nabonnido narrat Berosus. Dicit Danielem *ab eo illustri opinione compertum*: ergo ut de extraneo loquitur. Sed omisso Severo, Danielis textum inspiciamus cap. v. 28. Ibi Deus Baltassari per Danielem prænuntiat, regnum ejus datum esse Medis & Persis. mox sequitur interfectum eadem nocte fuisse Baltassarem regem Chaldæum, & Darium Medum suscepisse imperium. Quid clarius, quam hoc fuisse prædictionis Danielis complementum, & Darium *Medum* opponi Baltassari *regi Chaldæo*? Præterea toto capite sexto fit sæpius mentio legum & statutorum Medorum atque Persarum, juxta quæ tunc universum illud imperium administrabatur. Quomodo Nabonnidus, quem volunt ex patre Medo genitum, sed Babylone editum & nutritum, si imperium ex conjuratorum consensu cepisset, leges Medorum & Persarum receptis apud Chaldæos substituisset? Nec opponas cum Calvisio, ea quæ capite illo narrantur, non Babylone contigisse, sed alibi, ubi nempe aliæ leges in usu essent: nam, ut innuimus, de decretis & legibus quæ ad universum imperium Darii se extenderent, est ibi sermo. Postremo Xenophon in Cyropedia cum Danielis historiam nostramque sententiam mire confirmat, tum Chronologis qui aliter sentiunt, e diametro opponitur: a quo ut se se expediant, totam ejus libri fidem elevare nituntur: quam vero immerito, alibi fortasse videbimus. At ne nimii simus, lectorem amandamus ad ea quæ Hieronymus scribit in Dan. v. 30.

5 *universo imperio præposuit*) Hornius: *Immo cogitavit tantum, non fecit tum quidem temporis*. Dan. VI. 4. Sed Severus secutus est græcos interpretes, apud quos legitur ibidem: *καὶ ὁ βασιλεὺς κατέστησεν αὐτὸν ἐφ' ὅλης τῆς βασιλείας αὐτοῦ: Et rex constituit eum super omne regnum suum*.

6 *exagitati invidia*) In prima editione, & apud Galesinium & Fabricium in Orthodoxographia, erat scriptum *exagitati in Judæa*, quod primus Giselinus emendavit *exagitati invidia*, quem Sigonius & Drusius aliique secuti sunt. Apud Hornium &

 Vor-

quod eis alienigena captivæ gentis fuiſſet æquatus, regem depravatum adulatione compellunt, ut ſibi diebus proximis triginta divini honores darentur, neque cuiquam liceret Dominum niſi regem precari. facile id Dario perſuaſum, ſtultitia regum omnium, qui ſibi divina vindicant. Igitur Daniel non rudis neque inſcius Deo preces non homini deferendas, reus conſtituitur, edicto regis non paruiſſe: multumque abnuente Dario, cui carus acceptuſque ſemper fuerat, principes pervicere, ut in lacum demitteretur. ſed objecto beſtiis nullum periculum fuit. Quod quum rex competiſſet, accuſatores deputari leonibus præcepit, qui non ſimili exemplo perfuncti ſunt: nam continuo devorati ferarum famem expleverunt. Daniel clarus ante, clarior haberi cœpit. rex antiquato edicto ſuo, novum propoſuit: Relictis erroribus ac ſuperſtitionibus Deum Danielis colendum. Exſtant etiam viſiones ejus, quibus conſequentium ſæculorum ordinem revelavit, annorum etiam numerum complexus, intra quem Chriſtum, ſicut factum eſt, deſcenſurum ad terras pronuntiavit, venturumque Antichriſtum manifeſte expoſuit. quod, ſi quis ſtudioſior erit, rectius ibi quæſitum reperiet: nobis propoſitum eſt rerum tantum ordinem contexere.

Darius duodeviginti annos regnaſſe traditur, qua tempeſtate VIII. Aſtyages Medis imperabat. Hunc Cyrus, ex filia nepos ejus, regno

Vorſtium legitur *exagitati in Judæo*, quam lectionem retinendam cenſet idem Hornius. Joannes Clericus pro *exagitati* legendum forte putat *exacerbati in Judæo*. Sed emendatio Giſelini veriſſima eſt: nam, ut idem monet, *quid Judæis nominatis hic erat opus, cum ſequatur*, quod eis alienigena captivæ gentis, &c.

2 *compellunt, ut ſibi*) Vorſtius ſuſpicatur excidiſſe *edicere*, aut ſimile. Ego præterea malim legere *compellant*, quaſi interpellant, ſollicitant, inſtant rogando. Sic Tom. I. Dialog. II. cap. VI. pag. 110. *Deinde Martinum uterque compellunt, ut ei*, &c. legendum puto *compellant*, ut habet codex Capitularis, & ut ſequentia ſuadent: *nec potuit vir beatus obſtinatius reluctari*. Sic infra cap. XXXVI. ubi legitur, *Itaque imperatorem eouſque compellunt, ut Athanaſius exſulatum ad Gallias mitteretur*, eodem fortaſſe pacto emendandum.

3 *Dominum*) *Deum* puto ſcripſiſſe Severum, prout eſt in ſacro textu: nam facilis in MSS. harum vocum permutatio.

8 *principes pervicere*) Juxta legem Medorum & Perſarum, cujus mentio eſt etiam Eſther I. 19.

16 *annorum etiam numerum*) Dan. IX. 24. & ſeqq. De his noſter nonnulla ſubdit cap. XI. in fine.

18 *venturumque Antichriſtum*) Dan. VII. 24. & ſeq. Vide ibidem Hieronymum. & Auguſt. de C. D. XX. 23.

21 *Darius duodeviginti annos regnaſſe traditur*) Quod magis veriſimile eſt; qui huic Dario hunc annorum numerum adſignavit, eum cum Nabonnedo Beroſi confudit: ex cujus fide Severus hæc retulit. Nos qui hunc Cyaxarem Aſtyagis filium cum Xenophonte dicimus, duos ejus Babylonici imperii annos computamus, ſequuti eumdem Xenophontem & alios.

21 *qua tempeſtate Aſtyages Medis imp.*) Ut obſervavit Petavius ſupra allatus, fallitur Severus dum Aſtyagem adhuc ſuperſtitem ſupponit: præterea ſibi contradicit, dum in ſequentibus hinc Cyrum primum ſtatuit, qui imperii ſummam a Medis ad Perſas pulſo Aſtyage tranſtulerit, illinc Darium proxime ante Cyrum Perſarum regibus accenſet. Vide infra cap. IX. a verbis *Sed hoc tractu temporum*, & deinceps.

Digitized by Google

regno expulit Persarum usus armis: unde summa imperii ad Persas translata est. Babylonii quoque in potestatem ditionemque ejus concessere. Igitur initio regni, propositis publice edictis, dat potestatem Judæis in solum patrium redeundi: sacra
5 etiam vasa, quæ Nabuchodonosor de templo Hierosolymæ abstulerat, reddidit. itaque pauci tum in Judæam regressi: ceteris redeundi animus, an facultas defuerit, parum comperimus. Erat ea tempestate apud Babylonios Beli antiquissimi regis, cujus etiam Virgilius meminit, ex ære simulacrum, quod superstitione

1 *regno expulit*) Magna inter scriptores tum antiquos, tum recentiores in Cyri historia discrepantia est. Herodotus & Ctesias Astyagem ab eo victum & regno pulsum tradunt: Xenophon contra in Cyropedia, post mortem Astyagis ab ejus filio Cyaxare Medorum rege fuisse Cyrum sororis filium Medorum & Persarum copiis præfectum, ac ipsi fere in imperio socium, ac tandem successorem statuit. Herodoti narratio licet apertissimis inspersa fabulis, placuit antiquis ac recentioribus fere omnibus, Xenophontis Cyropediam repudiantibus: nonnulli tamen, iique doctissimi, Bossuetius, Usserius, Marshamus, Banetius, Pridæus aliique Xenophontem sequi malunt, utpote Scripturæ maxime consentientem, Herodotique auctoritatem jure spernunt, qui etiam non dissimulavit tribus aliis diversis modis Cyri historiam narrari solitam.

3 *initio regni*) Triplex initium regni Cyri assignari solet: 1. cum post Astyagis avunculi mortem sub Cyaxare ejus filio, quem eumdem esse ac Darium Medum diximus, imperator totius exercitus Medorum & Persarum maxima bella prospere gessit. ab hoc primo initio triginta fere anni numerantur, quot ei tribuit inter ceteros Cicero lib. 1. de Divinatione. 2. cum expugnata Babylone imperium Chaldæorum suo & Cyaxaris nomine occupavit: ex quo tempore annis novem regnasse volunt, quot nimirum eidem tribuit canon Mathematicus apud Ptolemæum. 3. a morte Cyaxaris, cum ipse solus universum Medorum, Persarum ac Babyloniorum imperium obtinuit. hoc septennii tempus fuisse arguunt ex Xenophontis Cyroped. VIII.. Eusebius aliique, inter quos Severus noster, in primo illo regnandi initio Judæorum captivitatem solutam a Cyro crediderunt: re vera autem ad postremum id referendum est.

3 *propositis publice edictis*) Exstant II. Paralip. XXXVI. & Esdræ I. & VI.

6 *pauci tum in Judæam regressi*) Esdræ II. 64. numerantur *quadraginta duo millia trecenti sexaginta*, præter servos & ancillas, *qui erant septem millia trecenti triginta septem*.

8 *Erat ea tempestate*) Quæ heic de Beli idolo narrantur ex Dan. XIV. sumta sunt: sed quia in hebræo textu non habentur, apud antiquos de ejus historiæ veritate dubitatum fuit: at ab hæreticis nostrorum temporum omnino repudiantur. nobis Ecclesiæ Catholicæ in Tridentina Synodo congregatæ auctoritas omnem adimit dubitandi locum. Refert hoc factum & Gerionides.

8 *Beli ..... cujus etiam Virgilius meminit*) Non est cur suspicemur cum Sigonio hæc postrema verba glossema esse. neque mirum a Severo Belum Phœnicium cum Babylonico confusum, cum id Hieronymus ipse in Oseæ XII. 16. fecerit, ubi itidem Virgiliani versus meminit, qui est Æneid. I. v. 729. ad quem Servius: *Belus primus rex Assyrius*. Sed & Dorotheus Sidonius antiquus poeta, eumdem fuisse Belum Phœnicium ac Babylonium tradidit:

Ἀρχαίη Βαβυλὼν Τυρίου Βήλοιο πόλισμα:

Antiqua urbs Babylon, Tyrio quæ condita Belo.

9 *ex ære simulacrum*) Ita Dan. XIV. 6. Porro etiam Herodotus, 1. cap. 185., narrat in Babylonis templo fuisse sacellum inferius, ubi magna erat Jovis statua aurea sedens, eique mensa magna aurea apposita. *mensæ* meminit & Daniel. Quod autem hic *æream*,

ſtitione hominum conſecratum Cyrus quoque adorare erat ſolitus, antiſtitum ejus dolo illuſus, qui veſci effigiem illam atque potare affirmabant, cum diurnam penſitationem, quæ idolo inferebatur, clam ipſi abſumerent. Igitur Cyrus, cum Daniele familiariter uteretur, quærit ab eo, cur ſimulacrum non adoraret, cum manifeſtum viventis Dei eſſet indicium, abſumentis ea quæ inferebantur? Daniel ridens hominis errorem, negare id poſſe fieri, ut æs illud, id eſt bruta materies, cibo uteretur aut potu. Acciri ergo rex ſacerdotes jubet (nam fere ad ſeptuaginta erant) adhibitoque eos terrore increpitat, Quis impenſa conſumeret, cum Daniel vir prudentia inſignis minime id ab inſenſibili ſimulacro poſſe fieri contenderet. Tum illi conſiſi parato dolo, inferre & obſignari a rege templum depoſcunt; uti, niſi omnia poſtero die abſumta deprehenderentur, morte pœnas perſolverent: dum eadem conditio Danieli maneret. Itaque ſigno regis templum obſignatur, cum prius Daniel ſacerdotibus inſciis pavimentum cinere adſperſiſſet, ut introeuntium occultos aditus veſtigia proderent. Igitur poſtero die rex templum ingreſſus animadvertit abſumta quæ idolo apponi juſſerat. tum Daniel occultam fraudem veſtigiis prodentibus reſerat: Sacerdotes cum uxoribus & filiis ſuffoſſo foramine ingreſſos ea quæ idolo appoſita fuerant devoraſſe. ita omnes juſſu regis interfecti: templum ac ſimulacrum Danieli in poteſtatem datum, atque arbitrio ejus dirutum. IX. Interea Judæi, quos ex permiſſu Cyri in patriam regreſſos ſupra memoravimus, urbem ac templum reſtituere aggreſſi, ut pauci atque inopes, parum proficiebant; donec centeſimo

ream, Herodotus *auream* dicat ſtatuam, alii ita commode interpretantur, ut ærea quidem fuerit, ſed inaurata. Sed cum primum illud æreum ſimulacrum a Daniele dirutum fuerit, quid prohibet alterum poſtea ex ſolido auro fuiſſe ſubſtitutum?

9 *Acciri ergo*) Ita MS. liber: antea erat *Accerſi*. Sed nos alibi, ſcilicet Tom. I., notavimus verbum *accerſo* vitiatum eſſe pro *arceſſo*. *Arceſſi* quidem pro *arceſſiri* ex Cicerone ad Atticum epiſt. 23. lib. xv. defendi poſſit: mihi tamen potior eſt lectio MS.

10 *nam fere ad ſeptuaginta erant*) Immo ſeptuaginta omnino: redundat *fere*, ut alibi ſæpius, & *ad*, ut ſupra lib. I. cap. xxv., quod notavit & Vorſtius.

13 *inferre*) Vorſtius: *Legendum videtur* inferri, *&* *addendum præterea nonnihil quod exciderit; ſive iterum addatur illud quod præceſſit*, diurnam penſitationem, *ſive id genus aliud.*

23 *templum ac ſimulacrum... dirutum*) Quod heic dicitur juxta Daniel. xiv. 21., oppugnari videtur ab hiſtoricis profanis, qui tradunt Beli templum & ſimulacrum juſſu Xerxis Darii filii dirutum. Sed dicendum eſt, vel duo fuiſſe templa diverſis in locis Belo dicata, vel potius iſtud, a Daniele aliquatenus everſum, paullo poſt reſtitutum, & denuo a Xerxe penitus ſolo æquatum fuiſſe.

25 *Judæi*) Joſephus monet ab hoc primum tempore Hebræos *Judæos* dictos, & regionem *Judæam* a tribu Juda, quæ prima omnium illuc redierat.

27 *parum proficiebant*) Prohibentibus potiſſimum Samaritanis. Vide Eſdræ caput iv.

27 *centeſimo fere anno*) Severi calculus

tesimo fere anno, Artaxerxe rege Persis imperitante, per eos qui locis præerant ab ædificando sunt deterriti. etenim tum Syria atque omnis Judæa sub Persarum imperio per magistratus ac præsides regebatur. Igitur his consilium fuit regi Artaxerxi scribere, Non oportere Judæis restituendæ urbis suæ copiam dari, ne pro contumaci ingenio, resumtis viribus, aliis gentibus imperare soliti non paterentur sub alieno imperio degere. ita comprobato a rege præsidum consilio prohibita urbis ædificatio, usque in secundum Darii regis annum dilata est. Sed hoc tractu temporum qui reges Persis imperaverint, inserimus, quo facilius annorum series in ordinem contexta prodatur. Post Darium Medum, quem duodeviginti annos regnasse significavimus, Cyrus uno & triginta annis rerum potitus est: Scythis bellum inferens in prælio cecidit, secundo anno postquam Tarquinius Superbus Romæ regnare cœperat. Cyro Cam-

culus est: Cyrus regnavit annis 31, Cambyses 9, Magi mensibus 7, Dasius Hystaspis filius annis 36, Assuerus, sive Xerxes 21: summa est annorum 97, mensium 7. Assuero denique successit Artaxerxes, sub quo demum impeditam ædificationem idem statuit. Sed in eo gravissime fallitur, dum Artaxerxi Longimano tribuit quod juxta peritiores Chronologos contigit sub Cambyse Cyri filio, quem *Assuerum* vocat Scriptura, Esd. IV., & sub Smerdi mago, qui ibidem *Artaxerxes* dicitur: quo ex nomine Severo errandi occasio data est. Sed ex recentioribus quidam, Scaliger in primis, pro Severo acriter steterunt.

2 *qui locis præerant*) Ut supra innuimus, Samaritanorum hæc peculiaris in Judæos vexatio fuit: quod aperte colligitur ex laudato capite IV. Esdræ.

3 *per m. ac præsides regebatur*) MS. *agebatur*. Sic lib. 1. cap. XXX. *Hebræi sine judice aut duce ullo proprio arbitrio agebantur*: ut sit utrobique pro *regebantur*. Contra vide quæ in eum locum notavimus.

9 *usque in secundum Darii regis annum dilata est*) Ita Esdræ IV. 24. Sed Severus, qui Artaxerxi Longimano male adscripserat urbis & templi reparandorum prohibitionem, putavit hunc esse Darium, *cui Ochus nomen erat*, ut infra sequitur: cum Darius Hystaspis filius re vera fuerit, sub quo templum fuit consummatum. Porro supplenda fortasse conjunctio *&*: *& usque in secundum*.

10 *reges Persis imperaverint*) MS. *imperaverunt*.

13 *Cyrus uno & triginta annis*) Ctesias, Dinon, Cicero, Justinus, Eusebius, Hieronymus triginta omnino annos Cyri regno adscribunt; Herodotus uno minus: itaque dubitavi aliquando, num Severus scripserit *undetriginta*. Nihil tamen mutandum censeo, cum videam etiam Syncellum in Chronico unum & triginta annos Cyro tribuere juxta Ecclesiasticum, ut ipse vocat, canonem.

14 *Scythis bellum inferens*) Hæc ex Herodoto omnes fere antiqui mutuati sunt. repugnat Xenophon, qui Cyrum sua morte obiisse in summa senectute tradit. Sane illum in Perside sepultum constat in loco qui Pasargadas dictus fuit: quod unum Herodoti narrationem admodum suspectam facit. Hic præterea refert varias de Cyri morte fuisse sententias. & Diodorus quidem Siculus scribit a Tomyri ejus cadaver cruci affixum; Ctesias vero in prælio vulnere accepto post diem tertium apud suos obiisse, ejusque corpus a filio Cambyse in Persidem missum.

14 *secundo anno postquam*, &c.) Eusebius Cyri mortem in XV. Tarquinii annum confert: sed Severus sequutus est antiquum aliquod latinum Chronicum (puta Cornelii Nepotis) ut ex iis quæ sequuntur, clarius apparebit.

Non

Cambyses filius ejus successit, regnavitque annos novem. Hic cum Ægyptum atque Æthiopiam bello premeret & subegisset, victorque in Persas reverteretur, casu se ipsum vulneravit, ex eoque ictu periit. Post hujus mortem Magi duo fratres natione Medi menses septem Persarum regnum obtinuerunt. Ad hos interficiendos septem nobilissimi Persæ conjuraverunt, quorum princeps fuit Darius Hystaspis filius, natus ex fratre patruele Cyri, omniumque consensu regnum ei delatum. regnavit annos sex & triginta. Hic ante quadriennium quam decederet, apud Marathonam pugnavit celeberrimo Græcis Romanisque historiis prælio. id gestum post Romam conditam anno fere ducentesimo & sexagesimo, Macerino & Augurino consulibus, abhinc annos, si tamen investigatio Romanorum consu-

Non multum autem ab ejus calculo abludit, si Tarquinio Superbo vigintiquinque tantum annos tribuit cum T. Livio & aliis; cum Eusebius XXXV. numeret: nam qui huic est annus undecimus, illis est primus.

2 *annos novem*) Eusebius octo numerat cum canone Ptolemæi: sed accuratius Herodotus annos omnino septem, menses quinque; Ctesias annos duodeviginti: alii aliter. Apud Clementem Alexandrinum *δεκαεννέα*, *decem & novem* dicuntur. sed, si librarii mendum illud est pro *ἐννέα*, Severi consensus accedit, qui infra cap. XIV. rursum *novem annos* Cambysi tribuit.

4 *Magi duo fratres*) Monuit Vorstius hæc non ita accipienda, quasi uterque frater se pro rege gesserit: nam eorum quidem alter nomen regium usurpavit vivente adhuc Cambyse, ejusdem se fratrem simulans; alter ejus fallaciæ obsecundavit. Idem addit demonstratum a se fuisse in Exercit. Academicis, Smerdin hunc Esdræ IV. *Artasastham*, seu Artaxerxem dici. Sed id alii antea fecerant. vide præ ceteris Pridæum.

7 *Darius Hystaspis filius*) Templi ædificatio intermissa sub Assuero & Artaxerxe, sive sub Cambyse & Smerdi, hujus Darii regni anno secundo cœpit consummari, ut præclare Eusebius in Chronico, cumque sequutus Hieronymus Præf. in Comment. Aggæi. Mirum sane Severum ipsum Eusebium in hoc sequutum non fuisse.

9 *annos sex & triginta*) Ita fere omnes: Ctesias tamen unum & triginta tantum ei tribuit.

9 *ante quadriennium quam d.*) Petavius lib. X. Doct. Temp. cap. 23. ex Herodoto & Thucydide colligit pugnam Marathoniam contigisse anno trigesimo secundo Darii, qui quintus est ante ejus obitum, & concurrit cum anno tertio Olympiadis LXXII. In Chronico Eusebii ea pugna adfigitur anno trigesimo Darii, & Olympiadis LXXII. primo.

10 *apud Marathonam pugnavit*) Severus fortasse scripserit, ut ceteri græci & latini scriptores, *Marathona* ex recto *Marathon*. Vorstius putat ex accusativo *Marathona* ab eo effictum rectum *Marathona*, *æ*, ut ex accusativo *cratera* factum est *cratera*, *æ*, &c. Idem monet non ipsum Darium pugnæ interfuisse, sed ejus auspiciis Mardonium ducem.

12 *anno fere ducentesimo & sexagesimo*) Excerpsit, puto, hæc ex antiquis latinis Chronicis, ut & A. Gellius lib. XVII. cap. 21., ubi hæc habet: *Ducentesimo deinde & sexagesimo anno post Romam conditam, aut non longe amplius, victos esse ab Atheniensibus Persas memoriæ traditum est, pugna illa incluta Marathonia, Miltiade duce*. Petavius integro quadriennio tempus hujus pugnæ postponit citato loco, scilicet anno ab V. C. Varroniano CCLXIV., qui respondet tertio Olympiadis LXXII.

12 *Macerino & Augurino coss.*) T. Geganius Macerinus, & P. Minucius Augurinus Consules fuerunt anno ab V. C. CCLXII., a quo anno ad Stiliconem consulem, qui iniit consulatum anno Christi Dionysiano CCCC., qui est

Digitized by Google

consulum non fefellit, ıↄ ccc lxxx & viii. omne enim tempus in Stiliconem consulem direxi. Post Darium Xerxes fuit, isque unum & viginti annos regnasse traditur: quamquam in plerisque exemplaribus viginti & quinque annos imperii ejus
5 fuisse reperi. Huic successit Artaxerxes, cujus supra mentionem fecimus. hic cum inhiberi ædificationem urbis Judææ templique jussisset, suspensum opus usque in secundum Darii regis annum pependit. Sed ut usque ad eum temporum ordo connexus sit; Artaxerxes regnavit annos unum & quadraginta, Xerxes
10 duobus mensibus, postque eum Sucdianus septem mensibus fuit. Darius deinde, sub quo templum est restitutum, regnum adeptus

X.

est ab Urbe condita millesimus centesimus quinquagesimus tertius, medii intercedunt anni octingenti nonaginta. itaque biennio saltem solido aberravit Severus: neque tamen in eo culpandus incuriæ; nam jam inde a temporibus T. Livii annales Romanorum erant inæquales, & in multis sibi dissimiles, teste ipso T. Livio variis in locis. itaque opportune addidit, *Si tamen investigatio Romanorum consulum non fefellit*. Pro *Macerine* corrupte *Macherino* exhibent superiores editiones.

3 *unum & viginti annos*) Giselini liber & aliæ antiquæ editiones *uno & viginti annis*. Eusebius viginti tantum huic tribuit, forte quia Artabano, quem post Xerxem septem mensibus regnasse scribit, annum integrum seorsum tribuit, quem Severus, omissa Artabani mentione, Xerxi adscripsit: ita & Canon Ptolemæi. & re vera Artabanus regnum affectavit quidem, sed non obtinuit.

3 *quamquam in plerisque ex.* &c.) Præclare Drusius: *De Eusebianis vulgo interpretantur. quamquam fieri potest ut alia Chronica in mente habuerit*. Vide quæ in novissima Eusebio-Hieronymiani Chronici editione adnotantur. Sane si, quod fieri potuit, Eusebii exemplaria præ oculis habuit hæc inserens Severus, non *viginti & quinque annos*, sed *viginti annos* scripsit hoc loco: nam altera quidem communior lectio, a Prospero etiam in suum Chronicum transcripta: notavit autem Pontacus in aliquibus MSS. & impressis libris omitti Artabanum, & Xerxi annos xxi. adscribi. Ceterum Clemens Alexandrinus annos Xerxis viginti sex numerat, Josephus dat plures viginti octo.

5 *mentionem fecimus*) MS. *meminimus*. Vide initium hujus capitis, & quæ ibidem adnotavimus.

9 *annos unum & quadraginta*) Totidem ponit canon Ptolemæi: at Eusebius uno minus: quod proxime ad veritatem accedit. Sed in Canone illo solemne est ut annus inceptus pro completo habeatur. itaque postremi anni spatio comprehenditur etiam duorum filiorum Artaxerxis brevissimum regnum, scilicet Xerxis, qui quadraginta quinque diebus, & Sogdiani, qui mensibus sex, diebus quindecim regnarunt. Contra Eusebius, eumque sequutus Prosper horum tempora seorsum ponunt: & primo quidem menses duos, secundo septem tribuunt, ex quibus integrum annum conficiunt respondentem quadragesimo primo Artaxerxis. Hac ratione Severus, qui horum mentionem facit, melius patri quadraginta tantum annos tribuisset. Ctesias annos huic dat xlii.

10 *Sucdianus*) Aliis est *Sogdianus*: Ctesiæ *Secyndianus* dicitur.

11 *sub quo templum est r.*) Palmare argumentum, quo hic insignis Severi anachronismus refellitur, sumitur ex Aggæi ii. 4., ex quo loco colligitur multos adhuc secundo anno Darii, sub quo restitutum est templum, superstites fuisse ex iis qui prius templum viderant. non itaque tantum temporis intervallum fuit, quantum ab xi. Sedeciæ ad ii. Darii hujus supputatur, quod est annorum clxvi. Scaliger, ut hinc se expediat, Aggæi textum sollicitat. Hunc Aggæi locum confer cum Esdræ iii. 12.

adeptus est, cui Ochus tum nomen erat. Hic cum ex Hebræis tres adolescentes spectatæ fidei corporis custodes haberet, unusque ex his prudentiæ documento admirationem regis in se convertisset; delata sibi optione petendi, si quid animo concepisset, ingemiscens patriæ ruinis, copiam restituendæ urbis poposcit, meruitque a rege, ut subregulis ac præsidibus imperaret, ut ædificationem sacræ ædis præbitis impendiis maturarent. Ita templum quadriennio consummatum, sexto post anno quam Darius regnare cœperat: idque Judæis satis visum. & quia magnæ molis erat urbem restituere, diffisi viribus, opus multi laboris incipere non ausi, templo continebantur. Per idem tempus Esdras scriba legis post viginti fere annos quam templum fuerat consummatum, defuncto jam Dario

1 *cui Ochus tum nomen erat*) Nimirum antea *Ochus* dicebatur: cum regnare cœpit, *Darius* appellari voluit. Ctesias: Βασιλεύει Ὦχος, καὶ μετονομάζεται Δαριαῖος: *Regnat Ochus, & nomine mutato Darīæus appellatur*. Ab historicis vulgo *Nothus* dicitur quia ex concubina generatus.

1 *Hic cum ex Hebræis* &c.) Hæc sumta sunt ex capite III. & seq. libri III. Esdræ, qui liber est extra Canonem in calce Sacrorum Bibliorum: ubi tamen non exprimitur tres illos adolescentes Hebræos fuisse. Habetur hæc narratio etiam apud Josephum, qui ex hoc ipso libro sumsit; nam ejus ætate editus erat.

3 *unusque ex his*) Zorobabel dicitur citato libro: at in libro Esdræ canonico Zorobabel regressus ponitur in Judæam jam inde ab anno primo Cyri. Qui duos ejusdem nominis comminiscuntur, operam meo judicio ludunt.

3 *prudentiæ documento*) Quæstio mota erat, quæ res potentior esset; cumque unus dixisset *vinum*, alter *regem*, Zorobabel tertius intulit *mulierem*, at super omnia *veritatem*. Ita Pseudo-Esdras.

4 *si quid animo concepisset*) Forte, *si quid animo concupisset*, vel *concupisceret*. *Pete, si quid vis*, ait textus Pseudo-Esdræ.

8 *sexto post anno quam*) Hoc habemus expressum Esdræ VI. 15. Si numeres a secundo anno Cyri, quando cœptum est restitui templum, usque in sextum Darii Hystaspis completum, invenies viginti fere annis interrupte opus perfectom fuisse, juxta accuratiorem Chronologiam.

11 *templo continebantur*) Unde hæc hauserit, ignoro. Dicitur quidem Jerusalem sine muris fuisse, quin immo Nehemiæ VII. 4., cum muri jam ædificati essent, subditur *non fuisse domus ædificatas*: sed ex eodem capite versu 3. atque aliunde colligitur paucas quidem domus in ea urbe fuisse, quia pauci etiam habitatores erant: eos tamen in templo habitasse, quod sciam, nusquam apparet. Adde Aggæum I. 4.

12 *Esdras scriba legis*) *Scriba velox in lege Moysi* dicitur Esdræ VII. 6. & ibidem 12. *Scriba legis Dei cæli doctissimus*, &c. Quinam vero essent *Scribæ* apud Judæos, satis notum.

12 *viginti fere annos*) Sic nimirum putat: a sexto anno Darii Nothi, quo consummatam statuit templi restaurationem, ad ejus mortem sunt anni tresdecim (nam regnavit in universum decem & novem); septimo autem anno Artaxerxis Mnemonis Esdras venit in Judæam, quod colligit ex Esdræ VII. 8.: summa est annorum viginti. Sed quoniam, ut jam diximus, templum restauratum fuit sub Dario Hystaspis, alio pacto subducendæ sunt rationes: nam cum hic triginta sex annis regnaverit, Xerxes filius viginti & uno, sequitur ut anno fere octavo & quinquagesimo a templi consummatione hæc facta sint; si sub Artaxerxe Longimano, quæ est omnium Chronologorum sententia, Esdram collocemus.

Digitized by Google

rio, qui unum de viginti annis rerum fuerat potitus, permissu Artaxerxis secundi, non illius qui inter duos Xerxes fuit, sed hujus qui Dario Ocho successerat, Babylonia profectus, multique eum sequuti Hierosolymam pervenere; vasa quoque diversi operis & dona, quæ rex templo Dei miserat, cum duodecim Levitis. vix enim hic numerus ex illa tribu repertus traditur. Is cum deprehendisset Judæos gentilium connubiis permistos, multis increpitos renuntiare istiusmodi matrimoniis, ac filios ex his susceptos extrudi jubet: omnesque dicto paruere. purgatus populus veteris legis ritum agebat. Ceterum Esdram nihil super reficienda urbe egisse comperio; credo, potiorem curam ratus plebem corruptis moribus reformare. Erat ea tempestate apud Babyloniam Neemias minister regius, gente Judæus, Artaxerxi merito obsequiorum carissimus. Is Judæos percontatus, quis paternæ urbis status esset, ubi comperit in iisdem ruinis jacere patriam, totis sensibus conturbatus, cum gemitu multisque lacrymis orasse ad Deum

XI.

1 *unum de viginti annis*) Ita fere omnes: Ctesias tamen adscribit triginta quinque. Ceterum legend. *undeviginti a.*

4 *multique eum sequuti Hier. pervenere*) Prima editio, quam aliæ antiquæ secutæ sunt, habuit, *multisque eum sequutis*: sed quia verbum *pervenere*, quod sequitur, non concordat, Galesinius mutavit in *pervenit*, cui lectioni Vorstius assentitur. Giselinus tamen, quem sequuti Drusius, Hornius aliique, maluit emendare, ut & nos fecimus, *multique eum sequuti*. Sane verbum *pervenere* non modo regit hanc sententiam, sed & sequentem: contra si *pervenit* legas, quo cum verbo illa *vasa quoque* &c. construenda erunt?

6 *vix enim hic numerus*) Verum quidem est Esdram duodecim Levitas destinasse custodiæ vasorum, & pecuniæ quæ collata fuerat in sacrificia: falsum autem ex universa tribu Levi hos tantum duodecim repertos fuisse. Vide Esdræ postrema capita.

10 *veteris legis ritum agebat*) Placeret *ritu agebat*; secus *ritus* dicendum fuisset. *Agere* pro *vivere* tum Severo, tum aliis Scriptoribus & familiare est, & eleganter dictum. Dicit autem *veteris legis* pro *Mosaicæ*, respiciens ad suam ætatem, qua Evangelii lumine coruscante lex illa antiquata fuerat.

13 *Erat ea tempestate*) Quæ heic de Nehemia subdit, ad vigesimum annum Artaxerxis spectant, ut ex Nehemiæ libro constat, non tamen, ut Severus putat, secundi, qui Mnemon seu Memoriosus, sed primi, qui Macrochir seu Longimanus dictus est.

13 *apud Babyloniam*) Notum est Sulpicio & ejus æqualibus *apud Babyloniam* idem esse ac *Babylone*, seu *in urbe Babyloniæ* (nam utroque modo effertur nomen hujus urbis, ut notavit & Vorstius): memoria itaque lapsus est Severus; nam hæc acta sunt in Susis castro. Nehem. 1.

13 *Neemias minister regius*) Nimirum pincerna regis erat, ut in Nehemiæ libro. Scribitur autem a Severo hoc nomen ex græcæ linguæ indole sine aspiratione in media voce. Porro utrum hic Nehemias diversus sit ab illo qui, ut in libro Esdræ habetur, sub Cyro cum Zorobabele in Judæam migravit, magna inter interpretes quæstio est, quam attingere non est hujus loci.

15 *Judæos percontatus*) Scilicet quosdam ex Judæa recenter Susa profectos: inter quos erat Hanani, quem *fratrem* seu propinquum suum dicit initio libri & cap. vrs. 2. Vide ipsum librum Nehemiæ.

15 *paternæ urbis*) Sane civis Jerosolymitanus videtur fuisse: nam cap. 11. de se dicit, ibidem fuisse sepulcrum patris sui. itaque vox *patriam*, quæ mox sequitur, ipsam urbem designat.

16 *totis sensibus cont.*) Hornii editio exhibet *totus s. c.*, contradicente Giselini libro & aliis.

Deum traditur, delicta gentis suæ reputans, misericordiamque divinam efflagitans. Igitur quum eum rex inter epulas mæstum extra solitum animadvertisset, poposcit ab eo caussam dolorum ut exponeret. tum ille adversa gentis suæ & ruinam civitatis deflere, quæ jam per annos fere ducentos & 5 quinquaginta solo strata, malorum testimonium, spectaculum inimicis præberet: daret sibi eundi & restiruendæ ejus potestatem. Paruit rex piis precibus, statimque eum cum præsidio equitum, quo tutius iter ageret, dimisit, daris ad prætores epistolis, ut necessaria præberent. Is quum Hierosolymam 10 pervenisset, viritim populo opus urbis distribuit: & certatim jussa omnes curabanr. jamque ad medium machinæ processerant, quum, flagrante invidia gentium, vicinæ urbes conspirant opera interrumpere, Judæosque ab ædificando deterrere. Sed Neemias, dispositis adversum incursantes præsidiis, nihil terri- 15 tus cœpta explicuit: consummatoque *muro*, & valvis portarum perfectis, per familias construendis interius domibus urbem dimensus est. censuitque populum minime urbi parem: neque enim amplius quam ad quinquaginta millia promiscui sexus arque

5 *per annos fere ducentos & quinquaginta*) Sigonius: *Ad summam Sulpicii sunt anni ducenti quinquaginta octo: quare rectius diceretur* annos fere ducentos sexaginta; *atque ita post locutus est*. Assentitur Drusius, qui addit, *mendum, ut credibile est, e notis numerorum*. Sed, ex Sulpicii calculis, nihil verins vulgata lectione: uam ii recte subducti summam CCXLVIII. annorum reddunt: nam ab urbe excisa ad Cyrum usque annos septuaginta numerat capite quinto; capite vero IX. & X. Cyri imperium & successorum ejus usque ad Artaxerxem II. constare facit annis centum quinquaginta octo, mensibus quatuor: hisce addas, ex Nehemiæ textu, annos viginti Artaxerxis, cum hæc facta sunt; habebis uumerum CCXLVIII. annorum, non vero CCLVIII. Quod vero infra dicitur, ab initio captivitatis usque in tempus restitutæ civitatir fuisse annos CCLX., magis vulgatam hujus loci lectionem confirmat: ibi enim sermo est non de iuitio, sed de *consummatione restitutæ urbis*, quam componit cum anno XXXII. Artaxerxis. Hæc, inquam, ex mente Severi; nam ex historiæ veritate aliter se res habet.

13 *vicinæ urbes conspirant opera interrumpere*) Sic lib. I. cap. XXIII. *in bellum conspiraut Hebræos armis depellere*: & infra cap. XXXVII. *conspiraut penitus Sardicensis synodi decreta subvertere*.

14 *Judæosque ab æ.*) Ex MS. addimus conjunctionem *que*, huic loco pæne necessariam.

16 *consummatoque muro*) Consentiunt omnes hoc loco excidisse vocem *muro*, de quo mentionem expressam habet Nehemiæ liber. Solus Giselinus putavit locum esse integrum; nam hæc adnotavit: *Sic fere absolute loquitur Tacitus; & nos ante annos sex plura de hoc loquendi genere ad Ausonii locu a nobis tum emendata adnotavimus*. Mihi ejus in Ausonium notæ ad manus non sunt; sed nemini, puto, persuadebit aliorum scriptorum exemplis *muro* hoc loco non esse supplendum, ut nos fecimus, diverso tamen charactere.

17 *dimensus est*) Ita legendum omnino cum Galesinio & Giselino: nam vulgata lectio *dimissus est* mendosa est, ut quisque per se videt.

19 *ad quinquaginta millia*) Census hic habetur Esd. II. & Nehem. VII. & utrobique civium numerus est 42360., servorum & ancillarum 7337.: summa omnium 49697.

Digitized by Google

atque ordinis reperta. tantum ex illo quondam immani numero frequentibus bellis absumtum, aut captivitate detentum: nam olim hæ duæ tribus, quarum hoc residuum fuit, quum ab his decem tribus separatæ sunt, ccc & xx millia virorum
5 armaverant: a Deo ob peccatum internecioni & captivitati datæ, ad hanc usque paucitatem devenerant. Sed hæc, ut dixi, plebs duarum tribuum fuit: decem vero prius ductæ, per Parthos, Medos, Indos atque Æthiopas dispersæ numquam in solum patrium sunt regressæ; hodieque barbararum gentium
10 imperiis continentur. Sed consummatio restitutæ urbis xxx & II imperii Artaxerxis anno refertur. a quo tempore usque ad Chri-

4 *ccc & xx millia*) Huc spectat quod habetur supra lib. I. cap. xlI. pag. 70. *Ex his ad trecenta millia paravit exercitum.* ad quem locum notavimus Drusium aliosque suspicatos locum esse corruptum. Sigonius rursus ad hunc locum suspicionem movet, & *clxxx.* primitus scriptum contendit, ut in sacro textu. Verum cum Severus notet *immanem numerum* hominum hunc fuisse præ illo qui sub Esdra & Nehemia census fuit, facile crediderim lectionem hanc genuinam esse, suoque in exemplari sacro ita scriptum reperisse, ubi græcus textus habet *centum & viginti*.

5 *a Deo*) Antea in libris omnibus legebatur *Adeo*, quod tamen mutare non dubitavi; nam non cohærebat cum sequentibus: *adeo... ad hanc paucitatem devenerant*; nec cum præcedentibus. præcesserat enim aliud epiphonema, *tantum* &c. Contra si legas *a Deo*, omnia concordant, & sententia ipsa quantum perspicuitatis acquirit! *datæ a Deo internecioni & captivitati ob peccatum* &c.

6 *Sed hæc, ut dixi*, &c.) Decem tribus numquam e captivitate reversas putarunt Josephus, Origenes epist. ad Africanum, Hieronymus in Ezech. cap. 37. & alii cum Severo: quæ sententia vera quidem est, si intellexerunt de plerisque, immo maxima parte, non tamen si de omnibus qui ex iis tribubus originem habebant: nam certum est multos in patrium solum cum Judæis reversos, vel qui numquam consenserunt schismati Jeroboami, ut Tobias, de quo vide cap. xIv. Tob., vel qui ab Assyriis in captivitatem numquam abducti fuerunt, vel qui misti Judæis postea in Babyloniam migrarunt. Sane decreta Cyri & Artaxerxis non ad Judæos tantum, sed ad omnes Israelitas spectant, & Esd. vI. 17. refertur, oblatos *hircos caprarum pro peccatis totius Israel duodecim, juxta numerum tribuum Israel*: quod argumento est, ex omnibus tribubus aliquos tum in Palæstina fuisse veri Dei cultui addictos. quod etiam ex novo Testamento elucet, Luc. II. 36., Jac. I. I., Act. xxvI. 7. Sed de hoc argumento fusius Jacobus Calvert libro edito Londini 1672., qui est De reditu x. tribuum, & in quo conficitur ex locis Scripturæ propheticis, decem tribus a Salmanasare deportatas, in Judæam reversas fuisse: cujus sententiæ fuerunt olim Cyrillus Alex. Præfatione Comm. in Zach., Theodoretus in Ezech., & Theophylactus.

7 *prius ductæ*) Malim *abductæ*. Sic lib. I. cap. xlvII. de tribu Juda, *quæ in captivitatem posterius abducta*: & cap. xlIx. *populum universum in regnum suum abduxit*. Immo heic potior ratio ita scribendi fuit; nam in laudatis locis sine detrimento præpositio *ab* omitti poterat.

8 *Indos atque Æthiopas*) Indorum atque Æthiopum nulla mentio in sacris litteris: contra omisit Assyrios.

10 xxx & II) Ita Eusebius ad annum xx. & xxxII. Artaxerxis primi, utrobique librum Esdræ in testimonium assumens: sed nihil hujusmodi in Nehemiæ libro, qui etiam Esdræ II. dicitur, invenio. Ibi enim ex cap. v. 14., & xIII. 6. colligitur, usque ad illum annum Nehemiam mansisse in Judæa, præterea nihil. immo vI. 15. dicitur completum fuisse murum civitatis quinquaginta duobus diebus, statimque postea valvas portarum fuisse collocatas. deinceps novæ domus ædificari cœptæ pro numero civium & convenarum.

Digitized by Google

Christi crucem, id est Fusium Geminum & Rubellium consules, anni cccxc & viii. Ceterum a restitutione templi usque in eversionem, quæ sub Vespasiano Consule Augusto per Titum Cæsarem consummata est, anni cccc lxxx & iii. Prædictum id olim est a Daniele, qui ab instauratione templi u- 5 sque in eversionem lx & ix hebdomadas futuras pronuntiaverat. A die autem captivitatis Judæorum usque in tempus re-

XII. stitutæ civitatis fuerunt anni ccLx. Hoc temporum tractu Esther atque Judith fuisse arbitramur. quarum quidem actus quibus potissimum regibus connectam, non facile perspexerim: 10 nam cum Esther sub Artaxerxe rege referatur (porro duos hujus nominis Persarum reges fuisse reperi) multa cunctatio est, cujus hæc temporibus applicetur. mihi tamen visum est huic

1 *Fusium Geminum & Rubellium consules*) Menduse tum heic, tum infra cap. xxvii., libri omnes *Rebellium*, quos emendamus ex Fastis. Ceterum de Severi & aliorum antiquorum sententia, qui his consulibus, seu anno xv. Tiberii Dominum cruci affixum crediderunt, plura fortasse suo loco.

2 *anni cccxc & viii*) Biennii error est; nam a trigesimo secundo Artaxerxis Mnemonis ad vigesimum nonum æræ Christianæ annum, in quem incidit consulatus Geminorum, intercedunt anni cccc. Supra vidimus simili errore a Severo peccatum fuisse, dum annos ex consulibus designat.

3 *sub Vespasiano Consule Augusto*) Annus quo Jerosolyma a Tito capta, fuit secundus imperii Vespasiani, quo anno *T. Flavius Vespasianus Imp.* II. *& Titus Cæsar Vespasiani filius* coss. fuerunt. Sed nutatio temporis a Severo adhibita nimis vaga est; nam sæpius deinceps Vespasianus consulatum gessit. libri editi ita distinguunt: *sub Vespasiano, consule Augusto*; quasi Augustus alius fuerit a Vespasiano.

4 ccccLxxx & iii) Quod ad Chronologiam spectat, non admodum erravit; nam a secundo Darii Nothi anno, unde initium ducere videtur, ad excidium urbis anni sunt ccccxcii. Sed in quo potissimum peccat, est quod Danielis hebdomadarum exitum non ad Christi mortem referat, sed ad urbis excidium: quæ Judæorum potissimum sententia est, ac nonnullorum ex antiquis Patribus; quam etiam postremis temporibus acriter defendit Scaliger: contra quem Petavius lib. xii. Doct. Temp. cap. 31. quod ita incipit: *Severus Danielis hebdomadas* lxix. *ab anno secundo Darii Nothi (quem Ochum nominat) ad Hierosolymorum excidium pertinere putat; ita ut anni* ccccLxxxiii. *inter utrumque terminum intercedant: de septuagesima hebdomada verbum nullum. Hanc Sulpicii epocham Scaliger in utraque editione complexus est*, &c.

5 *ab instauratione templi*) Danielis cap. ix. prophetia præcise signat urbis instaurationem, non templi.

6 lx & ix *hebdomadas*) Mirum Severum non meminisse ultimæ hebdomadæ, nec lxx. omnino computasse, ut ceteri omnes scriptores. Paullo infra Lips. edit. *fuerunt anni* ccix. mendose.

8 *Hoc temporum tractu*) MS. *In hoc t. t.* Libri editi *Hester* scribunt cum aspiratione initio, & non in medio, contradicentibus græcis, in quibus est *Ἐσθήρ*. iidem *Hamaa* infra, ubi eodem jure *Amaa* scribendum est.

10 *non facile perspexerim*) Sane hæ duæ quæstiones adhuc eruditos torquent, & in diversas distrahunt sententias.

11 *sub Artaxerxe rege*) Antiqua latina versio libri Esther, ex græco fonte derivata, habuit loco *Assueri* nomen *Artaxerxis*, ut habent etiam nunc græci codices: hinc argumentatus est Severus Esther alterutri eorum quos ipse nominaverat, eam fuisse nuptam. sane plerique priori tribuunt, alii patri ejus Xerxi, alii Dario Hystaspis, alii aliis.

Digitized by Google

huic Artaxerxi ſub quo Hieroſolyma eſt reſtituta, Eſther hiſtoriam connectere: quia non ſit veriſimile ut, ſi ſub priore Artaxerxe fuiſſet, cujus tempora * complexus eſt, nullam tam illuſtris feminæ mentionem retuliſſet; maxime cum ab
5 illo Artaxerxe inhibitam templi ædificationem, ſicut ſupra memoravimus, conſtet: neque Eſther paſſura fuerit tum, ſi in illius matrimonio tum fuiſſet. nunc geſta ediſſeram. Erat ea tempeſtate regi in matrimonio Vaſtis quædam, miræ femina pulcritudinis: cujus cum formam omnibus prædicaret,
10 die quodam cum publicum convivium dabat, adeſſe reginam demonſtrandæ pulcritudinis gratia jubet. Illa vero ſtulto rege

1 *huic Artaxerxi, ſub quo* &c.) Intelligit, ut vidimus, Artaxerxem ſecundum, ſeu Mnemonem. Male itaque Bellarminus lib. 1. de Verb. D. cap. VII. Severum iis annumerat, qui ad priorem, ſeu Longimanum, Eſtheram referunt. Vide Petavium de Doct. Temp. lib. XII. cap. 28. In hunc eumdem lapidem impegit Pridæus lib. IV. Hiſt. Hebr. in fine. Ceterum huic Artaxerxi connectit hanc hiſtoriam etiam Euſebius.

2 *quia non ſit veriſimile ut, ſi*) MS. liber *quia non fuit veriſimile*; ſed *fuit* in *ſit* mutandum neceſſario erat. Terentius And. 1. 3. 20. *Mihi quidem non ſit veriſimile*. Vulgata antea lectio *quæ ante fuit veriſimilis, ut ſi*, utpote mendoſa, a Giſelino non male emendanda cenſebatur hoc pacto: *quia haud fuit veriſimile, ut ſi*. Sigonius Giſelini conjecturam ſuam fecit, ſed loco *ut ſi ... retuliſſet*, malebat *ſi ... retuliſſe*: quod merito Vorſtio diſplicuit.

3 *cujus tempora*) Idem qui ſupra Giſelinus, aſſentientibus ceteris, conjiciebat legendum eſſe *qui ejus tempora*. Ego nihil mutandum cenſeo, ſed ſcriptoris alicujus, & quidem veriſimiliter Eſdræ, nomen excidiſſe ajo, quem alii ſubaudiendum exiſtimant. Sigonius monet hanc ſententiam eſſe deſumtam ex Euſebio, qui ut ab Artaxerxe Longimano, ſub quo tamen ipſe ſtatuit fuiſſe reſtitutam Hebræorum metropolim, Eſtheræ hiſtoriam amoliatur, hæc adnotat: *Ea quæ de Heſter & Mardochæo ſcripta ſunt, quidam affirmant ſub hoc rege geſta: quod ego non puto: numquam enim Eſdras de Heſter ſiluiſſet, qui ſcribit* (græcus textus ex Chron. Paſch. ἡ τοῦ Ἔσδρα γραφή, ἥτις ἱστορεῖ κ. τ. λ., ſcilicet *Eſdræ liber, qui .... narrat*) *hoc tempore Eſdram & Nehemiam reverſos ex Babylone, & ea deinceps conſecuta quæ ab his geſta referuntur*. Sane ſi quid valeret hæc ratio, pro Euſebio aliquantulum valeret; at contra Severum facit: nam ſi Severi ſyſtemati inhæremus, in Eſdræ & Nehemiæ libris prioris Artaxerxis geſta vix attinguntur, de ſecundo autem plura habentur.

6 *tum, ſi in illius m. tum fuiſſet*) Utrumque *tum* vitioſum arbitror & expungendum: nihil tamen muto.

11 *demonſtrandæ pulcritudinis gratia*) Hoc perſpicue habetur Eſth. 1. 11., quem locum non attendit Vorſtius, qui heic ſcribit non liquere Vaſthim ejus rei gratia a rege arceſſitam fuiſſe, viderique hoc ex conjectura additum; quæ nota melius convenit iis quæ præcedunt, *cujus cum formam omnibus prædicaret*. Hornius obſervat Rabbinos fabulari *eam nudam a rege prodire juſſam*, quod etiam expreſſum lego in hebraico-italica quadam cantilena, quæ proponitur cantanda inter pocula in feſto Phurim. idem Hornius paullo infra ad ea verba *ſpectaculum corporis*, notat: *Mirum ni in Rabbinorum opinione Sulpicius fuerit, nudam introire juſſam*. Sane Joſephus non ita ſenſit, qui hac occaſione tradit legibus Perſarum nefas fuiſſe honeſtis matronis in conſpectum hominum prodire; quam veriſſimam hujus facti rationem puto. Juſtinus de Parthis, qui iidem ſunt ac Perſæ, lib. XLI. ſcribit: *Feminis non convivia tantum virorum* (quod & de græcis tradit Cornelius Nepos) *ſed & conſpectum interdicunt*. Sed exempla & teſtimonia hujus Perſarum, atque adeo Orientalium omnium inſtituti in hiſtoriis obvia ſunt.

11 *ſtulto rege conſultior*) Stultus ſane ob nimium erga uxorem amorem &

ge consultior, pudens virorum oculis spectaculum corporis præbere, jussa abnuit. qua contumelia barbarus animus permotus uxorem matrimonio ac regia depellit. Igitur quum in locum ejus puella regis conjugio quæreretur, reperta est Esther ceteras specie vincere. hæc Judæa ex tribu Benjamin, utroque parente orba, a Mardochæo patruele fratre educta. Quum ad regales nuptias duceretur, mandante educatore genus ac patriam occultavit: admonita ne paternarum traditionum immemor, etsi in matrimonium alienigenæ captiva succederet, gentilium cibis participaret. Igitur juncta regi, brevi, ut fit, vi pulcritudinis totum ejus animum facile cepit: adeo ut eam **XIII** æquatam imperio, insigni regio, veste purpurea donaret. qua tempestate Mardochæus inter proximos regis erat, pro virili portione negotiorum familiarium curator. Is compositas a duobus spadonibus regi insidias prodiderat: atque ex eo carior, sum-

& ob temulentiam, quam posteriorem caussam innuit sacer textus. Ceterum opinantur interpretes regem ira excanduisse non tam ob reginæ inobedientiam, qoam propter ejus responsi acerbitatem & petulantiam.

2 *barbarus animus permotus*) Sic infra de eodem, *facile id barbaro persuasum*: ac postea, *At barbarus re insolita perculsus*. Ita nimirum Græci & Latini de Orientalibus loqui solent. Nepos Xerxem, itemque Satrapam Artaxerxis Tisaphernem *barbari* nomine appellat, ut notavit & Vorstius. Itaque non opus erat ut Hornius hoc loco notaret: *Persæ sunt barbari, maxime zelotypi, & in uxores feri*.

6 *patruele fratre*) In græco textu cap. II. 7. & 15. Esther dicitur *filia Aminadab fratris patris Mardochæi*: qua ratione hic recte dicitur a Severo ejus *patruelis frater*. Sic in hebræo fonte utrobique dicitur Esther filia τοῦ דוד Mardochæi, quæ vox *patruum* sonat. Consentit Chaldæus & Syrus & plerique ex recentioribus interpretibus. sed Vulgata facit Esther filiam fratris Mardochæi; cui consentit Josephus, qui Mardochæum θεῖον seu *patruum* Estheræ vocat. consentit & antiqua versio Syriaca.

10 *gentilium cibis p.*) Drusius: *Quære, unde habeat*. Habuit ex cap. II. 20., quo loco græcus textus: καὶ Ἐσθὴρ οὐ μετήλλαξε τὴν ἀγωγὴν αὐτῆς *Et Esther non mutavit rationem vitæ suæ*. Id tamen manifestius elucet ex cap. XIV. 17., quod cum parte superioris spectat ad finem cap. IV.

11 *facile cepit*) Cum præcedat *brevi*, redundare videtur hoc loco *facile*.

12 *æquatam imperio*) Vorstius legendum putat *æquatam sibi imperio*: sed facile illud *sibi* subaodiri possit.

12 *insigni regio, veste purpurea donaret*). Aliud heic est *insigne regium*, aliud *vestis purpurea*: ad illud spectat diadema quod capiti Esther imposuit rex: vide Esth. II. 17. & XIV. 16. Purpureæ vestis nullam iovenio mentionem.

12 *qua tempestate Mardochæus*, &c.) Ita Esth. XI. & XII. ex antiquissima versione: quæ cum absint a textu hebræo, Vorstius addita ex conjectura a Severo putavit. Hic autem ex capitibus laudatis, quæ ad initium libri spectant, sibi persuaserat ad eam sublimem dignitatem pervenisse Mardochæum, atque adeo eunuchorum insidias ab ipso indicatas regi, antequam Esther ipsi nupsisset: quod tamen contrarium videtur iis quæ cap. II. 21. habentur. itaque illa per anticipationem dicta accipiunt interpretes.

13 *pro virili portione*) Ita Tacitus in Vita Agricolæ: magis usitatum est *pro virili parte*.

14 *negotiorum familiarium curator*) Sumsit ex antiquissima versione cap. II. 19., ubi in græco legitur: ὁ δὲ Μαρδοχαῖος ἐθεράπευεν ἐν τῇ αὐλῇ.

summisque honoribus donatus. Erat ea tempestate regi Aman quidam persamiliaris, quem æquatum sibi adorari more regum præceperat. id Mardochæus unus ex omnibus facere fastidiens, odia Persæ in se graviter accenderat. Igitur Aman
5 ad perniciem Hebræi animum intendens, regem adit, affirmatque, Esse in regno ejus hominum genus pravis superstitionibus Deo hominibusque invisum, externis legibus vivens, dignum exitio: rectum esse omnes hujus gentis internecioni dare. exque eorum bonis immensas opes pollicetur. Facile id
10 barbaro persuasum. edictum emittitur, Judæos necandos. missique continuo, qui per omne regnum ab India usque Æthiopiam edictum promulgarent. Id ubi Mardochæo compertum, conscissis vestibus sacco obvolvitur, conspersusque cinere pergit ad regiam, ibique ejulatu multo cuncta questibus replet: Fa-
15 cinus indignum, immeritam gentem perire, neque ullam pereundi caussam dari. Esther lamentantis voce excita, rem, ut erat, cognoscit. tum vero anceps consilii, quia adeundi regem potestas

2 *adorari more regum*) Persarum potissimum. Justinus lib. VI. *Conon a regis conspectu & colloquio prohibitus est, quod eum more Persarum adorare nollet*. Lampridius in Alexandro Severo: *Adorari se vetuit regum more Persarum*. Nepos in Conone cap. III. *Necesse est enim, si in conspectum veneris, venerari te regem* (Artaxerxem): *quod*, addit ipse, προσκυνεῖν *illi vocant*. Curtius lib. VIII. *more Persarum Macedonas venerabundos ipsum salutare, prosternentes humi corpora*. Ceterum Josephus scribit hanc adorationem Mardochæo visam idololatriæ speciem referre, ideoque id honoris Amano præstare eum noluisse.

4 *odia Persæ*) Vorstius notat Severum, quod Amanum *Persam* dicat, qui Esth. III. 1. *Agagæus*, seu *ex stirpe Agag* Amalecitæ fuisse dicatur. Nihil quidem hujusmodi in græco exemplari: nam ibidem & capite IX. 24., ubi iterum Vulgata ex Hebræo *ex stirpe Agag* Amanum dicit, apud græcos ὁ μακεδὼν *Macedo* legitur, sicuti etiam in fragmentis antiquissimæ Vulgatæ cap. XVI. 10. Nihilominus tamen Severus facile defenditur: nam licet originem traheret ille ex extera quapiam gente, in Persia tamen natus & enutritus non immerito *Persa* dici potuit.

5 *animum intendens*) MS. *animum incendens*; sed non probo. Mox Gisel. & alii *adiit*.

9 *exque eorum bonis*, &c.) Ex sacro textu, Esth. III. 9. & 11., prima specie colligi videtur, Amanum decem mille talenta argenti (argenti, inquam, ut habetur in hebræo & græco textu & in paraphrasi chaldaica) ex proprio peculio regi pollicitum. nec mirum, si vir in regia Persarum primarius & gratia præpollens immensas sibi comparaverat divitias. Sed minime dubitandum quin ex bonis Judæorum prædæ & direptioni a se destinatis, tantam pecuniam, immo multo majorem se corrasurum speraverit. Vertebat autem in maximum detrimentum fisci regii Judæorum cædes: ideo cap. VII. 4. dicitur Amani *crudelitatem in regem redundare*.

14 *pergit ad regiam*) Antea erat *ad reginam*, sed mendose, ut cuique Severi textum & librum Esther inspicienti palam fiet. Qui enim potuit ad reginam pergere, qui vel regiam intrare eo habitu vetabatur? recte autem sequitur, *Esther lamentantis voce excita* &c. Emendationem itaque nostram, licet ex ingenio ductam, æqui bonique consulas, lector.

15 *immeritam gentem perire*) Hæc profecto sumsit ex antiquissima versione cap. IV. 1., ubi græci libri, αἴρεται ἔθνος μηδὲν ἠδικηκός: *Clamabat voce magna, Gens innoxia perimitur*. Similia habet Josephus.

17 *tum vero anceps consilii, quia* &c.

poteſtas non erat: etenim more Perſarum reginæ introire ad regem, niſi accerſitæ, non licet: nec tamen quum fuerit regi libitum, ſed ſtatuto tempore admittitur. & forte tum ita evenerat, ut diebus triginta proximis ſeparata a conſpectu regis Eſther haberetur. Igitur audendum aliquid pro civibus rata, etſi certa peſtis adeſſet, pulcro in negotio occumbere parat: invocato prius Domino aulam regis ingreditur. At barbarus re inſolita perculſus, paullatim blandimento muliebri delinitus, poſtremo ad cœnam reginæ perducitur, unaque cum illo Aman ille regi carus & Judææ genti infeſtus. Igitur quum jam poſt epulas multis poculis convivium calere cœpiſſet, Eſther genibus regis advolvitur, gentis ſuæ perniciem deprecatur. rex vero nihil ſe petenti, ſi quid ultra peteret, negaturum pollicetur. tum Eſther arrepto tempore Amanis mortem flagitat in ultionem gentis quam perditam cupierat. Sed rex amici memor paullisper cunctatur, deliberandique gratia modicum ſeceſſit. deinde regreſſus vidit Aman reginæ genua

&c.) Perindus hæc imperfecta & ſuſpenſa, cum iis quæ ſequuntur non cohæret.

1 *reginæ introire ad regem*) Liber Eſther loquitur de viris & feminis in genere: concordant hiſtorici gentiles Herodotus, Ammianus & alii. Ab hac itaque lege nec ipſa erat immunis regina: rex tamen, ubi eum adiit Eſther, ut timore perculſam recrearet, legem declaravit, non illi, ſed ceteris eſſe ſtatutam: ita cap. XV. 13. & ita Joſephus. Quod additur, regi nonniſi ſtatuto tempore licuiſſe reginam ad ſe vocare, contrarium videtur iis quæ Eſth. II. 14. habentur: certe nihil habetur, unde probari poſſit: ſed & ſenſus communis repugnat.

6 *etſi certa peſtis adeſſet*) *Peſtis* pro morte & exitio. mirum autem ni mox *parata* ſcripſerit Severus.

7 *invocato prius Domino*) Ejus oratio habetur in græco textu, & inde ex antiquiſſima verſione in Vulgata noſtra cap. XIV.

8 *blandimento muliebri delinitus*) Reſpexit profecto ad ea quæ cap. XV. Eſther in noſtris Bibliis leguntur.

10 *Judææ genti infeſtus*) Antea erat *gentis*, quod tamen mendoſum perſenſerunt Galeſinius ceterique eum ſequuti.

10 *Igitur cum jam*) Omiſit biduo poſt ad convivium reginæ rurſus veniſſe regem cum Amano, & hæc ſecunda vice accidiſſe.

12 *genibus regis advolvitur*) Sigonius: *Hoc eſt Sulpicii*. Habetur quidem ſimile aliquid cap. VIII. 3. ſed alia occaſione.

12 *perniciem deprecatur*) De hac verbi *deprecor* ſignificatione Gellius lib. VI. cap. 16.

13 *ſi quid ultra peteret*) Eſth. VII. *Etiamſi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis*; quæ ſententia ſemel & iterum recurrit etiam cap. VI. Vide & Marci VI. 23.

14 *Amanis mortem flagitat*) Druſius: *Totum hoc a Sulpicio confictum videtur*. Vide Eſth. VII. 6.

16 *rex amici memor* &c.) Neque iſtud enm Eſtheris hiſtoria per omnia reſpondet. Apud græcos tamen non habetur vox *iratus* verſ. 7. cap. VII., nec in aliquibus libris habentur illa: *intellexit enim a rege ſibi paratum malum*. quare Severus interpretatus fuit regem de amici ſupplicio adhuc incertum & anxium fuiſſe.

17 *modicum ſeceſſit*) *Modicum* pro *paullisper*, *exiguo tempore* non plane barbarum eſſe notat Vorſtius cum Gerardo Joanne Voſſio: tempus tamen vel exprimitur vel ſubintelligi debet. utriuſque modi exempla in Vulgata obvia ſunt. Sed hoc loco magis ad locum quam ad tempus refertur.

17 *vidit Aman*) Sigonius conjecit legendum *ut vidit*, quæ conjectura mihi quoque admodum placet.

17 *reginæ genua complexum*) Liber Eſther.

nua complexum: fuccenfus ira, & appetitam reginam clamitans, morte eum affici jubet. Et tum regi compertum erat, pœnam crucis per Aman Mardochæo paratam. ita Aman eidem cruci adfigitur, omniaque bona ejus Mardochæo data, Ju-
5 dæique funt abfoluti. Artaxerxes regnavit annos duos & fexaginta,

Efther: *reperit Aman fuper lectulum corruiffe, in quo jacebat Efther*. eadem fere & græcus textos. Fuit autem lectus ille in triclinio: oam antiqui accomheotes cœoabant. corruit itaque Aman ad regioæ pedes fuper eomdem lectum.

1 *appetitam reginam*) Drufius fubaudiri volebat *ad ftuprum*, quod Vorftio vehementer improhatur, dicenti *confentaneum id non effe hiftoriæ originali: nam*, fubdit, *Efth.* VII. 8. *legitur, regem quæfiviffe an & reginam interficere vellet in regia: cui rei exprimendæ verbum* adpetere *apprime congruit*. Poftremo monet diceodum fuiffe *appetere* aliquem *ftupro*, non *ad ftuprum*, quomodo dicitur *appetere* aliqoem *infidiis*. Hæc ille: quæ ot fingillatim refutemus, primum dicimos, aliud effe *appetere infidiis*, aliud *appetere ad ftuprum*: illud modum defignat, hoc finem agendi: itaque conjungi poffunt, *appetere aliquem infidiis ad ftuprum*. Secundo dicimus, certom omnino effe Severum de ftupro verhum *appetere* ufurpaffe hoc loco, tum quia alibi non femel ita loquutos, ut notavimus in cap. 2. hujus libri, tum quia in græco texto Eftheris, unde derivata erat latina verfio quam præ manibus hahehat, occurrit verbom βιάζειν, qood eft *vim inferre*, *violare* & fimilia. Itaque & auctor Synopfeos: *rex autem ingreffus, & videns Aman genua reginæ contingentem, fufpicatus quod turpitudinis gratia id faceret*, &c. Sin autem ad vocem originalem feu hebræam Vorftius provocat, ea eft כבש, quæ *fubigere*, *comprimere*, *domare* fignificat, numquam *interficere*: & quamvis in Scriptura alia forte exempla non fuppetant, quihos vox hæc io fignificatione torpi uforpetur; fatis tameu eam declaraot circumftantiæ hujus hiftoriæ: itaque io eo fenfu ab interpretihus ipfis qoi hebræo textui infiftunt, accipitur. Volgata noftra Hieronymo interprete habet, *Etiam reginam vult opprimere me præfente in domo mea?* Clericus preffios, *Etiamne ut fubagitet reginam apud me domi?* Poftremo compertum eft, quanta cautione reges Perfarum cuftodirent uxores & concubinas fuas, qoaotaque zelotypia erga ipfas afficerentur. Plutarchus in Artaxerxis Vita narrat morte punitum, quicumque vel propius ad currom qoo io itinere vectahantur, acceffiffet, nedum tangere fuiffet aufos; quod Aman fecit.

2 *compertum erat*) MS. non agnofcit verhom *erat*; quod melius.

3 *eidem cruci adfigitur*) Non eft novum *crucem* dicere lignum rectum, quale hoc fuit quod Mardochæo deftioaverat Aman. duplex enim crucium fpecies, *fimplex* & *compacta*, ot Lipfios fufe tradit, qui & productis veterum teftimoniis docet io ftipite recto vel alligari vel affigi reos folitos. Hujofmodi itaque foit fuppliciom de Amano fumtum. Græca verfio σταυρωθήτω ἐπ' αὐτοῦ, & hebræos textus תלהו עליו tam de *affixione*, quam de *fufpenfione* feu alligatione intelligi poffunt: nec defont hujus mortis exempla io facris libris. vide Efd. VI. 11. Locus denique in quo fumtum fuit de Amano fupplicium, fuit prope portam civitatis, Efth. XVI. 18. Ad portas eoim oppidorum Orientales fora habebant.

4 *Mardochæo data*) Drufius: *Non Mardochæo, fed Efther‍æ reginæ, quæ poftea Mardochæum eis præfecit*. Efth. VIII.

4 *Judæique funt abfoluti*) Rem omnem, ut gefta eft, fofius narrat liber Efther.

5 *duos & fexaginta*) Sigonius legendum effe contendit *duos & quadraginta*, feu *xlii.* pro *lxii.*; argumento ducto ex iis quæ capite XVI. infra hahentur, ubi annos duodecimus Ochi componitur cum vigefimo fecundo ab urbe Hierofolymorum reftituta, quod juxta eumdem Severum contigit anno trigefimo fecundo hujus Artaxerxis. Contra Drufius fincerum hoc loco Severi textum defendit ex verhis

Digitized by Google

XIV. ginta, eidemque Ochus successit. Huic rerum ordini recte Judith actus conferam; traditur enim post captivitatem fuisse: sed quis eo tempore Persis regnaverit, historia divina non edidit. regem tamen sub quo illa gesta sint, Nabuchodonosor nuncupat, non utique eum qui Jerosolymam ceperit. sed nullum hoc nomine post captivitatem apud Persas regnasse reperio: nisi si ob impatientiam & pariles conatus, quicumque ille rex, Nabuchodonosor a Judæis vocitatus est. Plerique tamen Cam- 5

verbis capitis XVII., quibus Persarum imperium stetisse dicitur annis CC. & L. nam si XLII. tantum Artaxerxi huic tribuas, summa annorum omnium regum Persarum juxta Severi calculum erit tantum CCXXX. Certe alicubi mendum subest. itaque si cap. XVI. legas *anni duo & quadraginta* (nam facile pro XLII. factum fuerit XXII.) omnia concordabunt. contra si lectionem ejus loci defendas, non iste tantum, sed & ille alter cap. XVII. erit sollicitandus. Notat præterea Drusius Plutarchum Artaxerxi huic annos itidem LXII. tribuere, cum Eusebius & Prosper XL. tantum, Clemens Alexandrinus XLII., Diodorus XLIII., Canon denique Ptolemæi sex supra quadraginta adscribant.

1 *eidemque Ochus s.*) Passim ab historicis *Artaxerxes Ochus* dicitur.

2 *conferam*) Antea erat *conferam:* quod plerique editores notaverunt mutandum esse, ut nos fecimus. Sic infra cap. XIX., *ut temporum ordo consertus sit*.

2 *traditur enim post captivitatem*) Judith V. 23. Græci præterea libri in eodem capite meminerunt templi Hierosolymitani destructi, *καὶ ὁ ναὸς τοῦ Θεοῦ αὐτῶν ἐγενήθη εἰς ἔδαφος: & templum Dei eorum solo æquatum fuit:* tum cap. IV. 3. hæc in iisdem libris habentur: *quia nuper ascenderunt de terra captivitatis, & nuper omnis populus congregatus fuerat in Judæa, & vasa & altare & Domus* (scilicet Dei) *post profanationem sanctificata fuerant*. Hi textus in caussa fuerunt, cur Severus aliique forte antiqui scriptores, ut Eusebius, hanc historiam collocandam necessario putaverint post Babylonicam captivitatem. Contra neoterici scriptores accuratissimi in eo fere consentiunt, ut multo ante sub Manasse rege hæc contigerint: quorum sane argumenta gravissima sunt. Vide Bellarminum, Serrarium, Petavium, Pridæum, alios.

4 *gesta sint*) Forte *gesta sunt*.

7 *ob impatientiam*) Vix dubito cum Sigonio, quin Severus scripserit *ob impotentiam*, quæ est ferocis & effrenati animi vitium. Confer quæ de ipso infra dicuntur.

7 *& pariles conatus*) Quod Drusius & Vorstius laudent ex Dial. III. cap. IX. verba illa *parilem columnam*, bene est: quod vero reprehendant Sigonium, quasi *pares* legendum duxerit, alucinantur.

7 *quicumque ille rex*) Antiquæ editiones *qui cum * ille rex:* itaque priora verba conjungenda, & inducendam mendi notam, atque ita sensum auctoris optime constare putabat Gislinus. Sed Sigonius rectius legendum statuit *quicumque* &c., quod deinde in textum fuit receptum.

8 *Plerique tamen Cambysen*) Eusebius a Hieronymo latine redditus: *Cambysen istum ajunt ab Hebræis secundum Nabuchodonosor vocari, sub quo Judith historia conscribitur*. Sed melius in græco textu, quem auctor Chronici Paschalis servavit: Καμβύσην φασὶν παρ' Ἑβραίοις δεύτερον Ναβουχοδονόσορ καλεῖσθαι, ἐφ' οὗ τὴν κατὰ Ἰουδὶθ ἱστορίαν λέγουσιν γεγενῆσθαι: quorum hic germanus est sensus: *Dicunt quidam* (Christiani puta scriptores) *Cambysen esse eum qui ab Hebræis* (in libro Judith) *vocatur Nabuchodonosor, eo nomine secundus, sub quo* (Cambyse) *Judithæ historiam accidisse ferunt* (iidem scilicet scriptores Christiani). Sane si Eusebii verba ita intelligas, evanescit Scaligeri objectum contra ipsum Eusebium, adeo ut opus minime sit, ut quidam fecit, producere hebræos nescio quos libros, in quibus Judithæ mentio occurrit,

Digitized by Google

Cambysen Cyri regis filium putant esse, quod victor Ægyptum atque Æthiopiam penetraverit. sed huic opinioni eadem sacra historia repugnat: nam duodecimo regis illius anno Judith fuisse signatur: porro Cambyses non ultra novem annos rerum
5 potitus est. Unde, si in historia opinari licet, sub Ocho rege qui post Artaxerxem secundum fuit, hæc gesta crediderim: idque vel ex hoc conjicio, quod idem Ochus (ut in sæcularibus quibusdam scriptis legi) natura immitis cupidusque bellorum traditur. nam & arma finitimis intulit, & Ægy-
10 ptum, quæ ante multos annos desciverat, bello recuperavit. quo tempore etiam sacra eorum, & Apin in Deum receptum irrisisse traditur: quod postea Baguas spado ejus, natione Ægyptius, indignatus, contumeliam gentis morte regis ultus est. meminit autem hujus Baguæ historia divina: nam
15 cum Holofernes jussu regis adversus Judæos duxerat exercitum, Baguam in iisdem castris fuisse memoravit. unde non immerito in argumentum nostræ opinionis adduxerim, ut rex ille, Nabuchodonosor nuncupatus, Ochus fuerit, sub quo Baguam fuisse mundiales historici prodiderunt. Ceterum illud nemini mi-
20 rum esse oportebit, quod scriptores sæcularium litterarum nihil ex his quæ sacris voluminibus scripta sunt, attigerunt; Dei

currit: nam ex mente Eusebii non alios Hebræos intelligere oportet quam eos qui librum Judith conscripserunt, licet non hebraice, sed chaldaice.

5 *sub Ocho rege*) Peculiaris hæc Severi sententia, quæ tamen nullo pacto defendi potest. Vide quæ contra eam scripsit Bellarminus, de Verb. D. cap. 12.

7 *ut in sæcularibus quibusdam scriptis*) Eadem significatione paullo infra, *scriptores sæcularium litterarum*, & *mundiales historici*. Porro hi scriptores fuerint Curtius, Trogus & Justinus ex Latinis, ex Græcis autem Ælianus, Plutarchus, Diodorus, quos videsis.

11 *& Apin ... irrisisse*) Plutarchus & Ælianus tradunt Ochum ab Ægyptiis per contumeliam *asinum* appellatum, Apin asino sacrificasse, tum convivis suis comedendum proposuisse.

12 *Baguas*) Græci Βαγώας, *Bagoas*. Fuit autem hoc nomine Eunuchus maxima apud Ochum gratia pollens, & summæ in imperii administratione auctoritatis. Idem rege veneno peremto, ejusque ceteris filiis occisis, regnum Arsæ ex iis natu minimo & adhuc puero tradidit; sed & hunc haud ita multo post e medio sustulit, in ejusque locum Darium Arsami filium, qui Codomanus antea dicebatur, suffecit: a quo tandem coactus fuit sumere venenum quod regi paraverat.

14 *meminit autem hujus Baguæ historia divina*) Scilicet Judith liber inter canonicos ab Ecclesia receptus. In Vulgata nostra, levi sane differentia, *Vagoas* scribitur. Ceterum Plinius tradit eo nomine apud Babylonios vocatos fuisse spadones. Sic Ovidius lib. II. Amor. eleg. 2. quæ est *ad Bagoum*:

Quem penes est dominam servandi cura, Bagoe.

Adde Quintil. lib. v. cap. 12. Sane multi hoc nomine appellantur in historiis eunuchi. Liquet itaque quam inanis sit Severi conjectura ex eo nomine petita.

15 *duxerat exercitum*) Ratio poscere videtur pro *duxerat*, *duceret*; & infra *oportet*, *attigerint*, pro *oportebit*, *attigerunt*. Nihil tamen muto.

Dei Spiritu prævalente, ut intaminata ab ore corrupto & falsis vera miscente, intra sua tantum mysteria contineretur historia, quæ separata a mundi negotiis, & sacris tantum vocibus proferenda, permisceri cum aliis velut æquali sorte non debuit. etenim erat indignissimum, ut alia agentibus, aut alia quærentibus, hæc quoque cum reliquis miscerentur. Sed pergam ad 5
XV. cetera, ac per Iudith gesta, ut potero, paucis absolvam. Igitur reversis, ut supra memoravimus, in solum patrium Iudæis, necdum composito rerum aut urbis statu, rex Persarum Medis bellum infert, atque adversus regem eorum, Arphaxad nomine, 10
acie confligit: secundo eventu peremto rege, gentem imperio adjungit. idem reliquis nationibus facit, præmisso Holoferne, quem principem militiæ delegerat, cum millibus peditum centum & viginti, equitum duodecim. Is Cilicia & Arabia bello vastatis,

1 *Dei Spiritu prævalente*) Num *providente*? Hoc autem Severi monitum quo loco habendum sit, alii judicent.

5 *ut intaminata*) Usus est hoc verbo Horatius lib. III. Carm. od. 2.
Virtus repulsæ nescia sordidæ,
Intaminatis fulget honoribus.

7 *ac per Judith gesta*) Sigonius vel expungendam particulam *per*, vel *atque Judith gesta* legendum statuit. Drusius retinendum *per* putat, ut sit *gesta per Judith*: quem dicendi modum exemplis confirmat.

8 *ut supra memoravimus*) Scilicet initio capitis XIV., ad quod vide quæ notavimus.

9 *rex Persarum Medis bellum infert*) Quem Persarum regem dicit (quia sibi persuaserat hæc ad Artaxerxem Ochum referenda) in libro Judith est *Assyriorum rex*. Porro regnante Ocho regem aliquem Medorum fuisse, omnino repugnat historiæ. ad antiquiora itaque tempora hæc spectant, quum regna Assyriorum ac Medorum starent, illud Niniven, hoc Ecbatana caput regni habens.

10 *Arphaxad*) Drusius: *Nomen hoc hebraicum est, scribique debet* Arphaxad *cum* d *in fine: sic enim certe scribitur Gen.* X. 22., *nec variat editio nostra vulgata Judith* I. 1. *Græca quoque habent* ἀρφαξὰδ, *ut dubitare de vera scriptura nemo jam debeat*. Emendavimus itaque priores editiones, quæ *Arfaxat* habebant. Quis autem fuerit hic Arphaxad Medus, itemque Assyrius Nabuchodonosor, scriptores non consentiunt. Nobis cum Pridæo placet illum ab historicis profanis dictum fuisse Deiocem, hunc Saosduchinum. Sane Deiocem condidisse Ecbatana, quod de Arphaxado scribitur Judith I. 1., apud omnes in confesso est. cetera vide apud ipsum Pridæum.

13 *quem principem m. delegerat*) MS. *quem p. m. delegarat*.

14 *equitum duodecim*) Græci libri plerique habent μυριάδων δώδεκα, *centum viginti millium*: sed Alexandrinus codex & Complutensis editio pro μυριάδων habent χιλιάδας, quæ lectio confirmatur heic a Severo, atque adeo ab antiqua latina editione. Eumdem equitum numerum habet Hieronymiana interpretatio, quæ in nostris Bibliis legitur. Et sane cum pedites essent omnino CXX. mille, non est verisimile totidem fuisse equites.

14 *Arabia*) Drusius subdubitat num pro *Arabia* legendum sit *Mesopotamia*. Sed facile Severus Arabiæ mentionem factam videns in libro Judith ex græcis expresso, sicut & Ciliciæ, utramque ab Holoferne bello vastatam scripsit, licet utriusque fines tantum attigerit fortasse ejus exercitus. Confer versiculos 21. & 25. cap. II. Obstat certe temporis angustia tam vastis & inter se dissitis expeditionibus: nam vix duorum mensium spatium interjacet. Denique Ciliciæ populi cap. III. I. inter eos numerantur, qui se sponte Holoferni tradiderunt. Sed his accuratius expendendis non est locus.

Digitized by Google

vaſtatis, multas urbes aut vi capit aut metu in deditionem compellit. jamque Damaſcum admotus exercitus magno Judæos terrore perculerat: ſed impares ad reſiſtendum, neque ad deditionem acquieſcentibus animis, expertis quippe uſque ante
5 captivitatis mala, ad templum frequentes concurrunt. Ibi communi gemitu permiſtoque ululatu divinum auxilium implorant: Satis ſe Domino ob peccata vel crimina dediſſe pœnarum: reliquiis ſaltem ſervitio nuper exemtis parceret. Interea Holofernes Moabitis in deditionem acceptis, atque adverſum Judæos in
10 ſocietatem belli aſſumtis, quum ab eorum principibus inquireret, quibuſnam viribus freti Hebræi deditioni animos non dediſſent; Achior quidam comperta ediſſerit: Judæos Dei cultores, pio a patribus ritu inſtitutos: olim in Ægypto pependiſſe ſervitium: inde divino munere eductos, ac ſiccatum mare pedibus emenſos:
15 poſtremo omnibus gentibus devictis, habitatas majoribus terras recepiſſe: exin vario rerum ſtatu floruiſſe, aut concidiſſe, atque iterum malis emerſiſſe, ſecundum merita iratum aut placatum Deum viciſſitudine expertos; dum peccantes incurſionibus hoſtium aut captivitatibus coercentur, propitio numine ſemper in-
20 victi: ceterum ſi præſenti tempore abſque peccato ſint, nullo modo eos poſſe ſuperari: ſin aliter ſe habeant, facile vincendos. Ad hæc Holofernes ferox multis victoriis, nihil ſibi invictum ratus, ira accenſus cur ex peccato potiſſimum Judæorum pendere illius victoria putaretur, propelli Achior in caſtra
25 Hebræorum jubet, ut cum his periret, quos vinci non poſſe affirmaverat. ac tum Judæi montes petiverant: ita, quibus id negotii datum, ima montium ſucceſſere, ibique vinctum Achior reliquerunt. Quod ubi Judæi animadverterunt, exemtum vinculis in collem perducunt. cauſſas rei quærentibus, geſta

7 *ob peccata vel crimina*) *Vel* pro &, quod frequens in ſcriptoribus mediæ & infimæ latinitatis.

8 *ſervitio nuper exemtis*) Inducit ipſe Severus Judæos eo pacto orantes, ex præconcepta, ut vidimus, opinione, qua hæc poſt captivitatem Babylonicam facta putavit. Sane in Judith libro nihil hujuſmodi habetur.

9 *Moabitis*) Druſius: *Deſideratur* & Ammonitis, *vel ſi mavis* & filiis Ammon: *nam Achior de quo mox, Dux erat filiorum Ammon.*

12 *Achior quidam*) Antea heic & infra erat *Accitor*, manifeſto mendo pro *Achior*, ut in græcis & latinis libris vocatur.

16 *floruiſſe, aut concidiſſe*) *Aut* deſideratur in Lipſienſi editione, habetur in ceteris fere omnibus.

19 *coercentur*) Vorſtius: *Legendum putem* coercerentur: *præcedunt enim mera temporis præteriti verba*. Non aſſentior.

23 *ira accenſus cur*) *Cur* pro *quod*: ſimilia exempla ſupra protulimus.

24 *in caſtra Hebræorum*) Scilicet Bethuliam, ut diſerte dicitur Judith VI. 10.

26 *Judæi montes petiverant*) Melius Judith IV. 3. *præoccupaverant omnes vertices montium*: adde cap. V. 1.

28 *animadverterunt*) Ita MS. & antiquæ editiones: recentiores, ut Hornii & Vorſtii, *animadvertunt*.

ſta exponit, receptuſque parem exitum opperiebatur. is poſt victoriam circumciſus, Judæus factus eſt. Igitur Holofernes difficultate locorum comperta, quia adiri præcelſa non poterant, montes militibus circumdat, & ſumma cura Hebræos aquationibus prohibet: eoque maturius obſidionem ſenſere. Itaque victi penuria aquæ, ad Oziam principem concurrunt pro- 5
ni omnes ad deditionem. ille vero opperiendum paullifper, & divinum auxilium exſpectandum reſpondens, quinto *decimo* die
XIV deditionis tempus conſtituit. Quod ubi Judith compertum (quæ viro vidua, prædives opibus, inſignis ſpecie, ſed moribus quam 10
vultu illuſtrior, tum in caſtris erat) artis ſuorum rebus etiam certo ſibi exitio audendum aliquid & tentandum rata, caput comit, vultu expolitur, comite ancilla caſtra hoſtium ingreditur: ſtatimque ad Holofernem deducta perditas res ſuorum memorat, ſe transfugio vitæ conſuluiſſe. deinde a duce po- 15
ſcit liberum extra caſtra nocturno tempore egreſſum orandi gratia. mandatum id vigilibus, portarumque cuſtodibus. Sed ubi per triduum egrediendi ac redeundi conſuetudinem ſibi, barbaris fidem fecit, Holofernem cupido inceſſit dediticiæ corpore abuti. etenim forma excellenti Perſam facile permoverat. 20
Ita ad ducis tentorium per Baguam eunuchum deducitur, initoque convivio barbarus multo ſe vino obruit. tum remotis mini-

8 *quinto* decimo *die*) Recte monuit Druſius in Judith libro tum græco, tum latino *quinque* tantum dies præfiniri, ac fortaſſis Severum ſcripſiſſe *quinto demum die*. Favet Druſii conjecturæ illud quod præcedit, *opperiendum paullifper*: tum *ſumma aquæ penuria* vix quinque, ne dum quindecim diebus tolerari poterat. Suſpecta itaque eſt vox *decimo*: quare eam a ceteris diſtinguendam curavimus alia characterum ſpecie, quam Italicam Galli appellant.

11 *tum in caſtris erat*) Scilicet Bethuliæ, ubi erant caſtra Hebræorum: ſic ſupra: *Propelli Achior in caſtra Hebræorum jubet*.

12 *audendum aliquid*, &c.) Sic ſupra de Eſther: *audendum aliquid pro civibus rata, etiamſi certa peſtis adeſſet*.

13 *comite ancilla*) Vulgata retinuit græcam vocem ἄβραμ, *abram ſuam*.

18 *conſuetudinem ſibi, barbaris fidem fecit*) Giſelinus notat lectionem hanc *perargutam* eſſe *&* *facilem*: contra Vorſtio ſuſpectæ ſunt phraſes illæ, *facere ſibi conſuetudinem*, *facere fidem barbaris*: nam hoc poſtremum eſſet hoc loco pro *facere ut barbari crederent*, cum ſignificet potius *facere ut barbaris crederetur*: quare legendum eſſe vellet, *egrediendi ac redeundi conſuetudine ſibi apud barbaros fidem fecit*. Idem & nos ſentimus; noluimus tamen Vorſtium ſua laude fraudare.

19 *corpore abuti*) Druſius: *Mulier abutendi*; *Sed abſque cauſſa*, ſubdit Hornius, cui ſuffragatur & Vorſtius, ſimilia ex aliis ſcriptoribus exempla producens.

21 *deducitur*) Antea erat *deducunt*, quod emendandum plures monuerant, quibus accedit demum MS. libri auctoritas.

21 *initoque convivio*) Fœdum antea in his verbis mendum cubabat, a nemine tamen animadverſum: omnes enim libri habent *initioque convivii*: de qua ſane circumſtantia nec liber Judith meminit; nec, ſi Severus meminiſſe vellet, de eo convivio in anteceſſum mentionem facere prætermiſiſſet. minime itaque dubito quin ſcripſerit *initoque convivio*. At, inquies, nonne iſthoc divinare eſt, nullo producto codice qui ita habeat? Minime gentium: nam in rebus per ſe manifeſtis teſtes ſi deſint, nec neceſſarii ſunt.

miniſtris, priuſquam vim mulieri inferret, ſomno captus eſt. Judith tempore arrepto caput hoſtis deſecat, ſecumque aufert: & cum ſecundum conſuetudinem caſtris egredi crederetur, incolumis ad ſuos regreſſa eſt. Poſtero die Hebræi caput Holofernis de ſuperioribus oſtentantes, eruptione facta ad caſtra hoſtium pergunt. Tum vero barbari ſignum pugnæ poſcentes, tabernaculum ducis frequentes aſſiſtunt. ubi truncum corpus repertum, fœda formidine in fugam verſi terga hoſtibus præbuerunt. Judæi fugientes perſecuti, cæſiſque multis millibus, caſtris ac præda potiti. Judith ſummis laudibus celebrata, centum & quinque annos vixiſſe traditur. Hæc ſi Ocho rege, ut opinamur, geſta ſunt, anno imperii ejus duodecimo; a tempore Hieroſolymæ reſtitutæ uſque in id bellum fuerunt anni duo & viginti. Ceterum Ochus viginti & tres annos regnavit. fuit autem ultra omnes cruentus, & pluſquam barbaro animo. hunc Bagua ſpado ægrotantem venenis ſuſtulit. Poſt eum Arſes filius

4 *incolumis ad ſuos regreſſa*) In MS. deeſt *ad ſuos*: ſed nullo pacto omitti debet.

11 *centum & quinque annos vixiſſe t.*) Ex vulgato textu Judith XVI. 28. quidam arguunt centum & quinque annos numerandos ab obitu viri: quod tamen magnam parit difficultatem. Sed apertius in græco textu ibidem habetur: *Et ſenuit in domo viri ſui, annos centum quinque*, ſcilicet, nata.

11 *Hæc ſi Ocho rege*) *Si*, quod in omnibus libris editis deſiderabatur, ſupplevimus ex MS., nam ſequentium verborum ſeriem optime inter ſe connectit. Sane ex defectu ejus voculæ vulgati libri novam ſententiam ordiuntur a verbis illis *a tempore Hier. reſtitutæ*.

12 *anno imperii ejus duodecimo*) Immo anno decimo tertio, ut habetur Judith II. 1.; nam anno ſuperiore victus fuerat Arphaxad, ut habetur cap. I. 5. At ibidem in græcis libris annus Nabuchodonoſori *decimus ſeptimus* exprimitur, in priori autem loco, ſeu initio capitis ſecundi, *annus decimus octavus*: quæ tamen pugnare videntur cum iis quæ initio libri in iiſdem græcis codicibus habentur. ſic enim incipiunt: *Anno duodecimo regni Nabuchodonoſor, qui regnavit in Aſſyrios in Ninive civitate magna in diebus Arphaxad*, & cetera, ut in Vulgata. Aut itaque in latina verſione quam præ manibus habuit Severus, non erat ille anachroniſmus qui in græcis reperitur; vel ipſe attendit tantum ad libri initium, in quo *annus duodecimus* expreſſus eſt. Ceterum omnes norunt græcum & ſyriacum textum hujus libri Iudith multum diſcrepare a latino quem præ manibus habemus, & debemus Hieronymo: nam hic novam ex chaldaico fonte verſionem adornavit, *magis ſenſum e ſenſu, quam ex verbo verbum transferens*, ut ipſe ſcribit in Præfatione: quæ tamen verſio præ ceteris pura & emendata jure habetur ab omnibus.

13 *anni duo & viginti*) Supra in notis ad pag. 123. monuimus omnino probabile eſſe ac pæne manifeſtum, Severum hoc loco ſcripſiſſe *anni duo & quadraginta*.

14 *viginti & tres annos*) Conjunctio & deeſt in pleriſque recentioribus editionibus, habetur tamen in antiquis. Ceterum huic annos tantum unum & viginti tribuit canon Ptolemæi, Euſebius viginti ſex: noſter Diodorum auctorem habet, lib. XV.

16 *Arſes f. e. triennio*) *Arſes* ſcribunt tum græci tum latini, non *Arxes*, quod in Severo mendoſe antea legebatur. Porro huic Diodorus triennium

XVII lius ejus triennio imperium tenuit: Darius annos quatuor. Adversum hunc Alexander Macedo acie conflixit. eo victo, Persis imperium ademtum, quod ab initio Cyri steterat annos ducentos & quinquaginta. Alexander, victor fere omnium gentium, adiisse Hierosolymæ templum dicitur, ac dona intulisse: edixitque per omne imperium quod sui juris effecerat, ut Judæis ibidem degentibus liberum esset in patriam reverti. exacto duodecimo imperii anno, septimo postea quam Darium devicerat, apud Babyloniam 5

enninm itidem regni assignat, nec tamen integrum, quem sequitur & Clemens Alexandrinus; canon Ptolemæi biennium tantum, Eusebius contra quadriennium.

1 *Darius annos quatuor*) Ne in hoc quidem consentiunt scriptores: nam quatuor canon Ptolemæi, Eusebius sex, alii septem Dario huic annos adsignant.

2 *acie conflixit*) Semel ad Issum in Cilicia, iterum in Arbelis apud Gangamala: sed & antea Persarum exercitum apud Granicum flumen Mysiæ fuderat. Severus tamen heic ultimam pugnam designat, post quam annos septem Alexandrum regnasse infra tradit.

3 *annos ducentos & quinquaginta*) Canon regum Persarum juxta Severi calculum hic est.

Cyrus *ann.*	35.	*mens.*
Cambyses	9.	
Magi	—	7.
Darius Hystaspis	36.	
Xerxes I.	21.	
Artaxerxes I.	41.	
Xerxes II.	—	2.
Sogdianus	—	7.
Darius Ochus	19.	
Artaxerxes II.	62.	
Ochus	23.	
Arses	3.	
Darius	4.	
Summa ann.	250.	*mens.* 4

Ita Severus noster; qua de re confer quæ supra notavimus. Alii tamen aliter durationem imperii Persarum definiunt. nam sunt qui tantum annos cc., sunt qui ccxxx., sunt itidem qui ccxxv. numerant; Pridæus ccix.

4 *adiisse Hierosolymæ templum dicitur*) Hæc fusius a Josepho narrantur, quem Eusebius in Chronico, & Hieronymus Comm. in Dan. xi. sequuti sunt, & passim pro veris habentur. Sed a nonnullis in dubium vocantur, quibus incredibile sit veteres historicos, qui Alexandri res gestas scriptis mandarunt, de his nihil habere: siquidem statim ab expugnatione Tyri ad Gazæ obsidionem, eaque civitate post duos menses capta, recta in Ægyptum profectum scribunt. Et tamen, si vera sunt quæ Josephus interserit, vel post Gazam captam, ut ipse vult, vel potius, ut probabilius videtur Usserio & Pridæo, in itinere a Tyro ad Gazam contigerunt. Severus ipse, quia hæc in Scripturis sacris non invenit, non omnino certa habuisse videtur.

7 *in patriam reverti*) Quod Alexander concessit Judæis ex Josepho, est ut patriis legibus vivere eis liceret, & septimo quoque anno a tributis immunes essent. Ipsis reverti in patriam jam Persarum seges liberum fecerant.

7 *exacto duodecimo imperii anno*) Ita Macbab. 1. 8., Eratosthenes apud Clementem Alexandrinum Strom. 1., Tertullianus contra Judæos, & plerique alii, a quibus non multum dissidet Eusebius, qui annos duodecim cum dimidio computat.

8 *septimo postea quam Darium d.*) Contra Eusebius anno septimo regni Alexandri Darii mortem consignat: nimirum, quia noster Dario quatuor annos, Eusebius sex tribuit, necessario discrimen hoc emergit. Canon Ptolemæi ab utrisque recedit, sed maxime ab Eusebio, dum annos octo imperio Alexandri tribuit, quos quidem ab Ægypto occupata numerare debuit; reipsa tamen cum Severo facit: nam pugna in Arbelis, a qua iste computat, anno proxime sequuto pugnata fuit.

8 *apud Babyloniam*) Scilicet *Babylone*: exempla passim occurrunt in hoc

Digitized by Google

niam defunctus est. regnum amici ejus, qui simul cum illo maxima illa bella gesserant, partiti sunt. Inde aliquanto tempore sine usurpatione regali susceptas partes procuraverunt, Ariddæo quodam Philippo Alexandri fratre regnante: cui perimbecillo, 5 verbo datum imperium videbatur, re autem penes eos erat qui

hoc & aliis ejus ævi scriptoribus, de quo alibi diximus. Sic in Chronico Eusebii, ex editione Scaligeri, habetur itidem de Alexandro: *moritur apud Babylonem*.

1 *amici ejus*) Vorstius: Amicos *vocat primarios ministros & duces Alexandri, idque imitatione optimorum quorumque latinitatis auctorum*. *Nepos* XVIII. 2. 4. &c.

2 *partiti sunt*) I. Machab. 1. dicitur ipsum Alexandrum, *dum adhuc viveret*, divisisse ducibus suis regnum, quod tamen oppugnari videtur ab omnibus historicis, ne dum a Severo. Non desunt tamen qui ejus distributionis ab Alexandro factæ meminerint, ut Q. Curtius lib. X. *Credidere quidam testamento Alexandri distributas esse provincias: sed famam ejus rei, quamquam ab auctoribus tradita est, novam fuisse comperimus*: & Diodorus lib. XX. refert scriptum ab Alexandro, & in urbe Rhodo relictum testamentum, quo imperium distribuebatur: *τὴν ὑπὲρ ὅλης τῆς βασιλείας διαθήκην*.

2 *sine usurpatione regali*) Appianus in Syriacis: *Amici Alexandri gentes subactas diviserunt in Satrapias, Perdicca divisore, ex auctoritate Philippi: nec multo post mortuis regibus regnarunt ipsi Satrapæ*. Reges quos memorat, fuerunt duo; Ariddæus Philippus, & Alexander Ægus: ille Alexandri frater, hic filius ex Roxane; qui quidem quatuordecim annos natus, ex quibus septem priores una cum Ariddæo nomen regis gesserat, occisus cum matre fuit Cassandri opera.

3 *Ariddæo quodam Philippo*) Antea editum erat *Arrideo*, mendose. *Philippus* autem dictus fuit, quum regium nomen ipsi est delatum. Appianus: *μετονομάσαντες δὲ φίλιππον ἀντὶ ἀριδδαίου*.

4 *cui perimbecillo, verbo d. i.*) Malc Drusius *perimbecillo* junxit cum *verbo*: *Nihil*, inquit, *præter nomen habebat, quod Sulpicius appellat* imbecillum verbum. quod notarunt etiam Hornius & Vorstius. Vox itaque *perimbecillo* construenda est cum *cui*, & referenda ad Ariddæum, de quo apud Justinum lib. XIII. *Ptolemæus recusat regem Ariddæum, non propter maternas modo sordes, quod ex Larissæo scorto nasceretur, sed etiam propter invaletudinem majorem quam patiebatur: ne ille nomen regis, alius imperium teneret*. Quænam autem esset hæc imbecillitas & *invaletudo major*, explicat Appianus: *Ariddæus amore stirpis Philippi electus fuit, quamvis mentis, ut putabatur, non satis compos esset*: *καίπερ οὐκ ἔμφρονα νομιζόμενον εἶναι*. nisi potius morbus comitialis est intelligendus, qui a Festo & Celso *morbus major* dicitur. Idem Vorstius merito rejecit conjecturam, quæ in editione Amstelodamensi indicatur, nimirum de voce *viro* pro *verbo* substituenda. Denique observat *videbatur* heic positum pro *erat*, ut alibi, scilicet cap. VII. lib. 2. *de qua ipse oriundus videbatur*; ad quem locum similia exempla notaverat ex Justino & Cicerone.

5 *re autem* &c.) Antea erat *res autem*, sed mendose: nam sicuti apud Ariddæum *verbo* imperium fuisse dictum est, ita statim subditur *re* illud fuisse apud præfectos. En simillimum exemplum ex Nepote in Phocione cap. III. *Caussam apud Philippum regem* (is est ipse, de quo heic sermo est, Alexandri frater) *verbo, re ipsa quidem apud Polyperchontem jussus est dicere: namque is eum regis rebus præerat*. Sic Cicero Verr. III. 58. *Cum hoc verbo & simulatione Apronio, re vera tibi objectum esset*. Sed hujusmodi locutionis exempla & apud Ciceronem & apud alios passim obvia sunt.

qui sibi exercitum & provincias distribuerant. nec vero hic rerum status diu mansit, omnesque se reges appellari maluerunt. Primus in Syria post Alexandrum Seleucus rex fuit, subjecta eidem Perside ac Babylone. qua tempestate Judæi annuum stipendium talenta regi trecenta argenti dabant: nec tamen per externos magistra- 5

XV.

2 *omnesque se reges appellari m.*) Primus in Asia Antigonos, victo Ptolemæo, ab exercitu rex appellatus est, decem & octo fere annis a morte Alexandri: mox etiam Ægyptii regem appellarunt Ptolemæum. Lysimachos, Cassander, Seleucus horum exemplo idem faciunt. Sed quinquennio post occiso Antigono, ceteri Alexandri imperium in quatuor partes dividunt, & se invicem reges agnoscunt. quo tempore prophetia Danielis completa fuit, quæ habetur cap. VIII. 8. & 22.

3 *Primus in Syria post Alexandrum Seleucus rex fuit*) Non ita est: nam initio Syria paruit Ptolemæis regibus Ægypti. quin immo ante Ptolemæos, statim a morte Alexandri Judæa cum Syria & Phœnice obtigerat Laomedonti Mitylenæo, uni ex ducibus Alexandri, quem triennio post vicit Ptolemæus Lagi filius, Soter postea dictus, & omnes illas regiones occupavit: qua occasione Hierusalem obsessa & capta fuit die Sabbati, cessantibus religionis caussa a propugnatione Judæis, quorum ille magnum numerum captivos in Ægyptum abduxit. Sed paucis post annis provinciæ illæ in Antigoni potestatem venerunt pulso Ptolemæo, qui rursus easdem ex Antigoni manibus extorsit. Sublato denique Antigono, paruit Cœlesyria & Judæa Ptolemæo, ejusque successoribus Ptolemæo Philadelpho, tum Ptolemæo Evergeti, denique Ptolemæo Philopatori, quo tempore in Syria regnarunt Seleucus Nicator, Antiochus Soter, Antiochus Theus, Seleucus Callinicus, Seleucus Ceraunus, & Antiochus cognomento Magnus, qui demum Ptolemæo Philopatori Judæam & finitimas regiones eripuit; sed prælio victus statim restituit. Postea Philopatore mortuo, rursus Antiochus Magnus Cœlesyriam invasit, qui Scopa duce a Ptolemæo Epiphane pellitur; sed victo post Scopa, Cœlesyria & Judæa in Antiochi ejusdem rursum reciderunt potestatem. Demum has provincias idem Antiochus Ptolemæo Epiphani, cui nupsit Cleopatra ejus filia, dotis nomine cessit, reservato tamen sibi dimidio tributorum: eaque occasione contigeriot quæ Josephus refert Ant. lib. XII. 4. Verum Seleucus ex Ptolemæi Philometoris manibus extorsisse videtur, cum ex I. Machab. & ex Josepho, in libro de Machabæis, constet Seleucum postremis regni sui annis dominium in eas exercuisse regiones. Hæc ex Josepho & aliis delibare placuit, ut historiæ a Severo perstrictim ac obscure nimis pertractatæ lux clarior affulgeret.

4 *qua tempestate Judæi annuum stipendium*, &c.) Stipendium Ptolemæis pensitarunt Judæi, quoad ipsis paruerunt. Quum medietas tantum tributorum ad Ptolemæum Epiphanem spectabat, ut superiori nota attigimus; hæc ad viginti talenta fuisse videtur, quantum ex Josephi lib. XII. cap. III. vel IV. colligitur: unde etiam constat octo millia talentorum solita fuisse regi Ægyptio pendi pro tota Samaria, Cœlesyria, Judæa & Phœnicia. Quod itaque Severus *trecenta argenti talenta*, & eo amplius a Judæis in annuum stipendium tributa scribit (quod iterum cap. XX. refricat) hausit procul dubio ex I. Machab. XI. 28. & II. Machab. IV. 8. & 23. Sed priori saltem in loco non agi videtur de annua præstatione: in sequentibus agitur de immodicis pecuniæ summis promissis ab iis qui summum sacerdotium affectabant, quasque præstare re ipsa non valuerunt. Sed hæc ad posteriora tempora spectant.

5 *per externos magistratus*) Omnes fere editores monuerunt ita legendum esse, non *per ternos magistratus*,

giſtratus, ſed per Sacerdotes ſuos regebantur, patrioque ritu vivebant; donec plerique eorum longa rurſum pace corrupti, miſcere omnia ſeditionibus & turbare cœperunt, affectantes ſummum ſacerdotium libidine, avaritia & dominandi cupidine. Namque XVIII.
5 primum ſub rege Seleuco Antiochi magni filio Oniam Sacerdotem, virum ſanctum atque integrum, Simon quidam falſis apud regem criminibus inſimulatum, *exquirere* nequiverat. Interjecto deinde tempore Jaſon frater Oniæ Antiochum regem, qui Seleuco fratri ſucceſſerat, adiit augmentum ſtipen-
10 dii pollicens, ſi ſibi ſummum ſacerdotium traderetur. & quamquam inſolitum neque ante permiſſum cuiquam erat perpetuo Sacerdotio perſungi, ſollicitus tamen regis animus atque æger avari-

ſtratus, quod hactenus in textu relictum fuit, licet manifeſtiſſimum & fœdiſſimum mendum eſſet.

2 *longa rurſum pace*) Quam ferme non interruptam agitarunt ſub primis quatuor Ptolemæis: nam quæ ſequuntur, ſpectant ad annum fere centeſimum quinquageſimum a morte Alexandri.

3 *turbare cœperunt*) Ita libri omnes impreſſi, præter unum Lipſienſem, qui habet *cœperant*.

5 *ſub rege Seleuco*) Hiſtoria habetur II. Machab. III. & apud Joſephum in libro quem de Machabæis ſcripſit, ſive *de Imperio rationis*.

7 exquirere *nequiverat*) Giſelinus conjecit legendum eſſe *excutere*, Sigonius *exſtinguere*, Druſius *vincere* (quia νικῆσαι in ſacro textu habetur) Clericus denique *extrudere*; quod aptius huic loco videtur: nam in ea ſententia fuiſſe Severum ex præcedentibus apparet, ut Simon Sacerdotium ſibi vindicare tentaverit, quod etiam Hieronymus in Chronico expreſſit ex Euſebii verbis, quæ apud Syncellum pag. 276. habentur. Nihil ſane hujuſmodi legitur II. Machab. III.; quin immo, quum hic ibi dicatur ex tribu Beniamin fuiſſe, argumentum hinc validiſſimum, ut putant, aliqui ſumunt, ut Pontificatus ab eo affectati crimen amoliantur. ſed quantum id valeat, infra videbimus. Nunc ſatis ſit obſervaſſe, jam tum eum *Præpoſitum templi* fuiſſe: quæ ſane dignitas, cuicuimodi fuerit, ad Levitam potius ſpectare debuit: hæc porro dignitas, utpote proxima ſummo ſacerdotio, viam quamdam, amoto Onia, ad illud ſternebat Simoni.

7 *Interjecto deinde tempore*) Quæ ſupra retulit de Simone, circa finem regni Seleuci facta ſunt: quæ hic ſequuntur, ſpectant ad initium Antiochi fratris & ſucceſſoris Seleuci. exiguum itaque temporis ſpatium interceſſit.

8 *Jaſon frater Oniæ*) Joſephus Ant. XII. 6. refert verum & hebræum nomen hujus viri fuiſſe *Jeſus*, ſed ut ad Græcorum mores uſquequaque ſe formaret, mutavit & nomen: quod & alii ex illa gente fecerunt.

9 *augmentum ſtipendii pollicens*) Hæc referuntur ad præcedentia, *trecenta argenti talenta*: vide itaque quæ ibidem notavimus. Porro Joſephus, in libro de Machabæis, hoc ſtipendium fuiſſe dicit annua talenta *tria millia ſexcenta*; ſed ex II. Machabæorum IV. 8. fuerunt *argenti talenta trecenta ſexaginta, & ex redditibus aliis talenta octoginta*: Syncellus tamen, ſeu Euſebius, ſeu mavis Africanus, qui in margine paullo ante citatur a Syncello pag. 276., paullo aliter hunc locum in ſuis Chronicis retulerunt; nimirum Jaſonem promiſiſſe regi Antiocho talenta CCCLX. εἰ τὴν ἀρχιερωσύνην λάβοι, *ſi modo Pontificatum obtineret*, tum *ſexaginta alia annui redditus*, καὶ ξ' ἄλλα προσόδου: ubi græcus Machabæorum textus habet, καὶ προσόδου τινὸς ἄλλης τάλαντα ὀγδοήκοντα, *& ex alio quodam redditu talenta octoginta*.

11 *perpetuo Sacerdotio perſungi*) Sigonius, Druſius, Vorſtius legendum putant, *non perpetuo Sacerdotio perſungi*, vel *perpetuo S. non fungi*. *Quippe*, ait Vorſtius, *non permiſſum tantum, ſed omnino moris fuit Sacerdotio*

avaritia facile superatus est. ita depulso Onia, Jasoni Sacerdotium est mandatum. Is fœde admodum cives patriamque laceravit. Dein quum per Menelaum quemdam, Simonis illius fratrem, promissam regi pecuniam misisset; patefacta semel ambitioni via, iisdem artibus quibus Jason prius, Menelaus quoque Sacerdotium obtinuerat. Nec multo post, quum is promissum argenti modum non reddidisset, loco pellitur: Lysimachus substitui- 5

dotio fungi perpetuo. Sed fortasse locus integer est, & hanc habet sententiam: *numquam antea permissum fuisse, ut quisquam usurparet Sacerdotium, quod erat perpetuum & hereditarium*. Sane si negationem apponas, sensus fit admodum obscurus & implexus. quid enim est, cum dicere vellet Severus, *insolitum neque antea permissum cuiquam* summum Hebræorum Pontificem Sacerdotio spoliare; contra eum inducere dicentem *nulli permissum non fungi Sacerdotio perpetuo*? Quorum sane verborum hæc germana sententia est, *nemini permissum sponte se abdicare Sacerdotio*: quod ad rem de qua agitur, minime facit. Josephus XV. 3. hunc Antiochi conatum attingens, hæc præfatur: *οὐ γὰρ ἄλλος γέ τις ἀφῃρέθη τὴν τιμὴν, ἅπαξ παραλαβών*: *nemo enim ea dignitate spoliatus fuit, quum semel eam obtinuisset*. Pro *sollicitus* f. *sollicitatus*.

1 *ita depulso Onia*) Joseph Ant. XII. 6. scribit defuncto Onia Pontifice, fratri ejus Jesu Sacerdotium collatum, eo quod Oniæ filius parvulus esset: sed lib. XV. & in lib. de Machabæis suum ipse errorem tacite corrigit.

2 *Sacerdotium est mandatum*) In MS. deest *est*. Sic paullo infra *quum promissum auri pondus*, omisso pariter *is*.

3 *Menelaum quemdam, Simonis illius fratrem*) Ita nimirum habetur II. Machab. IV. 24. Sed Josephus Ant. XII. 6. fratrem Oniæ & Jasonis, & quidem ex tribus Simonis Pontificis filiis natu minimum, facit hunc Menelaum, quem Oniam antea dictum addit. Sane, quum Simon ille impius, de quo antea facta est mentio, de tribu Benjamin, non ex tribu Levi fuerit, ad quam tantum Sacerdotium spectabat; difficile fit hunc Menelaum fratrem ejus fuisse, qui pontificatum obtinuit. qua ratione moti nonnulli Josephi testimonium potius habent: sed ii sunt qui Machabæorum libros a canone Scripturarum excludunt, seque ipsos ab Ecclesiæ Catholicæ auctoritate eximunt. Fuerit itaque Menelaus hic ex tribu Benjamin, ut aperte ex II. Machab. colligitur. neque enim mirum, si Benjamitæ vendidit Sacerdotium Antiochus ille qui Judæorum gentem & religionem pessime habuit, redemit autem is qui jam per summum scelus a patriis legibus sub Jasone, ex cujus intimis erat, ad gentilium ritus desciverat, quique non Sacerdotii munus & sanctimoniam, sed auctoritatem tantum & potestatem præ oculis habebat: erant enim jam tum summi Sacerdotes Hebræorum totius gentis arbitri & moderatores.

6 *Sacerdotium obtinuerat*) Sigonius legendum voluit *obtinuit*, cui adstipulatur Drusius: iidem paullo infra *occœperat* in *occœpit* mutare debuissent. alibi tamen Severus scribit ad eumdem modum.

7 *loco pellitur: Lysimachus substituitur*) Ita nimirum habetur in latina versione II. Machab. IV. 29. & apud Syncellum pag. 277. Seldenus tamen, Pridæus & alii ex græco textu aliam eliciunt sententiam, nimirum nec Menelaum *loco motum*, nec Lysimachum ei *substitutum*, sed hunc ab illo relictum, dum ad regem ad caussam dicendam proficisceretur, ut vices suas interim gereret: ea enim esse græci textus vis potest, *ἀπέλιπε τῆς ἀρχιερωσύνης διάδοχον*: ubi nihil habetur quod respondeat verbis quæ in Vulgata habentur, *amotus est a Sacerdotio*. Sic ubi legitur *Sostratus autem prælatus est Cypriis*, græce est, *Sostratus autem* reliquit sibi substitutum *Cratetem, qui prælatus est Cypriis*. Quæ sequuntur in libro Machabæorum, idem suadent: neque enim Lysimachus, si Pontifex crea-

ftituitur. inde inter Jafonem & Menelaum fœda fuere certamina, donec Jafon profugus patria, exceffit. His initiis corruptis moribus eo ufque proceffum, ut plerique popularium ab Antiocho pofcerent, permitti fibi more gentilium vivere. quod 5 quum rex petentibus annuiffet, certatim peffimus quifque delubra exftruere, idolis fupplicare, legem profanare occœperat. Interea Antiochus rediens ab Alexandria (namque tum bellum regi Ægyptio intulerat, quod juffu fenatus & populi Romani depofuit, Paullo & Craffo confulibus) Hierofolymam adiit. 10 cum difcordantem fuperftitionibus fufceptis populum reperiffet, legem Dei deftruens, & his favens qui impia fequebantur, omnia templi ornamenta detraxit, ac multa cæde vaftavit. Id geftum ab exceffu Alexandri anno centefimo uno & quinquagefi-

creatus fuiffet, fratris conatus & rapinas adjuvaffet. denique prope finem illius capitis aperte dicitur Menelaum abfolutum *permanfiffe in poteftate*, feu in dignitate fua, ἔμεινεν ἐπὶ τῆς ἀρχῆς. Ceterum dum Lyfimachus ifte frater dicitur Menelai, rurfus impingit Jofephus, qui cum Menelao duos tantum fratres attribuat, Oniam fcilicet & Jafonem, de Lyfimacho ne verbum quidem habet: quem tamen non omififfet, fi vere fummus Pontifex fuiffet. Vide eumdem capite XV., ubi Menelai mortem refert *poft exactum in Pontificatu decennium*.

1 *inter Jafonem & Menelaum*) Menelao fcilicet Hierofolymæ Pontificatum adminiftrante, Jafone in exfilium pulfo. Hæc habentur fufe defcripta II. Machab. IV. & feq.

2 *profugus patria, exceffit*) Non *patria exceffit*, fed *profugus patria, exceffit* e vita. Refpicit ad ea quæ habentur II. Machab. V. 9. *peregre periit*, ἐπὶ ξένης ἀπώλετο.

4 *more gentilium vivere*) Primus Jafon jam ab initio regni Antiochi Epiphanis obtinuerat a rege, ut gymnafium Hierofolymis exftrueret, & ad gentium ritus Hebræos traduceret. ejus veftigiis inftitit deinde Menelaus, qui poft triennium ejus dignitatem occupavit.

7 *bellum regi Ægyptio intulerat*) Bellum illud exarferat jam ab anno tertio Antiochi, & octavo demum a Romanis exftinctum fuit.

10 *cum difcordantem* &c.) Aliam cauffam affignare videtur auctor II. Machab. V. 11., fcilicet fufpicionem rebellionis: διέλαβεν ἀποστατεῖν τὴν Ἰουδαίαν: quæ verba in latina verfione noftra antiquiffima, qua ufus & Severus, paullo diverfam fignificationem habere videntur, quam fortaffe exprimere voluit Severus: *Sufpicatus eft rex focietatem deferturos Judæos*.

11 *omnia templi ornamenta detraxit*) Monet Vorftius legendum fortaffe *templo*.

12 *ac multa cæde vaftavit*) Drufius, approbante Vorftio, conjecit excidiffe vocem *urbem*, ad quam τὸ *vaftavit* referatur.

13 *anno centefimo uno & quinquagefimo*) I. Machab. I. II. dicitur regnare cœpiffe Antiochus *anno centefimo trigefimo feptimo regni Græcorum*; cui numero fi addas novem annos, qui a morte Alexandri ad initium regni Seleuci a Severo infra recenfentur, itemque quinque annos Antiochi Epiphanis, de quo fermo eft; exfurgit fumma prædicta annorum CLI. Ibidem verf. 21. dicitur templum fpoliatum anno CXLIII., fcilicet regni Græcorum: itaque non anno quinto Antiochi, fed fexto id factum fuit, qui juxta Severum fuerit CLII. a morte Alexandri. Sane ipfe femel & iterum dicens, *poft quinquennium quam regnare cœperat* Antiochus, urbem vaftatam, defignare videtur annum CLII., non eum qui præcefferat. Idem tamen, cum feriem annorum cujufque regis texit, annum unum vel duos addit: nam fumma eft annorum CLIII. feu CLIV.

Digitized by Google

gesimo, Paullo, ut diximus, Crassoque consulibus, post quinquennium fere quam Antiochus regnare cœperat. Sed ut temporum ordo consertus sit, ac liqueat evidentius, quis hic fuerit Antiochus; regum qui post Alexandrum in Syria fuerunt, & nomina & tempora enumerabimus. Defuncto, ut supra retulimus, rege Alexandro, ab amicis ejus regnum omne divisum, ac regio nomine aliquamdiu administratum est. Seleucus post novem annos in Syria rex est appellatus, regnavitque annos duos & triginta. post eum Antiochus filius ejus, annos unum de viginti. inde Antiochus, Antiochi filius, qui & Thæus cognominatus est, annos quindecim. post hunc Seleucus filius, cognomine Callinicus, annos unum & viginti. item Seleucus, filius Callinici, annos tres. Hoc defuncto Antiochus frater *Cal-*

XIX

5

10

1 *Paullo, ut diximus, Crassoque Coss.*) Verum quidem est his Coss. pacem inter Antiochum & Ptolemæos a Romanis conciliatam: sed quæ hic refert Severus, Josephum fortasse secutus Ant. XII. 7., biennio ante contigerunt, cum ex Ægypto reverteretur Antiochus, tota fere illa regione præter Alexandriam occupata. Josephus citato loco binas Jerosolymæ clades præterea ad unam redigit.

7 *ac regio nomine*) Puta nomine regis Ariddæi Philippi, de quo supra. sed magis placeret *ac sine regio nomine*, sicuti antea de iisdem dixerat, *ac sine usurpatione regali susceptas partes procuraverunt*. secus dicendum fuisset *ac Ariddæi Philippi nomine*, quoniam hujus multo ante meminerat. Favent conjecturæ, quæ præcedunt & sequuntur.

7 *Seleucus post novem annos*) Statuere profecto voluit his verbis initium æræ Seleucidarum, a Seleuco hoc ita dictæ, quam in libris Machabæorum sub appellatione regni Græcorum indicaram vidimus. Sed ejus initium ab obitu Alexandri annis fere duodecim, non novem posterior est, ut ab Eusebio & aliis pari consensu statuitur. Agit de hoc argumento plenissime Cardinalis Norisius in opere de Epochis Syro-Macedonum, Dissertatione potissimum secunda.

8 *in Syria rex est appellatus*) Fallitur Severus, ut etiam antea monuimus: nam Babylone primum Epocha Seleucidarum originem habuit, ex quo tempore Seleucus provinciam illam recuperavit, quamvis nondum regium nomen aut diadema usurparet. Syriam autem tunc temporis Antigonus adhuc tenebat, cujus Seleucus superiorem partem (nam de inferiori supra diximus) nonnisi undecimum post annum a Babylone recuperata obtinuit. Josephus ipse Ant. XII. initio capitis septimi, in hunc impegit lapidem, itemque nonnulli ex recentioribus, ut observat Norisius Diss. II. cap. 6.

8 *annos duos & triginta*) Aliqui triginta tres numerant, ut Syncellus, & ex recentioribus Pridæus, &c.

10 *qui & Thæus*) In prima editione erat *qui Etthæas*; sed Giselinus aliique post secuti separatim *qui & Thæas* edendum curarunt, præter unum Vorstium, qui primam editionem, licet apertissime mendosam, sequi maluit. *Thæus* autem, sive *Theos*, Θεός, dictus primum hic rex fuit impia & stulta adulatione Milesiorum, eo quod Timarchum ipsorum tyrannum occidisset.

12 *annos unum & viginti*) Alii viginti tantum huic annos tribuunt.

13 *Antiochus frater* Callinici) Redundat certe *Callinici*: nam Seleucus & Antiochus fratres fuerunt ex omnium consensione; quod Hieronymus Comm. in XI. Danielis 10., paucis versibus ter aut quater inculcat. Expungenda itaque ea vox, quæ a librariis inconsulto ex præcedentibus repetita videtur. Miror autem *Magni* agnomen non apponi huic Antiocho, ut capite superiori & paullo post fit: nam hic erat peculiaris ejus appellationis locus. itaque locum corruptum fuisse a librariis eo magis suspicor.

Digitized by Google

Callinici Aſiam & Syriam tenuit annos ſeptem & triginta. hic eſt Antiochus, adverſus quem Scipio Africani frater bellavit: quo bello victus, & imperii parte multatus eſt. Hic duos filios habuit, Seleucum & Antiochum, quem obſidem Romanis dederat. ita Antiocho magno mortuo, Seleucus ejus filius natu minor regnum adeptus eſt: ſub quo Oniam Sacerdotem a Simone inſimulatum diximus. Tum Antiochus a Romanis dimiſſus, datuſque in locum ejus obſes Demetrius Seleuci regis qui eo tempore regnabat, filius. Seleuco mortuo anno imperii duodecimo, regnum frater Antiochus qui Romæ obſes fuerat, occupavit. Is poſt quinquennium quam regnare cœperat, ut ſupra docuimus, Hieroſolymam depopulatus eſt. etenim grave Romanis ſtipendium penſitans, ipſe immenſis ſumtibus

1 *annos ſeptem & triginta*) Qui tres Seleuco annos dant, huic ſex & triginta tantum tribuunt: contra qui huic triginta ſeptem dant, illi ſolum duos reliquos faciunt. Redundat itaque Severi calculus integro anno.

2 *Scipio Africani frater*) Immo uterque, ille quidem conſul, hic legatus. Vide Juſtinum, Livium & alios. In MS. Vaticano ita legitur hic locus: *adverſum quem ut ſuſcipio Aſiana gens bellavit.* mendoſa quidem, ſed non ſpernenda lectio, ex qua exſculpi facile hæc poſſint: *adverſus quem Scipio Aſiaticus bellavit.* Fuit enim illud cognomen hujus L. Scipionis ab Aſia ſubacta, ut ex Cicerone pro Muræna cap. XIV. & Livio lib. XXXVII. cap. 42., aliis 58. colligitur. Quæ ſi vera lectio eſt, in ſuſpicionem νόθείας cadit quæ in editis legitur. Quidni enim depravata illa lectio, ſeu a primo editore, ſeu ab alio quopiam, ad eum modum ex ingenio ſarcita fuerit? Potuit etiam utraque a Severo eſſe.

3 *imperii parte multatus eſt*) Juſtinus: *Leges pacis dicuntur: ut Aſia Romanis cederet, contentus Syriæ regno eſſet.*

6 *natu minor.*) Immo *major* ex Appiano. alium quidem habuit Antiochus hic filium, natu fortaſſe maximum, Antiochum ſimiliter dictum; ſed is patri præmortuus eſt, ut fuſius hiſtorici, ex quibus Livius lib. XXXV.

7 *Tum Antiochus*, &c.) Seleuco petente, idque ſub finem vitæ ſuæ: nam cum is adhuc in itinere eſſet, Seleucus ab Heliodoro illo, de quo mentio eſt in II. Machab. III., veneno ſublatus fuit.

9 *anno imperii duodecimo*) Aliqui undecim tantum annos huic tribuunt. Severo favet Euſebius.

13 *grave Romanis ſtipendium p.*) Victo a Romanis Antiocho Magno, inter ceteras pacis conditiones pro belli expenſis annuum tributum mille talentorum ei imperatum fuit per annos duodecim, quod temporis ſpatium Seleuco mortuo jam fuerat abſolutum. Verum ſeu hic omnem pecuniam imperatam ſolvendo non fuerit, ſeu Romanis placuerit indictum ad tempus ſtipendium perpetuum facere; conſtat ab Antiocho Seleuci ſucceſſore ſolutum itidem fuiſſe, nec ſemel. Vide Livium lib. XLII. cap. VII. aliis 6. qui locus ad initia Antiochi Epiphanis ſpectat, & II. Machab. VIII. 10., ubi de poſtremis ejus regni annis agitur. Apud Syncellum ex Euſebio, ut arbitror, habemus, Antiochum Magnum fœdus cum Romanis iniiſſe ea lege, ut talenta mille ſingulis annis penderet, & triremes plurimas bellique ſumtum exhiberet. Confer Euſebii Chronicum latinum. ſed potiſſimum attendendus eſt locus ille lib. I. Mach. VIII. 7., ubi dicitur ſtatutum a Romanis Antiocho Magno, *ut daret ipſe, & qui regnarent poſt ipſum, tributum magnum.*

13 *ipſe immenſis ſumtibus*) I. Machab. III. 30. Porro heic aliquid deeſſe videtur, puta *deditus*, vel *obnoxius*, aut aliud hujuſmodi.

tibus pæne neceſſario cogebatur pecunias rapto quærere, neque ullam prædandi occaſionem omittere. Poſt biennium deinde pari rurſum clade affectis Judæis, ne forte frequentibus malis compulſi bellum ſumerent, præſidium arci impoſuit. Inde ſacram legem evertere aggreſſus, mittit edictum, ut omnes relictis majorum ſuorum traditionibus gentilium ritu viverent. nec defuere qui profano imperio volentes parerent. Tum vero, fœdum ſpectaculum! per univerſam urbem palam in plateis diis litabatur: ſacra etiam legis & prophetarum volumina igni cremata. **XX.** Ea tempeſtate Mathathias Joannis filius, ſacerdos erat. hic quum a regiis cogeretur edicto parere, egregia conſtantia profana contemnens, Hebræum publice profanan-

1 *neque ullam prædandi occaſionem o.*) Inſra videbimus quæ contra civitatem & templum Elymaidis, ſed fruſtra tentaverit. Ex Athenæo liquet templa magno numero ab ipſo expilata fuiſſe.

2 *Poſt biennium*) 1. Machab. 1. 30. Hoc eſt tempus illud quo pacem cum Ptolemæis inire a Romanis juſſus fuit, L. Æmilio Paullo & C. Licinio Craſſo Coſſ., anno CXLV. Seleucidarum, ſeu regni Græcorum, ut habetur 1. Machab. 1. 57.

3 *pari rurſus clade*) Miſſo illuc cum exercitu *principe tributorum*, de quo 1. Machab. 1. 30. & ſeqq.

4 *præſidium arci impoſuit*) Arcem hac occaſione exſtructam tradunt ſcriptor lib. 1. Machab. 1. 35. & Joſephus XII. 7. Conſtat tamen ante id tempus arcem Hieroſolymæ fuiſſe militibus Antiochi munitam, ex 2. Machab. IV. 12. & 27., & V. 5. Dubitari itaque poſſit, num eadem ſit, & reſtaurata potius quam recens exſtructa tum fuerit. Quæſtio etiam moveri poteſt, qua parte urbis hæc nova arx fuerit. Joſephus enim, eumque ſecuti ſcriptores plerique, eam locant in colle quodam monti Sion & templo ad Septemtrionalem plagam oppoſito, quem græca voce *Acram* vocitant. Contra 1. Machab. 1. 35. exſtructa dicitur in monte Sion, ubi civitas David: *Et ædificaverunt*, inquit, *civitatem David muro magno .... & facta eſt illis in arcem*, græce εἰς ἄκραν. Verum fortaſſe conciliari hæc poſſunt, ſi ponamus Arcem fuiſſe appendicem quamdam civitatis David, in colle editiore montis Sion exædificatam: qui collis, licet poſtea in planitiem ſub Simone Machabæo redactus fuerit, ne templo immineret; perpetuum tamen & proprium obtinuit *Acræ* nomen, quod arcem ſeu excelſum locum deſignat. Ipſe mons *Moria*, in quo templum, erat alter collis, ſeu appendix montis Sion.

5 *mittit edictum*) Forte *emittit edictum*.

8 *per univerſam urbem*) Legendum omnino *per univerſas urbes* juxta 1. Machab. 1. 57. ubi habetur *per univerſas civitates*. Adde quod ſequens Mathathiæ facinus non Hieroſolymis, ſed in oppido Modin patratum fuit: 1. Machab. 11.

9 *diis litabatur*) MS. non agnoſcit *diis*, quæ vox nec omnino neceſſaria.

9 *legis & prophetarum volumina*) Legem diſtinguit a Prophetis, ut aliquando in Novo Teſtamento, quæ tamen diſtinctio in libris Machabæorum non apparet.

11 *ſacerdos erat*) Scilicet ex ſacerdotum numero, & quidem ex claſſe Joarib, ut dicitur 1. Machab. 11. 1. Seldenus tamen ab Hornio productus vult Sulpicium his verbis Mathathiam Pontificem vocaſſe, quia *eo nomine* Sacerdotis; inquit, *Pontificem ſæpius nominat*. Hæc ſane ſententia fuit quorumdam Hebræorum, nec non Syncelli, quæ nec ipſi Seldeno diſplicuit; ſed a pleriſque exploditur. Vide inter ceteros Petavium Doct. Temp. lib. x. cap. 54., qui tamen non audiendus, dum Judam filium ejus Pontificem fuiſſe ibidem aſſerit.

12 *profanantem*) Vorſtius: Profanare *hic intranſitive poſitum pro* profana ſacra facere, idolis ſacrificare.

fanantem in ore omnium jugulavit. tum demum reperto duce facta feceffio eft. Mathathias oppido egreffus, multis ad eum confluentibus, fpeciem jufti exercitus effecerat: queis omnibus deftinatum erat, adverfus profanum Imperium fe armis tueri, & in bello potius occumbere, quam impias cærimonias exercere. Interea Antiochus per græcas quoque urbes quæ in illius imperio erant, repertos Judæos facrificare cogebat, inauditifque cruciatibus reluctantes afficiebat. qua tempeftate illuftris illa paffio feptem fratrum matrifque fuit: qui omnes cum legem Dei & inftituta majorum violare fuppliciis cogerentur, mori maluerunt, ad extremum pœnas mortefque eorum comitata mater eft. Interea Mathathias moritur. vicarium exercitui quem paraverat, ducem Judam filium fubftituit. Hujus ductu adverfus regios frequentibus præliis profpere pugnatum. nam primum Apollonium ducem hoftium, qui magnis copiis in conflictum defcenderat, cum omni exercitu delevit. quod cum Seron quidam, qui tum Syriæ præerat, comperiffet, multiplicatis legionibus Judam aggreffus, ferox, quia numero præftabat; ubi in certamen defcenfum

XXI

1 *jugulavit*) Non ipfum tantum jugulavit, fed & Apellem miniftrum regis cum fatellitibus fuis, ut ex I. Machab. II. 25. & ex Jofepho liquet.

5 *& in bello potius occumbere*) MS. *etiam in bello oc.*

6 *per græcas quoque urbes*) II. Machab. VI. 8. ἑλληνίδας, in Vulgata *gentilium civitates*, multo melius quam *græcas*: neque enim *proximæ*, feu ut in græco ἀστυγείτονας πόλεις, dici potuiffent græcæ civitates. fed fermo eft de iis quæ in Cœlefyria & Phœnice fitæ erant: quæ provinciæ tunc temporis a quodam Ptolemæo Macrone regis nomine adminiftrabantur, quemque potiffimum laudato loco indicari volunt iis verbis, *fuggerentibus Ptolemæis*: quem utique locum unice refpexit Severus hæc fcribens.

8 *inauditifque cruciatibus*) Recole quæ II. Machab. VI. a verficulo 10. fcripta habentur, quo tamen loco agitur de rebus Hierofolymis geftis. Sed Machabæi Antiochiæ paffi funt.

9 *feptem fratrum matrifque*) Quos Ecclefia ut Martyres colit. Horum paffio refertur II. Machab. VII. & a Jofepho peculiari libello, qui infcribitur περὶ τοῦ αὐτοκράτορος λογισμοῦ, *De imperio rationis*, alio nomine εἰς μακκαβαίους.

12 *Mathathias moritur*) Poft annum circiter aut paullo amplius a feceffione, & bello contra Antiochum.

13 *Judam filium*) Qui quidem peculiariter *Machabæus* dictus fuit; de qua appellatione vide interpretes. hunc moriens pater ducem exercitus, feu *principem militiæ* effe voluit præ ceteris fratribus: I. Machab. II. 66.

15 *Apollonium*) Hunc Samariæ præfectum fuiffe innuitur I. Machab. III. 10. & apertius ftatuit Jofephus Ant. XII. 7. & 10. Diftinguendus autem ab aliis Apolloniis qui in libris Machabæorum nominantur: quod minime fecit Drufius in hunc locum fcribens. Alius enim ab hoc Apollonius ille, qui II. Machab. III. 5. & IV. 5. dicitur fub Seleuco *dux Cœlefyriæ & Phœnicis*, ne de aliis fingillatim nunc dicam.

16 *qui magnis copiis*) Vorftius: *Legendum fortaffe* cum magnis copiis.

17 *Seron quidam, &c.*) I. Machab. III. 13. hic Seron dicitur tantum *princeps exercitus Syriæ*. tunc enim Syriæ præerat Ptolemæus, de quo fupra. Vide II. Machab. VIII. 8.

ſcenſum, fuſus ac fugatus, octingentis ferme amiſſis in Syriam regreſſus eſt. Id ubi compertum eſt Antiocho, ira & dolore ſuccenſus (quippe angebatur duces ſuos cum magnis exercitibus devictos) auxilium per omne regnum contrahit: donativum militibus, exhauſtis penitus theſauris, largitur. etenim tum præcipue graviter pecuniæ inopia affectus erat. 5
Nam deficientibus ab eo Judæis, qui ei ultra trecenta argenti talenta annua penſitaverant, præterea græcis urbibus multiſque regionibus perſecutionis malo turbatis (ne gentilibus quidem pepercerat, quos deſerere inveteratas ſuperſtitiones & ad 10
unum ritum deducere tentaverat: illis quidem, ubi nihil ſancti erat, facile relinquentibus; ſed tamen omnibus metu ac clade affectis) vectigalia ceſſaverant. Quibus rebus æſtuans (etenim ipſe olim omnibus regibus opulentior, ſuomet ſcelere

1 *in Syriam regreſſus*) 1. Machab. III. 24. reliquiæ copiarum Seronis fugiſſe dicuntur in terram Philiſtiim.

3 *duces ſuos*) Num legendum *duces duos*?

4 *auxilium ....contrahit*) Melius *auxilia*, nam pluralis numerus in hac ſignificatione uſurpatur. ſic capite ſequenti. *magna clade exercitus & auxiliorum:* & cap. XXIV. *cum Jonathas auxiliis juverat*.

5 *donativum militibus*) *ſtipendia in annum*, ut habetur 1. Machab. III. Verum cum hæc ſtipendia exhauſtis penitus theſauris ſolvere non poſſet, in Perſiam proficiſci conſtituit ad contrahenda vectigalia.

7 *deficientibus ab eo Judæis*) Giſelini liber, *d. Judæis ab eo*. Quæ ſequuntur de tributo Judæorum, concordant cum iis quæ ſupra cap. XVI. habentur. confer itaque quæ ibidem notavimus, cum Vorſtii nota in hunc locum, quæ habet: *Eam fere ſummam* (trecentorum argenti talentorum) *jam Seleuci Nicatoris, primi Syriæ regis, tempore pependerant*.

9 *ne gentilibus quidem pepercerat*) Hæc & ſequentia uſque ad *tentaverat*, parentheſi a ceteris diſtinguenda monuit Sigonius, faventibus Druſio & Vorſtio: ſed & quæ ſequuntur uſque ad *affectis*, eadem interclusione complecti oportuit, ut nos fecimus.

10 *quos deſerere inveteratas ſuperſtitiones*) Vorſtius vocem aliquam excidiſſe putat, ſcilicet *compulerat* vel *coegerat*; neque enim huc referri poſſe verbum *tentaverat*. Joannes Clericus addit legi etiam potuiſſe *quos deterrere ab inveterata ſuperſtitione:* concludit tandem nihil mutandum; nam ita forte conſulto, ſeu quadam voluntaria ſtili negligentia Severus ſcripſerit. Itaque *deſerere tentaverat* erit pro *tentaverat ut deſererent*.

11 *illis quidem, ubi* &c.) Egregie falluntur Sigonius & Vorſtius, qui hæc de Judæis dicta intelligunt (quæ cauſſa fortaſſe fuit, ne viderint hæc cum ſuperioribus parentheſi eadem includenda) eo ſenſu, ut Antiochum, *apud quem nihil ſancti erat, facile reliquerint*. nam omnino de gentilibus dicta fuerunt: quod, contra ac Judæi, facile reliquerint ritus ſuos, in quibus *nihil ſancti erat*. Confer 1. Machab. I. 43. & ſeq.

14 *omnibus regibus opulentior*) Non *omnibus regibus*, ſed *omnibus regibus ſuperioribus*, 1. Machab. III. 30. τοὺς βασιλεῖς τοὺς ἔμπροσθεν, ſeu *qui ante eum fuerant* ex Seleucidarum familia. Ibidem voci *opulentior* reſpondet in Vulgata *abundaverat ſuper reges*, in græco vero textu ἐπερίσσευσεν, quod verbum Caſtalio a Druſio & Vorſtio laudatus aliter interpretatus eſt, ſcilicet *reges omnes ſuperiores largitione ſuperaverat:* quam interpretationem ſequitur etiam Prideaus. Sed a Vulgata minime recedendum, utpote tum græco textui, tum rationi maxime conſentanea.

re inopiam perſenſerat) copias cum Lyſia partitur, eique Syriam & bellum adverſus Judæos committit, ipſe in Perſas ad cogenda vectigalia profectus. Igitur Lyſias duces belli delegit, Ptolemæum, Gorgiam, *Doronem* & Nicanorem: his XL millia peditum, ſeptem equitum data. ac primo impetu magnum Judæis terrorem intulerunt. Tum Judas cunctis deſperantibus ſuos adhortatus, Forti animo deſcenderent in prælium: Deo fretis nihil invictum fore: ſæpe antea a paucioribus adverſum plures bene pugnatum. jejunio indicto celebratoque ſacrificio in aciem deſcenſum. ſuſæ hoſtium copiæ. Judas caſtris potitus, multumque ibi auri & Tyriarum opum repertum. namque ex Syria negotiatores, nihil de victoria dubitantes, regium exercitum ſequuti ſpe captivos mercandi, prædæ fuere. Hæc ubi Lyſiæ ex nuntiis comperta, majore cura copias parat, annoque poſt immani exercitu Judæos aggreditur. victus denuo Antiochiam ſe recepit.

XXII. Judas pulſis hoſtibus Hieroſolymam regreſſus, purgare templum & reſtituere. animum intendit, quod everſum ab Antiocho profanatumque a gentibus fœdam ſui ſpeciem præbebat. Sed Syris arcem tenentibus (quæ contigua templo & loci natura ſuperior

4 Doronem) Druſius: *Delendum videtur, niſi Sulpicius edidit* Ptolemæum Dorymenis, Gorgiam & Nicanorem. *Quæ conjectura Sigonii robur accipit a Joſepho Ant. xii. cap. xi. ſed magis ex 1. Machab. cap. III. 38.* Vix ſane credi poteſt Severum qui libros Machabæorum præ oculis haberet & excerperet, in re tam manifeſta alucinatum. Confer & II. Machab. VIII. 8. & ſeqq.

12 *ex Syria negotiatores*) Confer I. Machab. III. 41. & IV. 23. cum II. Machab. VIII. 11. 25. 34.

14 *ex nuntiis comperta*) Ex iis qui evaſerant: I. Machab. IV. 26., ubi verſiculo 23. occiſi dicuntur in ipſo prælio tantum tres mille ex hoſtibus; ſed ex II. Machab. VIII. 24. conſtat *ſuper novem millia hominum* interfecta, qui numerus complectitur etiam illos qui in fuga perierunt.

15 *immani exercitu*) Conſtabat ex lx. millibus peditum, & quinque millibus equitum: I. Machab. IV. 28.

16 *victus denuo*) Cæſis quinque millibus Syris, ceteris fugatis. Porro in MS. deſideratur vox *denuo*, quæ nec opportuna videtur: nam Lyſias ſuperiori prælio non interfuerat. niſi forte illud *denuo* jungendum eſt ſequentibus, ſcilicet ut poſt cladem exercitus Antiochiam rediiſſit, ubi antea morari conſueverat.

18 *quod everſum ab Antiocho*) Druſius notat *everſum templum dici propter abolitam ibi deletamque religionem*. ſed aliquid amplius Severus ſibi voluit, ſcilicet ædificium ipſum templi non quidem dirutum, ſed multis in partibus labefactatum, adeo ut reſtauratione indiguerit. Sane I. Machab. IV. 38. mentio eſt *portarum exuſtarum*, & *paſtophoriorum dirutorum*.

20 *quæ contigua templo*) Antea erat *continua templo*. dubitavit autem Druſius legendum ne eſſet *contigua*, quod mihi certiſſimum videtur: nam *contigua* illa ſunt quæ vicina & finitima, *continua* vero quæ connexa ſimul uno eodemque termino continentur. quod poſtremum de templo & arce illa dici non potuiſſe a Severo vel ex iis colligitur quæ ſequuntur, tum ex Joſepho & ex libris Machabæorum. vide quæ ſupra de hac arce notavimus. Præterea neſcio an dici poſſit aliquid *continuum alicui rei*, uti recte dicitur *contiguum*. utitur alibi ea voce Severus, ſcilicet Dialogo III. cap. x. *Contigua flumini..... habebamus habitacula*: nec non infra hoc ipſo libro cap. XXXIV.

rior atque inexpugnabilis erat) adiri subjecta non poterant, crebris eruptionibus prohibentibus. Adversum hos Judas validissimam suorum aciem objecit. ita opus sacræ ædis curatum, templumque muro circumdatum, constitutique qui perpetuum præsidium armati agitarent. At Lysias multiplicato 5 exercitu in Judæam regressus, rursum vincitur, magna clade exercitus & auxiliorum, quæ ei a civitatibus missa in bellum conspiraverant. Interea Antiochus, quem in Persidem profectum supra memoravimus, oppidum Elymum regionis illius opulentissimum, sanumque ibi situm multo auro refertum 10 diripere conatus; confluente undique ad defensionem loci multitudine fugatus, insuper nuntium accepit, res vel a Lysia, vel a *Lysimacho* improspere gestas: ita ex mærore animi corporis

3 *opus sacræ ædis curatum*) Ex libris Machabæorum & Josepho liquet templum restitutum, ejusque altare dedicatum vigesima quinta die mensis noni, qui dicebatur Casleu, & Decembri maxima ex parte respondebat: cujus rei memoria annua in posterum peracta (cujus mentio est Joann. x. 22.) juxta legem a Juda Machabæo ex Judæorum consensu tunc scitam.

5 *At Lysias*) Sigonius: *Lysias postquam semel victus recessit Antiochiam, elegit quidem milites, ut multiplicatis eis rursum veniret in Judæam: verum venisse non dicitur neque ab auctore libri Machabæorum, neque a Josepho*: & cetera. Severus tamen ex 1. Machab. IV. 35. & ex versu 15. capitis sequentis collegit, nec, ut puto, perperam, expeditionem illam quæ in secundo ex laudatis textibus refertur, Lysiæ consilio susceptam & copiis, proindeque eam ipsam esse quæ priori in loco a Lysia ipso parabatur. Sane in laudato versu 15. cap. v. dicitur tantum, ex Ptolemaida, Tyro & Sidone profectos hostes in Galilæam irruptionem fecisse. ceterum relinquitur locus conjiciendi has copias easdem esse, quas superiori capite a Lysia contra Judæos instructas legimus. Sed operæ pretium est observare Pridæum & alios ex recentioribus hæc & alia multa quæ capite v. lib. 1. Machabæorum narrantur, ad Antiochi Eupatoris, Epiphanis filii, tempora referre. neque Scripturæ id contrarium est, quæ sæpe initam narrationem continuare consuevit postpositis iis quæ interea acciderunt. Sane 11. Machab. x. 10. & seqq. pleraque ex iis quæ 1. Machab. narrantur, sub Eupatore contigisse aperte traduntur.

6 *in Judæam*) Uti attigimus in superiori nota, non *in Judæam*, sed in Galilæam impetus iste hostium erupit.

7 *a civitatibus missa in bellum conspiraverant*) Verbum *conspiraverant* non ad *auxilia*, sed ad *civitates* videtur esse referendum: itaque supplendum esset *quæ*: *quæ in bellum conspiraverant*. Porro civitates istæ ex 1. Machab. v. 15. fuerunt potissimum Ptolemais, Tyrus & Sidon.

9 *oppidum Elymum*) *Elimum* apud Giselinum & Vorstium: sed legendum forte *oppidum Elymæum*.

10 *fanumque ibi situm*) quod Veneri fuisse dicatum scribit Appianus, Dianæ Polybius & Diodorus, quos sequuti Josephus & Hieronymus, Comm. in XI. Dan. Aliqui, ut Justinus & Strabo, auctores sunt Antiochum Magnum hujus patrem templum Jovis, seu Beli apud Elymæos itidem spoliare aggressum irrito sibique exitiali conatu.

11 *confluente*) *Sed* initio excidisse videtur: *sed confluente*.

12 *vel a Lysia vel a* Lysimacho) Sigonius, cui favent Drusius & Vorstius, notavit verba illa *vel a Lysimacho* expungenda esse, utpote ab inepto

corporis morbo incubuit. sed cum internis doloribus angeretur, reminiscens malorum quibus populum Dei vexaverat, merito sibi illa accidisse confitebatur. deinde post paucos dies moritur, cum regnasset annos undecim. Antiocho filio regnum
5 reliquit, cui Eupator nomen fuit. Ea tempestate Judas Sy- XXIII
ros in arce positos obsidebat: qui cum fame atque inopia afficerentur, missis ad regem nuntiis præsidium implorant. ita Eupator cum centum millibus & equitum viginti millibus, suis subsidio venit, præeuntibus aciem cum ingenti terrore e-
10 lephantis. Tum Judas laxata obsidione regi obviam tendit, primo-

ioepto aliqoo glossatore addita. Ego malim legere *vel a Lysia v:l a Lysiæ ducibus:* oam sicutj I. Machab. VI. 6. *Lysiæ* fit mentio, ita II. Machab. IX. 3. *Nicanor & Timotheus* nominantur: utrumque autem locum jonxerit fortasse Severus, eo pacto scribens. Interim tamen illud *Lysimacho*, ut omoioo mendosum, alia exprimendum curavimus characterum specie.

1 *corporis morbo incubuit*) Sic lib. I. cap. LI. *Ezechias æger corpore morbo incubuerat*. Est autem ab *incubo*.

1 *internis doloribus*) II. Machab. IX. 5. *Apprehendit eum dolor dirus viscerum, & amara internorum tormenta*.

3 *merito sibi illa accidisse*) Hæc Antiochi confessio ad extremos ipsios vitæ dies refereoda est, cum jam ex curru prolapsi quotidie ingravesceret morbus. Huc etiam referto qood subditur, ipsum *post paucos dies* mortuum: nam ægrotasse *per dies multos* dicitur I. Machab. VI. 9.

4 *annos undecim*) Ita pari consensu scriptores: proinde si I. Machab. I.II. habetur eum regnare cœpisse anno Græcorum CXXXVII., capite vero VI. 16. mortem obiisse anno CXLIX., dicendum est ioitium regnandi ad anni exitum, mortem autem ad initium esse referendam: secus doodecim & eo amplius annos regnasset.

4 *Antiocho filio*) Puero oovenni, quem Lysias mortuo patre regem salutavit, & Eupatora nominavit.

5 *Ea tempestate*) Ex I. Machab. IV. 19. & 20. Sed hæc, ut infra notabimus, ad tempus aliud spectant.

8 *cum centum millibus*) Drusius & Vorstius monent excidisse vocem *peditum*. verum ea vox nec omnino necessaria videtur: nam ex iis quæ statim sequuntur, *equitum viginti millibus*, satis apparet pedites hoc majori numero indicatos. Sed quod magis observatu dignum, duas Eupatoris in Judæam expeditiones eodem anoo, primam vere, alteram autumno ineunte factas, Severus pro una eademqoe habuit. Prima refertur II. Machab. XI. 2., & coostabat LXXX. millibus peditum, *cum universo equitatu* (cujus tamen numerus oon refertur) & LXXX. elephantis: altera, de qua I. Machab. VI. 30., centum millibus peditum, XX. equitum, & elephaotis XXXII. Hujus quoque meminit II. Machab. XIII., sed non omnino convenir militum oumerus & elephantorum. Vide Interpretes.

9 *cum ingenti terrore elephantis*) Vegetius lib. III. cap. 24. *Elephanti in præliis magnitudine corporum, barritus horrore, formæ ipsius novitate homines equosque conturbant*. Lucretius lib. V. ver. 1301. & seqq.

Inde boves lucas turrito corpore, tætros,
Anguimanos, belli docuerunt vulnera Pœni
Sufferre, & magnas Martis turbare catervas.

10 *Judas laxata obsidione*) Hæc ad secundam Eupatoris expeditiooem referto ex I. Machab. VI.

primoque prælio Syros fundit. rex petit pacem: quia infido ingenio male usus, perfidiam consecuta ultio. Nam Demetrius Seleuci filius, quem Romanis obsidem datum supra memoravimus, ut audivit Antiochum decessisse, petivit ut se in regnum remitterent: quod cum ei negatum fuisset, clam Roma profugit, in Syriam venit, regnumque occupavit, Antiocho filio, qui annum unum & menses sex regnaverat, interfecto. Hoc regnante primum Judæi a populo Romano amicitiam fœdusque petiere: benigneque excepta legatio. decreto Senatus socii atque amici appellati. Interim Demetrius adversus Judam per duces suos bellum gerebat: ac primum per

1 *primaque prælia Syros fundit*) Cæsis peditum xx. millibus, equitibus mille sexcentis. ita 11. Machab. xv. Quæ ad hunc locum notat Hornius contra Severum, potissimum ex Josephi Ant. xii. 14., facile ex prænotatis diluuntur. Josephus enim inhærens iis tantum quæ 1. Machab. vi. narrantur, nullam de prælio hoc mentionem habuit; ideoque minime ad rem facit. Quod Machabæorum textus Hornius meminit, allusit profecto ad primum librum modo citatum; sed alterius etiam rationem habere debuit. Itaque verissimum est quod Severus scripsit, *fusos prima prælia Syros fuisse*.

1 *rex petit pacem*) Non semel, sed bis pax inita fuit inter Eupatorem & Judam: de prima sermo est 11. Machab. xi.; sed hæc brevissima fuit: de secunda 1. Machab. vi. 55. & seqq., quam a rege violatam queritur Severus.

1 *quia infido ingenio*) Drusius, præeunte Giselino, legendum opinabatur *qua* pro *quia*: qua pace, *inquit*, infido ingenio male usus: perfidiam consecuta ultio. Vorstius & *qua* supplendum, & *quia* retinendum censet: *qua quia infido ingenio* &c.: sed magis placet Drusii conjectura. Quid si Severi verba ita interpretemur, ut Eupatorem *male usum ingenio infido* intelligamus?

2 *Nam Demetrius*) Vide Justinum lib. xxxiv., qui tamen in eo peccat, quod Demetrium hunc Antiochi Epiphanis fratrem & patruum Eupatoris faciat. adde Epitomen Livii, Appianum in Syriacis, & alios.

6 *Antiocho filio*) Drusius legendum voluit *Antiocho puero*, vel certe *Antiocho Antiochi filio*. consentit Vorstius, qui saltem *Antiochi filio* omnino legi oportere ait. Sed nihil est, ut ego arbitror, mutandum vel supplendum: nam cum paullo ante *Antiochi* patris mentio facta sit, hic concinne *Antiochus filius* nominatur. sic paullo ante, ubi mors Antiochi refertur, subditur *Antiocho filio regnum reliquit*.

7 *annum unum & menses sex*) Concordat Syncellus tum pag. edit. Paris. 281. ἔτος ἓν ἥμισυ, quæ verba in nota ad marginem apposita inculcantur, tum pag. 286. ἔτος ἕν, μῆνας ἕξ. quem locum in græcis fragmentis Chronico Eusebio-Hieronymiano novissime appositis ita laudari video, ut germana & vulgata lectio rejiciatur, & in ejus locum obtrudatur hæc ἔτη β': nimirum ut Syncellus volens nolens in Eusebii sententiam trahatur, qui biennium cum Josepho Eupatoris regno assignat. Non audiendus autem Drusius, qui hunc uno anno regnasse vult, quod ex Appiano constet novennem regnum assecutum, decennem periisse: quasi eo spatio sesquiannus commode non possit comprehendi.

7 *interfecto*) Una cum Lysia ejus tutore & acerrimo Judæorum hoste.

8 *Hoc regnante*) Ex 1. Machab. viii. Sed hæc acta sunt post victum & occisum Nicanorem, de quo mox. Ceterum aliquanto ante sub Eupatore legati Romanorum conciliaverant sibi animos Judæorum, quod ipsis favissent, ut habetur 11. Machab. xi. 34. & seqq. Meminit hujus fœderis Justin. lib. xxxvi. *A Demetrio cum descivissent (Judæi) amicitia Romanorum petita, primi omnium ex Orientalibus libertatem receperunt, facile tunc Romanis de alieno largientibus.*

per Bacchidem quemdam & Alcimum Judæum ductus exercitus: post Nicanor bello præpositus in prælio occubuit. tum Bacchides & Alcimus, resumtis viribus auctisque copiis, adversum Judam confligunt. in ea pugna victores Syri
5 cruente admodum victoria sunt usi. Hebræi in locum Judæ Jonathan fratrem ejus deligunt. Interea Alcimus cum fœde Hierosolymam vastasset, moritur: Bacchides socio destitutus ad regem redit. Dein post biennium rursus Bacchides bellum Judæis intulit: victus pacem petit; quæ propositis conditioni-
10 bus data, Si perfugas captivosque & omnia bello rapta redderet. Dum hæc intra Judæam geruntur, adolescens quidam XXIV. Rhodi educatus, nomine Alexander, Antiochi se esse filium dictitans (quod falsum erat) adjutus opibus Ptolemæi regis Alex-

1 *Bacchidem quemdam*) Tonc Mesopotamiæ præfectum: 1. Machab. VII. 8.

1 *Alcimum Judæum*) Io plerasque editiones obrepserat *Alchimum* pro *Alcimum*, repugnante Giselini libro ad primam editionem summa cura expresso, & græca scriptura ἄλκιμος. Porro hic Alcimus, occiso ab Antiocho Eupatore Menelao Pseudopontifice, ut est II. Machab. XIII. 4. & seqq., in ejus locum substitutus fuit ab ipso Eupatore, ut habetur II. Machab. XIV. 3. & seqq.: postea a Demetrio confirmatus, ut habetur I. Machab. VII. 9. Hic quidem ex tribu Aaron erat, sed legis desertor & patriæ proditor.

1 *ductus exercitus*) Quæ ab his gesta fuerunt, habentur I. Machab. VII. a vers. 10. ad 25.

2 *Nicanor*) Idem ipse qui antea contra Judæos bellum gesserat, & jam semel a Juda victus fuerat: II. Mach. VIII.

2 *in prælio occubuit*) Quæ ad hanc Nicanoris expeditinnem spectant, videsis I. Mach. VII. a vers. 26. usque in finem, & II. Machab. XIV. a vers. 12. & toto capite XV.

3 *Bacchides & Alcimus*) Ex I. Machab. IX. Judas ducens secum non amplius quam octingentos viros, hostes magno oumero aggressus, tandem fortiter pugoans occubuit. eo mortuo ceteri fugerunt.

5 *cruente admodum* &c.) Innuit his verbis, quam crudeles fuerint in Judæos post eam victoriam Bacchides & Alcimos: de his I. Machab. IX. a vers. 23.

5 *Jonathan f. e. deligunt*) Factum id aliquanto post.

7 *Hierosolymam vastasset*) Puta cædibus civium & rapinis: præterea murum templi interiorem diruit, quo gentilibus ad illud pateret aditus: I. Machab. IX. 54.

8 *ad regem redit*) Ab ipso rege forte evocatus, ne Romanos, cum quibus paullo ante Judæi fœdus inierant, sibi inimicos faceret: uti minitati fuerant epistola ad eum scripta, cujus fragmentum refertur I. Mach. VIII. 31. & seq.

8 *post biennium*) Quo tempore pax Judæis fuit & tranquillitas.

8 *Bacchides*) Demetrius exstimulatus ab apostatis Judæis bellum adversus Jonathan & socios ejus instaurat.

9 *victus pacem petit*) Multa sunt hoc loco, in quibus Severus ab historiæ veritate recessisse jure arguitur. nam nec Bacchides victus, sed longam & difficilem oppugnationem pertæsus sponte recessit: nec pacem ipse petiit, sed petenti Jonathæ concessit: captivi utrimque redditi; de perfugia tacet historia. postremo nec *bello rapta* a Bacchide reddita fuerunt, sed Hierosolyma ac pæne tota Judæa sub Demetrii potestate permansit.

12 *nomine Alexander*) Verum ejus nomen *Balas* erat; nam Alexander postea dictus, cum se Antiochi filium simularet.

13 *quod falsum erat*) Ita pari consensu scriptores ethnici: nam Josephus, & I. Mach. ipsum filium Epiphanis fuisse dicunt.

13 *opibus Ptolemæi*) Nec non Attali regis Asiæ, & Ariarathis Cappadociæ, præterea Romani Senatus decreto, cujus meminit Polybius in Legationibus. vide Legat. CXL.

Alexandrini, in Syriam cum exercitu venit: Demetrium bello superatum occidit, cum regnasset annos XII. Hic Alexander, priusquam adversus Demetrium confligeret, fœdus cum Jonatha fecerat, eumque veste purpurea & insignibus regiis donaverat. ob quod eum Jonathas auxiliis juverat, victoque Demetrio primus omnium congratulatum occurrerat. Neque postea Alexander datam fidem violavit. ita quinquennio, quo rerum potitus est, res Judæorum tranquillæ fuerunt. Igitur *Demetrius* Demetrii filius, qui post mortem patris Cretam confugerat, hortante

5

1 *in Syriam cum exercitu venit*) Primum occupavit Ptolemaidam, ibique regnare cœpit: 1. Mach. x. 1. & Joseph. XIII. cap. 3.

1 *bello superatum occidit*) In ipso prælio occisus fuit, 1. Mach. x. 5., cum in fuga ab equo in paludem quamdam fuisset delatus.

2 *annos* XII.) Consentiunt scriptores præter Josephum, qui undecim tantum memorat.

4 *veste purpurea & insignibus regiis*) 1. Mach. x. a. *Et misit ei purpuram & coronam auream*. Sigonius errasse putavit Severum, quod *regia insignia* dixerit quæ fuerint pontificalia: sed ipse potius erravit. nam Alexander Jonatham summum quidem Pontificem Judæorum esse voluit, vestis tamen purpurea & corona aurea fuerunt insignia alterius dignitatis omnino profanæ, nimirum ut quis in numero *amicorum regis* esset. Jonathas itaque statim ab Alexandri concessione *stolam sanctam*, quod erat summi Sacerdotii insigne, induit, & in festo Tabernaculorum pontificatum iniit. Quamquam vero plerique Josephum secuti Judam fratrem ejus Pontificem antea fuisse dicant, hic tamen primus ex Assamonæorum familia ea dignitate decoratus apparet ex Scriptura, nec Judas alio munere functus est quam ducis exercitus. nam pontificia tum dignitas occupabatur a Menelao, deinde ab Alcimo. Sane Josephus quo loco Judam pontificem factum scribit, sibi ipse contradicit; nam non nisi post Alcimi mortem renuntiatum vult, qui tamen Judæ ipsi superstes fuit. Præterea si Judas antea fuisset non modo dux, sed etiam summus pontifex, debuisset Jonathas, statim ac dux militiæ luco ejus fuit electus, sacerdotium etiam inire, nec exspectare, ut post octo fere annos ex consensu Alexandri acciperet, cujus etiam verba notanda sunt: *Constituimus te hodie summum sacerdotem gentis tuæ*: 1. Mach. x. 20. tum quæ sequuntur: *Et induit se Jonathas stola sancta*, &c. Postremo ipse Josephus errorem suum corrigere videtur, dum lib. XX. cap. VIII. nullam Judæ pontificis mentionem habet, sed Alcimo, seu Jacimo mortuo Sacerdotium septennio vacasse scribit, tum Jonathæ pontificis ex Assamonæis primi meminit.

5 *juverat .... occurrerat*) Legendum omnino videtur *juvit ... occurrit*: nam hæc est sententia: *ob quod*, scilicet ob fœdus simul initum, & ob honores singulares, quibus Alexander Jonathan sibi devinxerat, hic illum auxiliis *juvit*, & Demetrio de medio sublato, congratulatum *occurrit* victori Alexandro. 1. Mach. x. 59. habemus Jonathan ab Alexandro per epistolam invitatum *ut veniret obviam sibi*, Ptolemaidam perrexisse, quo tempore Ptolemæus rex filiam Cleopatram Alexandro in matrimonium collocabat. Eo nimirum spectavit Severus hæc scribens.

7 *datam fidem violavit*) Ms. Vaticanus, *d. f. corrupit*.

8 *Igitur* Demetrius *Demetrii filius*) Supplevimus, alia tamen characteris specie, *Demetrius*, quod nomen Drusius & Vorstius excidisse monuerant; & merito: nam hoc certe in loco indicare debuit hujus regis nomen, quo sæpius infra eum appellat. Sic 1. Mach. x. 67. *venit Demetrius filius Demetrii a Creta*.

9 *qui post mortem patris Cretam confugerat*) Justinus lib. XXXV. & Epit. Livii lib. LII. tradunt initio belli inter Alexandrum & Demetrium, duos ab eo filios, hunc scilicet Demetrium & Antiochum Sidetem, ablegatos Gnidum apud hospitem suum, ut ibidem a belli periculis tuti essent. Vacillat itaque fides

tante Lasthene Cretensium duce regnum patrium bello repetens, impar viribus Ptolemæum Philometorem regem Ægypti, Alexandri socerum jam tum genero infestum, ut sibi sit auxilio implorat. ille vero non tam supplicis precibus quam spe Syriæ occupandæ illectus, copias cum eo jungit, ac filiam Alexandro nuptam dat Demetrio. Adversus hos Alexander acie confligit. eo prælio Ptolemæus cadit, Alexander vincitur & paullo post interficitur, cum regnasset annos v, vel, ut in plerisque auctoribus reperi, novem. Demetrius regnum indeptus, Jonathan benigne habuit, fœdus cum

XXV.

des eorum quæ heic tradit Severus, nisi ea ita interpretemur, ut a Gnido post mortem patris trajecerit in insulam Cretam. ex qua utique solvit, cum adversus Alexandrum Cretensium manipulos in Ciliciam duxit.

1 *Lasthene Cretensium duce*) Ita Josephus. alii hunc Lasthenem esse volunt Gnidium illum hospitem Demetrii, de quo supra: non itaque Cretensium dux. Sane 1. Mach. xi. 32. dum Demetrius ipse hunc parentem suum appellat: Βασιλεὺς Δημήτριος Λασθένει τῷ πατρὶ χαίρειν: *Rex Demetrius Lasthenei parenti salutem*: nutritium suum fuisse indicat.

2 *Ptolemæum Philometorem*) Hic primum ex Ægypto cum exercitu profectus est, ut Alexandro adversus Demetrium auxilio esset, non tamen ex animo, sed simulate: nam ex 1. Mach. xi. 1. (quod & Severus mox attingit) apparet illum per speciem ferendæ opis Alexandro, Syriæ regnum affectasse. Sed cum jam suspectus fieret Alexandro, Ptolemæus conqueri cœpit, sibi ab illo, seu ab Ammonio ejus administro structas fuisse insidias. denique cum jam Seleuciam ad Orontem pervenisset, palam inimicus factus est Alexandro, suamque filiam illi jam nuptam Demetrio despondens fœdus cum eodem pepigit.

7 *Ptolemæus cadit, Alexander vincitur & paullo post int.*) Vulgata antea lectio erat: *eo prælio vincitur Ptolemæus. cadit Alexander. Vincitur Ptolemæus. & p. p. int.*, quam lectionem utpote historiæ aperte contrariam variis modis emendare tentarunt eruditi Editores; aliis legendum statuentibus inversis verbis *vincitur Alexander, cadit Ptolemæus. Vincitur Al. & p. p. int.*; aliis, quibus merito displicuit illa iteratio *vincitur Al.*, a Sulpicii nostri brevitate aliena, ita emendantibus: *eo prælio vincitur. Ptolemæus cadit. Alexander paullo post int.* Sed ne ita legendum sit, ne aliud dicam, non sinunt præcedentia: neque enim cohærent hæc: *Alexander acie confligit: eo prælio vincitur*. Denique Vorstius ita emendat: *eo prælio cadit Pt., vincitur Al., & paullo post int.*, quæ lectio proxime accedit ad illam, quam nos sequuti Ms. Vaticani vestigia adopravimus, in quo cum non appareat secundo loco *Ptolemæus*, expuncto etiam a nobis verbo *vincitur*, quod priori loco in vulgatis occurrebat, omnia & cum historia & secum belle ipsa consentiunt. Præterea idem codex habet *paullo post interfectus* pro *& paullo post interficitur*. Denique quod heic dicitur Ptolemæus cecidisse, seu occisus eo prælio, scito eum mortuum post dies aliquot ex vulneribus in capite acceptis.

9 *annos V, vel .... novem*) Qui novem annos computabant, ab eo tempore incipere debuerunt, quo primum Alexander hic e latebris prodiit, & regium sibi nomen adscivit; qui quinque tantum, a morte Demetrii. totidem enim fere annos eum regnasse post Demetrium colligitur ex 1. Mach. x. 57. & xi. 19. Sed hi quinque anni repeti etiam possunt ab ejus primo adventu in Syriam, & in Demetrii itidem illuc adventu terminari. confer 1. Mach. x. 1. & 67. Utcumque sit, totidem recensuit Josephus, tum Syncellus pag. ed. Par. 290., qui tamen pagina sequenti novem numerat; Eusebius vero decem cum mensibus septem.

10 *regnum indeptus*) Aliqui libri impressi *adeptus* ferunt.

cum eo fecit, Judæos legibus ſuis reddidit. Interea Tryphon, qui partium Alexandri fuerat, præfectus Syriæ, regno...... Eum bello prohibiturus contra Jonathan in prælium deſcendit, terribilis XL millium exercitu. Tryphon, ubi ſe imparem cernit, pacem ſimulat: receptumque in amicitiam, invitatumque Ptolemaidam interfecit. Poſt Jonathan ſumma rerum ad Simonem fratrem deſertur. Is funus fratris magnifice curavit, ſeptem- 5

1 *legibus ſuis reddidit*) Non *legibus reddidit*, ſed immunitate a conſuetis vectigalibus donavit, ea tamen non omnino gratuita, ſed pretio trecentorum talentorum. 1. Mach. XI. 29. Quamquam vero poſtea in ſummo diſcrimine a Judæis ſtrenue adjutus, datam tamen fidem non ſervavit: ibid. verſ. 53.

1 *Tryphon*) *Diodotus* paſſim dictus a ſcriptoribus. hic primum Alexandrum puerum Alexandri Balæ filium regnare fecit: poſtea *eo ſublato*, *ipſe regnare auſus eſt*, *adſcito ſibi*, inquit Appianus, *novo Tryphonis nomine*.

2 *præfectus Syriæ*, *regno...Eum*) Vulgata antea lectio erat: *præfectus Syriæ regno*, *eum b. prohibiturus* &c., quæ cum ſub mendo cubare videret Sigonius, ita emendari poſſe putavit, ſi poſt *regno* punctum poneretur, cui conſentit & Druſius, addens ſubintelligendum eſſe *erat*, aut quid ſimile. Hornius punctum poſt *prohibiturus*, *erat* itidem ſupplendum notavit, ita tamen ut Sigonii hanc emendationem eſſe velit. Vorſtius adſtipulatur Hornio. Sed conjecturæ iſtæ non placent: nam periodus hæc omnino mutila eſt, adeo ut poſt *regno* aliquid ſupplendum ſit, fortaſſis etiam plura deſint, de quibus 1. Mach. liber a verſ. 39. cap. XI. uſque ad verſ. 39. cap. XII.: certe hoc loco Severus expreſſum voluit, Tryphonem regnum Syriæ ſibimet vindicare molitum. Nos itaque primum poſt *Syriæ* minorem diſtinctionem appoſuimus; nam reipſa Tryphon *Syriæ*, ſeu Antiochiæ præfectus fuerat cum Hierace ſub Alexandro Bala, & hoc tempore ſub Antiocho Alexandri filio totius regni adminiſtrationem gerebat: ſecundo poſt *regno* ſpatium vacuum relinquimus, quod ſi ex conjectura ſupplere liceret, *inhiabat* potiſſimum placuiſſet inſerere: poſtremo a verbis *Eum bello pr.* novam ordimur ſententiam. Emendatio hæc noſtra confirmatur ab iis quæ 1. Mach. XI. 39. leguntur: *Tryphon autem erat quidam partium Alexandri prius*, & XII. 39. *Et cum cogitaſſet Tryphon regnare Aſiæ*, *& aſſumere diadema*: cetera.

3 *contra*) Adverbium eſt, non præpoſitio; id quod alii antea notaverant: niſi tamen & hoc loco nonnulla deſint. confer quæ habentur 1. Mach. XIII. 40. & ſeq. ex quibus conſtat Tryphonem inſidias contra Jonathan ſtruxiſſe, quod timeret *ne forte non permitteret eum Jonathas* occiſo Antiocho rege puero *aſſumere diadema*. Accedit quod Severus Jonathæ nomen ita ſemper declinet, ut *Jonathan* non niſi in quarto caſu uſurpet. itaque aut *Jonathas* & hoc loco primum ſcriptum fuit, aut verba aliquot exciderunt.

4 XL *millium exercitu*) Fuit hic exercitus Jonathæ, ut ex libro 1. Mach. colligitur. Porro MS. XL *millibus exercitu*.

5 *receptumque in amicitiam*) Minus opportune hæc inſeruit Severus, quæ non conveniunt cum 1. Mach. libro cap. XII. 43. & ſeqq. Neque enim antea inter eos apertum diſſidium fuerat, ſed ſimulatione & inſidiis id agebat Tryphon, ut per ſpeciem amicitiæ deceptum Jonathan opprimeret: quod paullo poſt aſſequutus eſt.

6 *Ptolemaidam*) Notat Horſtius juxta Druſium legendum *Ptolemaidem*. Sed, ne quid præterea dicam, etiam in libris Machabæorum ſæpius, immo hoc ipſo loco occurrit *Ptolemaidam*. ſic ſupra cap. IX. *apud Marathonam*.

6 *interfecit*) Melius *interficit*: non tamen ſtatim Ptolemaide, ſed aliquanto poſt, atque alio in loco: 1. Mach. XIII. 23.

6 *ſumma rerum*) Nimirum Principatus & Sacerdotium.

ſeptemque illas pyramidas nobiliſſimi operis exſtruxit, in quibus & fratrum & patris oſſa condidit. Tum Demetrius refecto cum Judæis fœdere, contemplatione cladis a Tryphone illatæ (nam poſt Jonathæ necem urbes eorum atque agros bello vaſtaverat) annua eis vectigalia in perpetuum remittit. etenim uſque ad id tempus regibus Syriæ, niſi cum armis reſiſterent, ſtipendium penſitaverant. Id geſtum Demetrii regis anno ſecundo: quod ideo ſignavimus, quia uſque in hunc annum per tempora Aſianorum regum cucurrimus, ut ratio temporum digeſta luceret. nunc autem per tempora eorum qui Judæis vel

1 *ſeptemque illas pyramidas*) De quibus liber 1. Mach. XIII. 28., Joſephus XIII. 11., & liber Euſebii de Locis Hebr. a Hieronymo verſus, in voce *Modin*, ubi dicuntur adhuc ſuperſtites fuiſſe pyramides illæ.

2 *& fratrum & p. oſſa*) Excidiſſe videtur vox *matris*, ut ſit legendum *matris & fratrum & p. oſſa*. Liber Machab. habet *patri & matri & quatuor fratribus*. ſeptimam nimirum ſibimet paraverat monumentum.

2 *refecto cum Judæis fœdere*) Nimirum primum illud fœdus, de quo initio hujus capitis, ipſe primus turpiter violaverat Demetrius, juſtamque Jonathæ cauſſam dederat, ut cum Antiocho Alexandri Balæ filio contra ipſum conſpiraret. poſtea vero cum Tryphon Antiochum, quem ipſe in regnum paternum reſtituerat, e medio tollere, ſibique diadema uſurpare moliretur, eaque de cauſſa contra Jonatham & Simonem Hebræorum duces qua occultis doliſ qua aperta vi ageret; Simon, occiſo jam Antiocho, ſatius putavit in Demetrii gratiam & amicitiam redire, quæ huic opportuniſſima erat, ut Tryphonis reprimeret conatus. Mirum autem tam multa ſilentio præteriiſſe Severum.

3 *contemplatione cladis*) Ita Diol. II. cap. XII. *ne Martini quidem contemplatione*: ita Juſtinus Vorſtio laudatus: ita Galerius Maximianus cap. XXXIV. Lactant. de Mort. Per. *contemplationem* (ſed legendum cum Grævio *contemplatione*) *mitiſſimæ noſtræ clementiæ*: ita Symmachus lib. VII. ep. 57., & alii ejus ævi non infimæ latinitatis ſcriptores. Dictum fuit etiam *in contemplatione*, ut in libello Fauſtini & Marcellini.

4 *poſt Jonathæ necem*) Captus quidem, ſed nondum occiſus Jonathas a Tryphone fuerat, quum Judæam armis invaſit: neque tamen conſtat in illa expeditione *urbes atque agros* ab eo vaſtatos fuiſſe. confer 1. Machab. XIII.

5 *annua eis vectigalia*) Antea erat *ejus*, quod in *eis* mutandum a Giſelino & aliis notatum eſt.

7 *Demetrii r. anno ſecundo*) Demetrius occiſo Alexandro regnare cœperat anno CLXVII., ut diſerte habetur 1. Mach. XI. 19. Anno CLXX. Judæi a *jugo Gentium* liberati dicuntur ibidem cap. XIII. 41.: itaque *anno tertio* Demetrii vel *quarto* id contigit: rurſus tamen ſequenti capite *anno ſecundo* dicitur.

10 *per tempora eorum qui*, &c.) Secutus in eo eſt Severus Judæorum exemplum, qui ab hoc primum tempore annos a ſuiſmet principibus numerare cœperunt, ut dicitur 1. Mach. XIII. 42., & apud Joſephum XIII. 11., quodque uſurpatum videtur 1. Mach. XIV. 27., ſed & ad hunc uſque diem conſpicitur in quamplurimis ſiclis per id tempus cuſis, in quibus hæc characteribus, ut vulgo vocant, Samaritanis, leguntur, aut ſimilia: ex una quidem parte *Simeon princeps Iſrael*, aut *Simeon* tantum; ex alia vero *Anno primo* vel *ſecundo* & deinceps, *redemtionis Iſrael*, vel *liberationis Jeruſalem*. ita nimirum interpretor לגאלת & לחרות, quæ verba, in diſſertatione gallice ſcripta de numiſmatibus Hebræorum, ab erudito S. J. Presbytero Soucieto vides ita explicari, *ob redemtionem*, *ob liberationem*.

vel pontifices vel reges fuerunt, usque ad Christi nativitatem XXVI rerum ordinem digeremus. Igitur post Jonathan Simon frater ejus, ut supra dictum est, Hebræis præfuit jure pontificis. id enim ei tum a suis, tum & a populo Romano honoris delatum. hic cum secundo Demetrii regis anno civibus præesse 5 cœpisset, post octo annos insidiis Ptolemæi circumventus occubuit. Huic Joannes filius successit, qui cum adversum Hyrcanos, gentem validissimam, egregie pugnasset, Hyrcani cognomen accepit. mortuus est annos VI & XX rerum potitus.

Post

1 *vel pontifices vel reges*) Drusius: *Malim* vel principes vel reges fuerunt: *nam qui reges, etiam pontifices*. Recte id quidem, sed nihil mutandum; nam paullo post de Simone dicitur, Hebræis eum præfuisse *jure pontificis*.

4 *id enim ei tum a suis*) MS. mendose, *& id enim & tum a suis*.

4 *tum & a populo R.*) Drusius & Vorstius observant Severum præ oculis habuisse latinam versionem 1. Mach. XIV. 25., ubi *populus Romanus* legitur, cum textus græcus habeat tantum ὁ δῆμος, quæ vox eo loco de populo Judæo, non de Romano est intelligenda. Apparet nihilominus etiam Romanos Simonem *principem sacerdotum* appellasse epistola illa, quæ habetur cap. XV. Mach. 1. vers. 16. & seqq. Sed quia Drusius ex historiæ veritate legendum mallet *tum a suis, tum a regibus* (ut a Demetrio, ex 1. Mach. XIV. 38.) moneo aliquod verbum hoc loco forte excidisse; alioquin redundat conjunctio & ante *a populo R.*: scriptum itaque fuerit, *tum a suis, tum a .... & a pop. R.*

6 *post octo annos*) 1. Mach. XVI. 14. occisus dicitur anno CLXXVII. mense undecimo: unde rursus confirmatur quod supra notavi de initio Simonis cum anno CLXX. & cum III. Demetrii concurrente.

6 *insidiis Ptolemæi*) Deesse videtur *cujusdam*, aut quid simile, ne aliquis ex Ptolemæis regibus Ægypti indicari credatur. Hic itaque Ptolemæus ipsius Simonis gener erat, & cum Antiocho Sidete rege Syriæ conspiraverat contra Simonem, ut ex Mach. 1. cap. XVI. apparet.

7 *Joannes filius successit*) Tres habuit filios Simon; Judam, Joannem, Mathathiam: sed duo illi simul cum patre perierunt perfidia Ptolemæi.

7 *adversum Hyrcanos, gentem validissimam &c.*) Sumsit hæc ex Eusebii Chronico, ubi semel & iterum idem fere dicitur, nisi quod noster addidit *gentem validissimam*. Nonnulli tamen ex recentioribus criticis eam *Hyrcani* cognominis originem in dubium revocant, immo repudiant; Scaliger in primis: adversus quem Vallarsius opponit Nicolai Damasceni testimonium ex Josephi XIII. 16. seu 8. petitum: sed illud eo solum spectat, ut Joannes Antiochi Sidetis contra Parthos expeditionem secutus appareat, ad quem etiam tantum finem a Josepho producitur. Itaque cum idem Josephus nihil hujusmodi de *Hyrcani* cognomine, nec de rebus ab eo præclare contra Hyrcanos gestis quidquam attigerit; quin potius, ubi primum Joannis meminit, cap. 14. seu 7., post mortem patris, statim addiderit: *cui & Hyrcano fuit nomen*, τούτῳ δὲ καὶ Ὑρκανὸς ἦν ὄνομα; reliquum est ut Eusebius ejus nominis caussam commentus sit ducta ex Parthica expeditione conjectura. Cur autem Josephus Nicolaum auctorem produxisset ejus rei, si id ex ipso ejus cognomine demonstrare potuisset? nec omittendum hunc Joannem a Nicolao *Hyrcanum* tantum *Judæum* appellari, Ὑρκανοῦ τοῦ Ἰουδαίου. Proprium itaque ac secundarium fuit id ejusdem nomen, quo & alios Judæos appellatos constat, ut ille Josephi filius, de quo Joseph. XII. 4., & alter Alexandri Jannæi filius, & summus Sacerdos.

9 *annos VI & XX rerum potitus*) Prima editio habuit: *mortuus est anno VI. & XX. * rerum potitus est*. posteriores aliquot editiones, ut Lipsiensis, *m. est anno VI.; & XX. rerum poti-*

Poſt hunc Ariſtobulus pontifex ſubſtitutus, primus omnium poſt captivitatem regium nomen aſſumſit, capitique diadema impoſuit. exacto anno diem functus eſt. Alexander deinde filius ejus rex pariter & pontifex fuit: regnavit annos
5 VII & viginti. in cujus actibus nihil præter crudelitatem memoria dignum reperi. Hic cum Ariſtobulum & Hyrcanum parvos filios reliquiſſet, Salina ſive Alexandra uxor ejus regnum per novem annos tenuit. poſt hujus obitum fœda inter fratres de regno certamina. Ac primum Hyrcanus imperium ob-
10 tinebat. mox ab Ariſtobulo fratre pulſus, confugit ad Pompejum: qui tum, Mithridatico bello confecto pacataque Armenia & Ponto, victor omnium gentium quas adierat, intror-

potitus eſt. Sed Giſelinus jampridem hunc locum reſtituerat, quem ante nos alii plerique ſequuti ſunt. Sane totidem annos huic tribuit Euſebius in Chronico, & Syncellus pag. edi. Par. 293., licet alibi uterque alias ineat rationes. Syncellus enim pag. 289. annos 30. ei tribuit, ut videtur, Joſephum ſequutus, qui tamen annos habet 31.; ibidem etiam ab Africano 27. tributos huic annos teſtatur: Euſebius autem lib. VIII. Demonſt. Evang. cap. 12., quem locum producit & Hieronymus in Daniel. IX., viginti novem: atque hunc numerum amplectuntur plerique chronologi, Uſſerius, Pridæus, alii.

1 *Ariſtobulus*) Hyrcani filius natu maximus: quinque enim omnino filios poſt ſe reliquit.

4 *filius ejus*) Immo *frater*, ut ex Joſepho liquet, & quidem ex tribus Ariſtobulo ſuperſtitibus natu maximus: nam Antigonum idem Ariſtobulus e medio ſuſtulerat. Porro hic Alexander dictus fuit & *Jannæus*, ac junctim *Jannæus Alexander*, vel *Alexander Jannæus*.

5 *nihil præter crudelitatem* &c.) Unum nimirum præ oculis habuiſſe videtur Euſebii Chronicum, in quo de hoc Alexandro nihil aliud fere legitur quam *regnavit Jannæus cognomento Alexander, qui pontificatum quoque adminiſtrans, crudeliſſime civibus præfuit*. Apud Joſephum ſane plura de eo inveniſſet ac memoratu digna.

7 *parvos filios*) Minime id verum; nam ſi Joſepho credimus, Hyrcanus natu major jam tum trigeſimum tertium annum fere agebat: ſiquidem octuagenario major e vita exceſſit, ut idem refert Ant. XV. 9.: obiit autem Hyrcanus ex chronologorum ſententia anno ante Chriſtum natum XXX.: natus proinde erat ante annum CX. ejuſdem ἐποχῆς: a quo anno ad Alexandri ejus patris mortem, quæ anno ante Chriſtum LXXVIII. affigitur, numerantur anni ſolidi XXXII. ex Joſepho etiam conſtat, eumdem ſtatim poſt patris obitum Pontificem creatum fuiſſe. Porro nec Ariſtobulum Hyrcano multo juniorem fuiſſe, ex iis quæ de eo tradit idem Joſephus, non obſcure colligitur. Alia itaque ac peculiaris cauſſa fuit, propter quam Alexandra regni adminiſtrationem ex mariti teſtamento aſſecuta eſt, quæque ex eodem ſcriptore tum lib. XIII. Ant. cap. 24., tum lib. I. de Bell. Jud. cap. 4. eruitur.

7 *Salina*) Antea erat *Solina*: at *Salina* legitur in MS. Vaticano, ut & in Euſebii Chronico, nec non apud Hieronymum Comm. in Dan. XI. *Alexandra, quæ & Salina vocabatur*. Joſephus *Salomen appellat*.

9 *imperium obtinebat*) Per ſpatium trimeſtre tantum a morte matris, quæ eumdem teſtamento heredem ex aſſe inſtituerat, cuique ætatis prærogativa regnum ſimul & Sacerdotium vindicabat, Hyrcanus imperium tenuit hac prima vice: ſed a fratre prælio victus, & utraque ſpoliatus fuit dignitate.

10 *confugit ad Pompejum*) Hoc aliquot poſt annos factum oportuit: nam Ariſtobulus ſex annos totidemque menſes regnavit, ut ex Joſepho colligit Pridæus, collatis inter ſe & emendatis duobus textibus, qui mendoſe *tres* tantum *annos* præferunt: ſunt autem Ant. XIV. cap. 11. & XX. 8.

introrsum pergere, & vicina quæque Romano imperio adjungere cupiens, caussas belli & materiam vincendi quærebat. Igitur Hyrcanum libens excepit, ductuque ejus Judæos aggreditur: urbe capta atque arce, templo pepercit: Aristobulum vinctum Ro-

1 *introrsum pergere*) *Introrsum* est ex Ms., cum antea esset in omnibus editis *ultrorsum*. Germanam autem Vaticani codicis lectionem esse, declarant quæ sequuntur: *& vicina quæque* &c. contra vitiosam esse lectionem vulgatam vel ex eo apparet, quod *ultrorsum* apud nullum idoneum latinitatis scriptorem legatur.

2 *materiam vincendi*) Ita antiquæ editiones omnes, Galesinii, Giselini, Fabricii in Orthodoxographis: at in recentioribus pro *vincendi* obrepsit *incendii*, nullo certo auctore aut vindice.

3 *lubens excepit*) Forte *excipit*. Quæ heic vix attinguntur, apud Josephum fusiori stilo narrantur.

3 *ductuque ejus*) Ex Josepho liquet tantum, Hyrcanum Judæos sparsos per universam regionem suasisse ne arma pro Aristobulo sumerent, & Pompejo arcis sive templi obsidionem urgenti egregiam cum Hierosolymitanis navasse operam. Vide Ant. XIV. 8. & de B. J. I. 5.

4 *urbe capta atque arce*) Urbs sponte se Pompejo tradidit, Aristobuli fautoribus intra templi seu arcis propugnacula se se acriter obstinateque defendentibus: post tertium demum mensem non sine magna Judæorum cæde templum vi captum.

4 *templo pepercit*) Vorstius: *Ita quidem, ut thesauros qui in eo erant* (adde etiam *sacra vasa*) *non attingeret: quod non Josephus tantum lib. XIV. Ant. cap. 8., sed & Cicero in Lælio prodidit*. Ciceronis (non *in Lælio*, seu in libro de Amicitia, sed in Oratione pro L. Flacco a D. Lælio de repetundis accusato) verba sunt: *At Cn. Pompeius captis Hierosolymis victor, ex illo fano nihil attigit. In primis hoc, ut multa alia, sapienter, quod in tam suspiciosa ac maledica civitate locum sermoni obtrectatorum non reliquit. non enim credo religionem & Judæorum & hostium impedimento præstantissimo imperatori, sed pudorem fuisse*. Hic tamen ea occasione violavit insigniter templi sanctimoniam, primum magna in ipso cæde facta ipsorum etiam sacerdotum sacris operantium: secundo quod cum amicis suis ea videre voluerit & adire, quæ solis sacerdotibus, immo uni Pontifici licebat, ut Josephus tradit tum supra laudato a Vorstio loco, tum lib. I. de B. J. cap. 5. Josephum sequitur Eusebius tum lib VIII. Evang. Demonst. (quem locum Hieronymus latine redditum inseruit suis commentariis in Danielem, cap. IX.) tum in Chronico: ubi cum aperte dicat, Pompejum *templo reserato usque ad sancta sanctorum accessisse*, Drusius tamen in notis apud Hornium hæc verba ita interpretatur, ut Pompejum in sancta sanctorum minime ingressum contendat, sed eo tantum progressum. Multo melius S. Augustinus lib. XVIII. de C. D. cap. 45. *Pompejus ... templum reserat non devotione supplicis, sed iure victoris, & ad Sancta Sanctorum, quo nisi summum Sacerdotem licebat intrare, non ut venerator, sed ut profanator accedit*: præ oculis profecto habens tum Eusebii Chronicum, tum Taciti locum Hist. V. 9. qui ita habet: *templumque jure victoriæ* (sed Augustinus legisse videtur *victoris*) *ingressus est*: ubi etiam hæc sequuntur non prætermittenda: *Inde vulgatum, nulla intus Deûm effigie vacuam sedem & inania arcana. Muri Hierosolymorum diruti, delubrum mansit*. qua etiam in significatione Severus scribere potuit templo pepercisse Pompejum. Vide & Florum lib III. cap. 5.

4 *Aristobulum vinctum*) Antea erat *victum*, quod minus commode de Aristobulo dici potest, qui ante urbem templumque captum a Pompejo sub custodia tenebatur. Sed *vinctum* scripserit Severus, ut alii præmonuerunt, secutus Eusebii Chronicum, quod itidem secutus est S. Augustinus loco supra citato scribens *vinctum secum Aristobulum duxit*. Eusebio prævivit Josephus, Ant. XIV. 8. *abduxitque secum Aristobulum vinctum*, δεδεμένον. Nec secus Florus: *Dissidentibus de regno fratribus arbiter factus, regnare jussit Hyrcanum. Aristobulo, quia renuebat* eam

Romam mittit: Hyrcano jus pontificatus restituit: impositoque Judæis stipendio, procuratorem eis Antipatrum quemdam Ascaloniten præposuit. Hyrcanus quatuor & triginta annos rerum potitus, dum adversum Parthos bella gerit, capitur. Tum

eam rem, catenas dedit. Ex Drusio apparet etiam in Eusebii Chronico *vinctum* aliquando fuisse lectum: de qua tamen varia lectione Pontacus nihil habet.

1 *Romam mittit*) Mallet Drusius *secum abduxit*, ut est apud Eusebium. sed utcumque dicas, perinde est. Sane idem Eusebius in VIII. Demonst. Evang. (eodem Hieronymo interprete, Comm in cap. IX. Danielis) habet *vinctumque* (in marg. *alias victumque*) *Aristobulum Romam misit, servans triumpho suo*. Hæc & similia notare pigeret, nisi magnis ceteroqui viris de iisdem quæstionem movere placuisset.

1 *jus pontificatus*) Non jus tantum exercendi ea quæ ad pontificem proprie spectabant, sed etiam totius gentis, ut antea, regimen, sine tamen regio nomine aut insigni, Hyrcano restituit Pompejus.

1 *impositoque Judæis stipendio*) Ab hoc primum tempore Judæos Romanorum stipendiarios factos, nemo jure ambigat. Quod autem Judæam jam tum in Provinciæ formam redactam fuisse contendunt nonnulli, eo potissimum argumento ducti, quod tributa Romanis penderet, a veritate prorsus abhorret. Quæ in Romano imperio Provinciæ dicerentur & essent, docet luculenter præ ceteris insignis Scriptor eruditi operis quod *Verona Illustrata* inscribitur, parte 1. lib. III. Oppones cum Vallarsio in Notis ad Eusebii Chronicum, insigne Ciceronis testimonium ex Oratione pro L. Flacco, quo dicitur Judæa *elocata*: sed operæ pretium erit legere quæ in eum locum Grævius notavit. Oppones item Amm. Marcellini testimonium; at ejus auctoritas in hac quæstione tanti non est, ut ab eo ad æquiorem judicem provocare non liceat. Denique quod de Scauro præside Syriæ (non *Judææ*) tradit Josephus, hoc est, ni fallor: ipsi demandatam fuisse custodiam etiam Judææ ac finitimorum locorum contra novos ac inopinatos bellorum aut seditionum motus. Ceterum Judæa tum demum in Provinciam redacta, cum pulso in exsilium Archelao Herodis Magni filio, a præsidibus Romanis administrari cœpit, ut omnes norunt.

2 *procuratorem eis Antipatrum, &c.*) Hæc fere ad verbum sumsit Severus ab Eusebii Chronico, neque tamen consentanea sunt Historiæ. Nam Hyrcanus, utpote regno administrando minus idoneus, atque Antipatro obstrictus, eo tamquam procuratore usus primum est, demum Cæsar hanc ipsi dignitatem suo quoque confirmavit decreto, de quo Josephus. Is tamen non Romanorum, sed Hyrcani nomine semper Judæis præfuit: nam hic non modo pontifex, sed etiam Ethnarcha Judæorum habebatur. Porro pro *Ascaloniten* scripserit Severus *Ascolonitam*; nam statim subdit *Antipatri Ascalonitæ*.

3 *quatuor & triginta annos*) Ita Eusebius, qui Hyrcani annos enumerare incipit a tempore mortis Alexandræ ejusdem matris; neque tamen recte computat: nam Josephus quadraginta omnino annos ab obitu patris & quum primum pontifex est creatus, numerat: a qua summa si novem illos annos demas, quibus ejus mater Judæis præfuit, reliqui erunt unus & triginta. rursum si hinc demas spatium quo statim post matris mortem rex & pontifex fuit, quodque trimestre supra cum Pridæo statuimus, rursumque annos sex totidemque menses quibus Aristobulus eam dignitatem sibi usurpavit; reliqui tantum erunt anni fere viginti quatuor, quos, postquam restitutus a Pompejo fuit, in pristina exegit majestate. Ideo Sigonius etiam apud Severum heic legendum putavit XXIV. pro XXXIV.

4 *adversum Parthos bella gerit*) Pacorus Parthorum rex universam Syriam ac Phœnicen armis occupaverat, nec non Asiam minorem: ab eoque expugnatis Hierosolymis Hyrcanus captus fuit, regnumque traditum

XXVII. Tum Herodes alienigena, Antipatri Ascalonitæ filius, regnum Judææ a senatu & populo Romano petiit, accepitque. Hunc primum Judæi externum regem cœperunt habere: etenim jam adventante Christo necesse erat, secundum vaticinia prophetarum, suis eos ducibus privari, ne quid ultra Christum 5 exspectarent. Sub hoc Herode, anno imperii ejus tertio & xxx, Chri-

tum Antigono filio Aristobuli, a quo præterea Hyrcanus auribus fuit truncatus, ne imposterum idoneus esset Sacerdotio, juxta legem Levit. xxi. 17. & seqq. Porro Hyrcanus decem fere postea vixit annos: ac primum quidem Seleuciæ in vinculis, deinde regnante Phraate exemtus e custodia & maximo in honore habitus a Judæis sub Parthorum imperio degentibus; demum in Judæam suasu Herodis reversus, ab ipso paullo post falso crimine impetitus & occisus fuit nonagenario major. Antigonus, ut diximus, a Parthis Judææ rex creatus, post triennium ab Herode, expugnatis iterum Hierosolymis, ibidem capitur, & paullo post Antiochiæ ab Antonio capite plectitur.

1 *Herodes alienigena*) De Herodis stirpe & origine non una fuit antiquorum sententia. Nicolaus Damascenus Vitæ Herodis scriptor, ut illi blandiretur, Antipatrum ejusdem patrem progenitum asseruit ex primaria aliqua familia Judæorum qui ex Babylonica olim redierant servitute. Josephus autem (idque maxime probabile videtur) memoriæ tradidit, Antipam seu Antipatrum hunc ex illustri Idumæorum familia ortum; avumque Herodis, Antipam itidem appellatum, regnantibus Alexandro Jannæo & ejus uxore præfectum Idumææ fuisse: adeo ut gente Idumæus, religione vero Hebræus fuerit, ut Idumæi ceteri, postquam ab Joanne Hyrcano judaizare compulsi fuerunt. Sed cum Severus his Herodem Antipatri *Ascalonitæ* filium dicit, sequitur Eusebium, apud quem in Chronico legitur, *Herodes Antipatri Ascalonitæ ..... filius*, necnon paullo ante *Antipatrum Herodis Ascalonitæ filium*. Atqui, si Idumæus Antipater fuit, ut scribit Josephus, quare Ascalonita dicitur ab Eusebio? Sequutus in eo est Africanum, qui (ut clare apparet ex Eusebio H. E. lib. 1. cap. 6. & 7., quo loco insigne ejusdem Africani ex epistola ad Aristidem fragmentum habetur, & ex Syncello pag. 296. ed. Paris.) scriptis mandavit, Antipatrum Herodis regis patrem Ascaloniten fuisse, filiumque cujusdam Herodis ex numero servorum qui Apollinis fano ibidem addicti erant. Hæc tamen & quæ in laudatis locis sequuntur, licet ut certa Africanus venditet, atque Eusebius recipiat, merito tamen improbantur.

3 *externum regem*) Scilicet *alienigenam*, ἀλλόφυλον, seu ex Judæorum Patriarchis minime progenitum. Valesius in notis ad laudatum caput 6. lib. 1. H. E. Eusebii, negat Herodem fuisse ἀλλόφυλον, Josephum Antiq. libro xx. cap. 6. in testimonium producens, ubi dicitur *Judæus genere*: at idem in notis ad cap. 7. cum eodem Josepho ex Antiq. xiv. 2. adstruit Idumæum fuisse. Scilicet hæc constans Josephi sententia fuit: nam lib. xx. non ex propria persona loquitur. Porro nec novum nec infrequens est Valesio, ut contraria inter se adstruat in suis adnotationibus.

4 *secundam vaticinia proph.*) Eusebius in Chronico, quem librum hic præ oculis habebat, laudat locum ex Gen. XLIX. 10. & Danielis prophetiam de LXX. hebdomadibus: de quibus videndi sacri interpretes.

6 *anno .... tertio & xxx*) Duplex regni Herodis initium ex Josepho. primum ab eo tempore ducitur, quo a Romano Senatu rex fuit creatus: alterum, quum victo Antigono in Judæa tranquille regnavit. & juxta primam quidem computandi rationem annis xxxvii., juxta secundam vero annis fere xxxiv. regnavit. Videri itaque possit Severus priorem amplecti hoc loco computum:

Christus natus est, Sabino & Rufino consulibus, VIII Ka-

tum: nam & regnum Herodis paullo supra auspicatur a S. P. Q. R. concessione, & paullo infra XXXVII. regni annos ipsi attribuit. Obstat tamen, quod consulatus Sabini & Rufini, sub quo mox Christum natum ponit, incidit ex majori parte in annum XXXVII. & ultimum Herodis, quum tamen Severus quatuor adhuc post Christum natum eidem annos vitæ reliquos faciat. Sed de consulibus in sequenti Nota. quod spectat ad annos Herodis, Eusebium sequutus est, qui duo illa regni Herodis, triennio circiter inter se discordantia, initia non advertit, sed & annos XXXVII. Herodi tribuit, & eos ab Antigoni cæde numerare perperam instituit. At, inquies, Eusebius non trigesimo tertio, sed superiori anno Christi nativitatem adfigit. Ita quidem est, ideoque valde suspicor, ac propemodum pro certo habeo, in Severo irrepsisse mendum, adeo ut pro *trigesimo tertio* legendum sit *trigesimo secundo*: nam præterquam quod non apparet, cur Severus uno anno postquam Eusebius statuerat, Christum natum voluerit; suppetit etiam ratio propter quam eodem quo Eusebius anno id esse factum putare debuerit. Nimirum, juxta vulgatam lectionem Christus passus esset post exactos vitæ triginta annos ac præterea menses aliquot (tot enim annorum emergit summa ex integris annis quatuor qui supersunt Herodis regis, novemque Archelai, ac decem & octo inceptis Herodis tetrarchæ) atqui inter Consules, quibus hinc natum, inde mortuum Christum idem statuit, intercedunt anni integri unus & triginta: ergo ut idem utrobique numerus annorum constaret, debuit Severus cum Eusebio trigesimo secundo Herodis anno Nativitatem adsignare; quod & ab eo factum censeo. quod etiam sequenti Nota magis perspicuum fiet.

s Sabino & Rufino coss.) *C. Calvisius Sabinus*, & *L. Passienus Rufus*, vel, ut hic habet, *Rufinus*, consules fuerunt anno ab V. C. DCCL. qui est quartus ante vulgarem Christi æram. Quæres, unde habuerit Severus his coss. Christum natum, & quanti esse debeat momenti ejusdem in hac quæstione sententia? Rem paucis accipe, ut ego quidem eam reputo. Severus, si alibi uspiam, certe hoc loco prorsus cæcutivit, ac omnia fœde perturbavit, dum hinc Eusebium, & ipsum non recte putantem, inde receptam apud antiquos Christianos opinionem sequitur, duasque res multum inter se discordantes simul conjungit. Primum itaque pro certo habuit, Christum duobus Geminis coss. mortuum, eoque quasi quodam fundamento superstruxit suam de Christi annis chronologiam: secundo, non advertit Eusebium tertio post consulatum Geminorum anno (juxta latinum sane Chronicum) Christi mortem adfigere: itaque cum iisdem coss. convenire sibi persuasit annum XVIII. Herodis tetrarchæ, qui in eo chronico est σταυρώσιμος: tertio, cum ex Eusebio colligeret, ut superiori Nota attigimus, Christum egisse in terris annis uno & triginta ac mensibus aliquot (licet revera aliter Eusebius putaverit, ut alibi erit dicendum) a duobus Geminis coss. initio ducto, totidem annos sursum versus enumerans in Fastis consularibus, tandem reperit Sabinum & Rufum coss; proinde hos sibi persuasit cum anno Herodis XXXII. (ita enim apud Severum legendum esse supra monuimus) concurrere, atque adeo cum ipso natali anno Redemtoris nostri. Baronius in App. in Annales num. C., tres omnino antiquorum sententias recenset de consulibus quibus natus sit Christus Dominus. Prima Epiphanii est, qui Augustum XIII. & Silvanum coss. eo anno fuisse scribit: altera est Cassiodorii, qui Cornelium Lentulum & Valerium Messalam, seu Messalinum mavult: tertia denique Severi nostri, qui quidem biennio ante Silvanum Consulem nativitatem Domini affigit, cum Cassiodorius anno inter Severi & Epiphanii computum medio incedat. Præterea *Octaviano XIII. & Silano*, seu potius *Silvano*, natum Christum *die VIII. Kal. Jan.* posuit & Idatius in Fastis, tum ille antiquior

Digitized by Google

Kalendas Januarias. Verum hæc quæ Euangeliis ac deinceps Apoſtolorum Actibus continentur, attingere non auſus, ne quid forma præciſi operis rerum dignitatibus diminueret, reliqua

anonymus ſcriptor, cujus hæc affert verba Scheleſtratius Tom. 1. Ant. Eccl. pag. 542. ex Cuſpiniano: *Auguſto XIII. & Syla (lege Silvano) coſſ. natus eſt Chriſtus in Bethleem Judææ ſub Herode rege VIII. Kal. Januarii die 1. luna XV.* Contra in Faſtis Conſularibus a Norisio & Scheleſtratio editis, ad conſulatum Cæſaris & Paulli, qui coſſ. in annum primum æræ Chriſti vulgaris incidunt, habetur: *Hoc conſ. Chriſtus natus eſt VIII. Kal. Jan. lun. XV.* Sed dubium eſt, utrum hæc nota ab eodem primum compilatore, qui anno Chriſti CCCLIV. in quem hi Faſti deſinunt, florebat, appoſita fuerit; an potius ab alia manu poſtea inſerta: quod maxime probabile mihi fit, quod nimirum vulgarem æram Chriſti antiquis illis temporibus incognitam ſtabiliri videam illis verbis. Denique *Silvano Conſule* nativitatem Chriſti adſigit etiam auctor Commentarii in Matthæum a Cl. Montfauconio editi ſub Athanaſii nomine, cujus tamen germanum fetum eſſe ego valde ambigo. Sane ibidem perperam Silvanus coſ. componitur cum anno Auguſti XLV. εἶχε δὲ (καὶ) τότε Αὔγουστος ἐν τῇ βασιλείᾳ ἔτος πέμπτον καὶ τεσσαρακοστόν, ὑπατεύοντος Σιλουανοῦ. Quiſquis tamen hæc ſcripſit, annum XLII. Auguſti fortaſſe poſuit, quod a librariis fuerit corruptum, ſcribentibus με pro μβ. Sane potiſſima ac fortaſſis unica ratio, propter quam Epiphanius & alii Silvani conſulatum anno Chriſti natali deſignando uſurparint, ea fuiſſe videtur, quod idem cum anno Auguſti XLII. conveniret, hic vero in Chronico Euſebii cum anno Chriſti natali conveniat. Porro alii ab his coſſ. nominantur in Chronico Paſchali, tum a Syncello & aliis; ſed quos vel referre piget. Ceterum ut ab antiquis ad recentiores ſcriptores tranſeamus, placet pleriſque eruditiſſimis nativitatem Chriſti adſigere anno Auguſti quadrageſimo, ab V. C. DCCXLIX., Auguſto XII. & L. Cornelio Sulla coſſ., qui eſt annus proximus ante Conſules *Sabinum & Rufum*, & quintus ante æram Chriſti. Ita Petavius, Uſſerius, Norisius, Tillemontius, alii, & noviſſime Thomas Vincentius Monelia eruditus ex illuſtri Dominicana familia ſcriptor, in Diſſertatione *De annis J. Ch. Servatoris*.

1 *VIII Kal. Jan.*) Petrus quidam Allix in *Diatriba de anno & menſe natali J. Ch.* edita Londini anno 1710. hæc habet pag. 8. *Qui primus Chriſtum VIII. Kal. Januarii natum voluit inter Occidentales ſcriptores, fuit Sulpicius Severus lib. 2. Sacræ Hiſt., in quo ſequi videtur auctoritatem Pſeudo-Clementis Conſt. Apoſt. lib. 5. cap. 12.* (melius 13.) *qui non diu ante vixit.* Atqui neque primus Severus ex Occidentalibus ita ſenſit aut ſcripſit, neque ſecutus in eo eſt Pſeudo-Clementem, ſed uterque expreſſit conſtantem & antiquiſſimam in univerſo Occidente traditionem, cujus etiam teſtes ſuperſunt adhuc quamplures Severo fere æquales aut etiam antiquiores latini ſcriptores. Sane in Calendario illo Romano, quod medio circiter ſæculo quarto confectum fuiſſe jure creditur, ita habetur: *VIII. Kalendas Jan. natus Chriſtus in Bethleem Judæ.* Vulgavit primus hoc egregium antiquitatis ſacræ monumentum Ægidius Bucherius in ſuo Cyclo Paſchali, Ruinartius vero inſeruit *Actis Martyrum ſinceris* circa finem, ubi duo præterea alia Calendaria ætate aliquantulum inferiora habentur, in quibus eodem die Chriſti nativitas conſignatur. His adde S. Philaſtrium Epiſcopum Brixianum in libro de Hæreſibus, ex noviſſima & luculenta editione Brixiana, in qua cum ex MS. Corbejenſi ſex, quæ in omnibus impreſſis libris deſiderabantur, capita ſuppleantur, in eorum uno hæc habentur: *Sunt quidem dubitantes hæretici de die Epiphaniorum Domini Salvatoris, qui celebratur octavo idus Januarias, dicentes ſolum Natalem debere eos celebrare Domini octavo calendas Januarias*

Digitized by Google

liqua exsequar. Herodes post nativitatem Domini regnavit annos IIII: nam omne imperii ejus tempus VII & XXX anni fuerunt. post quem Archelaus tetrarcha annis IX, He-

nuarias, non tamen diem Epiphaniorum: & cetera, quæ ibidem habentur pag. 107. Observat autem Cl. editor Galeardus Brix. Canonicus in sua Præfatione pag. XXXII., Philastrium carpere eo loco Donatistas; quod ex Augustini Serm. IV. de Epiphania, qui in Benedictina editione est ordine CCII., colligitur. Philastrio adde Prudentium, qui hymnum in Nativitate Domini, alium ab hymno Epiphaniæ, ita inscripsit: *Hymnus VIII. Kal. Januar.*: adde & Paullinum Nolanum, qui sub initium Natalis IX. S. Felicis distinguit festum Natalis Christi ab Epiphania, qua olim pleræque Orientis Ecclesiæ Christi Nativitatem una cum nonnullis aliis mysteriis Christi recolebant, quem tamen morem perstringit S. Hieronymus Comm. in Ezechielem cap. I. initio. Orosius item lib. VII. cap. 2. natum Christum dicit *VIII. Kal. Januarii*: licet in editione Havercampii, errore, ut puto, typographico, legatur *VII. Kal. Januar.*, repugnantibus ceteris libris impressis & MS. Bibliothecæ Laurentianæ Florentiæ, *qui mille fere annorum ætatem præfert*, ut asserit Pater Monelia supra laudatus, pag. 45. Dissert. *De annis J. Ch.* Conferendus etiam Orosii locus cum Augustino Tract. in Ps. CXXXII., unde videtur expressus. Et quoniam Augustini mentio incidit, id ipsum ille sexcentis fere locis vel aperte declarat, vel non obscure indicat, atque ita, ut nullibi innuat hanc de die natali J. Christi persuasionem nuper obtinuisse: quin immo alicubi aperte declarat eam antiquissimam & ubique usu receptam, ut lib. IV. de Trinit. cap. 5., lib. II. Quæst. in Exod. quæst. XC., & Serm. CCCLXXX., qui est, inter dubios, II. de nativitate Joannis Baptistæ. Adde his auctoritates proxima Nota jam productas. Hæc præterea Occidentalium traditio egregie confirmatur auctoritate aliquot græcorum Patrum, Chrysostomi potissimum, Oratione quam anno CCCLXXXVI. Antiochiæ habuit in die Natali J. Ch., quæque in novissima editione exstat Tomo II., ad quam multa de hac quæstione præfatur Montfauconius, ex altera sua Præfatione in Cosmæ Topographiam, litteras ἀμφιβαλίας Cyrilli & Julii Papæ ita tamen laudans, ut pro veris venditare videatur, quæ commentitiæ omnino sunt, ut tradunt Coteierius in Notis ad cap. 13. lib. V. Const. Apost., & Tillem. Nota IV. in J. Ch. vitam, ad quos, ne longior sim, lectorem ablego. Porro idem Montfauconius ibidem addit, *versus IV. sæculi medium invectum in easdem regiones* (de Ægyptiis & Orientalibus loquitur) *ut XXV. Decembris Natalem diem agerent: unde Athanasius ad XXV. Decembris ortum Christi consignat in Fragmentis Comment. in Matth. pag.* 26. At ex Cassiani Coll. X. cap. 2. liquet, in Ægypto diu post antiquum morem adhuc obtinuisse, ut Natalis Domini in Epiphania celebraretur. Fragmenta autem illa Comm. in Matth. non esse Athanasii vel hinc conjicere est, tum ex ipsis verbis, quæ sunt πρὸ ὀκτὼ καλανδῶν ἰανουαρίων, *ante diem VIII. Kal. Januar.* Athanasius enim non Romanorum menses & calendas usurpasset, sed Ægyptiorum morem servans *vigesima octava mensis Choiac* scripsisset, ut supra laudatus Cosmas Ægyptius monachus fecit.

2 *regnavit annos* IIII) Hæc sane confirmare videntur lectionem vulgatam, ubi paullo supra anno trigesimo *tertio* Herodis Christus natus dicitur, quam tamen nos vitiosam esse ostendimus. Verum si ponamus alterutrum ex his locis casu vitiatum fuisse a librariis, facile quisque videt potuisse alterum etiam locum ab ipsis consulto corrumpi, ne inter se pugnarent. Itaque si supra Severus annos XXXII. cum Eusebio putavit, hic *annos V.* scripsit.

3 *annis IX*) Totidem Eusebius huic tribuit, nec non Josephus de Bell. Jud. lib. II. cap. 6., qui tamen Antiq. XVII. cap. 15. decem annos enumerat; sed revera fuerint novem cum mensibus aliquot, post quos tandem relegatus fuit.

Digitized by Google

Herodes annis XX & IIII. Hoc regnante, anno regni octavo & decimo, Dominus crucifixus est, Fufio Gemino & Rubellio Gemino consulibus. a quo tempore usque in Stiliconem consulem sunt anni CCCLXXII. Apostolorum Actus Lucas edidit, usque in tempus quo Paullus Romam deductus est Nerone imperante: qui non dicam regum, sed omnium hominum & vel immanium bestiarum sordidissimus, dignus exstitit qui persecutionem in Christianos primus inciperet:

XXVIII. 5

1 *annis xx & IIII.*) Giselini editio ad prototypam quam diligentissime, ut ipse profitetur, exacta, habet hoc loco non *annis*, sed concise *an.*, unde in aliis editionibus factum *annos*: sed scribendum fuit *annis*, ut paullo supra. In editione Sigonii habetur *xxaiv.*: nimirum ita illi emendare placuit, quia tot fere annis, statim a patris morte aut paullo post, tetrarcha fuerit: verum hic cum Eusebio Herodis hujus annos non recenset nisi post Archelaum in exsilium ab Augusto pulsum. In eumdem, sed multo turpius, impegit lapidem Joannes Clericus Bibl. Select. Tom. XX., ubi Severi scripta recensens & expendens, acriter ipsum incusat, quod XXII. tantum Christo annos vitæ assignet: totidem enim, inquit, emergunt, si quatuor Herodis regis cum XVIII. alterius Herodis tetrarchæ conjungas: sed si Clericus novem etiam Archelai computasset, ut iste fecit, comperisset annos XXXI. Sed de his annis jam supra multa adnotavimos.

2 *anno regni octavo & decimo*) Herodes hic non rex proprie, sed *tetrarcha* dicebatur: potuit tamen de eo ita loqui Severus, ut de Archelao itidem tetrarcha loquutus est Matthæus Euangelista, cap. II. 22. & de hoc ipso Herode, cap. XIV. 9. nec non Marcus sæpius, cap. VI. Porro annus hic octavus decimus Herodis concurrit in Eusebii Chronico cum anno item XVIII. Tiberii Cæsaris, quo Christi Domini mors in eodem Chronico latino ponitur.

2 *Fufio Gem. & Rubellio Gem.*) Horum coss. etiam supra mentio occurrit, scilicet pag. 118., utrobique autem in omnibus impressis mendose legitur *Fusio* & *Rebellio*. Hoc secundum jam tum emendavimus, *Fusiam* autem reliquimus, quod a multis ita appelletur non modo recentibus, sed etiam antiquis scriptoribus, ut a Tacito juxta plerasque editiones, a Cassiodorio, & in vulgaribus Fastis: adeo ut mendum hoc non in Severi textum irrepsisse, sed ipso antiquius videatur, ut & ipse Norisius sensisse videtur. Nunc tamen mutata sententia placet omnino *Fufium* edere, utcumque Severus scripserit. Porro his coss. mortuum Christum antiqua opinio fuit, cujus testes habemus Tertullianum lib. adversus Judæos, cap. 8., Lactantium lib. IV. Divin. Instit. cap. 10. & initio libri de Mort. Pers., Augustinum de C. D. lib. XVIII. cap. 54., Prosperum Aquit. in Chronico *ex usitatiore*, ut loquitur, *traditione*, & conterraneum ejus Victorium in Can. Pasch. initio, & alios multos. ita ex recentioribus etiam nonnulli sentiunt, ut Henschenius, Pagius, Schelestratius, Norisius, Gravesonos.

4 *sunt anni ccclxxii.*) Ita MS. liber, & antiquiores impressi, ut Gisel. & Galesinii: sed recentiores, ut Hornii & Vorstii, mendose *cccxaii.* Itaque si annis CCCLXXII. addas alios XXXII., quibus a Geminis coss. ad Rufinum & Sabinum ascendendo pervenitur, fient anni CCCCIV., quot nimirum ab anno Christi natalitio juxta Severum excesserant, quum Stilico consulatum iniit, quod anno vulgaris Christi æræ CCCC. contigisse certum est.

8 *dignus exstitit qui*, &c.) Præclare Tertullianus in Apologet. cap. 5. *Consulite commentarios vestros: illic reperietis primum Neronem in hanc sectam tum maxime Romæ orientem Cæsariano gladio ferocisse. Sed tali dedicatore damnationis nostræ etiam gloriamur: qui enim scit illum, intelligere potest non nisi grande aliquod*

peret: nescio an & postremus explebit. siquidem opinione multorum receptum sit, ipsum Antichristum venturum. Hujus vitia ut plenius exponerem, res admonebat, nisi non esset hujus operis tam vasta ingredi: id tantum adnotasse con-
5 tentus sum, hunc per omnia fœdissima & crudelissima eo processisse, ut matrem interficeret; post etiam Pythagoræ cuidam in modum sollemnium conjugiorum nuberet: inditumque Imperatori flammeum: dos & genialis torus & faces nuptiales, cuncta denique quæ vel in feminis non sine
10 verecundia conspiciuntur, spectata. reliqua vero ejus, incertum pigeat an pudeat magis differere. Hic primus Christianum nomen tollere aggressus est: quippe semper inimica virtutibus vitia sunt, & optimi quique ab improbis quasi exprobrantes adspiciuntur. Namque eo tempore divina apud Urbem religio invaluerat, Petro ibi episcopatum gerente, & Paullo,

quod bonum a Nerone damnatum. & adversus Gnosticos: *Orientem fidem Romæ primus Nero cruentavit.* Adde Lactantium in libro de Mort. Persec. non longe ab initio, aliosque multos.

1 *explebit*) Libri omnes *expleverit*, quod Sigonius positum vult pro *expleturus sit*. Sed omnino legendum *explebit*, ut notavit etiam Giselinus. Ceterum de Nerone venturo in fine sæculi dubitanter loquitur Severus & ex *multorum opinione*, de qua rursus cap. seq., & Dial. II. prope finem.

2 *ipsum Antichristum venturum*) Hæc sententia erronea asseritur a S. Victorino ep. & mart. Petavionensi Comment. in Apocalypsin. Commodianus Instruct. XLI., in fine mundi Neronem ex inferno reversurum tradit. Eadem fere & Chrysostomus in II. ad Thessal. II. Homil. IV. & in Homil. de Eleem. & coll. Præterea ejusdem opinionis meminerunt S. Hieronymus Comm. in Daniel. XI., & S. Augustinus de C. D. lib. XX. cap. 19. aliique, ita tamen ut Neronem ipsum Antichristum futurum ex nonnullorum opinione significent. At alii non ipsum Antichristum Neronem, sed hunc ejus quasi præcursorem futurum putarunt: quam sententiam in fine Dial. II. S. Martino hic adserit, & quam ipse hoc loco fortassis expressit. opinor enim legendum esse *ipsum ante Antichristum venturum*: nam & *ante* facile excidere potuit ob ejusdem fere vocis repetitionem, &, si illud primum dictum voluisset, *futurum* non *venturum* adjecisset. adde quod sequenti capite dicitur *sub sæculi fine mittendus*, nempe ab Antichristo. Hanc etiam secundam sententiam refert & impugnare videtur Lactantius, de Mort. Pers., his verbis: *Unde illum quidam deliri credunt esse translatum, & vivum reservatum (Sibylla dicente, Matricidam profugum e finibus esse venturum) ut qui primus persequutus est, idem etiam novissime persequatur, & Antichristi præcedat adventum*, &c. Sed hic id unum fortasse non probavit, quod dicerent aliqui Neronem *translatum & vivum reservatum*: quid de reliquis senserit, ob textum sequentem lacunis hiantem non plane liquet.

6 *Pythagoræ cuidam*) Hæc ex Tacito, XV. Ann., fere ad verbum. *Ipse per licita atque illicita fœdatus, nihil flagitii reliquerat, quo corruptior ageret: nisi paucos post dies uni ex illo contaminatorum grege, cui nomen Pythagoræ fuit, in modum sollemnium conjugiorum denupsisset. Inditum Imperatori flammeum: missi auspices duo* (forte *dos*) *& genialis torus, & faces nuptiales; cuncta denique spectata, quæ etiam in femina nox operit.*

13 *Petro ibi episcopatum gerente*) Petrum Romæ episcopum fuisse certissimum est, nec nisi a pervicacioribus quibusdam hæreticis in dubium revocatur, aut etiam negatur: quos

Paullo, posteaquam ab injusto *præsulis* judicio Cæsarem appellaverat, Romam deducto: ad quem tum audiendum plures conveniebant; qui veritate intellecta, virtutibusque Apostolorum, quas tum crebro ediderant, permoti, ad cultum Dei sese conferebant. Etenim tum illustris illa adversus Simonem Petri ac Paulli congressio fuit. qui cum magicis artibus, ut se Deum probaret, duobus suffultus dæmoniis evolasset, orationibus Apostolorum fugatis dæmonibus, delapsus in terram, populo inspectante disruptus est. Interea

XXIX. abundante jam Christianorum multitudine, accidit ut Roma incendio conflagraret, Nerone apud Antium constituto. sed opinio omnium invidiam incendii in Principem retorquebat, credebaturque Imperator gloriam innovandæ urbis quæsisse.

quos tamen satis redarguit Schelestratius Ant. Eccl. T. II. Diss. III. cap. I. & 2. Quæstio tamen est etiam inter Catholicos, utrum sub Nerone tantum, an etiam sub Claudio primum Romam Petrus venerit: hoc tamen ego verissimum puto. Qui argumenta & auctoritates pro utraque sententia expendere cupit, adeat Pagium in Critica Baronii ad annum Claudii III., & laudatum Schelestratium Ant. Eccl. Tom. I. Diss. I. cap. V. art. 4.: hic enim contra Pagium probat Petrum sub Claudio cathedram Romæ posuisse. ejusdem sententiæ est etiam Tillemontius, in S. Petro.

1 *ab injusto* præsulis *judicio*) Palam est Severū *præsidis* scripsisse hoc loco, non *præsulis*. Festum enim intelligit præsidem, a quo Cæsarem appellaverat: Act. XXVI. Ceterum primus hic est Paulli Romam adventus, post quem rursus Græciam peragrasse constat.

4 *ediderant*) Ita Giselin. & posteriores editiones: in Lipsiensi tamen habetur *ediderunt*. Lactantius de M. P. de Petro scribit: *Romam venit, & editis quibusdam miraculis, quæ virtute ipsius Dei, data sibi ab eo potestate, faciebat*, &c.

5 *Etenim tum*) Omnino probabile videtur Petrum ac Paullum nondum Romam secundo venisse, quum ibidem Nero in Christianos sæviit falso incendii crimine impetitos, de quo paullo infra Severus.

5 *adversus Simonem*, &c.) Hornius in Notis ad hunc locum, & Jo. Clericus Biblioth. Select. Tom. XX. fidem elevare nituntur huic miraculo; sed id alii etiam fecerunt ex heterodoxis; quos tamen omnes antiquorum auctoritas obruit, Arnobii scilicet lib. II. contra Gentes, Cyrilli Hierosol. catech. VI. (qui, ut noster, & S. Maximus Taurinensis, Petro adjungit comitem Paullum) Epiphanii, Philastrii, Augustini & aliorum, quos recenset Tillemontius, in S. Petro, art. 34. & in Exerc. XII. de S. Petro Fogginus.

7 *ut se Deum probaret*) Fortasse pro *Deum* legendum est *Dominum*, scilicet Christum. *asserebat* nempe *se esse Christum*, ut de eo Augustinus in libello de Hæresibus: idque aliis verbis alii passim tradiderunt.

9 *disruptus est*) Ita tamen, ut non statim ab illo primo casu animam scelestissimam efflarit, nisi hæc referas ad alterum casum, quum ipse paullo post e domo præcipitem se dedit, ut refert Arnobius loco citato.

13 *gloriam innovandæ urbis*, &c.) Hæc ex Tacito lib. XV. Annal. pæne ad verbum: *videbaturque Nero condendæ urbis novæ, & cognomento suo appellandæ gloriam quærere*. Ita & quæ sequuntur: nam Tacitus habet: *Sed non ope humana, non largitionibus principis, aut Deûm placamentis decedebat infamia, quin jussum incendium crederent. Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos, & quæsitissimis pœnis affecit quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat. ... Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent; aut crucibus affixi, aut flammandi, atque*

ubi

Digitized by Google

fisse. neque ulla re Nero efficiebat, quin ab eo jussum incendium putaretur. Igitur vertit invidiam in Christianos, actæque in innoxios crudelissimæ quæstiones. quin & novæ mortes excogitatæ, ut ferarum tergis contecti laniatu ea-
5 num interirent. multi crucibus affixi, aut flamma usti: plerique in id reservati, ut cum defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur. Hoc initio in Christianos sæviri cœptum. post etiam datis legibus religio vetabatur, palamque, edictis propositis, Christianum esse non licebat. Tum
10 Paullus ac Petrus capitis damnati: quorum uni cervix gladio desecta, Petrus in crucem sublatus est. Dum hæc Romæ geruntur, Judæi præsidis sui Festi Flori injurias non ferentes, rebellare cœperunt. adversus eos Vespasianus proconsulari imperio a Nerone missus, multis gravibusque præliis devictos
15 coegit intra muros Hierosolymæ confugere. Interim Nero jam etiam

ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur. Quid? quod quidam Taciti illustrator ex Severo conjecit pro *flammandi* rescribendum *flamma usti*, & pro *atque ubi* faciendum *aliqui ubi*. Sane in Tacito nonnulla excidisse hoc loco videntur.

6 *in usum nocturni luminis*) De hoc dirissimo supplicio agit Juvenalis Satyr. I. v. 155. & seq., quem locum vetus interpres ita illustrat: *Tigillinum si læseris, vivus ardebis, quemadmodum in munere Neronis vivi arserunt, de quibus ille jusserat cereos fieri, ut lucerent spectantibus, cum fixa essent illis guttura, ne se curvarent. Nero maleficos homines* (ita nimirum a gentilibus appellati & habiti Christiani) *tæda & papyro & cera supervestiebat, & sic ad ignem admoveri jubebat, ut arderent.*

8 *datis legibus*) Sigonius legendum censet *latis legibus*. ceterum non Romæ tantum, sed etiam per provincias vexatos a Nerone Christianos ex Suetonio & aliis Severo adstipulantibus collegit Pagius in Crit. Bar. ad annum J. Ch. LXIV. n. 4. & Ruinartius in Præfat. generali in Acta Martyrum num. 26.: quos vide.

10 *Paullus ac Petrus*) Apparet Severum in ea sententia fuisse, quæ hos apostolos eodem anno martyrio coronatos existimat; cum alii eodem quidem die, sed non eodem anno id factum voluerint. Tillemontius, Nota XLII. in Petrum, utriusque sententiæ adsertores producit.

10 *quorum uni cervix*, &c.) Consentiunt antiqui omnes, quod ad martyrii horum Apostolorum speciem attinet: nimirum, ut verbis Tertulliani utar ex libro de Præscript. n. 36. *Ista quam felix Ecclesia* (Romana) *cui totam doctrinam Apostoli cum sanguine suo profuderunt: ubi Petrus passioni Dominicæ adæquatur: ubi Paullus Joannis exitu coronatur!* Petrus tamen ita cruci adfixus traditur, ut capite penderet ad terram verso, vel quod indignum ipse se duxerit qui ut Dominus crucifigeretur, ut plerique referunt, vel potius ut majorem pœnam & infamiam ipsi ministri eidem infligerent. Sane Josephus lib. VI. de B. J. a militibus Romanis Judæos quamplurimos eo pacto crucibus adfixos tradit: quod item de aliquibus in Ægypto martyribus Eusebius lib. VIII. cap. 8. refert.

12 *Festi Flori*) Josephus hunc vocat *Gessium Florum*, qui in Eusebii Chronico per errorem dicitur *Cestius Florus*; unde heic fortasse factum *Festus Florus*: vel *Festus* ex superiori capite huc translatus, quod unus & idem esse creditus fuerit uterque præses Festus & Florus.

15 *Interim Nero*) In antiquis libris editum fuit *interim vero*, quod tamen mendum Giselinus in sua editione jam pridem sustulerat, &

etiam sibi pro conscientia scelerum invisus, humanis rebus eximitur: incertum an ipse sibi mortem consciverit. certe corpus illius *interemtum*. unde creditur, etiamsi se gladio ipse transfixerit, curato vulnere ejus servatus, secundum illud quod de eo scriptum est: Et plaga mortis ejus curata est; sub sæculi 5

Latinus Latinius in sua Biblioth. correxerat: nihilominus in recentioribus aliquot libris, ut Hornii, adhuc conspicitur.

1 *humanis rebus eximitur*) His verbis, & quæ sequuntur, *post excessum Neronis*, aperte declarat Severus, se minime dubitasse Neronem obiisse mortem. Confer huic similem locum ex Vita Martini pag. 14. lin. 4. *ita subita mors fuerat, ut absque baptismate humanis rebus excederet*. nec desunt aliorum exempla: *Octavo kalendas Octobris Gratiano & Dagalaipho coss. Libertus humanis rebus eximitur*, habetur in libello supplici Faustini & Marcellini presbyterorum. sic *excessus* pro morte frequens occurrit apud scriptores, ut etiam in Evangelio Lucæ IX. 31.: apud hunc autem sæpius, ut lib. 1. cap. X. *post excessum patris*, & cap. XXIII. circa finem, & alibi. Non itaque ipse probabat quod deinde subdit, *unde creditur* &c. quod item improbatum supra vidimus a Lactantio his verbis: *Unde illum quidam deliri credunt esse translatum & vivum reservatum*, &c. Quin etiam utriusque scriptoris sententia ita consona est, ut noster hic Lactantii vestigiis institisse videatur. Vide & Notam sequentem.

2 *certe corpus illius* interemtum) Mendum sub hoc ultimo verbo cubare, nemo ex iis qui Severum illustrarunt, observavit; quod tamen mihi est evidentissimum. Dixerat iam Severus obiisse Neronem, incertum tamen esse an ipse sibi manus consciverit: cur itaque hic rursus repeteret, illum *certe interemtum*? Nec tamen ita scriptum est, sed *corpus illius interemtum*. at, quæso, quisnam ita umquam loquutus est, quum vellet significare aliquem violenta morte periisse? Deinde quinam inde consequi posset, si quidem ita legendum esset, quod subditur, *unde creditur* &c.? sane qui in hac opinione erant, Neronem minime interemtum sibi persuaserant. Mallem itaque legere *interceptum*, aut *irrepertum*, ut coniecit Tillemontius, in Nerone art. XXXII., aut simili alio modo: ita enim sententia optime fluet. Confer nunc iterum locum Lactantii, qui integer ita se habet: *Deiectus itaque fastigio imperii, ac devolutus a summo tyrannus impotens, nusquam repente comparuit* (ita & Idatius in Fastis post coss. Marium & Gallum: *His coss. Nero non comparuit*) *ut ne sepulturæ quidem locus in terra tam malæ bestiæ appareret. unde illum quidam deliri credunt*: cetera, ut supra. Confirmatur etiam hæc nostra emendatio Augustini verbis ex lib. XX. de C. D. cap. 19. *Unde nonnulli ipsum* (Neronem) *resurrecturum, & futurum Antichristum suspicantur. Alii vero nec occisum putant, sed subtractum potius, ut putaretur occisus, & vivum occultari in vigore ipsius ætatis, in qua fuit cum crederetur exstinctus, donec suo tempore reveletur & restituatur in regnum. Sed multum mihi mira est hæc opinantium tanta præsumtio*. Porro hæc absurda persuasio de Nerone adhuc vivente iam inde ab eius obitu hominum mentes pervaserat, ut liquet ex Tacito, Suetonio & aliis, quos diligenter suo more Tillemontius recenset loco iam laudato.

5 *Et plaga mortis eius*) Ex Apocalypsi cap. XIII. 3., quem locum nonnulli interpretes de Antichristo intellexerunt, licet alia significatione: sed revera de idololatria sub Juliano Imperatore reviviscente est interpretandus cum Cl. P. Calmeto. Porro Gisel. & alii habent *ut plaga*, quod a Drusio fuit primum emendatum.

Digitized by Google

culi fine mittendus, ut myſterium iniquitatis exerceat. Igitur XXX.
poſt exceſſum Neronis Galba imperium rapuit: mox Otho,
Galba interfecto, occupavit. Tunc Vitellius *in Gallias*, fretus exercitibus quibus præerat, Urbem ingreſſus, Othone in-
5 terfecto, ſummam rerum uſurpavit; quæ poſteaquam ad Veſpaſianum delata, licet malo exemplo, bono tamen affectu
Reip. ab improbis vindicandæ, cum Hieroſolymam obſideret,
ſumit imperium: &, ut mos eſt, diademate capiti impoſito,
ab

1 *ut myſterium iniquitatis exerceat*) Alludit profecto ad Paulli verba in II. ad Theſſal. cap. II. 7. *Nam myſterium iam operatur iniquitatis:* quæ de Antichriſti miniſtris & Eccleſiæ hoſtibus generaliter dicta uni Neroni ſigillatim aptabant (ut tum ex hoc loco, tum ex Auguſt. lib. xx. de C. D. cap. 19. & ex Joanne Chryſoſtomo locis alias iam indicatis apparet) quicumque illum vel Antichriſtum, vel Antichriſti præcurſorem futurum putabant. ſed perperam: ſiquidem epiſtola illa ſcripta fuit ab apoſtolo Paullo imperante adhuc Claudio, non ſub Nerone, ut obſervavit præclare Baronius ad annum Neronis XIV. num. 3., qui tamen dum num. 4. eius ſententiæ, quæ Neronem adhuc vivere, donec ſuo tempore reveletur & reſtituatur in regnum, aſſerebat, Severum noſtrum *aſſertorem* eſſe addidit; ex iis quæ ſupra notavimus, abunde refellitur. ſed & quæ ibidem habet de alio Severi loco, qui habetur circa finem Dialogi II., iam ſuperiori tomo expendimus pag. 270. & ſeq.

2 *Galba imp. rapuit*) Galba in Hiſpania contra Neronem imperantem inſurrexerat, ſibique imperii culmen vindicaverat, quod ei poſtea ſenatus populuſque Romanus confirmavit; quæ cauſſa fuit Neroni ab omnibus derelicto, ut fugeret ſibique manus iniiceret.

3 *Vitellius* in Gallias) Sigonius iam pridem monuit legendum *ex Galliis*. Sic Sextus Aurelius Victor in Othone: *Poſtquam a Vitellio, qui e Gallia deſcenderat, Veronenſi prælio pulſus eſt, mortem ſibi conſcivit.* Atqui Vitellius non in Gallia, ſed in Germania, quo a Galba paullo ante miſſus fuerat, a legionibus *Germanicianis*, quibus tunc præerat, imperator ſalutatus fuit, nec in Italiam deſcendit, niſi poſt victum ac mortuum Othonem: dici tamen potuit *e Gallia* veniſſe Romam; quandoquidem per Gallias & alpes Cottias iter habuit. Quod vero Sex. Aurelius *Veronenſe prælium* dicit, Bebriacenſe dictum voluit, idque, ut puto, quia ex Tacito comperiſſet Bebriacum ſive Bedriacum *inter Veronam Cremonamque ſitum vicum* eſſe. Clariſſ. tamen Scriptor *Veronæ Illuſtratæ* part. 1. lib. 1. prope finem non dubitat legendum eſſe *Cremonenſi prælio*.

4 *Othone interfecto*) Otho ipſe ſibi mortem conſcivit, non Vitellius, de quo paullo infra. Memoria itaque lapſus Severus de Vitellio ſcripſit, quod de Othone referunt omnes Hiſtorici.

5 *quæ poſteaquam*) Placeret legere, *quæ poſtea ad V. delata*, abſolute. *Ad Veſpaſianum delata* eſt dictum improprie pro *Veſpaſiano oblata*.

7 *Reip. ab improbis vindicandæ*) Mucianus Syriæ præſes, ut eſt apud Tacitum, cunctantem & nutantem Veſpaſianum impulit ad imperium ſibi vindicandum, ut rempublicam a Vitellio liberaret: itaque *affectus bonus* erat, *malum* autem *exemplum*, quo alii abuti poterant, ut adverſus imperatorem rebellarent, ſibique uſurparent imperium.

8 *ut mos eſt, diademate*, &c.) Opportune notavit Hornius Romanorum imperatores *diademate* minime uſos ante Aurelianum, declinandæ invidiæ cauſſa. Severus autem ſua reſpexit tempora, ut apparet ex verbis *ut mos eſt*.

ab exercitu Imperator consalutatus Titum filium Cæsarem facit. eidem pars copiarum, & obsidendæ Hierosolymæ negotium datum. Vespasianus Romam profectus, summo favore senatus & populi receptus, cum se Vitellius interfecisset, imperium confirmavit. Interea Judæi obsidione clausi, quia nulla neque pacis neque deditionis copia dabatur, ad extremum fame interibant; passimque viæ oppleri cadaveribus cœpere, victo jam officio humandi. quin omnia nefanda insuper ausi, ne humanis quidem corporibus pepercerunt, nisi quæ ejusmodi alimentis tabes præripuerat. Igitur defessis defensoribus irrupere Romani. ac tum forte in diem Paschæ omnis ex agris aliisque Judææ oppidis multitudo convenerat: nimirum ita Deo placitum, ut eo tempore quo Dominum cruci affixerat gens impia, internecioni daretur. Pharisæi aliquantisper pro templo acerrime restiterunt; donec obstinatis

ad

1 *Titum filium Cæsarem facit*) Non ipse Vespasianus, sed Senatus, statim ac Vitellius occisus fuit, Titum & Domitianum Vespasiani filios *Cæsares* nuncupavit, ut ex Dione liquet.

4 *cum se Vitellius interfecisset*) Diximus supra μνημονικὸν ἁμάρτημα hoc esse Severi: nam Vitellius Romæ occisus fuit.

5 *imperium confirmavit*) Supplendum *sibi*, quod certe excidit.

6 *quia nulla neque pacis neque*, &c.) Hornius incusat Severum miræ incuriæ, qui si Josephum legisset, inquit, comperisset, quam promto animo Titus pacem Judæis ultro & sæpius obtulerit, & ἀμνηστίαν promiserit. Contra Vorstius ita hunc locum interpretatur, ut ipsi illi Judæi notentur, qui obstiterunt pertinacissimo animo quo minus Romanis dederetur urbs Hierusalem. Verum hæc & alia quæ infra traduntur cum Josephi historia minus congruentia, hic fortasse hausit ex Taciti Hist. libro v., quem nos extrema sui parte mutilatum habemus, in qua Hierosolymorum *supremum diem* se *traditurum* initio profitetur.

8 *quin omnia nefanda*, &c.) MS. hoc loco mendosus quidem videri potest, sed forte nonnihil bonæ frugis exhibet: nimirum, *quin omnia nefanda esca super ausi*. Sane sub vulgata lectione mendum aliquod cubare mihi videre videor: nihil tamen muto.

9 *ne humanis quidem*, &c.) Hornius & Vorstius monent falli Severum: neque enim Josephus usquam hæc narrat, unam si excipias matrem illam, quam filium occidisse, coxisse & ex parte comedisse tradit. Scripsit tamen alicubi, nisi ab excidio urbis præventi fuissent, Judæos etiam cadavera voraturos: quod tamen ipsum satis indicat, id ab ipsis minime factum.

13 *eo tempore quo*) Obsidio Hierosolymorum cœpit quidem Aprili mense circa festum Paschatis, sed urbs tota capta fuit tantum mense Septembri: cur itaque hic scribit *eo tempore Judæos internecioni datos, quo Dominum cruci affixerant*? Sequutus in eo est Chronicum Eusebii latinum, in quo hæc habentur: *Oportuit enim iisdem diebus Paschæ eos interfici, in quibus Salvatorem crucifixerunt*. Verum græca Chronici verba, quæ apud Syncellum habentur, tum apertius ejusdem Eusebii H. E. lib. III. cap. 5., aliam & commodiorem sententiam præferunt: neque enim in Paschate Judæi Hierosolymis cæsi, sed quasi in unum carcerem conclusi dicuntur, ut sceleris sui pœnam ibidem darent: ὥσπερ ἐν εἱρκτῇ ἀποκλεισθέντας: quæ ex Josepho lib. VII. de B. J. cap. XVII. sumta sunt.

14 *Pharisæi aliquantisper*, &c.) Quos hic Pharisæos appellat, Josephus *Zelotas* vocat, quæ secta a Pharisæia differebat, ita tamen ut in

mul-

Digitized by Google

ad mortem animis ultro se subjectis ignibus intulerunt. numerus peremtorum ad undecies centena millia refertur: capta vero C millia, ac venumdata. Fertur Titus adhibito consilio prius deliberasse, an templum tanti operis everteret. 5 etenim nonnullis videbatur, ædem sacratam, ultra omnia mortalia illustrem, non debere deleri: quæ servata modestiæ Romanæ testimonium, diruta perennem crudelitatis notam præberet. at contra alii, & Titus ipse, evertendum templum in primis censebant, quo plenius Judæorum & Chri-10 stianorum religio tolleretur. quippe has religiones, licet contrarias sibi, iisdem tamen auctoribus profectas: Christianos ex Judæis exstitisse: radice sublata stirpem facile perituram. ita Dei nutu accensis omnium animis templum dirutum, ab hinc annos trecentos triginta & unum. Atque hæc ultima

multis conveniret. hi nimirum Zelotæ templo se tuebantur. Quod autem Severus hæc facta indicat post urbem captam, ex parte verum est: nam inferior urbs primum in Romanorum potestatem venit, deinde templum, postremo urbis pars superior, seu mons Sion. sed templum primum incensum & dirutum, tum urbs inferior, denique superior.

1 *ultro se subjectis ignibus int.*) Nonnullos id fecisse tradit Josephus & Dion: de universis aut plerisque, falsum est.

2 *numerus peremtorum*) Melius *mortuorum*, seu eorum qui *fame & gladio* perierunt, ut ex Josepho Eusebius.

3 *capta vero C millia*) Eusebius in Chronico, *& alia centum millia captivorum publice venumdata*. Mendosus itaque est græcus apud Syncellum textus, qui τρεῖς μυριάδας tantum exhibet, seu *triginta millia*. Josephus tamen captivorum & omnium qui toto eo bello comprehensi sunt, numerum XCVII. millia omnino fuisse scribit lib. VII. cap. XVII. Quod vero Eusebius H. E. lib. III. cap. 5. usque ad tricies centena hominum millia ex universa Judæa Hierosolyma confluxisse ex Josepho tradit, fallitur: nam Josephus hoc eodem libro & capite agit de Judæis qui sub Nerone, cum res Judæorum florerent, fuerant numerati; nec tamen ad tantam multitudinem dicuntur ibidem ascendisse.

6 *non debere deleri*) Ita MS. & editi fere omnes præter Lipsiensem Vorstii, in quo est mendose *non deberi deleri*.

8 *& Titus ipse*) Contrariam omnino affingit Tito mentem: is enim templum minime delendum & censuit & jussit, & quoad potuit, omni ope contendit, ut liquet ex Josepho lib VII. cap. IX. & X. Apparet sane Severum non consuluisse libros Josephi de Bello Judaico, seu περὶ ἁλώσεως: sed unde hæc Josepho contraria habuerit, adhuc incertum.

8 *at contra alii*) Horum quidem refert sententiam Josephus, neque tamen de Christianis mentio ulla apud eumdem occurrit. Itaque Drusius adnotat Severum ea ex ingenio finxisse.

11 *iisdem tamen auctoribus prof.*) Sigonius *ab iisdem* legendum monet. melius fortasse *iisdem tamen ab auctoribus prof.*

13 *ita Dei nutu*, &c.) Josephus tradit militem quemdam Romanum per fenestram ignem templo immisisse, eoque templum concrematum esse, ceteris etiam militibus ad incendium fovendum conspirantibus, nequiequam repugnante & obnitente Tito. At hic quasi deliberato consilio a Tito & ducibus factam vult templi demolitionem.

14 *ab hinc*) Scilicet a consulatu Stiliconis, qui incidit in annum æræ vulgaris CCCC.: urbs autem capta anno LXX. eiusdem æræ: interjacent itaque anni CCCXXXI.,

ipso

ma templi everſio & poſtrema Judæorum captivitas, qua extorres patria per orbem terrarum diſperſi cernuntur, quotidie mundo teſtimonio ſunt, non ob aliud eos quam ob illatas Chriſto impias manus fuiſſe punitos: nam ſæpe alias cum propter peccata captivitatibus traderentur, numquam tamen ultra ſeptuaginta annos ſervitutis pœnam pependerunt. 5

XXXI. Interjecto deinde tempore Domitianus Veſpaſiani filius perſecutus eſt Chriſtianos. quo tempore Joannem apoſtolum atque euangeliſtam in Patmum inſulam relegavit: ubi ille, ar-

ipſo anno quo Hieroſolyma expugnata fuerunt, connumerato.

a extorres patria) MS. *patriæ*. Præclare Tertullianus in Apologet. cap. 21. *Diſperſi, palabundi, cæli & ſoli ſui extorres vagantur per orbem, ſine homine, ſine Deo rege: quibus nec advenarum iure terram patriam ſaltem veſtigio ſalutare conceditur*. Sed de his poſtremis verbis erit infra dicendum. S. Hieronymus in Epiſt. ad Galat. cap. IV. paucos fuiſſe ſua ætate Judæos per urbes diſperſos tradit, eoſque a ceteris facile dignoſcendos: *quum in toto mundo crucis vexilla reſplendeant, & vix rarus atque notabilis in urbibus Judæus appareat*. Vide etiam quæ Severus hoc ipſo libro ſupra cap. XXI. habet, & S. Hilar in Pſ. 131. n. 18.

3 *ob illatas Chriſto*, &c.) Prudentius in Apotheoſi num. IV. quo *adverſus Judæos* agit:

Exſiliis vagus huc illuc fluitantibus errat
Judæus, poſtquam patria de ſede revulſus
Supplicium pro cæde luit, Chriſtique negati
Sanguine reſperſus commiſſa piacula ſolvit.

7 *Interiecto d. tempore*) Ita Lactantius de M. P. *Poſt hunc* (Neronem) *interjectis aliquot annis alter non minor tyrannus ortus eſt, qui cum exerceret invisam dominationem, ſubiectorum tamen cervicibus incubuit quam diutiſſime, tutuſque regnavit, donec impias manus adverſus Dominum tenderet. Poſtquam vero ad perſequendum iuſtum populum inſtinctu dæmonum incitatus eſt, tunc traditus in manus inimicorum luit pœnas*. Huc etiam plerique referunt illud Juvenalis Satyra IV. in fine: *Sed periit, poſtquam cerdonibus eſſe timendus Cœperat*; adeo ut *cerdonum* appellatione Chriſtiani indicentur, utpote infimæ conditionis. atqui novimus etiam Flavium Clementem Coſ. occiſum a Domitiano, quod eſſet Chriſtianus. Porro conſtat Domitiani perſecutionem eiuſdem morte fuiſſe repreſſam: Tertullianus tamen in Apolog. cap. 5. ſcribit, Domitianum ipſum *facile cœptam repreſſiſſe, reſtituiſſe etiam quos relegarat*. id ipſum tradit Hegeſippus apud Euſeb. H. E. lib. III. cap. 20.: neque tamen his temere acquieſcendum, quibus nec ipſe Euſebius fidem præſtitit: nam poſtquam Hegeſippi & Tertulliani retulit teſtimonia, ſubdidit alia, quibus contraria eaque receptiſſima ſententia adſtruitur. Tertullianus Hegeſippum fortaſſe in eo ſequutus eſt, hic autem peculiariter de Chriſtianis ex circumciſione & in Judæa agentibus id retulit: quibus ſicuti crimini non vertebatur Iudaicis uti ritibus, ita perinde eſſe debuit Imperatori utrum Iudaicam an Chriſtianam ipſi affinem religionem profiterentur. Quod autem etiam in ipſos aliquamdiu ſævierit, aliam cauſſam idem Hegeſippus producit, nempe ut eos qui ex Davidica familia progeniti erant, tolleret; quos tamen ut pauperrimos eſſe comperit, & alieniſſimos ab uſurpatione regiæ in ſuos poteſtatis, tum ipſos tum univerſos ex ea gente quiete vivere paſſus eſt.

9 *in Patmum inſulam relegavit*) Quum quidem antea Romæ iuſſu eiuſdem Domitiani *in oleum igneum demerſus nihil paſſus eſſet*, ut Tertullianus lib. de Præſcript. cap. 36. memoriæ prodidit: quem locum laudans S. Hieronymus lib. I. adv. Jovinianum cap. 14. ita ſcribit: *Refert*

arcanis ſibi myſteriis revelatis, librum ſacræ Apocalypſis (qui quidem a pleriſque aut ſtulte aut impie non recipitur) conſcriptum edidit. Non multo deinde intervallo tertia perſecutio per Trajanum fuit; qui cum tormentis & quæſtionibus

fert autem Tertullianus, quod Romæ (ante Victorii editionem pro *Romæ* legebatur ut in pleriſque Mss., *a Nerone*) *miſſus in ferventis olei dolium, purior & vegetior exiverit quam intraverit*. Porro S. Epipbanius Hæreſ. Lι., quæ eſt Alogorum, Joannem ſub Claudio Imperatore relegatum tradidit, Irenæo & ceteris omnibus tum antiquia tum recentibus ſcriptoribus repugnantibus, uno excepto Hugone Grotio, qui Epiphanium in exponenda Apocalypſi ſequi maluit. Grotium imitatus eſt Poſſinius S. J., commentario in eumdem librum edito. Patmus una eſt ex Cycladibus in mari Ægæo, & quidem tunc deſerta inſula, ambitu xxx. mille paſſuum. Victorinus Petavionenſis Comment. in Apocalypſ. tradit Joannem ibidem damnatum fuiſſe ad metallum: *Quando hoc vidit Joannes, erat in inſula Patmo, in metallum damnatus a Domitiano Cæſare*. & paulo poſt: *Interfecto Domitiano, omnia eius iudicia ſoluta ſunt, & Joannes de metallo dimiſſus*. Id ipſum refert Primaſius epiſcopus Africanus in ſuo Comment. in Apocalypſin, quidquid Barthius dixerit, neminem ex græcis aut latinis ſcriptoribus Victorino in eo conſentire.

a *qui quidem a pleriſque*, &c.) Undenam hæc Severus ſcivit? Scribit quidem Hieronymus epiſt. ad Dardanum, *Græcorum eccleſiae Apocalypſin non recipere* (quod tamen quatenus verum ſit, a Baronio diligenter expenditur ad an. Ch. xcvι. num. 6.) verum ea epiſtola nondum ſcripta fuerat; nam ad annum ccccxιv. refertur. Magis veriſimile eſt Severum præ oculis habuiſſe Hiſtoriam Euſebii a Rufino eodem fere tempore latinitate donatam. videſis quæ ibidem habentur lib. vιι. cap. 23. quod in græco textu eſt 25.

4 *per Traianum fuit*) Excidiſſe puto vocem *mota*; nam & Hieronymianum Chronicum habet, *Trajano in Chriſtianos perſecutionem movente*. Lactantius in libro *de mortibus Perſecutorum*, ſeu *de perſecutione*, ut eum appellat S. Hieronymus in libro de Viris Illuſtribus (neque enim dubitamus quin liber ille de Mort. Perſ., quem ſæpius iam citavimus atque citabimus infra, Lactantii genuinus fetus ſit, quidquid nonnulli opponant) Traianum inter perſecutores Chriſtianorum non recenſet, neque eos qui infra in eo numero ponuntur uſque ad Decium: quin immo diſerte ſcribit, *Secutis* poſt Domitianum *temporibus, quibus multi ac boni principes Romani imperii clavum regimenque tenuerunt, nullos inimicorum impetus paſſam fuiſſe* Eccleſiam. Id ipſum Tertullianus antea tradiderat in Apologet. cap. v., ubi Traiani meminit, non ut hoſtis Chriſtianorum, ſed potius ut patroni, quippe qui Neronis & Domitiani leges *ex parte fruſtratus ſit, vetando inquiri Chriſtianos*. Id ipſum fere & Melito Sardianus epiſcopus apud Euſeb. Hiſt. lib. ιv. cap. 26. Sane Traianus aliique poſt ſecuti Imperatores nullam in Chriſtianos peculiariter legem ſanxerunt: nihilo tamen minus vel ipſi, vel ipſorum adminiſtri in Chriſtianos acerrimi fuerunt, & exſtimulantibus potiſſimum gentilium ex plebe clamoribus & accuſationibus, magnas ſubinde fidelium ſtrages variis in locis ediderunt, ut ex Hiſtoria Eccleſiaſtica liquet. Sane ipſe Traianus ea lege, qua *ἑταιρίας*, ſeu coitiones & conventicula fieri prohibuerat, graviſſimam in Chriſtianos *moviſſe* perſecutionem iure putatur & dicitur: & quoniam delatos Chriſtianos, licet nullius criminis reos, puniri poſtea iuſſit, infenſo peculiariter in religionem noſtram animo eam ſe legem ſtatuiſſe declaravit. Si quis plura deſiderat, adeat

Digitized by Google

bus nihil in Christianis morte aut pœna dignum reperisset, sæviri in eos ultra vetuit. Sub Hadriano deinde Judæi rebellare voluerunt, Syriam ac Palæstinam diripere conati: missoque exercitu subacti sunt. qua tempestate Hadrianus existimans se Christianam fidem loci injuria peremturum, ... 5

&

adeat scriptores Ecclesiasticæ Historiæ, & Ruinart. Præf. gen. in Acta Mart. num. 31.

s reperisset) Comperit id ex C. Plinii epistola, quæ est XCVII. lib. X., quæque præclarum est Historiæ Ecclesiasticæ monumentum, digna proinde quæ attente legatur.

a *sæviri in eos ultra vetuit*) Traiani rescriptum, Plinii epistolæ adnexum, his verbis conceptum est: *Actum quem debuisti, mi Secunde, in excutiendis caussis eorum qui Christiani ad te delati fuerunt, sequutus es: neque enim in universum aliquid quod quasi certam formam habeat, constitui potest. Conquirendi non sunt: si deferantur & arguantur, puniendi sunt: ita tamen ut qui negaverit se Christianum esse, idque re ipsa manifestum fecerit, id est supplicando Diis nostris; quamvis suspectus in præteritum fuerit, veniam ex pœnitentia impetret. Sine auctore vero propositi libelli (in) nullo crimine locum habere debent: nam & pessimi exempli, nec nostri sæculi est*. Itaque satis apparet, voluisse Imperatorem, ut *nomen ipsum* Christiani, *etiam si flagitiis careat* (Plinii verbis utar) non *flagitia cohærentia nomini puniantur*. Merito itaque in hanc Traiani sententiam iniquissimam invehitur Tertullianus cap. 2. Apologetici. Observat autem Eusebius H. lib. III. cap. 32. ea lege persecutionis incendium aliqua ex parte restinctum; sed iis qui Christianos fraudulenter aggredi vellent, lædendi opportunitatem non defuisse: adeo ut si non palam & ubique, locales tamen in aliquibus provinciis persecutiones erumperent. Atqui (o temporum iniquitatem!) ad hanc Traiani legem ipsi Christianorum apologistæ provocare sæpius sunt coacti, quasi suis æquam & favorabilem.

2 *Sub Hadriano*) Nomen hoc cum aspiratione scribimus, ut veteres nummi & lapides, & ut est in editione Giselini.

a *rebellare voluerunt*] Immo *rebellarunt*, duce & incentore insigni illo impostore Barchocheba Judæo, & Christianorum hoste infensissimo, qui, ut est in Chronico Eusebii, *nolentes sibi Christianos adversum Romanum militem ferre subsidium, omnibus cruciatibus necat*. Porro hæc Judæorum sub Hadriano rebellio in Syria & Palæstina erupit, cum paullo ante sub Traiano iidem in Libya, in insula Cypro ac in Mesopotamia rebellantes cæsi ac domiti fuissent.

4 *qua tempestate Hadrianus*, &c., Hæc Severus ex epistola S. Paullini ad se missa, Paullinus autem ex S. Hieronymi epistola sibi inscripta hausit: quare utrinsque verba hic apponam. Paullinus Epist. XXXI. quæ ad annum CCCCIII. refertur, hæc habet: *Nam Hadrianus Imperator existimans se fidem Christianam loci iniuria peremturum, in loco passionis simulacrum Jovis consecravit, & Bethleem Adonidis fano profanata est: ut quasi radix & fundamentum Ecclesiæ tolleretur, si in iis locis idola colerentur, in quibus Christus natus est ut pateretur, passus est ut resurgeret, surrexit ut regnaret*: cetera. Hieronymus vero epist. LVIII., quæ ad annum circiter CCCXCV. refertur, ita scribit: *Ab Hadriani temporibus usque ad imperium Constantini per annos circiter centum octoginta, in loco resurrectionis simulacrum Jovis, in crucis rupe statua ex marmore Veneris a gentibus posita celebratur; existimantibus persecutionis auctoribus quod tollerent nobis fidem resurrectionis & crucis, si loca sancta per idola polluissent. Bethleem ... lucus inumbrabat Thamuz, idest Adonidis, & in specu ubi quondam Christus parvulus vagiit, Veneris amasius plangebatur*. Ceterum & Eusebius in Vita Constantini lib. III. cap. 26. Christi sepulcrum terra obrutum fuisse, ibidemque Veneris fanum inædificatum scribit ab impiis hominibus, ut

& in templo ac loco Dominicæ passionis dæmonum simulacra con-

ut illius loci memoriam penitus abolerent, opinantes se hoc pacto veritatem esse occultaturos: quinam autem potissimum fuerint, aut quo tempore vixerint eius facinoris auctores, penitus tacet. Sic Rufinus lib. I. H. E. a se scriptæ, cap. VII., refert *ab antiquis persecutoribus simulacrum Veneris fuisse defixum eo loco quo Christus fuerat crucifixus, ut si quis Christianorum in loco illo Christum adorare voluisset, Venerem videretur adorare: & ob hoc infrequens & pæne oblivioni datus fuerat locus*. Eusebium & Rufinum sequuti sunt Socrates, Sozomenus, Theodoritus & alii. Res itaque certissima, auctores & tempus incerta sunt: nam quod unus Hieronymus sub Hadriano factum putavit, quod Paullinus eumque sequutus Severus Hadriano ipsi ultro tribuerunt, alii in medio relinquunt. Quid? quod tertio Ecclesiæ sæculo ineunte nondum ea loca polluta, nec fidelium cultui subducta fuisse colligi videtur ex iis quæ de S. Alexandro narrat Eusebius H. E. lib. VI. cap. XI., nimirum ex Cappadocia hunc Hierosolyma contendisse *εὐχῆς καὶ τῶν (ἁγίων) τόπων ἱστορίας ἕνεκεν, adorandi & sanctorum locorum videndi gratia*, ut vertit Rufinus; vel, ut Hieronymus de Viris Ill. cap. LXII., quo capite de S. hoc Alexandro Historiam Eusebii, ut solet, excerpens, agit, *cum desiderio sanctorum locorum Hierosolymam pergeret*; vel, ut Valesius vertit (vocem tamen *ἁγίων* non agnoscens, quam nos uncinis includentes supplevimus ex Rufino & Hieronymo) *tum orandi, tum locorum visendorum gratia*; vel denique, ut nos ea verba censemus esse interpretanda, *voti caussa, & ut sancta loca inviseret*. Sed & Origenes eodem fere medio sæculo libro I. contra Celsum num. 51. scribit, in Bethlehem speluncam in qua Christus natus, & in spelunca præsepium eo tempore ostendi solitum, ne verbum quidem de eius loci profanatione faciens: immo addit, *atque hoc in locis illis pervulgatum est, atque etiam apud fidei hostes celebratur, in illa spelunca natum esse eum quem Christiani adorant & admirantur Jesum*. Quæ cum ita sint, non sub Hadriano, sed multo serius, puta sub Decio, ea loca polluta fortasse fuerint.

I .... *& in templo ac loco Dom.*) Vitiatum esse hunc locum & hiantem multa evincunt: primum coniunctio *&*, quæ aliquid præcessisse indicat: tum vox *in templo*, quæ nunc quo referatur, non apparet: constat autem Severum, & reliquos eius ævi scriptores ea voce usos ad idolorum ædes, non autem ad Christianorum ecclesias significandas: quare & infra cap. XXXIII. de Helena Hierosolymis agente dicitur, *reperta ibi idola ac templa protrivit*: tertio Paullini verba superiori Nota producta, in quibus non *loci passionis* tantum fit mentio, sed etiam *Bethlem*: denique, dum Severus *dæmonum simulacra* infra dicit, innuit se duo illa saltem loca designare voluisse, quorum alterum Jovis simulacro, alterum Adonidis fano Paullinus scribit fuisse profanata. Verum, ut quod sentio dicam, neque hic Paullini locus a mendo mihi videtur immunis, dum eum cum Hieronymi supra laudata epistola comparo, in qua sæpius distinguitur *Crucis* seu Calvariæ locus a loco *resurrectionis* seu a sepulcro, & in hoc quidem Jovis simulacrum, in illo autem Veneris statuam collocatam diserte dicit: quod postremum ab Eusebio, Rufino & aliis confirmatur. Itaque Paullinus fortasse scripserit: *in loco passionis* simulacrum Veneris, in loco vero resurrectionis *simulacrum Jovis*. Neque enim cum Rosweido id adscripserim *μνήμον, καὶ ἁμαρτήματι* Paullini, neque *passionis locum* late ab eo sumtum, ut comprehendat etiam locum resurrectionis, crediderim. Utrique autem huic meæ coniecturæ confirmandæ nonnihil inserviunt hæc Paullini de S. Helena in eadem epistola num. 4. *Ædificatis basilicis contexit omnes & excoluit locos*,

constituit; et (quia Christiani ex Judæis potissimum putabantur: namque tum Hierosolymæ non nisi ex circumcisione habebat Ecclesia Sacerdotem) militum cohortem custodias in perpetuum agitare jussit, quæ Judæos omnes Hierosolymæ aditu arceret. quod quidem Christianæ fidei proficiebat, 5 quia tum pæne omnes Christum Deum sub legis observatione credebant. nimirum id Domino ordinante dispositum, ut legis servitus a libertate fidei atque Ecclesiæ tolleretur. ita tum primum Marcus ex gentibus, apud Hierosolymam episcopus fuit. Quarta sub Hadriano persecutio numeratur, 10 quam

cos, in quibus salutaria nobis mysteria pietatis suæ, incarnationis (seu nativitatis) *& passionis & resurrectionis atque ascensionis sacramentis Dominus redemtor impleverat*: tum hæc Severi de eodem argumento: *basilicas in loco Dominicæ passionis & resurrectionis & ascensionis constituit*; quæ habentur infra cap. XXXIII. Ex quibus uti liquet Paullinum & Severum distinxisse locum *resurrectionis* a loco *passionis*, ita argumentum duci potest, ipsos hoc etiam loco Hieronymum secutos, singillatim locum utrumque sub Hadriano pollutum declarasse. Lacuna certe in Severi textu deprehenditur, quam nos punctis aliquot, ut fieri solet, exprimendam curavimus.

1 *quia Christiani etc.*) Egregie fallitur, qui Judæos Hierosolymis exclusos putavit in odium Christianorum, quod contra est. Sane si Hadriano ea mens fuisset, nec Christianos ex gentibus ibidem degere permisisset. Christiani itaque ex circumcisione aditu illius civitatis prohibiti fuerunt, eo quod Judæorum nomine a Romanis censerentur, ideoque ab eo tempore ibidem episcopi & Christiani ex gentibus tantum esse cœperunt. Orosius lib. VII. cap. 13. de Hadriano ita scribit: *Judæos sane perturbatione scelerum suorum exagitatos, & Palæstinam provinciam quandam suam depopulantes ultima cæde perdomuit; ultusque est Christianos, quos illi Cocheba duce, quod sibi adversus Romanos non assentarentur, excruciabant: præcepitque ne cui Judæo introeundi in Hierosolymam esset licentia, Christianis tantum civitate permissa, quam ipse in optimum statum murorum exstructione reparavit, & Æliam vocari de prænomine suo præcepit*. Orosio ceteri scriptores consentiunt: aliqui tamen Judæos non Hierosolymis tantum, sed ex universa Palæstina ab Hadriano pulsos tradiderunt, ex quibus est Tertullianus superioribus Notis a nobis adductus, & S. Hieronymus in Isaiæ cap. VI. & in Daniel. cap. IX. Sed de his disputare non est instituti nostri.

6 *quia tum pæne omnes Christum D.*) Locus hic intelligendus de Christianis Hierosolymitanis singillatim, de quibus agitur peculiariter hoc loco: neque enim qui ex gentibus Christo nomen alibi dabant, legis Mosaicæ ritus umquam servarunt iam inde ab Apostolorum ætate; quod ex Actis & epistolis Paulli constat. Ceterum legendum putaverim *in Christum D.* Hæc autem ex Eusebii Chronico sumta sunt.

9 *Marcus ex gentibus*) Ita Eusebius in Chronico, & in H. E. lib. IV. cap. 5. & 7. nec non V. cap. 12.

10 *Quarta sub Hadriano persecutio numeratur*) Atqui hæc inter X. persecutiones vulgo non refertur nec ab Orosio, aut a S. Augustino: sed neque Eusebii Chronicum eam expressis verbis designat: habet enim tantummodo: *Quadratus discipulus Apostolorum, & Aristides Atheniensis, noster philosophus, libros pro Christiana religione Hadriano dedere compositos. & Severus Granius* (alii *Grannianus*) *legatus, vir apprime nobilis, litteras ad* Im-

quam tamen post exerceri prohibuit, injustum esse pronuntians, ut quisquam sine crimine reus constitueretur.

Post

Imperatorem mittit, iniquum esse dicens, clamoribus vulgi innocentium hominum sanguinem concedi, & sine ullo crimine, nominis tantum & sectæ reos fieri. quibus commotus Hadrianus Minucio Fundano proconsuli Asiæ scripsit, sine obiectu criminis Christianos non condemnandos. cujus epistolæ usque ad nostram memoriam durat exemplum. Ex his itaque verbis fuisse sub Hadriano vexatos Christianos coniecit Severus, nec perperam: nam & Hieronymus in epistola ad Magnum scribit Quadrati Apologia Hadriano oblata *gravissimam persecutionem* fuisse sedatam. vide etiam quæ idem habet in libro de Vit. Ill. cap. 19. quo agit de Quadrato. Verum, si exacte loqui velimus, non hæc nova persecutio fuit, sed eius quasi appendix & continuatio, quæ multo ante exarsetat, cuique tam male Traianus lege sua ptoviderat. Potuit autem & ipsa Hadriani indoles fovere & exstimulare gentilium in nostros odium; erat enim ille ad cædes propensus, tum superstitionibus omnibus apprime deditus, ac de Christiana religione male sentiens, ut ex ejus epistola ad Servianum apud Vopiscum in Vita Saturnini tyranni.

s *quam tamen postea*, &c.) Proxime superiori Nota Hadriani mentem ex Eusebiano Chronico expressimus: si quis tamen ipsius Hadriani rescriptum legere cupit, habet a Justino insertum suæ primæ Apologiæ Antonino Pio nuncupatæ, & ab Eusebio lib. IV. H. E. cap. 9 relatum. Porto hac Hadriani lege compressus aliquanto fuit gentilium in Christianos impius furor; neque tamen persecutio propterea sedata fuit: nam cuique adhuc licebat Christianos judicibus sistere, nec difficile erat apud illos iudices falsis eosdem, licet innoxios, accusationibus & emendicatis prætextibus reos ac pœna dignos probare. Praeterea postremis Hadriani temporibus persecutionem iterum tecruduisse, Romæ saltem & in proximis locis, idque ipsius Hadriani opera, haud obscure colligitur ex Actis Sanctæ Symphorosæ & septem eius filiotum. io his nimirum hæc habentur: *Cum fabricasset Hadrianus palatium in villa Tiburtina, & id dedicare vellet ritu illo nefario*, &c., dæmones (seu potius sacerdotes dæmonum interpretes) Symphorosam viduam & eius filios accusaverunt apud Imperatorem. Constat etiam ex iisdem Actis ab ipso Hadriano Getulium Symphorosæ virum, ac Amantium Getulii fratrem tribunos pro Christi nomine antea diversis suppliciis vexatos, demum decollatos fuisse: constat gtavissimam per illud tempus persecutionem fuisse, quæ tamen postea aliquantum remiserit, scilicet initio imperii Antonini Pii, ut ex dicendis clarius patebit: *Post hæc* [ut ibidem legitur num. XV.] *quievit persecutio anno uno & mensibus sex, in quo spatio omnium martyrum honorata sunt corpora, & constructis tumulis condita cum omni diligentia, quorum nomina descripta sunt in libro vitæ:* constat denique ex Aurelio Victore Hadrianum postremis vitæ annis Tibur secessisse, ibidemque *palatiis exstruendis, curandis epulis, signis, tabulis pictis* occupatum: quæ satis indicio sunt eo tempore eaque occasione Symphorosam cum filiis occisam. Postremo in laudatis Actis circa finem, ut notavit Ruinartius, in duobus MSS. *aliqua inserta sunt de morte Hadriani, quæ paullo post horum martyrum necem contigisse ibi referuntur.* At hæc ipse referre prætermisit, quod, ut ex prævia eius Admonitione patet, sibi persuaserat hos martyres ab Hadriano occisos *circa imperii sui primordia*, & annum Christi CXXX.: quod tamen ex dictis satis, ut puto, refellitur. Hæc quæ diximus de persecutione sub Hadriani vitæ finem Romæ saltem invalescente, confirmantur ex Catalogo Romano-

 tum

XXXII Post Hadrianum Antonino Pio imperante pax ecclesiis fuit. Sub

rum Pontificum antiquissimo, in quo S. Telesphori (quem *gloriosissime martyrium fecisse* ex Eusebio in E. H. & ex Irenæo lib. III. cap. 3. novimus) exitus ponitur sub consulatu Cæsaris & Albini, seu Balbini, qui incidit in annum ante Hadriani exitum secundum. Coronidis loco apponam insigne epitaphium Marii cuiusdam sub Hadriano martyris ex Cœmeterio Callisti, tabulæ marmoreæ insculptum, & typis primum vulgatum a Severanio in Roma subterranea Bosii lib. III. cap. 23., tum ab Arringhio in eiusdem argumenti opere lib. III. cap. 22. est autem huiusmodi:

TEMPORE ADRIANI
IMPERATORIS
MARIUS ADOLESCENS DUX
MILITUM QUI SATIS VIXIT
DUM VITAM PRO CHO CUM SAN
GUINE CONSUNSIT IN PACE
TANDEM QUIEVIT BENEMERENTES
CUM LACRIMIS ET METU POSUERUNT
ID. VI.

Apposita de more hinc palma, illinc monogramma Christi. Nonnulla de hoc epigrammate notavit Mabillonius in Dissertatione *de cultu SS. Ignotorum*, num. VII., & in Musæo Ital. pag. 136. Sed ut ad Hadrianum redeamus, non video quæ fides habenda sit Lampridio, qui in Vita Alexandri Severi refert, Hadrianum templa sine simulacris in qualibet urbe exstruenda curasse ea mente, ut quidem ferebatur, ut in iisdem J. Christus coleretur. certe hunc rumorem falsum omnino arguit Hadriani ipsius in Christianos animus.

1 pax ecclesiis fuit) Verum quidem est Antoninum Pium nullam contra Christianos legem, ut Tertullianus Apolog. cap. 5. & S. Melito apud Eusebium lib. IV. H. E. cap. 26. testantur, immo aliquot pro ipsis edicta sanxisse, eisque æquum fatis fuisse; neque enim tantum voluit, eos qui ob solum Christianum nomen accusarentur, absolutos dimitti, sed præterea ipsos accusatores puniri imposterum præcepit, ut ante Hadrianus: nihilominus tum ex S. Justini Apologia Romæ anno fere CL. a Christo nato, ut ipse testatur ibidem num. 46., eidem Imperatori oblata, tum ex eiusdem rescripto anno eiusdem imperii XV., Christi CLII., ad *Commune Asiæ* dato (quod tamen ab aliquibus M. Aurelio tribuendum esse perperam contenditur) apparet intestino gentilium in fideles odio hos fere assidue, ut antea, fuisse vexatos, nonnullosque ex ipsis morte affectos. Quod vero ad Christianos Romæ & in suburbanis locis degentes spectat, si quæ in præcedenti Nota coniecimus, vera sunt, aut nulla aut certe mitior multo quam Hadriani extremis temporibus persecutio Christianorum fuit, initio saltem imperii Antonini. Quod autem in Actis S. Symphorosæ quievisse persecutio dicitur *anno uno & mensibus sex*; eo spatio designari crediderim tempus quo Acta ipsa perscripta fuerunt: adeo ut nihil obstet, quo minus pax illa, cuicuimodi fuerit, diuturnior multo fuerit. neque etiam obstat quod Eusebius S. Telesphorum Papam anno primo Antonini obiisse dicat tum in Chronico, tum lib. IV. cap. 10. H. E.; nam, ut supra diximus, Telesphorus anno Christi CXXXVII. martyrio coronatus fuit sub Hadriano iuxta auctorem Catalogi Liberii tempore scripti, quem plerique nunc post Pagium sequuntur, ac ceteris omnibus qui de Romanis episcopis egerunt, antiquis scriptoribus, græcis præcipue, longe præferunt; licet in hoc ipso, ut & in aliis subinde Pontificibus, non sibi usquequaque constet. Sane Consulum nomina ab ipso heic posita, & historiæ series a nobis his duabus Notis haud perfunctorie enucleata, adeo secum invicem per omnia conveniunt, ut non temere ab hac sententia discedendum sit: & si quid in Telesphoro catalogus ille antiquissimus habet quod repugnare videatur consulari notæ, aperte aut vitiatum aut intrusum se prodit.

Digitized by Google

Sub Aurelio deinde Antonini filio perſecutio quinta agitata.
ac

1 *Sub Aurelio .... perſecutio quinta*) Hanc *quartam* Oroſiua, & Auguſtinus, nec non Hieronymus in libro de Vir. Illuſtr. cap. 17. (qui nullam ſub Hadriano poſuerunt) appellant perſecutionem, & ita deinceps. Quamvis itaque Tertullianus Apol. cap. 5. (cuius verba infra damus) neque hunc Imperatorem ullam in Chriſtianos legem promulgaſſe velit, quem contra *protectorem* Chriſtianorum vocat; ſatis tamen conſtat Eccleſiam ſæviſſima procella agitatam ſub eo fuiſſe, ipſumque non diſſimulanter foviſſe inteſtinum gentilium in Chriſtianos odium & furorem. Sane poſt celebrem illam, in ſumma aquæ inopia divinitus immiſſa pluvia, de Germanis reportatam victoriam (quam, eodem Tertulliano ibidem teſte, Chriſtianorum militum precibus referre acceptam ipſe initio vix dubitavit in litteris publice ad Senatum fortaſſe datis, quarum ſane Dio meminit: *Ceterum*, inquit Tertullianus, *de tot exinde principibus uſque ad hodiernum, divinum humanumque ſapientibus, edite aliquem debellatorem Chriſtianorum. At nos e contrario edimus protectorem: ſi litteræ Marci Aurelii graviſſimi Imperatoris requirantur, quibus illam Germanicam ſitim Chriſtianorum forte militum precationibus impetrato imbre diſcuſſam conteſtatur. qui ſicut non palam ab huiuſmodi hominibus pœnam dimovit, ita alio modo palam diſperſit; adiecta etiam accuſatoribus pœna, & quidem tetriore*) haud multo æquiorem ſe noſtris præbuit. nam quamvis delatores Chriſtianorum extremo ſupplicio puniri voluerit, nihilo ſecius Chriſtianos ipſos, ſi accuſati fuiſſent, a pœna immunes non declaravit, ut ex allato Tertulliani loco colligitur, & ex iis quæ Euſebius lib. v. cap. 21. narrat de Apollonio martyre ſub Commodo. Præterea triennio ab illa victoria circiter elapſo, acrior quam antea per omne Romanum imperium perſecutio recruduit: ad quod proinde tempus referendum eſſe cenſeo præclarum illud epitaphium in Cœmeterio Calliſti cuidam Alexandro martyri erectum, quod refertur in *Roma ſubterranea* Boſii lib. III. cap. 23. & Arringhii lib. III. cap. 22., & ex hoc a Mabillonio, in Muſæo Italico pag. 135., & ab aliis, quodque nos hoc ipſo loco exhibebimus; nam miſerabilem ærumnoſi illius temporis faciem nativis coloribus præfert. En ipſum, ut ab Severanio apud Boſium, & ab Arringhio exhibetur, ne minima quidem ſcripturæ mutatione:

ALEXANDER MORTUS NON EST SED VIVIT SUPER AS
TRA ET CORPUS IN HOC TUMULO QUIESCIT VITAM
EXPLEVIT CUM ANTONINO IMP. QUI UBI MULTUM BENE
FITII ANTEVENIRE PREVIDERET PRO GRATIA ODIUM
REDDIT GENUA ENIM FLETENS VERO DEO SACRIFICA
TURUS AD SUPPLICIA DUCITUR O TEMPORA INFAUSTA
QUIBUS INTER SACRA ET VOTA NE IN CAVERNIS QUIDEM
SALVARI POSSIMUS QUID MISERIUS VITA SED QUID MISERIUS IN
MORTE CUM AB AMICIS ET PARENTIBUS SEPELIRI
NEQUEANT TANDEM IN CÆLO CORUSCAT PARUM
VIXIT QUI VIXIT IV. X. TEM.

Præter monogramma Chriſti & palmam, inſculpta ſunt lapidi in ſuperiori quidem parte crux, in inferiori vero prope angulum ſiniſtrum vas quoddam, unde flammæ erumpunt. Scio quidem Mabillonium, Ruinartium, & clariſſimum virum ex Dominicana familia Joſephum Auguſtinum Urſium, Hiſt. Eccl. tom. II. pag. 501., hunc Alexandrum martyrem ſub Antonino Pio collocaſſe, ſed nullo, ut
mihi

Digitized by Google

ac tum primum intra Gallias martyria viſa, ſerius trans al-

mihi quidem videtur, probabili argumento: nam quod ſub *Antonino Imperatore* vitam expleſſe dicatur, id nihil eſt, cum etiam M. Aurelius Verus (ut alios qui eum ſequuti ſunt, Imperatores prætercam) fuerit dictus *Antoninus*, idque etiam nullo addito prænomine aut cognomine, ut ex ſexcentis antiquorum locis conſtat (ex. gr. apud Euſebium H. lib. IV. cap. 26. inter S. Melitonis opera recenſetur *τὸ πρὸς Ἀντωνῖνον βιβλίδιον, libellus ad Antoninum*, & ab Auguſtino de C. D. lib. XVIII. cap. 52. perſecutio quarta *ab Antonino* mota dicitur: cum utrobique M. Aurelius Antoninus deſignetur): quam etiam ob cauſſam placuit Baronio, Bollando, Tillemontio, Urſio & aliis martyrium S. Felicitatis & ſeptem eius filiorum (ut alios martyres taceam, de quibus Tillemontius initio Artic. III. Perſecut. M. Aurelii) ſub eodem M. Aurelio collocare, quod in eorum Actis *temporibus Antonini Imp.* fuiſſe dicitur. præterea ſub Antonino Pio *pax Eccleſiis fuit*, ut verbis utar Severi, ſub aliis autem Antoninis non ita male habitos Chriſtianos conſtat: ut Alexander hic difficillimo & maxime calamitoſo Eccleſiæ tempore, quale re ipſa ſub M. Aurelio fuit, vitam pro Chriſto profudit. Denique, ut M. Aurelium potiſſimum hoc epigrammate indicatum fateri oporteat, extorquet propemodum non obſcura mentio magni beneficii a Chriſtianis in ipſum collati, & ab ipſo palam (in epiſtola ſcilicet, cuius Tertullianus meminit) teſtati, cui tamen beneficio contrarium ipſe vicem rependerit. Sed quoniam inſcriptio hæc tudi admodum vulgarique ſtilo compoſita, ſcalptoris etiam, ut puto, inſcitia admodum mendoſa eſt; placeret primum, ut ſeparatim ANTE VENIRE ſcriberetur: tum coniicerem pro PREVIDERET legendum una litterula tranſpoſita PERVIDERET, eadem forte ſignificatione qua Horatius dixit lib. I. Satyr. III.

Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum? &c.

Ita ſane & ſententia ipſa magis perſpicua evadit (*Qui ubi*, pro *unde*, *ante pervideret multum beneficii venire*; ſcil. magnum proveniſſe ſibi reique publicæ beneficium; *pro gratia odium reddit*) & eiuſdem ſententiæ magis elucet congruentia cum Tertulliani verbis ſupra relatis, quibus hæc alia adde ex eiuſdem libello ad Scapulam cap. 4. *Marcus quoque Aurelius in Germanica expeditione Chriſtianorum militum orationibus ad Deum factis imbres in ſiti illa impetravit*, ideſt impetraſſe agnovit & profeſſus eſt. hanc enim eſſe Tertulliani mentem, ex toto contextu loci illius ſatis, ni fallor, elucet. Porro quæ nunc exſtat M. Aurelii epiſtola de hoc argumento, ſpuria habetur a doctis & ὑποβολιμαῖος: & ſane vel ſi cum Tertulliani teſtimonio conferatur tantummodo, falſitatis manifeſto arguitur.

s *ac tum primum intra Gallias*, &c.) Multi hunc inſignem & maxime notabilem Severi locum acriter impugnarunt (ut Andreas du Sauſſay in opere *de Myſticis Galliæ Scriptoribus*, centuria prima, cui inſeruit *Polemicum de apoſtolatu Gallico S. Dionyſii Areopagitæ tractatum*, in quo pag. 902. & ſeqq. argumentum ex auctoritate Severi diluere contendit) nonnulli etiam violentis interpretationibus in ſuas partes pertrahere conati ſunt (ut Petrus de Marca in Diſſertat. *de tempore quo primum ſuſcepta eſt in Galliis Chriſti fides*, quæ habetur etiam ante Euſebii Hiſtoriam ex editione Valeſii) alii contra ipſum ab utriſque immerito impetitum præclare defendunt: ex quibus præcipue emicant Sirmondus in Diſſertatione *de duobus Dionyſiis*, Joannes Launoius, in opuſculo præſertim quod inſcripſit, *Sulpicii Severi ſententia de primis Galliæ martyribus vindicata*, & Tillemontius paſſim, ſed potiſſimum in Vita S. Dionyſii

Digitized by Google

alpes Dei religione ſuſcepta. Sexta deinde Severo imperante Chri-

nyſii Pariſienſis Epiſcopi art. I. Ut multa paucis perſtringamus; quæſtio omnis biſariam dividitur. prima enim Severi ſententia hæc eſt: ſub M. Aurelio *primum intra Gallias martyria viſa*: altera autem, Chriſtianam religionem *ſerius trans alpes ſuſceptam*. Obiiciunt adverſarii, plurimos ante hoc tempus martyres fuiſſe in Galliis ex eccleſiaſticis tabulis conſtare. at hi vel incerti admodum loci & temporis ſunt, vel omnino in ſequiora tempora ſunt reiiciendi; adeo ut nullius note Lugdunenſes illos celeberrimos in Gallia martyres, quos præcipue indicare voluit hoc loco Severus, certum monumentum aut explorata memoria exſtet. Inſtant illi, quum Severus in Euſebii Chronico, cuius fere ſemper veſtigiis inſiſtit, nullam antea mentionem martyrum Gallicanorum factam legiſſet, idcirco hos primos ibidem pro Chriſto paſſos ſecum reputaſſe, ac litteris mandaſſe. at hoc non coniectare eſt, ſed pro lubitu hariolari: nam ſi locus ullus erat, ubi ex maiorum & Eccleſiæ cuius erat alumnus, traditione aliquid de ſuo inſerere ipſe potuerit & debuerit, hic certe fuit: quod ſane eum feciſſe conſtat. neque enim, ſi Euſebium in omnibus ſequutus fuiſſet, ſcripſiſſet hos fuiſſe in Gallia *primos* martyres, nec addidiſſet eius rei cauſſam; nimirum quia Chriſtiana religio *ſerius in Galliis ſuſcepta fuerit*. Quod vero ad hanc alteram ſententiam ſpectat, & ipſa immerito arguitur: nam licet facile concedi poſſit, vel a primis Eccleſiæ temporibus nonnullos Apoſtolorum diſcipulos (de quo tamen non omnino conſtat) euangelicam doctrinam in Gallias intuliſſe; certum tamen eſt tunc temporis vel nullos vel exiles admodum ibidem habuiſſe progreſſus. Huius rei præter Severum noſtrum teſtes habemus ſeptem illos primarios in Gallia ſexto Eccleſiæ ſæculo circiter medio viventes epiſcopos, quorum epiſtola ad S. Radegundem habetur apud Gregorium Toronenſem lib. IX., in qua hæc leguntur: *Itaque cum ipſo catholicæ religionis exortu cœpiſſent Gallicanis in finibus venerandæ fidei primordia reſpirare, & adhuc ad paucorum notitiam tunc ineffabilia perveniſſent Trinitatis Dominicæ ſacramenta; ne quid hic minus acquireret, quam in orbis circulo prædicantibus Apoſtolis obtineret, B. Martinum* (de Turonenſi ſermo eſt) *peregrina de ſtirpe ad illuminationem patriæ dignatus eſt dirigere*, & quæ ſequuntur. Idem fere habetur in Actis S. Saturnini Toloſani Epiſcopi num. 2., quæ Acta a Gregorio Turonenſi laudata fuerunt lib. I.H. Franc., ubi etiam tradidit ſex alios epiſcopos a Romano Pontifice in Gallias miſſos ſæculo demum Eccleſiæ tertio una cum Saturnino, in quibus eſt Dionyſius, qui Lutetiæ Pariſiorum epiſcopus fuit, & martyr.

1 *Sexta deinde*, &c.) Seu *quinta*, ut vulgo poſt Oroſium & S. Auguſtinum computatur: cuius diſcrepantiæ cauſſam ſuperioribus Notis indicavimus. Sed Tillemontius, ubi de hac perſecutione agit, art. 4., ſcribit Euſebium ipſum hanc inter perſecutiones ordine quintam recenſere (*Il la conte pour la cinquieme, en quoy il eſt ſuivi par Oroſe, et par la plus part des autres. Sulpice Severe en fait la ſixieme*) Nimirum Tillemontio fraudi fuit Chronici editio Scaligeriana, in qua grandioribus litteris *Quinta perſecutio* ad annum Severi X. legitur: quem tamen titulum, ut etiam reliquos ad eumdem modum effictus, ignorant tum MSS. tum impreſſi libri melioris notæ, ut poſt Pontacum notavit Vallarſius noſter. proinde Severus non niſi ex Euſebio hanc ordine ſextam perſecutionem eſſe numerandam putavit. Quod contra Tillemontium hoc potiſſimum loco notavimus, ad ceteras etiam perſecutiones ſpectat.

2 *Severo imperante*, &c.) Sub Commodo, qui poſt M. Aurelium XIII. fere annis imperavit, licet

vitiis

Christianorum vexatio fuit. quo tempore Leonidas Origenis pater sacrum in martyrio sanguinem fudit. Interjectis deinde annis VIII & XXX pax Christianis fuit: nisi quod

vitiis omnibus inquinato, Deo ita volente, Christianorum res tranquillæ fuerunt; nec non sub Pertinace, ac Didio Juliano, qui post Commodum mensibus fere sex rerum potiti sunt; quin etiam initio imperii Severi: quo temporis spatio fidelium Christi numerus per universum Romanum imperium mirum in modum increvit. Demum anno fere quinto Severi, Christi vero CXCVII. Romæ primum persecutionis erupisse videtur incendium populari potissimum furore excitatum. Et Severus quidem, qui multo ante Christianis clam favebat, primum illum in nostros impetum sua auctoritate cohibuit ac repressit, ut testatur Tertullianus in lib. ad Scapulam cap. 4. Nihilo tamen secius, ipso paullo post in Orientem profecto, ibique militaribus expeditionibus per aliquot annos occupato, ac gliscente in dies gentilium in nostros invidia, persecutionis procella ab urbe Roma quaquaversum se se effudit, magistratibus ipsis facile privatorum in nostros accusationes & calumnias pronis auribus excipientibus. Et hæc quidem Imperatore aut invito, aut inscio, aut dissimulante; quum repente ipse quoque se Christianis infensum prodidit lege lata, ne cui imposterum Christo nomen dare liceret. *Post hæc*, scribit Spartianus, *dato stipendio cumulatiore militibus Alexandriam petiit. In itinere Palæstinis plurima jura fundavit. Judæos fieri sub gravi pœna vetuit: idem etiam de Christianis sanxit.* Quæ causa fuerit Severo sententiæ mutandæ, ac hujus legis promulgandæ, seu odium peculiare in Judæos, ex quibus Christiani originem trahunt, seu quod timuerit ne fere omnes ab idolorum cultu desciscerent, seu potius ut occasione Votorum decennalium, quæ paullo post Romæ splendidissima pompa celebravit, gentilibus in nostros jamdiu furentibus rem gratam faceret, non plane constat. Illud extra controversiam est, factum id esse anno Severi X. (qui est Christi CCII. & CCIII.) quo etiam Eusebius in Chronico hujus sub Severo persecutionis primum meminit (quamquam anno IX. perperam affigatur in Pontacena & Vallarsiana editione) ipso S. Hieronymo in libro de Vir. Ill. cap. LIV. scribente, *Decimo Severi Pertinacis anno adversum Christianos persecutione commota*, &c. Porro quantas hæc persecutio strages ediderit, vel ex eo colligi potest quod de Juda quodam scriptore ecclesiastico ejus temporis refert Eusebius H. E. lib. VI. cap. 7. & ex eo S. Hieron. de Vir. Ill. cap. LII.

1 *Leonidas Origenis pater*) Ex Chronico Eusebio-Hieronymiano, ubi tamen *Leonides* legitur, ut alibi etiam, ubicumque Origenis pater nominatur; nam græce Λεωνίδης scribitur: itaque & hoc loco *Leonides* initio fuisse censeo.

3 *annis* VIII *&* XXX) Ruinartius Præf. in Acta Mart., num. 46., hos annos computat a Severi morte ad Decium, hincque argumentum sumit, ut hanc persecutionem usque ad Severi mortem perdurasse confirmet. Tillemontius, quo loco de hac agit persecutione, Art. VII. & Nota III., ex hoc præterea loco colligit etiam post Severum sub Antonino Caracalla uno aut altero anno Christianos adhuc fuisse vexatos. Verum, licet utrumque verum sit, atque aliis indiciis satis exploratum habeatur; nihil tamen Sulpicii Severi testimonio mihi fit certius, quum cum videam in his Christianorum persecutionibus recensendis unum præ oculis habuisse Eusebii Chronicum quod excerperet. quin immo, ut quod ego sentio palam faciam, mendum subesse his numeris, ac initio scriptum fuisse suspicor *annis* VIII *&* XXXX; tuti-

quod medio tempore Maximinus nonnullarum Ecclesiarum
cle-

totidem enim omnino numerantur in Chronico ab anno Severi x. (quo anno ibidem, ut iam diximus, huius persecutionis fit mentio) usque ad initium Decii & ab eodem excitatam persecutionem. Contra ab Severi exitu si numerare incipias, ut Ruinartius voluit, quadraginta annos ibidem usque ad Decium interiectos invenies. Tantum itaque abest, ut aliquid certi de huius persecutionis diuturnitate ex hoc loco statui possit, ut potius ex Severi mente dicendum fuerit persecutionem hanc unius tantum anni spatio continuasse, eo nimirum quo ab Eusebio indicata fuit.

s *Maximinus*, &c.) Tillemontius agens de huius Maximini persecutione art. 1., aliique Scaligeriana Chronici Hieronymiani editione, ut alias, decepti, affirmant hanc persecutionem *sextam* ab Eusebio appellatam: sed eius hæc tantum verba sunt: *Maximinus adversus Ecclesiarum Sacerdotes persecutionem facit*. Potuit itaque Orosius, quem S. Augustinus, Prosper aliique sunt secuti, eam *sextam* dicere: sed neque Severus ab Eusebii vestigiis declinavit, cum hanc inter ceteras persecutiones computandam non existimavit. In eo potius ab Eusebio discordare videtur, quod, cum ille *Sacerdotes*, idest episcopos, sub Maximino vexatos dicat, ipse *clericos* scripserit, quo nomine certum est inferioris quoque, immo potius, ordinis ministros designari: sed cum Orosius utrosque simul iungat, scribens *persecutionem in Sacerdotes & clericos, idest doctores*, motam; fortasse utrorumque olim in Chronico Eusebiano mentio erat. Neque hanc coniecturam evertit, immo potius confirmat idem Eusebius in H. E. lib. vi. cap. 28. de Maximino scribens, τοὺς τῶν ἐκκλησιῶν ἄρχοντας μόνους, ὡς αἰτίους τῆς κατὰ τὸ εὐαγγέλιον διδασκαλίας, ἀναιρεῖσθαι προστάττει: *Solos Ecclesiarum antistites, seu præsides, utpote evangelicæ prædicationis auctores, interfici iussit*:

nam τῶν ἐκκλησιῶν ἄρχοντας (quæ verba Rufinus ita reddidit, *Qui populis præerant & doctrina*) non episcopi tantum, sed etiam inferiores clerici iure vocari possunt, habita ratione laicorum; præcipue quum eam ob caussam Maximinus ad necem eos quæsisse dicatur, quod eorum opera euangelica doctrina disseminaretur. Hoc enim episcopo cum omni clero, presbyteris præsertim & diaconis, commune fuit. Præterea Eusebium alia significatione ea verba non usurpasse, hinc colligitur, quod statim addat Ambrosium diaconum & Protoctetum presbyterum summum vitæ hac occasione discrimen subiisse. Sane constat sub hoc Maximino non episcopos tantum, sed etiam presbyteros & diaconos fuisse vexatos. sed nec fideles laici omnino immunes evaserunt: nam cum Eusebius eodem loco tradat Maximinum insensum nostris fuisse potissimum ob odium in Alexandri Imperatoris qui proxime regnarat familiam, quæ fere omnis ex Christianis erat; Capitolinus refert *omnes Alexandri ministros variis modis* ab eo interfectos. Sed nec dubium esse debet, quin Maximini in Christianos animo semel perspecto, ethnici inveteratum nec diuturna pace sopitum, sed potius ob Alexandri in nostros favorem stimulante invidia acerius irritatum odium exsuscitaverint, atque adeo in aliquibus saltem Imperii provinciis, quarum præsides cum plebe conspirarent, magnæ Christianorum cædes editæ sint: quod de Cappadocia potissimum tradit Firmilianus episcopus in epistola ad S. Cyprianum, quæ inter Cyprianicas ordine septuagesima quinta habetur. Merito itaque hæc inter præcipuas Ecclesiæ persecutiones adnumeratur, quam toto illo triennio quo hic Maximinus imperavit, haud cessasse diserte traditur in Historia Ecclesiastica Eusebii ex interpretatione Rufini lib. vi. cap. 20.: quod licet non ita liquido ex

ipsius

clericos vexavit. Mox Decio imperante, jam tum ſeptima perſecutione ſævitum in Chriſtianos. inde Valerianus octa-

ipſius Euſebii verbis appareat, fateri tamen oportet, ſi Rufinus cum Euſebio ſerio comparetur toto eo capite, græcum Euſebii textum aliquot verbis mancum atque biantem nunc eſſe.

s *ſeptima perſecutione*, &c.) Hanc quamvis non diuturnam, ſæviſſimam tamen perſecutionem fuiſſe conſtat, & ab ipſo Decio ultro excitatam, adeo ut hic inter acerrimos Chriſtianorum hoſtes paſſim computetur, ut ab Hilario, qui cum cum Nerone & Maximiano iungit in libro contra Conſtantium, nec non etiam cum Nerone & Domitiano in libro contra Auxentium num. 3. (*Domitiano* enim ibidem pro *Veſpaſiano* legendum: nemo enim hunc inter perſecutores Eccleſiæ accenſuit.) Sed & Lactantius in libro de Mortibus Perſecutorum cap. IV. Neroni & Domitiano, omiſſis reliquis, continuo adnectit Decium, quem notat *execrabile animal*. Prudentius lib. II. contra Symmachum, Neronem Deciumque nominatim, ceteros vero poſt hunc perſecutores fidelium coacervatim indicat, dum Romam ita loquentem inducit:

Illius (Jovis) *inſtinctu primus Nero matre perempta*
Sanguinem Apoſtolicum bibit, ac me ſtrage piorum
Polluit, & proprium facinus mihi ſævus inuſſit.
Poſt hunc & Decius iugulis bacchatus apertis
Inſanam pavit rabiem: mox & ſitis arſit
Multorum ſimilis, per vulnera triſtia flagrans
Extrahere inſignes animas, ac ludere panis,
Undanteſque meam in gremium diffundere mortes, &c.

Decius itaque, ut ſcribit Lactantius laudato libro, *quaſi huius rei gratia provectus eſſet ad illud principale faſtigium, furere protinus contra Deum cœpit, ut protinus caderet*. Euſebius in H. E. & in Chronico tradit huius perſecutionis cauſſam fuiſſe odium Decii in Philippos, patrem & filium, Imperatores Chriſtianos, quibus interfectis ipſe ſibi imperium uſurpaverat. Sed Severus conſulto, ut puto, abſtinuit ab his commemorandis, quod perſuaſum haberet Conſtantinum omnium Romanorum Imperatorum primum fuiſſe myſteriis Chriſtianorum initiatum. Sane utrum Philippi Imperatores Chriſtiani fuerint, magna adhuc controverſia eſt, de qua paucis agemus infra, ubi de Conſtantino. Ceterum Decius exacto in imperio anno uno ac paucis menſibus e medio ſublatus fuit; neque tamen pax Chriſtianis fuit ſub eius ſucceſſore Gallo: hic enim, ubi ſe & filium Voluſianum in imperiali dignitate confirmavit, ſtatim inſtauravit perſecutionem in Chriſtianos: cuius rei teſtes habemus luculentiſſimos S. Cyprianum paſſim, & S. Dionyſium Alexandrinum apud Euſebium lib. VII. H. E. cap. I. Sed & ipſi non multo poſt perierunt, ac tum demum Eccleſia aliquantiſper reſpiravit initio imperii Valeriani. Sub Gallo martyr fuit Cornelius Romanus Pontifex, ut refert S. Hieronymus in lib. de Vir. Ill. cap. LXVI.

a *inde Valerianus*, &c.) Gallo & Voluſiano interfectis, Æmilianus qui in ipſos rebellaverat, imperium tribus fere menſibus obtinuit. huic a ſuis cæſo ſucceſſit Valerianus, qui quidem initio erga Chriſtianos adeo benignus & munificus fuit, ut nemo ante eum Imperator, *ne illi quidem* (ita S. Dionyſius Alex. apud Euſeb. lib. VII. cap. 10.) *qui palam Chriſtiani fuiſſe dicuntur*: ſed & familia eius omnis fere ex Chriſtianis conſtabat. Verum Macriano quodam magicis artibus addicto Chriſtianæque religioni infenſiſſimo impulſore & magiſtro, ſenſim etiam Valerianus concepit animo ſacrilegarum artium

ſtudium

Digitized by Google

octavus sanctorum hostis fuit. Post eum, interjectis annis

studium, atque adeo summum adversus Christi sectatores odium, in quorum exitium nonnullas subinde leges severissimas promulgavit. Fertur hæc persecutio (in qua insignis præ ceteris fuit S. Cypriani Carthaginiensis episcopi passio, itemque Romæ S. Laurentii diaconi) cœpisse anno imperii eius quarto, Christi CCLVII., nec nisi anno CCLX. desiisse, quum Valeriano a Persis capto, Gallienus eius filius & in imperio socius edicto illo quod Eusebius refert H. lib. VII. cap. 13., pacem Christianis reddidit. Sed cum de Valeriano hæc habeat Lactantius: *Multum, quamvis brevi tempore, iusti sanguinis fudit:* quumque de eodem Eusebianum chronicum referat, *Valerianus in Christianos persecutione commota, statim a Sapore Persarum rege capitur, ibique servitute miserabili consenescit* (de qua servitute legendus Lactantius in sæpius laudato libello de Mort. Pers.) datur coniecturæ locus, Christianos duobus & quadraginta mensibus, quibus S. Dionysius ex Apocalypsis cap. XIII. 5. hanc persecutionem durasse tradit, non assidue nec eadem perpetuo sævitia fuisse vexatos. Postremo observandum est Decii & Valeriani persecutiones, utpote paucorum annorum intervallo inter se distantes, & ob interjectam alteram illam sub Gallo, de qua superiori Nota, quasi connexas, pro una eademque persecutione habitas ab aliquibus scriptoribus, ut a S. Hieronymo, initio Vitæ S. Paulli eremitæ scribente: *Sub Decio & Valeriano persecutoribus, quo tempore Cornelius Romæ, Cyprianus Carthagine felici cruore martyrium pertulerunt*, &c. & in lib. de Vir. Ill. cap. LXXXIII. quod est de S. Methodio: *sive, ut alii affirmant, sub Decio & Valeriano* (quem locum frustra sollicitat Vallarsius). Idem tamen in eodem libro sæpius, ex propria persona scribens, duas illas Decii & Valeriani persecutiones distinguit, præcipue cap. LXII. eam quæ sub Decio, *septimam persecutionem*, & cap. LXVII. alteram sub Valeriano & Gallieno, *octavam* appellans. Ad eumdem modum Optatus Milevitanus *persecutionem quæ sub Decio & Valeriano fuit*, *leoni* assimilat lib. III. ad Parmenianum. Vide etiam in sequenti Nota Eusebii locum ex lib. VIII. cap. 4.

Post eum, &c.) A Valeriano Christianorum hoste transit Severus ad Diocletianum & Maximianum, nulla facta Aureliani mentione, sub quo tamen ab Orosio & aliis nona post Neronem persecutio refertur. Sane de eo hæc habentur in Chronico latino: *Aurelianus cum adversum nos persecutionem movisset, fulmen juxta eum comitesque ejus ruit, ac non multo post inter Constantinopolim & Heracleam in Cænophrurio viæ veteris occiditur.* Sed Severus hæc referre prætermisit, fortasse quia Aurelianum vix mota persecutione occisum animadvertit: multo magis id fecisset, si Eusebii græcum textum legisset, quem a Syncello ad verbum suæ Chronographiæ insertum minime dubito: siquidem ibidem legitur, *τῷ ς' αὐτοῦ ἔτει Αὐρηλιανὸς μέλλων διωγμὸν κινεῖν κατὰ χριστιανῶν, θείῳ κεραυνῷ διαλύεται, κ. τ. λ. Anno imperii sexto* (annos sex imperii semel & iterum dat Aureliano Syncellus, ut & auctor chronici Paschalis, Eusebium, ut puto, sequuti, qui diserte tradit hunc *sexennio imperium tenuisse* lib. VII. cap. 30. H., quo etiam loco eidem proxime successisse tradit Probum, cui *totidem annos* imperii assignat: in Chronico autem annos sex, menses quatuor, ut alii, idem tribuit Probo. Inde liquet sex illis Aureliani annis comprehendi etiam Taciti ac Floriani imperium, nec non interregni tempus, quod inter Aurelianum & Tacitum fuit. Quod autem in latino Chronico anni omnino quinque ac menses sex Aureliano attribuuntur, atque ita ut ejus mors anno quinto ponatur, puto a S. Hieronymo esse, qui, ut sæpe alias, Eutropium ac Aure-

 lium

annis fere quinquaginta , Diocletiano & Maximiniano imperantibus acerbiſſima perſecutio exorta , quæ per x con-

lium Victorem totidem annos & menſes imperio Aureliani tribuentes ſequi maluerit. Sed quo pacto horum ſcriptorum ſententia ſit interpretanda , & de tota hac quæſtione legendus Tillemontius Nota III. in Aureliani Vitam) *Aurelianus in Chriſtianos perſecutionem moturus , fulmine cælitus miſſo cohibetur*,&c. Conſentit Euſebius lib. VII. H. E. cap. 30. , ubi eum Aureliani animum in Chriſtianos maxime propenſum retuliſſet, ſubdit proceſſu temporis quorumdam conſiliis ſollicitatum ut contra eoſdem perſecutionem commoveret. *Sed eum* , ſubdit ille interprete Valeſio, *paratum jam , & compoſitis contra nos edictis , ut ita dixerim , ſubſcribentem ulta eſt divina juſtitia , quaſi coaſtricto cubito conatum ejus reprimens*: cetera. Idem lib. VIII. cap. 4. ſcribit *a Decio & Valeriano* uſque ad Diocletianum ceſſaſſe dæmonea palam Eccleſiam oppugnare : ex quibus omnibus elicitur Euſebium non computaſſe hanc inter Eccleſiæ perſecutiones. Lactantius tamen non voluiſſe tantum Aurelianum , ſed reipſa cœpiſſe Eccleſiam vexare ſcribit , ita tamen ut *illi ne perficere quidem quæ cogitaverat , licuerit , ſed protinus inter initia ſui furoris exſtinctus ſit. nondum ad provincias ulteriores cruenta ejus ſcripta pervenerant* (puta in Palæſtinam Euſebii patriam) *& jam* (in) *Cænophrurio , qui locus eſt Thraciæ , cruentus ipſe humi jacebat , falſa quadam ſuſpicione ab amicis ſuis interemtus*. Sed & Conſtantinus Imperator in oratione ad Sanct. cætum cap. 24. hunc Decio & Valeriano jungit, quod ob perſecutionem in Eccleſiam malum vitæ exitum habuerit , ut illi. Edidit itaque Aurelianus leges contra Chriſtianos ,quibus Eccleſiæ tranquillitas aliquantulum turbari debuit ; adeo ut merito ſcriptum ab Ufſio fuerit de hac quam ipſe nonam computavit perſecutione , quamque comparavit cum nona Ægypti plaga ſub Pharaone , ea nimirum qua regio tota craſſis ac *pæne tractabilibus* tenebria obducta fuit : *Plus omnino periculi comminata , quam fecit*. Nonnulli tamen hac occaſione vexati uſque ad mortem pro Chriſti nomine, inter martyres recenſentur.

1 *Annis fere quinquaginta*) Si numeres a Valeriano uſque ad annum Diocletiani XIX., Chriſti CCCIII., quo cœpit perſecutio, aliquot anni ad eum numerum implendum deſunt : ideo *fere* addidit.

1 *Diocletiano & Maximiano imp.*) Hornii & Voſſii libri mendoſe *Maximiniano*. Fuit autem Maximiano cognomentum *Herculio* , quo diſtingui ſolet ab altero Maximiano, qui & Galerius , tum a Maximino, qui per hujus perſecutionis tempus Cæſares primum , tum Auguſti fuerunt.

a *acerb. perſecutio exorta*) Licet perſecutionis hujus acerbiſſimæ initium ad annum Diocletiani XIX. Chriſti CCCIII. collocetur , ut diximus , tamen multo ante ipſi quaſi præluſerant , Diocletianus Romæ primum , tum in Oriente, Maximianus Herculius autem intra Gallias, tum alter Maximianus, dumtaxat in Palatinos & milites Chriſtianos ſæviens. Hic demum Diocletiano licet reluctanti impulſor & auctor fuit generalis perſecutionis in Chriſtianos exercendæ, ut fuſius a Lactantio in aureo de Mortibus Perſecutorum libello narratur , ex quo pauca hæc delibare placet : *Inquiritur peragendæ rei dies aptus & felix , ac potiſſimum Terminalia deliguntur , quæ ſunt a. d. ſeptimum Kalend. Mart. , ut quaſi terminus imponeretur huic religioni.*

Ille dies primus leti , primuſque malorum

Cauſſa fuit (Virg. Æn. IV. v. 169. & ſeq.)

quæ & ipſis & orbi terrarum acciderunt . Qui dies cum illu-

xiſ-

x continuos annos plebem Dei depopulata eſt . qua tempeſtate omnis fere ſacro martyrum cruore Orbis infectus eſt:

uiſſet .... repente , adhuc dubia luce , ad eccleſiam (Nicomediæ in Bithynia, ubi Diocletianus & Galerius tunc agebant) *Præfectus cum ducibus & tribunis & rationalibus venit ; & revulſis foribus ſimulacrum Dei quæritur : ſcripturæ repertæ incenduntur : datur omnibus præda : rapitur, trepidatur, diſcurritur*, &c. *Poſtridie propoſitum eſt edictum , quo cavebatur ut religionis illius homines carerent omni honore ac dignitate ; tormentis ſubiecti eſſent , ex quocumque ordine & gradu venirent ; adverſus eos omnis actio valeret ; ipſi non de injuria , non de adulterio , non de rebus ablatis agere poſſent ; libertatem denique ac vocem non haberent*. Porro his non repugnat Euſebius, quum hoc edictum propoſitum fuiſſe menſe Martio appetente Paſchali feſto ſcribit lib. VIII. H. E. cap. 2.; nam locum ubi ipſe degebat , reſpexiſſe creditur : ſecum potius pugnare videtur, quum initio libri de Martyribus Palæſtinæ eadem fere ad verbum repetens , pro Martio tamen Aprilem ponit . Quæ diſcrepantia tamen ex locorum , ut alii putant, differentia orta eſt : nimirum quia huc citius , illuc ſerius Imperatorum edicta pervenerint . ſed potius, ut ego cenſeo , alter ex his locis corruptus eſt . Sane menſe Martio hæc contigiſſe dicuntur etiam in Chronico latino , tum in Paſchali Chronico ; licet contra Euſebii utrumque textum utrobique ipſis Paſchæ diebus (& quidem ipſa XXV. die Martii , in hoc altero) id factum ponatur. Porro hoc primum in Chriſtianos edictum ſecundum , tertium , quartum paullo poſt ſubſecuta ſunt, & quidem aliud alio tetrius & cruentius , de quibus Euſebius.

1 *continuos annos*) Cœperat nimirum perſecutio anno CCCIII., Nicomediæ VII. Kal. Mart., licet alibi aliquanto poſt , deſiit vero exeunte anno CCCXII., quum Maxentio e medio ſublato Conſtantinus victor Romam ingreſſus edictum ibidem pro Chriſtianis propoſuit , quod in omni Romano imperio, Maximino licet inique id ferente, dehinc perſecutioni finem impoſuit . Hoc aliud ſubſequutum eſt paullo poſt Mediolani communi Conſtantini & Licinii conſenſu editum, cujus exemplar habemus apud Euſebium & Lactantium , quodque ab ipſo Licinio Nicomediæ propoſitum fuit idibus Junii anni CCCXIII: adeoque, ut Lactantius ſcribit , *ab everſa eccleſia* (ejus civitatis, ſeu ab initio perſecutionis) *uſque ad reſtitutam fuerunt anni decem , menſes plus minus quatuor* . idem in fine ejuſdem libri hortatur ad preces Deo porrigendas, *ut pacem poſt annos decem plebi ſuæ datam confirmet in ſæculum*. Conſentit Euſebius in Chronico , & lib. VIII. H. E. cap. 15. & 16., in quorum primo decennium duraſſe, in altero decimo anno deſiiſſe perſecutionem ſcribit : utrumque recte . Sed hoc non ad totum imperium Romanum , ſed ad Orientalem tantum partem refero , ut ex ſequenti Nota .

2 *omnis fere . . . Orbis*, &c.) Imperium Romanum ſæpe , ut notum, in antiquis ſcriptoribus *Orbis terræ* , vel *univerſus Orbis* dicitur, idque etiam in ſacris libris , ut Lucæ II. 1., & ita hoc loco . Sane Euſebius in Vita Conſtantini lib. II. cap. 53. narrat barbaros , ſeu gentes extra Romanum Orbem ſitas Chriſtianos profugos benigne excepiſſe, & H. E. lib. IX. cap. 8. Maximinum Armenios amicos antea & ſocios Romanorum , quod Chriſtiani eſſent & divinæ legis ſtudioſiſſimi , ad idolorum cultum per vim traducere conantem, hoſtes ſibi effeciſſe, & malo exitu adverſus eoſdem bellum geſſiſſe . Quod autem ipſum Romanum Imperium ſpectat, ſatis conſtat nec univerſum, nec maiori ex parte decem

illis

est : quippe certatim gloriosa in certamina ruebatur, multoque avidius tum martyria gloriosis mortibus quærebantur, quam nunc episcopatus pravis ambitionibus appetuntur. nullis umquam magis bellis mundus exhaustus est : neque majore umquam triumpho vicimus, quam 5 cum decem annorum stragibus vinci non potuimus.

Ex-

illis annis totis Christianorum vexationibus & cædibus fuisse pollutum. Nam primum Galli & quotquot gentes Constantii ac deinde Constantini præcipue imperio parebant, ab ea calamitate fere omnino immunes fuere. *Constantius ne dissentire a majorum* (Diocletiani & Maximiani Augg.) *præceptis videretur, conventicula, idest parietes qui restitui poterant, dirui passus est; verum autem Dei templum, quod est in hominibus, incolume servavit.* hæc Lactantius cap. 15.: sequitur cap. 16. *Vexabatur ergo universa terra, & præter Gallias, ab oriente usque in occasum tres acerbissimæ bestiæ sæviebant*, Diocletianus scilicet, & uterque Maximianus. Verum & hæc ad initia tantum pertinent. anno enim persecutionis secundo, seu Christi CCCV., quo Diocletianus & Maximianus Herculius se imperio abdicarunt, duoque novi Cæsares Severus & Maximinus in locum Constantii & Galerii, qui deinceps Augusti sunt appellati, suffecti fuerunt; Severus, cui Pannonia, Italia & Africa obtigerant, mitior in Christianos fuisse videtur, forte quod sub Constantio Augusto administraret imperium. Sed & Maxentius Maximiani Herculii filius, qui sequenti anno Romæ sibi usurpavit imperium, statim per Italiam res Christianorum in tranquillo esse jussit: adeo ut deinceps persecutionis tempestas in orientales potissimum provincias sub Galerio & Maximino ad integrum usque decennium debacchata sit, ita tamen ut ibidem etiam semel & iterum paullisper sopita, majori rursus vi & rabie exarserit. Sed de tota hujus persecutionis historia consule Eusebium & Lactantium ex antiquis, ex recentioribus vero scriptoribus qui de ea ex instituto egerunt, in primis Tillemontium.

1 *certatim gloriosa in certamina*) Hæc confer cum iis quæ Eusebius refert in historia Eccl., capite præsertim sexto & nono libri VIII. Vix enim dubitandi locus superest, quin opus illud ex Rufini versione præ manibus habuerit Severus, qui quamquam suum compendium Historiæ sacræ circumscribat anno Christi CCCC., quo ipso anno ille Eusebium latinum fecit; satis tamen constat, ut alibi fusius dicendum, Severum aliquot post annis adhuc scribendis his libellis fuisse occupatum.

3 *nunc episcopatus*, &c.,) Sulpicius, ut & Hornius notavit, acer sui temporis castigator, passim in Clericorum mores & episcoporum invehitur. easdem fere S. Hieronymus querelas suis scriptis inspersit.

4 *nullis umquam bellis*, &c.) Verissime hoc dictum esse abunde confirmat Eusebii Historia lib VIII., præsertim a capite VI. ad XII. usque, cum lib. IX. Constantinus ipse Orat. ad Sanct. Cœtum cap. 25. asserit *tot tantasque factas fuisse cædes* Christianorum, *ut si tantæ factæ essent barbarorum strages, sufficturum id fuisset ad perpetuam* Romanis *pacem comparandam*. Præterea si qua fides habenda Catalogo Romanorum Pontificum, qui secundo loco a Schelestratio ponitur, quique sexto Ecclesiæ sæculo scriptus creditur; Marcellino Pontifice, qui his nimirum temporibus vixit, *fuit persecutio* (adeo) *magna* (ut) *infra triginta dies quindecim millia hominum promiscui sexus per diversas provincias* coronarentur. eadem ver-

ba

Digitized by Google

Exstant etiam mandatæ litteris præclaræ ejus temporis martyrum passiones: quas connectendas non putavi, ne modum operis excederem. Sed finis persecutionis illius fuit abhinc annos IX & LXXX, a quo tempore Christiani impe-
5 ratores esse cœperunt: namque tum Constantinus rerum po-
tie-

ba habentur in libro Pontificali, qui Anastasio Bibliothecario tribuitur: quin immo pro *quindecim millia* legitur ibidem *septemdecim millia*.

1 *Exstant etiam mandatæ litteris, &c.*) Puta ab Eusebio in H. E., quod opus in latinam linguam translatum legisse Severum admodom probabile est, ut paullo ante diximus. Potuit is etiam Lactantii librum *De Mortibus Persecutorum* præ manibus habere, in quo non pauca de huius temporis martyribus traduntur. Sed crediderim potissimum designata hoc loco *Acta Martyrum*, quæ olim in ecclesiis legebantur, & quorum nonnulla etiam nunc exstant sincera in Collectione Ruinartii, cui in Veronensi editione merito addita fuit Passio SS. Firmi & Rustici, qui in hac civitate anno præter propter CCCIV. martyrium subierunt. Habentur etiam non pauca in SS. Collectione Bollandiana ex bibliothecarum foruli nuper eruta.

4 *annos IX & LXXX*) Si ab anno Christi CCCC. ineunte ex auctoris mente hos annos LXXXIX. retrograde numeres, occurret tibi annus CCCX., vel, si mavis, CCCXI., a quo tempore & cessasse persecutionem, & Imperatores Christianos esse cœpisse idem statuit. Sane quod ad hoc alterum spectat, minime dubium est Constantinum (qui & antea erga Christianos, patris sui Constantii vestigiis insistens, admodum benignus, & erga nostram religionem bene animatus fuerat) anno tandem CCCXI., quo in Galliis expeditionem in Italiam contra Maxentium parabat, cælestibus prodigiis & monitis impulsum idololatriam eiurasse penitus, & in Christum credidisse, accitis episcopis ut in fide & lege nostra ipsum erudirent. Sed dubium mihi est, utrum id potissimum Severus significare voluerit, aut plane resciverit; quum nec in Chronico nec in Historia Ecclesiastica Eusebii hæc diserte tradantur. Quod vero ad finem persecutionis attinet, is anno demum CCCXIII. contigit, quo victus & fugatus a Licinio fuit Maximinus. Sed in hoc sequutus est Severus, ut puto, Chronicum Hieronymianum, in quo Maximini mors biennio ante quam par erat collocatur, scilicet anno Constantini VI., qui respondet anno Christi CCCXI. Hæc nimirum ibi leguntur: *Maximinus persecutione in Christianos facta, cum iam a Licinio puniendus esset, apud Tharsum moritur anno imperii sui sexto*. Porro Hieronymum contra historiæ veritatem & ipsius Eusebii mentem collocasse Maximini mortem anno VI. Constantini, atque adeo uno anno ante Maxentii cladem, inde apparet, quod hic in H. E. lib. IX. cap. 10. contrarium adstruat. Coniicere tamen est quæ errandi occasio Hieronymo fuerit, quum *anno imperii sui sexto* mortuum Maximinum dicat, quem certum est anno demum *nono* periisse. Auctor Chronici Alexandrini, qui ipsum Eusebiani Chronici textum, ut alibi sæpius, ita hoc loco descripsisse veri simile est, primum refert Maxentii exitium, *postquam VI. annos regnasset*, βασιλεύσας ἔτη ϛ'.: tum statim subdit: *Galerius* (seu Valerius: quamquam utrumque prænomen ipsi adscribunt: hoc tamen ab ipso Maximino usurpatur apud Eusebium H. E. lib. IX. cap 10. *Imperator Cæsar Cajus Valerius Maximinus*, &c.) *vero Maximinus a Licinio fusus, in Cilicia fugiens periit, cum annos IX. imperasset*, βασιλεύσας ἔτη θ. Ille tamen etiam hoc loco legisse videtur ἔτη ϛ. ideoque lapsus est in errorem illum,

nec

tiebatur, qui primus omnium Romanorum principum Christianus fuit. Sane tum Licinius, quia adversum Constantinum de imperio certavit, milites suos litare præceperat: abnuen-

nec non in alium, dum biennio anticipavit etiam Maximiani Galerii mortem, quæ eo ipso anno Constantini VI., Christi CCCXI., accidit. Porro annum nonum Maximini cœpisse ipsis Kalendis Maii anni CCCXIII., quum pridie a Licinio prælio apud Hadrianopolim inito victus & fugatus fuisset, diserte traditur in libro de Mortibus Persec. Itaque si, ut series historiæ suadet, idem mense demum Augusto ejusdem anni, vel aliquanto post animam scelestam efflavit, iure eius mors collocanda est anno Constantini VIII., qui cœperat a. d. VIII. Kalendarum Augusti proxime præteritarum.

1 *qui primus omnium*, &c.) Ita Lactantius in Procemio lib. I. Divin. Instit. Constantinum ipsum alloquitur: *Qui primus Romanorum principum repudiatis erroribus majestatem Dei singularis & veri & cognovisti & honorasti*. De eodem S. Ambrosius in funere Theodosii: *Cui licet baptismatis gratia in ultimis constituto omnia peccata dimiserit, tamen quod primus Imperatorum credidit, & post se hereditatem fidei principibus dereliquit, magni meriti locum reperit*. S. Paullinus Nolanus epist. 31. Severo inscripta, num. 4., de Constantino habet: *Qui princeps esse principibus Christianis non magis suo quam matris Helenæ fide meruit*: His adde Theodoritum H. E. lib. V. cap. 39. & alios, quos laudat Pagius ad an. CCCXXIV. num. 4. & duobus seqq. Ipse Eusebius lib. IV. Vitæ Const. cap. 61. quo tradit ipsum in suburbanis Nicomediæ salutari lavacro ablutum paucis ante mortem diebus, addit eum ex Imperatoribus omnibus *unum* seu primum fuisse baptizatum. Sed de hoc Eusebii loco & de tota hac quæstione alibi fusius.

2 *Licinius, quia adversus Const.*) Legendum forte *qui adversus C.* Porro exstinctis tyrannis & persecutoribus Christianorum, soli tum rerum potiebantur Constantinus & Licinius. Hic autem quoad Constantini amicus fuit, Christianis etiam favit, & de nostra religione optime sentire visus est; adeo ut eum fuisse Christianum aliqui ex antiquis scriptum reliquerint, quorum meminit Tillemontius, ubi de Licinii persecutione agit; qui tamen cum Norisio, Differt. de Numism. Licin. cap. 5., statuit numquam eum idololatriæ renuntiasse. Subortis autem inter ipsum & Constantinum acerrimis simultatibus circa annum Christi CCCXX., cœpit eodem tempore in odium Constantini Christianos male habere, & multa subinde edicta, aliud alio acrius, contra ipsos proponere; de quibus singillatim Eusebius.

3 *milites suos litare p.*, &c.) Incertum, undenam hæc Severus depromserit. Non sane ex Chronico Hieronymiano, in quo hæc tantum leguntur: *Licinius Christianos de palatio suo pellit*. Apud Rufinum lib. IX. cap. ultimo H. E. Eusebii, habetur quidem: *Primo namque omnium de palatio suo, si quis Christianus esset, exire iubet, tum & de omni militia*. Sed non videtur hoc loco Rufinus a Severo transcriptus: neque enim, puto, persecutionem Licinii *rem levioris negotii* dixisset, cum ille Eusebium sequutus tam multa ab eo in Christianos hoc tempore impie & crudeliter gesta eodem capite describat. Ceterum Eusebii locus, quem Rufinus præ oculis habuit, & ad quem etiam, undecumque hauserit, referenda videntur Severi verba, exstat lib. X. cap. VIII., quem tamen, ut Valesius notavit, *pauci admodum ac pæne nemo hactenus intellexit*: neque enim sermo ibi est *de omni militia*, aut de castrensi potissimum, sed de urbana tantum seu civili, quam professi a Lati-

nis

abnuentes militia rejiciebat . ſed id inter perſecutiones non computatur : adeo res levioris negotii fuit, quam ut ad Eccleſiarum vulnera perveniret. Exinde tranquillis rebus pace perfruimur , neque ulterius perſecutionem fore credimus , ni-
5 ſi eam quam ſub fine jam ſæculi Antichriſtus exercebit. etenim ſacris vocibus x plagis mundum afficiendum pronuntiatum eſt : ita cum jam ix fuerint , quæ ſupereſt, ultima erit. Hoc temporum tractu mirum eſt quantum invaluerit

nis *Officiales* ſeu *Apparitores* dicti ſunt, græcis autem *στρατιῶται κατὰ πόλιν*, ut hoc Euſebii loco; quem ita Valeſius eſt interpretatus : *Poſt hæc cunctos in urbibus militantes, niſi dæmonibus ſacrificare mallent, exauctorari & honore militiæ ſpoliari jubet*. Geminus huic locus eſt lib. 1. vitæ Conſt. cap. 54., & quidem eamdem legem Licinii fuſius & apertius explicans. Quod ſequitur , *ſed id inter perſecutiones non computatur*, falſum omnino eſt: nam hæc multo potiori jure in perſecutionum numero fuit computanda , quam nonnullæ ex iis quas Severus jam computaverat. Et tamen nec Oroſius , nec alii vulgo ejus ſingillatim meminerunt : puta , quia in Hieronymiano Chronico vix indicatur . Apparet itaque ex his quæ notavimus, quo loco haberi debeat Severi de Licinii perſecutione teſtimonium; adeo ut minime opus ſit, quod Tillemontius fecit, conari ejus effata cum vera hiſtoria ab Euſebio & aliis tradita conciliare , cujus fere omnino eum inſcium fuiſſe liquet . Sane miror etiam doctiſſimum Boſſuetium Comm. in Apocal. cap. XIII. 3. in ſuæ ſententiæ confirmationem hæc ex Severo laudare : *Res levioris negotii fuit , quam ut ad Eccleſiæ vulnera pertineret* ; atque ita quidem , ut ipſius verba nonnihil mutet .

4 *neque ulterius perſecutionem fore credimus* , &c.) S. Auguſtinus lib. XVIII. de C. D. cap. 52. ad examen revocat nonnullorum opinionem (ex quorum numero eſt Oroſius lib. VII. cap. 27., iſque, ut videtur, ab Auguſtino potiſſimum deſignatur) qui putarunt *non amplius Eccleſiam paſſuram perſecutiones uſque ad tempus Antichriſti , quam quot jam paſſa eſt , ideſt decem , ut undecima eademque noviſſima ſit ab Antichriſto* : eamdemque confutat , primum infirmans fundamentum quo ſuperſtruebatur . nimirum volebant decem perſecutiones ſignificatas fuiſſe per totidem plagas quibus Ægyptii ſub Moſe fuerunt vexati: undecimam vero & noviſſimam ſub Antichriſto futuram, portendi undecima illa plaga qua Ægyptii in mari rubro perierunt : hanc autem vocat S. Doctor *conjecturam mentis humanæ , quæ aliquando ad verum perveniat , aliquando fallitur* . Deinde multas præter illas decem perſecutiones recenſet , quibus vel ante Neronianam, vel poſt Diocletianæam Eccleſia Chriſti fuit afflicta, in quibus tamen etiam ipſe omittit Licinianam computare, nec non eam quam ſub Conſtantio Arianorum fautore paſſi ſunt Orthodoxi. Conſtat itaque nihil certi de his ſtatui poſſe , atque illum x. vel XI. Eccleſiæ perſecutionum numerum omnino arbitrarium eſſe . Itaque quod ſequitur apud Severum , *ſacris vocibus x plagis* , &c. , apparet alluſionem eſſe ad x. celebres Ægypti plagas : neque enim in ſacris litteris alius locus exſtat , ad quem hic reſpicere potuerit : jamque vidimus illo teſtimonio abuſos etiam illos, qui XI. in univerſum perſecutiones numerabant .

rit religio Christiana. tum siquidem Hierosolyma horrens ruinis, frequentissimis ac magnificentissimis Ecclesiis est adornata: namque Helena mater principis Constantini, quæ Augusta cum filio conregnabat, cum Hierosolymam agno-

2 *Hierosolyma horrens ruinis*) Hilarium puto transcripsit, qui in Psal. 131. hæc de Judæorum quondam metropoli scribit: *A Romanis capta & incensa jam nulla est:* & paullo infra: *Quæ electa Sion dicitur*, horret ruinis, *vacua incolis est*. idem in Psal. 126. num. 4. de eadem: *Solum hodie ex se conflagrationis suæ cinerem & deformium ruinarum præbet fœditatem*. At, inquies, non ne multo ante Hierusalem restaurata fuerat sub Ælio Hadriano, & Ælia de ejus nomine vocata? Hadriano non restaurare Hierusalem in animo fuit, sed novam civitatem condere: neque eo ipso loco fuit exstructa quo vetus Hierusalem; adeo ut antiquarum ruinarum adhuc Constantini & Hilarii tempore vestigia remanserint. Hæc confer cum iis quæ Eusebius lib. III. vit. Const. cap. 33. scribit, & cum Valesii notis in illud caput, & in cap. VI. lib. IV. H. E. Ceterum ex historia Ecclesiastica compertum est non Hierosolymis tantum erectas per illud tempus magnificentissimas Ecclesias, sed per omnes fere celebriores urbes, partim Constantini ipsius munificentia, partim ipsorum fidelium impensis: nam cum persecutio Diocletiani cœperit ab Ecclesiarum eversione, ita pace restituta nihil potius habuerunt quam ut easdem majori quam antea splendore restituerent.

3 *Helena mater p. Constantini*) Insignem huic sanctissimæ feminæ ejusque filio notam inusserunt antiqui quidam Scriptores, qui illam Constantii concubinam, hunc nothum dixerunt: quod tamen a plerisque recentioribus solidis argumentis falsum esse demonstratur. Em. Norisius Lect. VII. in Hist. Donatist., quæ habetur Tom. IV. ejusdem Opp. novissimæ editionis Veronensis, hujus falsi rumoris originem indicat: nimirum orto bello inter Maxentium & Constantinum, hi qui Constantini partes sequebantur, Maxentium Maximiani Herculii suppositititium filium, contra qui pro Maxentio stabant, illum Constantio ex illegitimo natum concubitu injuriæ caussa dictitabant: quod ex his Panegyristæ verbis elicit: *Ille Maximiani suppositus, tu Constantii pii filius*. Ceterum huic calumniæ aliquam veri speciem conciliabat, quod Helena plebeiis orta esset parentibus, & a Constantio repudiari debuerit quum Cæsar est factus, collocata illi in matrimonium Theodora Maximiani privigna.

4 *Augusta cum filio conreg.*) Vide Eusebium in vita Const. lib. III. cap. 47. & Rufin. H. E. lib. X. cap. 11. & alios. Exstat etiam insignis inscriptio in honorem S. Helenæ adhuc viventis a Neapolitanis posita, in qua & *Augusta* dicitur, & *uxor Constantii*.

PIISSIMÆ ET CLEMENTISSIMÆ
D. N. AUGUSTÆ HELENÆ MATRI D. N. VICTORIS
SEMPER AUG. CONSTANTINI ET AVIÆ DD. NN.
CÆSARUM BEATORUM UXORI D. CONSTANTII
ORDO NEAPOLITANORUM ET POPULUS.

Porro Severus heic & infra sequitur Paullinum in epistola ad se data, quæ nunc est XXXI. ubi num. 4. hæc ipsa verba restituta fuerunt partim ex MSS. auctoritate, partim ex collatione Severi, ita tamen ut locus ille adhuc aliqua egeat emendatione.

Digitized by Google

agnoſcere concupiſſet, reperta ibi idola ac templa protrivit: mox uſa regni viribus, baſilicas in loco Dominicæ paſſionis & reſur-

1 *agnoſcere concupiſſet*) Antea erat *concupiſceret*: ſed præter MS. Vaticani teſtimonium ipſa ratio ſuadet legendum eſſe *concupiſſet*. Porro quæ ad hunc locum notavit Hornius de Hieroſolymitana peregrinatione, refutantur a Cl. Galleardo in ſuo Gaudentio pag. 340. ed. in folio. Sed & nos nonnulla obſervavimus de ejus peregrinationis antiquitate in Notis pag. 169. quibus adde & Hieronymi locum de Firmiliano Cæſareæ Epiſcopo, in lib. de Vir. Ill. cap. LIV. quod eſt de Origene: *ſub occaſione Sanctorum locorum Palæſtinam veniens*, &c., tum quæ habentur in ejuſdem epiſt. XL. Paullæ & Euſtochii nomine ad Marcellam data, num. 9.

2 *idola ac templa protr.*) Vide quæ ſcripſit Severus ſupra pag. 168. quæque ad eum locum notavimus.

3 *uſa regni viribus*) S. Paullinus in laudata epiſtola: *Patefactis ad opera ſancta theſauris, tota abuſa fiſco eſt*. Adde his Euſebium in V. Conſt. cap. 29. & ſeqq.

4 *baſilicas*) Ita MS., non *baſilicam*, ut libri vulgati: ſed & paullo ante dixit *Eccleſiis iiſque frequentiſſimis ac magnificentiſſimis* Hieruſalem fuiſſe adornatam. Accedit Paullini geminus locus: *Ædificatis baſilicis contexit omnes & excoluit locos, in quibus ſalutaria nobis myſteria pietatis ſuæ, incarnationis & paſſionis & reſurrectionis atque adſcenſionis Sacramentis, Dominus Redemtor impleverat*. Omiſit autem Severus memorare locum *Incarnationis*, fortaſſe quia de Hieroſolymitanis Eccleſiis peculiariter ſermonem inſtituiſſet: eo autem verbo Paullinum Bethleem ſeu locum Nativitatis Domini intellexiſſe, minime eſt ambigendum, quum ibidem ab Helena exſtructam fuiſſe baſilicam conſtet, ſicuti & in monte Olivarum, ſeu in loco adſcenſionis. Sicuti autem, ut notavi etiam ſupra pagina 170. Severus & Paullinus recte diſtinguunt locum paſſionis a loco reſurrectionis, ita binas in iiſdem locis baſilicas fuiſſe erectas putaſſe videntur. Sane ſpeluncam S. Sepulcri columnis & arcuato tecto exornaverat Conſtantinus, adeo ut ædificium illud ſeorſum ſumtum exhiberet ſpeciem rotundi templi, cujus etiam icon in nummo quodam antiquo, de quo Sirmondus in *Triplici num.*, repræſentabatur cum hac græca epigraphe, ANACTACIC: ſed hoc ab Euſebio in Vita Conſt. lib. III. cap. 33. & ſeq. *totius* operis *caput* dicitur: baſilica autem una, eaque immenſæ altitudinis, longitudinis & latitudinis erat e regione Sepulcri ad orientem, ut idem in ſeqq. capitibus narrare pergit: in area vero, quæ inter hanc baſilicam & Chriſti ſepulcrum interiecta, longiſſimis porticibus ambiebatur, viſebatur rupes, in qua quondam crux fixa fuerat, ut Euſebius Lugdunenſis tradit in libello de Hieroſolymæ urbis ſitu, ex quo pauca hæc Sirmondus, & ex hoc, ſed emendatiora, Valeſius producunt. *Primum de locis ſanctis, pro conditione platearum, divertendum eſt ad Baſilicam quæ Martyrium appellatur, a Conſtantino magno cultu conſtructa. Dehinc cohærentia ab occaſu iunguntur Golgotha & Anaſtaſis. Sed Anaſtaſis in loco eſt Reſurrectionis: Golgotha vero medius inter Anaſtaſin ac Martyrium, locus eſt Dominicæ paſſionis, in quo etiam rupes apparet, quæ quondam affixo Domini corpore crucem pertulit*. Vide eumdem Valeſium in epiſt. de Anaſtaſi & Martyrio Hieroſol. ad calcem Hiſtoriæ Eccl. Euſebii: cui tamen, ubi Hieronymi locum percelebrem *quum de Anaſtaſi pergeretis ad crucem*, ita interpretatur, *cum de monumento pergeretis ad Golgotha, in quo erat rupes crucis*; prorſus non aſſentior. Crucem enim ipſam puto a Hieronymo indicatam, ſeu potius baſili-

Aa 2 cam

resurrectionis & adscensionis constituit. Illud mirum, quod locus ille in quo postremum insliterant divina vestigia cum in cælum Dominus nube sublatus est, continuari pavimento cum reli-

cum, in qua, teste Rufino, Helena Crucis *partem thecis argenteis conditam dereliquit, quæ etiam nunc ad memoriam sollicita veneratione servatur*. Sane, ut ipse Valesius ibidem notat, Eusebius in oratione de laudibus Const. basilicam *in honorem Sanctæ Crucis* erectam tradidit, eamque auctor Chronici Alexandrini *Ecclesiam Sanctæ Crucis* appellat. Præterea dum Hieronymus in epist. ad Paullinum, quæ nunc est LVIII., *Crucis & Resurrectionis loca* memorat, & in cap. 1. Sophoniæ versu 16. loca celeberrima Christianorum Hierosolymis tunc temporis exstantia ita recenset: *Patibulo Domini coruscante, ac radiante ἀναστάσει ejus, de Oliveti Monte quoque Crucis fulgente vexillo; Crucis* nomine, aut *patibuli Domini* non *rupes Crucis*, cujus in eadem epistola ad Paullinum jam meminerat, sed ædes in qua tum servabatur illud salutare lignum, quæque eminus Judæis ipsis conspicua erat, designari omnino videtur. Vide ejusdem basilicæ descriptionem ex Paullino infra in Notis ad ea verba, *dignoque ambitu consecrata*. Ceterum etiam ex allatis Hieronymi locis elucet ipsum quoque Anastasin pro basilica alia ab ea quæ Cruci dicata erat, habuisse, eamque satis amplam fuisse apparet ex ejus libro contra Joannem Hierosol. num. 11. Conciones enim ibidem haberi solitas indicat: *Nonne ante sepulcrum Domini misso Archidiacono præcepisti, ut talia disputans* (Epiphanius) *conticesceret? Quis hoc umquam presbytero suo coram plebe imperavit Episcopus? Nonne quum de Anastasi pergeretis ad Crucem*, &c.

1 *Illud mirum*, &c.) Pergit Paullini epistolam pæne ad verbum transcribere; in qua hæc habentur: *Mirum vero inter hæc, quod in basilica Adscensionis locus ille tantum de quo in nube susceptus adscendit, captivam in sua carne ducens captivitatem nostram, ita sacratus divinis vestigiis dicitur, ut numquam tegi marmore aut paviri receperit, semper excussis solo respuente, quæ manus adornandi studio tentavit apponere. Itaque in toto basilicæ spatio solus in sui cæspitis specie virens permanet, & impressam divinorum pedum venerationem calcati Deo pulveris perspicua simul & attigua venerantibus arena conservat, ut vere dici possit:* Adoravimus ubi steterunt pedes ejus. Plerique ex antiquis & recentioribus referunt non tantum eum locum pavimentari non potuisse, sed nec tecto operiri: quin etiam Paullinus id indicatum voluit, his verbis, *solus in sui cæspitis specie virens permanet*. Porro vestigia Christi in vertice montis Oliveti impressa divinitus, & in basilica ibidem postea exædificata fuisse perspicua, præter Paullinum & Severum, tradunt quam plures alii ex antiquis, nimirum S. Augustinus Tract. 47. in Joan. num. 4., & antiquus, sed incertus auctor libelli de Nominibus locorum ex Act. Apost., tum Beda de locis Sanctis cap. 7. & alii quam plures. Sed quia Eusebius in vita Constantini, ubi de ea basilica scribit, hujus miraculi non meminit, Hornius & alii Heterodoxi negativum, ut ajunt, argumentum pro demonstrativo temere obtrudentes, passim in dubium revocare audent, immo fictis fabellis accensere. Itaque Joann. Clericus in Bibl. selecta tom. XX. parte prima, ubi Severi scripta recenset, hinc potissimum ducit argumentum, ut Severum nominatim vel nimiæ credulitatis, vel religiosæ, ut ipse vocat, politicæ accuset. hujus tamen audaciam in Præfatione Tomi primi satis, ut puto, retudimus. Sane Severus idoneum habet hujus historiæ assertorem & vindicem Paullinum in laudata epistola: hic autem quæ scripsit, ex Melania illustrissima ac spectatissima femina accipere oretenus potuit: nam Hieroso-

reliqua ſtratorum parte non potuit: ſiquidem quæcumque applicabantur, inſolens humana ſuſcipere terra reſpueret, excuſſis in ora apponentium ſæpe marmoribus. quin etiam calcati Deo pulveris adeo perenne documentum eſt, ut ve-
5 ſtigia impreſſa cernantur, & cum quotidie confluentium fides certatim Domino calcara diripiat, damnum tamen arena non ſentiat: & eadem adhuc ſui ſpeciem, velut impreſſis ſignata veſtigiis, terra cuſtodit. Ejuſdem reginæ beneficio XXXIV. Crux Domini tum reperta, quæ neque in principio obſiſtentibus

roſolymis Romam rediens apud eumdem Nolæ diverterat. Vide ſæpius laudatam epiſtolam num 1. & 3.

5 *& cum quotidie*, &c.) At hæc in Paullini epiſtola non habentur, qui tamen de ligno Crucis ſimile aliquid narrat num. 6. *Quæ quidem crux in materia inſenſata vim vivam tenens, ita ex illo tempore innumeris pæne quotidie hominum votis lignum ſuum commodat, ut detrimenta non ſentiat, & quaſi intacta permaneat, quotidie dividua ſumentibus, & ſemper tota venerantibus*: &c. Hæc ille. eadem fere S. Cyrillus, Catecheſi præſertim x. Miraculum nimirum in eo uterque videtur agnoſcere, quod tamen ſine miraculo fieri potuit: nam tam minuta ſegmenta jam tum illius ligni diſtribuebantur, ut multo temporis intervallo *detrimenta non ſenſerit, & quaſi intacta permanſerit*, ut Paullini ipſius verbis utar. idem *ſegmentum pæne atomum haſtulæ brevis* vocat particulam ad Severum a ſe miſſam. Nec ſecus de Severi ſententia judicaverim, idque pro certo habuerim, eos qui illuc accederent, ex remotis præſertim regionibus, pugillum pulveris ex eodem loco religionis cauſſa ſumere ſolitos, neque tamen veſtigia pedum Chriſti fuiſſe umquam abolita, ſeu quod tantumdem arenæ ab æditui quotidie in locum abraſæ ſufficeretur, ſeu quod veſtigia illa ſenſim excavarentur, atque altius infigerentur humi. Porro Severum exſcripſiſſe videntur tum Auctor ſupra laudati libelli de Nominibus loc. ex Act. Apoſt., tum Venerabilis Beda: ille enim habet, *Cumque terra eadem quotidie a credentibus hauriatur, nihilominus tamen eadem ſancta veſtigia priſtinum ſtatum continuo recipiunt:* hic autem, *Quæ* (Chriſti pedum veſtigia) *cum quotidie a credentibus terra tollatur, nihilominus manent, eamdemque adhuc ſpeciem ſui, velut impreſſis ſignata veſtigiis, ſervant*.

9 *Crux Domini tum reperta*) De inventione Sanctæ Crucis ſub Conſtantino agunt hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores antiqui, Rufinus, Theodoretus, Socrates & Sozomenus, præterea S. Ambroſius Orat. de funere Theodoſii, S. Joannes Chryſoſtomus Hom. 84. in Joan., S. Cyrillus Hieroſolymitanus in epiſtola ad Conſtantiam, ut præteream Severum noſtrum & Paullinum, quem ille ſequutus eſt. Neque rei geſtæ fidem elevant aliquot diſcrepantiæ quæ in laudatis Scriptoribus inter ſe comparatis occurrunt, multoque minus Euſebii ea de re ſilentium: nam in ſumma omnes illi conveniunt, neque adverſus eoſdem uno ore teſtimonium dicentes unius Euſebii reticentia alicuius momenti eſſe debet. Videſis Tillemontium in Vita S. Helenæ, potiſſimum Nota ſecunda. Fuerunt quidem ſcripta Acta quædam de inventione Crucis Dominicæ fabulis nonnullis inſperſa, quæ ſequutus videtur S. Gregorius Turonenſis lib. 1. H. F. cap. 34., & de quibus Gelaſius in Decreto de Scriptis Apocryphis: *Item ſcripta de inventione Crucis Dominicæ, & alia ſcripta de inventione capitis Joannis Baptiſtæ, novellæ quædam relationes ſunt, & nonnulli eas Catholici legunt: ſed cum hæc ad Catholicorum manus pervenerint, B. Paulli Apoſtoli præcedat ſententia:* Omnia probate, quod bonum eſt tenete.

9 *quæ neque in principio*, &c.) Confet

tibus Judæis potuerat consecrari, & postea dirutæ civitatis oppressa ruderibus, non nisi tam fideliter requirenti meruit ostendi. Igitur Helena primum de loco passionis certior facta, admota militari manu, atque omnium provincialium multitudine in studia reginæ certantium, effodi terram & 5 contigua quæque ac vastissima ruinarum purgari jubet: mox pretium fidei & laboris tres pariter cruces, sicut olim Domino ac latronibus duobus fixæ fuerant, reperiuntur. Hic vero major dignoscendi patibuli in quo Dominus pependerat, difficultas omnium animos mentesque turbaverat, ne er- 10 rore mortalium forsitan pro cruce Domini latronis patibulum consecrarent. Capiunt deinde consilium, ut aliquem recens mortuum crucibus admoverent. nec mora, quasi Dei nutu funeris exstincti solemnibus exsequiis deferebatur, concursuque omnium feretro corpus eripitur. Duabus prius frustra 15 crucibus admotis, ubi Christi patibulo adtactum est, dictu mirabile! trepidantibus cunctis funus excussum, & in-

fer hæc & sequentia cum Paullini epistola num. 5.

4 *atque omnium provincialium multitudine in s. r. certantium*) Quod alibi observavimus, Severus haud infrequenter utitur verborum constructione minus obvia, & usitata, quæ græcis ἀνακόλουθον dicitur. apud Paullinum est tantum, *parataque mox civium & militari manu*.

8 *Hic vero maior*, &c.) Ita Paullinus rem narrat: sed Rufinus, Socrates, Theodoretus & Sozomenus tres cruces mulieri cuidam primariæ gravi ægritudine confectæ admotas narrant, eamque cum duarum priorum contactus nihil iuvasset, tertia demum cruce admota, repente incolumem restitutam. Utrumque sane miraculum potuit evenisse; nam & mortui resuscitati meminit Sozomenus: λέγεται καὶ νεκρὸν τῷ ἴσῳ τρόπῳ ἀναβιῶναι. Sed quid dicemus de Ambrosio & Chrysostomo, qui Christi crucem ex titulo agnitam referunt? Potuit quidem & titulus, licet a Cruce avulsus, ut tradit Sozomenus, indicio esse, sed in re gravissima non satis manifesto: itaque scribit Rufinus: *Aderat quidem & titulus ille qui . . . . a Pilato fuerat conscriptus; sed nec ipse satis evidenter Dominici prodebat signa patibuli.*

12 *capiunt deinde consilium*) Paullinus hoc consilium S. Helenæ divinitus suggestum tradit. Rufinus vero Macarium Hierosolymitanum episcopum auctorem facit alterius experimenti, quo tres cruces mulieri ægrotanti sunt admotæ. Sed hæc nihil historiæ veritati obsunt; sunt enim leviora quædam rei gestæ adiuncta, ex narrantium plerumque arbitrio & opinione profecta.

14 *funeris exstincti*) Sigonius legendum voluit *funus exstincti*, ut sit *funus hominis mortui*; cui Vorstius adstipulatur. Sed *funus* pro cadavere paullo post usurpatur a Severo, nec alia significatione heic positum videtur, cum subdatur *solemnibus exsequiis deferebatur*: itaque legendum forte *funus* seu cadaver *viri exstincti*: rem tamen in medio relinquo.

17 *funus excussum*) Ita & Paullinus: significant autem mortuum repente excitatum & vitæ redditum fuisse. *Funus* vero pro cadavere passim

inter ſpectatores ſuos adſtitit. Crux reperta, dignoque ambitu conſecrata. His per Helenam geſtis principe Chriſtiano, liber- XXXV.

paſſim apud latinos Scriptores occurrit, ut apud Virgil. II. Æn. verſ. 539. *patrios fœdaſti funere vultus*, ubi Servius: Funere, *cadavere*, &c., & lib. IX. verſ. 49., *& funus lacerum tellus habet*: ubi itidem Servius: *Dilaniatum cadaver*; *nam* funus *pro cadavere poſuit*. ita alii, ſoluta etiam oratione uſi.

s *inter ſpectatores ſuos adſtitit*) S. Paullinus: *inter exſpectatores ſuos redivivus inceſſit*. Porro editos monet ita habere MS. Regium cum tribus editis, hancque veram eſſe lectionem: alios autem codices *ſpectatores* præferre. Poſtremo lectorem amandat ad epiſt. VI. num. 3. ubi itidem habetur *oculi temporalium exſpectatorum*, iuxta MSS. duos, & totidem editos libros: tum additur: *Similiter iuxta MSS. Codices* exſpectare *pro* ſpectare, *&* exſpectatos *pro* ſpectator *ſæpe ſæpius apud Auguſtinum t. 4. Item in veteri verſione latina Paſſionis SS. Martyrum Tarachi, Probi & Andronici pag. 261. 268. Edit. Bigot.* Hæc placuit tranſcribere in confirmationem eorum, quæ non ſemel alibi notavimus. Sane Severus ipſe Paullinum excerpens ſcripſerit fortaſſe hoc loco *exſpectatores*; ſed hæc vox a librariis, ut aliae, fuerit decurtata.

s *dignoque ambitu conſecrata*) *Ambitus* hoc loco non eſt, ut Vorſtio videbatur, *ambitio*, *id eſt ſtudium*, *contentio*, *unde ambitioſus*, *qui magno ſtudio aliquid facit*: ſed magis proprie ſignificat *pompam & apparatum ſolemnem*, qua ſignificatione, Prudentius Hymno In Exſequiis, *funeris ambitum* dixit: nec ſecus accipienda vox *ambitio* 2. Mach. IX. 37. *cum ambitione magna*; nam in græco textu eſt μετὰ παρατομπῆς μεγάλης. Eodem collineat alius Severi textus Dial. 2. pag. 66. tomi primi, quo eccleſia quædam in ora Cyrenaica ita deſcribitur: *Erat autem vilibus texta tegultis, non multo ambitioſior quam noſtri hoſpitis tabernaculum*, &c.: ad quem locum idem Vorſtius alia quędam addidit exempla, ſed ab auctoris mente prorſus abſona. Ceterum S. Paullinus audiendus, qui rem omnem fuſius proſequitur: *dignoque mox ambitu conſecratur, condita in paſſionis loco baſilica, quæ auratis coruſca laquearibus, & aureis dives altaribus, arcano poſitam ſacrario crucem ſervat; quam epiſcopus urbis eius quotannis, cum Paſcha Domini agitur, adorandam populo princeps ipſe venerantium promit*. Sed quoniam agitur de cultu & adoratione Sanctæ Crucis, non omittendus S. Ambroſii locus, ex quo appareat nos neque aliter ſentire, neque quidquam diſcedere a ritu eius temporis, cum ante Crucem proſternimur. *Invenit ergo titulum* (de S. Helena loquitur) *regem adoravit, non lignum utique, quia hic gentilis eſt error & vanitas impiorum, ſed adoravit illum, qui pependit in ligno, ſcriptus in titulo*; &c. Exſtat etiam antiquum nec minus elegans carmen *de Paſſione Domini* in pleriſque MSS. & edd. Lactantio adſcriptum, in quo hi verſus leguntur.

Flecte genu, lignumque crucis venerabile adora
Flebilis, innocuo terramque cruore madentem
Ore petens humili, &c.

Sed Caveus inde arguit Lactantii non eſſe carmen illud, quod in eo Crucis adoratio memoretur. Aliis heterodoxis ob eamdem cauſſam is verſus ſuſpectus eſt: immo non defuit qui ipſum expungere minime dubitarit, ita ſententiam connectens: *Flecte genu, innocuo terramque cruore madentem*, &c. Fuit hic Georgius Fabricius, qui Poetas Chriſtianos veteres edidit Baſileæ an. 1562., quemque ob hanc aliaſque interpolationes ipſe Joannes Albertus Fabricius Biblioth. Latinæ lib. IV. cap. 2. num. 22. notat, ſed nimis levi ſtilo.

Digitized by Google

libertatem atque exemplum fidei mundus acceperat: sed longe atrocius periculum cunctis Ecclesiis illa pace generatum, namque tum hæresis Ariana prorupit, totumque orbem invecto errore turbaverat. Etenim duobus Ariis acerrimis perfidiæ

1 *longe atrocius periculum*, &c.) Eadem fere Rufinus initio lib. 1. Historiæ Ecclesiasticæ ab eo scriptæ, seu x., si iungatur libris ix. ex Eusebio in latinum versis.

3 *hæresis Ariana p.*) Antea erat *hæresis Arrii*; sed quum in MS. Vaticano mendose legatur *h. Arriani*, quumque statim sequatur *Etenim duobus Ariis*, &c., apparet scriptum a Severo fuisse *hæresis Ariana*. Porro in omnibus Severi libris, ut & in plerisque Patrum Latinorum codicibus, *Arrius*, *Arriani*, & cetera ad eumdem modum duplici *r* scripta habentur, repugnantibus græcis, apud quos constanter ἄρειος scribitur. Obtinuit fortasse apud Latinos error iste, itemque alter quo media syllaba corripitur, isque admodum antiquus (nam & apud Arator. in Act. Ap. cap. 5. exstat: *fusa ruit Arrius alvo*) propterea quod apud Romanos *Arrius* & *Arria* esset nomen usitatum. Vide Catulli versiculos *de Arrio*. Nos hæresiarchæ nomen uno *r* scribimus.

4 *duobus Ariis*, &c.) Unus quidem fuit Arius auctor hæreseos præcipuus; sed quoniam inter eius sectatores adnumeratur *Arius alter*, & ipse Alexandrinus presbyter; inde factum ut *duos Arios* auctores hæreseos Severus scripserit, Hilarium sequutus, ut observavit etiam Coutantius in Notis ad Fragm. II. num. 26., qui tamen alia quam hic accepit, significatione id ab eo dictum putat, & *probabilius* esse *duos* ab Hilario *vocari Arianæ sectæ principes, Arium scilicet & Eusebium Nicomediensem. Hilario enim Ariorum vocabulum non hominis unius alteriusque proprium, sed totius sectæ commune fuisse constat ex his lib. de Synod. num.* 83. Placeat quod ab Ariis sit negatum: *& non*, Ipsa Ariorum perfidia. Hæc Coutantius. Seu primo, quod constare dicit ex libro de Synodis, æque, immo magis ambiguum est: nam laudati textus, itemque alius num. 86., ubi rursus habetur, *sed numquid melius Arii negaverant*, commode intelligi possunt de viris quibus proprium esset Arii nomen & idem error: nam utrobique sermo est de quibusdam, qui tempore Nicænæ Synodi vixerant, quique *homousii* vocem ab ea nuper usurpatam repudiaverant. Secundo, tum in libro de Synodis, tum in Fragmentis, atque etiam alibi, sæpius usus est Hilarius voce *Ariani*, ita tamen ut manifesto appareat totius sectæ commune fuisse nomen istud. Ex. gr. in libro de Synodis num. 88. *Subscribamus & Nicænæ Synodo, ne homousion improbent Ariani*: & paullo post, *Date veniam, fratres, quam frequenter poposci: Ariani non estis? cur negando homousion censemini Ariani?* Aliud proinde ipse significatum voluit *Arii* & *Ariorum*, aliudque *Ariani* vocabulo. Sed locum ipsum, qui in controversiam venit ex Fragm. II., expendamus. Præfatur S. Hilarius num. 25., ut apostolici viri semper allaboraverint, ut SS. Trinitatis mysterium fidelibus traderent & defenderent contra hæreticorum errores & fallacias: tum num. 26. subdit: *Cum igitur patribus nostris cognitum fuisset (&) Arios duos profanissimæ fidei prædicatores exstitisse (f. exsistere) seque longius non iam opinio, sed iudicium labis istius tetendisset; ex omnibus orbis partibus in unum advolant, Nicæamque concurrunt, ut exposita fide popularis, & in iure intelligentiæ cognitionis divinæ itinere directo, intra ipsos auctores suos emergentis mali seminaria necarentur. Tradebant autem Arii talia*, &c. In his sane verbis Arius hæresiarcha famosissimus proprio nomine designatur. quid ni igitur & alter minus sane

fidiæ hujus auctoribus, Imperator etiam depravatur: dumque sibi religionis officium videtur implere, vim persecutionis exercuit: actique in exsilium episcopi, sævitum in clericos, animadversum in laicos, qui se ab Arianorum communione secreverant. Quæ autem Ariani prædicabant, erant hujuscemodi: Patrem Dominum instituendi orbis caussa ge-

sane notus Arius, prioris asseela & in hæresi socius, proprio itidem nomine expressus fuerit? Sane si *Arios duos*, ut Coutantio videbatur, Hilario idem fuisset ac *duos Arianos*; quærendum adhue ei fuisset quisnam Eusebio Nicomediensi iungendus esset: uterque enim, de quibus diximus, Arius ab hoc textu esset eliminandus. Porro hunc Severi locum præ oculis habuisse videtur Vigilius Tapsensis, seu quisquis auctor Prologi in disputationem Athanasii contra Arium, cuius verba protulimus in Testimoniis pro Severo Tom. I. pag. XL.: nonnihil tamen scrupuli ingerit, quod verba ipsa quæ ex Severi Chronico laudantur, alia omnino sint ab iis quæ hoc loco habentur.

1 *Imperator etiam depravatur*) Hæc & sequentia non de Constantino, sed de eius filio Constantio dicta intelligo: neque enim Severus, quem in texenda Arianorum historia Hilarium potissimum sequutum multa indicio sunt, Constantinum ab Arianis *depravatum* in Catholicos *persecutionem exercuisse* scripsisset, cuius ille pietatem & religionem laudat & extollit in libro contra Constantium num. 27., ad quem locum vide quas Coutantius in utramque partem Patrum sententias recenset. Ceterum non hoc tantum loco, sed sæpius infra, ut suis locis adnotabo, peccatum a Severo fuit in Ariana historia iuxta seriem temporum digerenda: idque ob eam caussam factum censeo, quod Historiam Ariminensis & Seleuciensis Synodi ab Hilario conscriptam (cuius ad nostra tempora pauca tantum fragmenta pervenerunt) excerpens, non satis attenderit, aut præstare valuerit, quod illius auctor lectores statim ab initio monuit: *Atque hoc etiam non inutiliter admonebo, ut ad omne hoc volumen diligens intentio adhibeatur. omnia enim sunt & separanda temporibus, & distinguenda iudiciis, & secernenda personis*, &c. Ita num. 7. Fragm. I. quibus adde etiam quæ num. 6. habentur.

6 *Patrem Dominum*) Ita MS. liber, cum in vulgatis esset *patrem Domini*. Nostram lectionem confirmat quod proxime sequitur *factum Dominum novum, alterumque*, tum Hilarii locus quem descripsit Severus, quemque nos integrum heic apponimus iuxta Coutantii editionem ad Sulpicii textum emendatam: *Tradebant autem Arii talia: Patrem Deum instituendi Orbis caussa genuisse filium, &, pro potestate, sui ex nihilo in substantiam novam atque alteram Deum novum alterumque fecisse*, &c. Fragm. II. n. 26. Placeret etiam pro *Dominum* utroque in loco *Deum* cum Hilario legere: quæ duæ voces in MSS. sæpe promiscue ponuntur, ut a multis & a nobis etiam alibi fuit observatum.

6 *instituendi orbis caussa*) Hilarius alibi, scilicet lib. XII. de Trin. num. 43. dixit *caussa efficiendorum operum*, ad quem locum hæc Coutantius, ex Athan. Orat. 3. contra Ar., dicta refert ab hæreticis, quod *Deus volens creatitiam naturam producere, cum vidisset eam puritatis suæ & architectationis participem esse non posse, condidit ac fecit primus solus unum solum, eumque appellavit suum filium & verbum, ut illo condito, reliqua deinde per eum condi possent*.

genuisse filium : eo pro potestate sui ex nihilo , in substantiam novam atque alteram ; factum Dominum novum alterumque : fuisse autem tempus quo filius non fuisset . Igitur hujus mali caussa synodus apud Nicæam ex toto orbe contrahitur . CCC siquidem & duodeviginti episcopis congregatis fides plena conscribitur , 5 hæresis

1 *eo pro potestate*, &c.) Giselinus & Vorstius *eo* dictum vnlunt pro *eam ob caussam:* quod tamen non placet. Ego aliquid excidisse suspicor, & Hilarii locum conferens, *& ab eo* repooendum velim. Galesinus ex arbitrio *& pro p.* edidit.

2 *pro potestate sui ex nihilo*) Vorstius*: Legendum fortasse* pro potestate sua : *ut scriptum hoc sit pro* potestate eius, *patris puta*. Coutaotius ad Hilarii locum hæc adnotat:*Alius* sive ex nihilo, ex substanria oova arque altera. *Præferimus cum Sirm. ex MS. Remig.* sui ex nibilo, *suffragante proxime allato Sulpicii loco, ex quo cetera corrigimus . Vid. lib. 6. de Trin. num.* 18. Hæc ut verior lectio sit, oportet tamen *pro potestate sui* ex Vnrstii sententia idem valere ac *pro potestate patris*, adeoque reciprocum *sui* nullo pacto a *potestate* erit seiungendum : qund tamen in Coutantii editiooe factum apparet. In MS. Vaticano paullo infra deest *factum :* mendose.

3 *fuisse autem tempus quo* &c.) Occurrit frequens hæc Ariaoorum blasphemia in Christum, quæ sane ex præmissis necessario sequebatur: itaque Hilarin lib. IV. de Trin. num. 42. Arianus dicirur *de non exstantibus Christi novus conditor*. Vide eumdem nu. 3. ejusdem libri & alibi sæpius.

4 *Igitur huius mali*, &c.) Hilarius in laudaro Fragm. num. 27. *Igitur comprimendi mali istius caussa trecenti vel eo amplius episcopi apud Nicæam congregantur : in omnes Arianos adsensu omnium damnatio hæretica decernitur, & tunlutis euangelicis atque apostolicis doctrinis perfectum unitatis catholicæ lumen effertur. Quid igitur fuerit expressum, fides ipsa, ut est exposita, commendat.* Qund attinet ad oumerum episcoporum orthodoxorum, qui Nicæam convenerant, CCCXVIII. paullo infra fuisse tradit Hilarius, & in libro de Syn. oum. 86., & cootra Coostantium num. 27., ut alios antiquos scriptores omittam, de quibus Tillemont. de Nicæna Synodo agens, Art. 11. & Nnta 11.

6 *fides plena conscribitur*) Ipsi Hilario *Fides* (seu Symbolum) Nicæoa *plena atque perfecta* dicitur Fragm. laudato nu. 28., & num. 31. *diligens Nicæni tractatus perfectusque sermo*. Placet aurem hoc ipso loco Nicænam fidei formulam transcribere ex Hilario, qui eamdem duobus io lncis, scilicet in libro de Synodis num. 84. & Fragm. II. num. 27. recitat iisdem fere verbis, si pauculas a librariis potissimum, ut credimus, inductas variantes excipias.

SYMBOLUM NICÆNUM EX HILARII LIBRIS.

Credimus in unum Deum patrem omnipotentem, omnium visibilium & invisibilium factorem: & in unum Dominum (in lib. de Synod. additur *nostrum*) *Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, natum de Patre* (ibid. *filium Dei, natum ex Patre unigenitum*) *hoc est de substantia Patris, Deum de* (ib. *ex*) *Deo, lumen de* (ib. *ex*) *lumine, Deum verum de Deo vero, natum non factum, unius substantiæ cum Patre, quod græci di.unt* ὁμοούσιον (ib. *quod græce dicitur homousion*) *per quem omnia facta sunt, sive* (deest ib. *sive*) *quæ in cælo, sive* (deest ib. *sive*, & eius loco *&* legitur) *quæ in terra : qui propter nos homines & propter nostram salutem descendit,*

hæresis Ariana damnatur. Imperator decretum episcopale complectitur. Ariani nihil contra sanam fidem retractare ausi, se quoque tamquam acquiescentes nec aliud sentientes Ecclesiis miscuerunt: manebat tamen in pectoribus

scendit, incarnatus est, homo (ib. *et homo*) *factus est, passus* (ib. *et passus*) *est, et resurrexit tertia die, adscendit* (ib. *et adscendit*) *in cælos, venturus iudicare vivos et mortuos: et in Spiritum Sanctum*. Cetera vide in sequenti Nota.

1 *hæresis Ariana damnatur*) Damnatio hæresis Arianæ his verbis concepta fuit ex Hilario: *Eos autem qui dicunt, Erat quando non erat, et prius quam* (in lib. de Syn. *antequam*) *nasceretur, non erat, et quia ex nullis exstantibus* (ib. *et quod de non exstantibus*) *factus est, quod græci ἐξ οὐκ ὄντων dicunt* (non habentur in lib. de Syn. hæc postrema verba *quod Græci* &c.) *vel* (supple *ex* ex lib. de Syn.) *alia substantia, sive* (ib. pro *sive* legitur *aut*) *essentia, dicentes mutabilem et convertibilem Filium Dei* (ib. *convertibilem et demutabilem Deum*); *hos anathematizat catholica et apostolica Ecclesia* (ib. deest *et apostolica*).

2 *nihil c. s. f. retractare ausi*) Num legendum *detrectare*? Sane capite sequenti pag. 198. *retractari* alia, & quidem communissima significatione habetur pro *iterum tractari*. Contra apud Hieronymum comm. in cap. XIV. Matth. hæc mihi occurrunt: *quasi inviti et retractantes Apostoli a Domino recesserant*: ubi *retractantes* positum videtur pro *detrectantes*. Sed quidquid de ea lectione statuatur, audiamus Rufinum rem ipsam fusius exponentem lib. 1. cap. V. *Decem et septem soli tunc fuisse dicuntur, quibus Arii fides magis placeret, extrinsecus creatum Dei Filium ex nullis exstantibus, et non ex ipsa Patris Deitate progenitum confitentes. Defertur ad Constantinum Sacerdotalis concilii sententia: ille tamquam a Deo prolatam veneratur, cui si quis tentasset obniti, velut contra divina statuta venientem in exsilium se protestatur acturum. Sex igitur soli cum Ario se patiuntur expelli: reliqui vero undecim consilio inter se habito acquiescunt ad subscribendum manu sola, non mente: cujus simulationis auctor præcipue exstitit Nicomediæ episcopus Eusebius. Interim quoquo modo aliis veritate, aliis simulatione, sicut post exitus docuit, subscribentibus .... concilium diremtum est*. Quod autem Tillemontius (Synod. Nicæn. Art. II.) opponit huic Rufini narrationi, synodum ipsam Nicænam, tum Theodoretum & Philostorgium, duos tantum episcopos nominare, qui Nicænæ fidei subscribere pertinaciter renuentes exsilio multati fuerint, verum quidem est; sed si attendamus verba synodi in epistola ad Ecclesiam Alexandriæ, prout a Gelasio Cyziceno refertur, licet mentio expressa tantum habeatur Secundi & Theonæ, alios tamen præter istos eadem sententia punitos indicat: *τῶν γὰρ αὐτῶν κακῶν σὺν τοῖς ἄλλοις τετυχήκασιν: eamdem enim* (quam Arius) *et isti cum aliis pœnam subierunt*. Legitur quidem hæc eadem epistola apud Socratem & Theodoretum, sed sine verbis illis *σὺν τοῖς ἄλλοις*: itaque dubitari possit num unius Gelasii testimonio recipienda sint: sed nec apparet cur ab eo inseri debuerint. Quod autem in hac synodica epistola duo illi tantum, Theonas scilicet & Secundus, nominatim recenseantur, id in caussa fuerit, quod ipsi tantum ad Alexandrinum Patriarchatum, ad quem potissimum epistola scripta fuit, pertinerent: Theonas enim Marmaricæ Ecclesiæ, secundus Ptolemaidis quæ in Ægypto, seu Pentapolis, episcopi erant. Hæc ad Rufini narrationem vindicandam, quoad ejus fieri potest, dicta sint.

bus eorum insitum in catholicos viros odium : & adversum quos de fide disceptare non poterant , eos subornatis accusatoribus fictisque criminibus appetebant . XXXVI. Itaque primum Athanasium Alexandriæ episcopum, juris consultum, qui apud Nicænam synodum diaconus adfuerat, aggrediuntur,

5 *& adversum quos*, &c.) Hæc confirmantur testimonio Eustathii Antiocheni apud Theodoret. lib. I. cap. VIII., & ex historia ipsius Eustathii & Asclepæ Gazensis, quos acerrimos Nicænæ fidei assertores Eusebiani sive Ariani a suis sedibus pepulerunt, in ipsorum locum aliis ex ipsorum grege subrogatis.

4 *Athanasium Alexandriæ episcopum*, &c.) Mortuo S. Alexandro ejus urbis episcopo, ad illam dignitatem evectus fuerat Athanasius jam ab anno CCCXXVI., qui, cum Arius anno CCCXXX. ab exsilio revocatus Alexandriam perrexisset, ut ibidem cum catholicis iniret communionem, summa constantia & prudentia ejus dolos & conatus retudit & irritos reddidit: quo facto hæreticorum in se animos vehementius incitavit. Itaque anno CCCXXXV. multis fictisque criminibus impetitum in synodo Tyri habita episcopatu indignum judicarunt, quum Athanasius eidem synodo ab Imperatore interesse compulsus, tandem inde se proripuisset, & Constantinopolin ad Imperatorem ipsum confugisset. Sed Constantinus paullo post ab iisdem hæreticis turpiter deceptus, illum in Gallias exsulatum misit.

4 *juris consultum*) Baronius ad annum CCCXI. num. 53. hoc Sulpicii textu persuasus, Athanasium juri civili dedisse aliquando operam putavit: quod tamen de jure ecclesiastico dictum interpretantur alii. vide Bollandum ad diem 2. Maii pag. 189. Sed neutra interpretatio satis mihi arridet, adeo ut in Severi textum irrepsisse mendum potius crediderim. Sane in Hilarii loco, quem præ oculis habuisse videtur Severus, nihil ejusmodi habetur. Fragmento nimirum II. num. 33. hæc de Athanasio Hilarius: *Hujus itaque intimandæ cunctis fidei* (Nicænæ) *Athanasius in Nicæna synodo Diaconus, & inde Alexandriæ Episcopus, vehemens auctor exstiterat, & Arianam pestem in tota Ægypto veri tenax vicerat: atque ob id conjuratis in eum testimoniis falsitas est criminum comparata*, &c. Sane illud *vehemens auctor* & *veri tenax* suaderet legendum hoc loco *virum constantem* potius quam *juris consultum*. Ceterum Athanasius jam inde a pueritia sacræ Scripturæ & scriptis Patrum evolvendis sedulam navavit operam: hi enim Patres sunt quos *magistros* suos appellat extremo fere libro II. contra Gentes, qui de Incarnatione peculiariter inscribitur: quem locum recitabimus, ut appareat male intellectum a Cl. Montfauconio, qui in Athanasii Vita & in Animadvers. I. in Vitam Athanasii (Tom. II. Collect. novæ Patrum) ex eo colligit *apud Martyres, qui in Maximiani carnificina cervices pro Christo dederunt, Christianæ disciplinæ tyrocinia posuisse* Athanasium. Sic itaque, ut nos interpretamur, legitur laudato loco: *Hæc tibi a me paucis .... dicta sufficiant. Tu autem istinc sumta occasione, si Scripturarum libros evolvas, illisque sedula meditatione incumbas, disces ab ipsis plenius & liquidius eorum quæ a me dicta sunt veritatem. Illæ enim virorum Theologorum ministerio a Deo prolatæ & scriptæ sunt; nos autem a magistris divinitus afflatis, qui ipsas legerant, quique martyres, (seu testes) Christi divinitatis fuerunt, edocti tuæ sedulitati tradimus.* Hoc ipsum quod dicimus, perspicue elucet etiam ex initio lib. I. contra Gentes a Montfauconio ibidem laudato, in quo magistri

tur, absentemque condemnant. Etenim ad crimina quæ falsi testes congesserant, aggregabant quod Marcellum atque Photinum hæreticos sacerdotes, synodi judicio condemnatos, pravo studio recepisset. Sed de Photino dubium non
5 erat, merito fuisse damnatum: in Marcello nihil tum damnatione dignum repertum videbatur; maximeque ei stu-

gistri non alii certe quam ecclesiastici scriptores sunt; Clemens Alexandrinus, puta, Justinus Martyr, Origenes, alii; quorum eo loco indicat libros coutra Gentiles & pro Christiana religione.

1 *absentemque condemnant*) Ariani in epistola Pseudo-Sardicensis synodi, apud Hilar. Fragm. III. num. 7. scribunt, *Unde in præsentem Athanasium dignam pro criminibus sententiam dicunt; propter quod Tyro fugiens Imperatorem appellat*. Sed id, ut alia multa, falso dictum, ut asseruit Liberius Poutifex Romanus coram Imperatore Constantio apud Theodoretum lib. II. cap. 16. Vide etiam epistolam Sardic. synodi apud Hilarium Fragm. II. numer. 5.

2 *quod Marcellum atque Photinum*, &c.) *Mire hoc loco res & tempora a Sulpicio confunduntur*, ut notarunt post Sigonium alii editores, utque ex Athanasii historia plane coustat. Id tamen sibi proposuisse videtur Severus, ut quæcumque, licet aliis temporibus, objecta fuerunt Athanasio crimina, obiter commemoraret: nam de his quæ Marcellum & Photinum spectant, fusius agit infra suo loco & tempore.

3 *synodi judicio condemnatos*) Ex iis quæ sequuntur, apparet de synodo aliqua Ariana, quæ catholica Sardicensi prior fuerit, loqui Severum: quæritur itaque quænam esse possit? Marcellus, qui fuit Ancyræ in Galatia episcopus, sæpius ab hæreticis damnatus fuit: primum in Constautiuopolitano conciliabulo an. CCCXXXVI., eo ipso loco & tempore quo Athanasius fuit relegatus: sed Constantino biennio post defuncto, uterque ad episcopatum suum est reversus ex indulgentia Imperatorum. Damnatus iterum fuit Marcellus anno CCCLI. in Antiocheno conciliabulo, ut ex ejus tertia fidei formula apparet: sed is Romam confugiens ad Julium Papam, ab eo in sacrorum communionem fuit admissus, atqua orthodoxus declaratus. Porro Photini, qui Sirmiensis episcopus fuit, mentio & condemnatio non habetur ante Sardicense concilium nisi obiter in Autiochena Pseudo. synodo an. CCCXLV., in qua Marcello jungitur, & eorumdem errorum magister fuisse accusatur: cœperat enim, ut ex Socrate lib. II. cap. 18. colligitur, bieunio fere antea hæresim suam disseminare. Igitur claris. Coutantius in Notis ad Hilarii Fragm. II. num. 21. monet: *Quo* (scilicet ad modo indicatum couveutum) *si respexit Sulpicius, dicere ei licuit, Sardicensi synodo rescissam non esse sententiam, qua hæreticus probabatur Photinus*. Id eo magis probabile fit, quod ab illa Antiochena syuodo missi legati aliquot in Italiam, novam eamque admodum prolixam fidei formulam, in qua nimirum hæreseos Marcelli & Photini mentio & damnatio habetur, syuodo Mediolani sequenti anuo coactæ obtulerunt: nam licet Patres Mediolanenses non probaverint fidem illam Antiochenam, expressam tamen in ipsa Photini damnationem forte approbarunt, saltem non improbarunt. Itaque Severus jure potuit dicere, *De Photino dubium non erat merito fuisse damnatum*.

Digitized by Google

ſtudium partium innocentium acceſſerat, quod eoſdem illos judices a quibus ſuerat condemnatus, hæreticos eſſe nemo dubitabat. Ceterum Ariani non hos potius quam Athanaſium removere cupiebant. itaque Imperatorem eo uſque compellunt, ut Athanaſius exſulatum ad Gallias mitteretur. Mox in Ægypto octoginta epiſcopi congregati, Athanaſium injuſte condemnatum eſſe pronuntiant. Res ad Conſtantinum refertur. jubet ex toto orbe apud Sardicam epiſcopos congregari, atque omne judicium quo Athanaſius damnatus fuerat, retractari. Inter hæc Conſtantinus mo-

5

10

1 *ſtudium partium innocentium*) MS. mendoſe *a ſtudiis partium innocentium*. *Innocentium* autem antiquæ omnes editiones, non, ut poſteriores exhibent, *innocentum*. Sane orthodoxi plerique omnes in Marcellum indulgentiores, & ab eo condemnando alieni fuerunt, qua de re acriter queritur Baſilius epiſtol. LXIX. noviſſimæ editionis Athanaſio Alexandrino inſcripta, & epiſt. CCXXXIX., antea X., quæ Euſebio Samoſateno in noviſſima editione inſcribitur. Præterea conſtat in Sardicenſi ſynodo ejuſdem innocentiam adverſus Arianorum calumnias fuiſſe publico judicio aſſertam. Sed de his infra.

4 *itaque Imperatorem*, &c.) Hæc Conſtantini iniquior in Athanaſium ſententia ad annum CCCXXXVI., ut ſupra attigimus, eſt referenda: itaque non poteſt Severus ab errore omnino defendi, quod tempora confuderit. Quod infra apertius fiet.

6 *Mox in Ægypto*, &c.) Synodus hæc ad annum CCCXXXIX. vel ſequentem ſpectat, quo tempore Athanaſius ab exſilio redux Alexandriæ erat. Exſtat hujus ſynodi epiſtola pro Athanaſio, in Apologia II. ejuſdem Athanaſii, quam dicit miſſam fuiſſe *ad omnes & ad epiſcopum Romanum Julium*: ejus epiſtolæ meminit & ſynodus Sardicenſis apud Hilarium Fragm. II. num. 5. *Epiſcopi ſcribentes ex Ægypto ad Julium conſacerdotem noſtrum*. Meminit etiam idem Hilarius Fragm. XV. num. 2. qui tamen adhuc Athanaſium fuiſſe putavit in exſilio: *Quales* (litteræ) *ad Julium pridem de reddenda exſulanti Athanaſio communione ſunt ſcripta*. Severus, qui Arianæ hæreſeos hiſtoriam ex Hilarii libris unice excerpſit, ſi quid ab eo minus accurate dictum fuit, non modo bona fide deſcripſit, ſed, ut ſæpe fit, in pejorem plerumque partem eſt interpretatus.

7 *Res ad Conſtantinum r.*) Conſtantinus Magnus jam inde ab anno CCCXXXVII., Conſtantinus ejus filius anno CCCXL. diem ſuum objerant: neuter itaque concilii Sardicenſis congregandi auctor eſſe potuit. Sin pro *Conſtantinum* legamus *Conſtantem*, hic quidem cum fratre Conſtantio egit per litteras, ut Sardicam ex Oriente & Occidente convenirent epiſcopi: ſed hic aliquanto poſt hanc ſynodum, quam anno CCCXLVII. coactam conſtat (quidquid nonnemo contra ſenſerit, idque a P. Mamachio nuper demonſtratum prope ad evidentiam fuit), mortem oppetiit, nimirum anno CCCL., quum Severus Conſtantinum, ſeu mavis Conſtantem, ipſo quo habebatur ſynodus tempore mortuum perperam aſſerat. nullo itaque pacto ab errore Chronologico eoque graviſſimo vindicari poteſt.

by Google

moritur. synodus congregata jam Constantino Imperatore Athanasium absolvit : Marcellus quoque episcopatui redditur. Nam de Photino episcopo Sirmiensi non est rescissa sententia, quia etiam nostrorum judicio hæreticus probabatur . & 5 tamen hoc ipsum Marcellum gravabat , quia Photinus auditor ejus fuisse in adolescentia videbatur . Verumtamen ad Athanasii absolutionem etiam illud accesserat , quod Ursacius & Valens principes Arianorum , cum post synodum Sardicensem viderentur a communione secreti , co- 10 ram positi a Julio Romanæ urbis episcopo veniam poposcerunt , quod innoxium condemnassent : meritoque eum sententia concilii Sardicensis absolutum professi sunt . Interjecto deinde tempore Athanasius , cum Marcellum XXXVII parum

1 *Constantino Imp.*) Ita editi libri Giselini , Galesinii , Hornii , &c. Lipsiensis tantum editio Vorstiana *Constantio* præfert, & forte melius.

2 *Marcellus quoque episcop. redditur*) Exscripsit forte Hilarium , qui Frag. II. num. 21. ita de illo scribit : *Qui . . . . sententia synodi Sardicensis episcopatui erat redditus*.

3 *de Photino episcopo Sirm.*) In editione Vorstii Lipsiensi exciderat vox *episcopo* , quæ in ceteris editis libris & in MS. habetur . Porro hæc de Photino scribens Severus , ante Sardicense concilium damnatum illum fuisse pro certo habuit , de quo in superioribus Notis egimus . Sane notandum est inter episcopos qui Sardicam convenerunt , nullibi legi Photini nomen , qui tamen si cum catholicis episcopis eo tempore communicasset , eo convenire debuerat ex sua propinqua civitate . Et quamquam nullum habeatur in Sardicensis synodi monumentis de Photino indicium , tamen paullo post Mediolani damnatus fuit in synodo , quæ appendix veluti Sardicensis fuit.

4 *hæreticus probabatur*) MS. *hæreticus probatur* . Potior tamen mihi est lectio vulgata.

5 *auditor ejus*) S. Hilar. Fragm. II. num. 19. *Photinus Sirmiensis episcopus fuit a Marcello imbutus ; nam & diaconus ejus aliquando fuit* . & numer. 22. narrat Orientales *rescribentes de Photino , Marcelli mentionem , velut institutionum talium magistri , addidisse*.

8 *Ursacius & Valens* , &c.) Hos nimirum cum aliis nonnullis Arianæ sectæ antesignanis Sardicense concilium indignos episcopatu & fidelium communione judicaverat . Itaque cum biennio post Athanasium Alexandrinæ sedi restitutum , & a plerisque episcopis , potissimum Occidentalibus , in communionem receptum vidissent , tempori inservientes , ut videtur , & non ex animo , occasione synodi quæ eo tempore Mediolani convenerat , errores suos & in synodo & coram Julio Romano Pontifice retractarunt , veniamque impetrarunt . qui tamen non multo post , mutato rerum statu , veluti canes ad vomitum redierunt.

13 *cum Marcellum* , &c.) Hæc ex Hilario sumta sunt, Fragm. II. num. 21. & 23. , quæ tamen vix aut ne vix quidem conciliari posse videntur viris doctissimis Petavio , Tillemontio , Coutantio , Montfauconio & aliis cum Athanasii ipsius testimonio , qui Marcellum , ut pote injuste ab Arianis ejus acerrimis adversariis accusatum , passim in scriptis suis defendit , idque etiam multis post Sardicensem synodum annis . Tillemontius itaque

parum sanæ fidei esse penitus comperisset, a communione suspendit,

que quæ Hilarius & Severus de excommunicato per Athanasium Marcello narrant, nonnisi sub extremnm utriusque vitæ tempus factnm autumat. Obstat tamen, quod, nt Hilariua initio laudati num. 23. indicat, Orientales episcopi ad Occidentales rescribentes occasione Photini ab his damnati, negatam Marcello ab Athanasio communionem oggerunt: *Sed cur abnegatæ Marcello communionis Athanasius reus rescribitur?* Hæc autem Orientalium epistola ad annum CCCLI., qui quartus est ab eo quo Sardicensis synodus est habita, spectat, ut suo loco dicemus. itaqne eo intervallo accidisse omnino oportuit, qnod Tillemontius multis post annis factnm opinatur. Contantius aliam insistens viam, *An forte*, scribit, *mera hæc fuit Orientalium illorum calumnia, cui Hilarius paullo facilius crediderit?* Quæ hic dubitantia in modum proponit, Montfanconius præfidenter asserit in Athanasii Vita., & in Diatriba de Marcello (Tom. II. collect. novæ PP.) cap. 5., ubi addit *nullam Arianis fidem habendam; qui sexcenta similia contra Athanasium & Marcellum tum verbo tum scripto spargere solebant.* Demus hoc illos fingere potuisse: atnonne, ut alia multa, ita hoc etiam mendacium facile orthodoxi detexissent, & disamassent? certe Hilario, quum hæc scribebat, minime debuit esse facti veritas incomperta. Præterea Hilarius non ex Orientalium tantum assertione id narrat, sed ex propria scientia, ut infra dicemus. Ego itaque Orientalium ipsiusque Hilarii testimonium minime repudians, rem hoc ferme pacto accidisse conicio. Athanasius post absolutum in Sardicensi synodo Marcellum, damnatum autem paullo post in Mediolanensi Photinum ejus olim discipulnm, illius sermones publice & privatim habitos attentius rimatus, ejns fidem suspectam habere cœpit (non, ut Severus scribit, *parum sanæ fidei esse penitus comperit.*) Judicavit itaque ab ejns communione sibi esse abstinendum quoad certior fieret utrnm hæreticns esset, nec ne. Marcellus contra eam habuit Athanasio reverentiam, ut ab ecclesiæ se ingressu interim abstinuerit: nec dubitandum est omnem eum movisse lapidem, quo se apud ipsum quantocyus purgaret. Obtinuit itaque tandem ut ab eodem in communionem reciperetur, licet fortasse adhuc suspicio aliqua Athanasii animum occuparet. Quæ omnia accidisse oportet quo tempore uterque post Sardicensem synodum in Occidentia partibus & in Constantis ditione subsistere coacti sunt, antequam ad suam quisque Ecclesiam reverteretur. Ceterum id quod dixi, ex Epiphanio etiam colligi posse videtur, qui cum aliquando Athanasium interrogasset, quid de Marcello sentiret, tradit illnm *neque purgasse, neque asperius notasse hominem; sed vultu leniter arridendo significasse, non multum ab improbitate eum abhorruisse, & ut haberet illum eo loco quo qui se purgasset:* καὶ ὡς ἀπολογησάμενον εἶχε. Sed præstat Hilarii etiam verba quæ huc referuntur, in medium proponere & expendere. *Sed idem Athanasius Marcellum . . . ubi quædam alia nova miscere sensit, & ambiguis prædicationibus ejus in quam Photinus erupit doctrinæ viam quærere; a sua communione separat, anteriore tempore quam Photinus arguitur, præventam judicio* (puta Sardicensium Patrum) *meditationem corruptæ voluntatis ostendens, & non ex libri editione condemnans.* Hæc sane non ex Orientalinm epistola Hilarium bausisse quisquam dixerit; nam contra eosdem acriter contendit, Marcellum non ob librum multo ante ab eo editum, & in synodo jam examinatum fuisse ab

Digitized by Google

dit, habuitque ille hanc verecundiam, ut tanti viri judicio notatus ſponte concederet. ceterum antea innocens, poſtea depravatus, videri poterat jam tum nocens fuiſſe cum de eo fuerat judicatum. Nacti ergo Ariani iſtiuſmodi occaſio-
5 nem, conſpirant penitus Sardicenſis ſynodi decreta ſubvertere. etenim eis color quidam ſuppetere videbatur, quod tam injuſte fuiſſet pro Athanaſio judicatum, quam Marcellus fuerat abſolutus, qui nunc etiam Athanaſii judicio hæreticus eſſe probaretur. Namque Marcellus Sabellianæ hæ-
10 reſis aſſertor extiterat: Photinus vero novam hæreſim jam ante

ab Athanaſii communione excluſum, ſed propter *novas* ejuſdem & *ambiguas prædicutiones*: neque ſane, ſi ita, ut Hilarius rem narrat, Orientales quoque expoſuiſſent, aliquam Athanaſii damnandi cauſſam prætendere potuiſſent. Neque tamen tum Marcellus ab Athanaſio hæreſis convictus fuit, ſed tantum ſuſpectus de hæreſi eſt habitus, ut ex allatis verbis conſtare mihi videtur: neque palam ab eo fuit excommunicatus, ſed privatim a communione ſeparatus, *ipſo ſe Marcello abdicante ſolo ſine ulla ſynodi auctoritate*, ut habetur apud eumdem Hilarium num. 23. Si quid ſane hæc valent, non pugnabit Hilarii atque adeo Severi narratio cum Athanaſii de Marcello teſtimoniis. Sequitur, *purum ſanæ fidei eſſe*: MS. non habet *eſſe*.

2 *ſponte concederet*) Præter ea quæ habet Hilarius in hanc ſententiam, huc fortaſſe etiam Baſilii verba collineant in epiſt. cclxv. noviſſimæ editionis circa annum ccclxxvii. ſcripta, in qua num. 3. legitur, *ſed cum ob impia dogmata exierit ille de Eccleſia*, &c.

3 *poſtea depravatus*) Scilicet Severo perſuaſum fuit Marcellum jam tum hæreſim aperte profeſſum ipſo Athanaſio judice. ſic infra: *qui nunc etiam Athanaſii judicio hæreticus probaretur*. Atqui ex Hilarii verbis a me paullo ante allatis nil aliud exſculpi poſſe videtur quam ſuſpectum eum fuiſſe Athanaſio.

4 *Nacti ergo Ariani*, &c.) His & quæ ſequuntur, deſignari concilium aliquod ab hæreticis coactum, haud obſcurum eſt. Quærendum itaque, quo loco & anno habitum fuerit. Sed quia quæſtio hæc paucis abſolvi non poteſt, ad alium locum eam rejicimus. Paucis interim ſententiam noſtram indicamus, nimirum ſermonem heic haberi de Sirmienſi ſynodo anni cccli.

6 *quod tam injuſte*) MS. *ut tam injuſte*. Porro adverbium *injuſte* repetendum mox videtur: *quam injuſte Marcellus f. abſolutus*.

9 *Sabellianæ hæreſis aſſertor*) Hoc nimirum nomine ab Arianis ſæpius damnatus fuit Marcellus, & a nonnullis etiam Patribus Græcis, Baſilio imprimis, Joanne Chryſoſtomo & Theodoreto. Ex Latinis vero Hilarius in eadem ſententia fuiſſe videtur, de quo alibi fuſius. nec ſane alio loco eum habuit S. Paullinus Trevirenſis epiſcopus, quum, ut infra Severus narrat, non dubitarit *in Photini & Marcelli damnationem præbere conſenſum*. Nihilominus Marcellus hæreſis notam tum coram Julio Romano Pontifice, tum in Sardicenſi ſynodo, tum prope vitæ exitum, in ea quam Cl. Montſauconius Tom. II. Collect. novæ PP. vulgavit, fidei confeſſione, a ſe ſtrenue amolitus eſt. Vide ejuſdem Montſauconii Diatribam de Marcello, quæ omnino lectu digna eſt.

10 *novam hæreſim*) Miror ita ſcripſiſſe

ante protulerat, a Sabellio quidem in Unione dissentiens; sed initium Christi ex Maria prædicabat. Igitur Ariani astuto consilio miscent innoxium criminosis, damnationemque Photini & Marcelli & Athanasii eadem sententia comprehendunt: illud nimirum apud imperatorum animos præ- 5 struentes, ut non putarentur de Athanasio perperam judicasse, qui de Marcello atque Photino vera sensissent. Verumtamen ea tempestate Ariani perfidiam suam occultabant: non ausi palam erroris sui dogmata prædicare, catholicos se gerebant, nihil sibi prius agendum rati, quam ut Atha- 10 nasium Ecclesia submoverent, qui semper eis velut murus obstiterat: quo remoto, reliquos in libidinem suam cessuros sperabant. Sed pars episcoporum quæ Arium sequebatur, damnationem Athanasii cupitam accepit: pars coacti metu

&

psisse Severum; etenim non *novam* proprie *hæresim* Photinus *protulit*, sed antiquos errores Hebionis & Paulli Samosateni magna ex parte suscitavit. Itaque ab ipso S. Hilario de Synod. num. 39. *ea quæ per Photinum renovabatur hæresis* dicitur: & lib. VII. de Trinitate num. 3. *Hebion, quod est Photinus*: & rursus num. 7. *Hebion, qui Photinus est*. Vide etiam August. in libello de Hæres., nu. 44., quod est de Paullianis, & Hier. de Vir. Ill., in Photino.

1 *in Unione dissentiens*) Præcipuum sane hoc fuit Sabellianorum dogma: itaque ea secta ab Hilario lib. de Synod. num. 26. *hæresis Unionis* dicitur. *Unio* autem ab ipsis in Trinitatis mysterium inducebatur, ut Patrem, Filium & Spiritum Sanctum unam non solum substantiam, sed etiam personam esse impie assererent. Trionymam iidem tamen *Unionem dividere* dicuntur apud Hilarium non semel, quatenus post Incarnationem Deo Patris & Filii nomina adscribere incipiebant, numinum augentes numerum, non personarum. Vide Cl. Coustantium in Notis potissimum ad lib. VI. de Trin. num. 11.

2 *initium Christi ex Maria*) Quod ex multis Hilarii locis colligi potest, ut ex lib. de Synod. num. 61., ubi Photiniana hæresis hac nota indicatur: *quæ initium Dei Filii ex partu Virginis mentiebatur*: quæ Hebionis & aliorum fuerat antea blasphemia.

5 *apud imperatorum animos*) Atqui, si hæc ad Sirmiense conciliabulum anni CCCLI. spectant, solus tunc regnabat Constantius: nam Constans anno superiore occisus fuerat. id tamen vel ignorasse Severus, vel ad Imperatores etiam posteriores respexisse potuit. Ego tamen quovis pignore contendo pro *imperatorum* legendum esse *imperitorum*.

8 *perfidiam suam occultabant*) Eas nimirum edebant fidei confessiones, quas Orthodoxi in bonam partem facile interpretari poterant, ut fecit Hilarius in libro de Synodis, quum tamen illi secus eas intelligerent, & ab ὁμοουσίου, seu *consubstantialis* voce a Nicæna synodo approbata per summam fraudem abstinerent: dicti proinde vulgo Semiariani. Ejusmodi autem fuerunt qui Sirmium anno CCCLI. convenerunt, & cum Photino Marcellum atque ipsum Athanasium damnarunt. Sequitur *non ausi*: melius *nec ausi*.

12 *in libidinem suam cessuros*) Vorstius suspicatur legendum *concessuros*, ut paullo infra *in studia partium concesserant*.

& factione, in studia partium concesserant. pauci, quibus fides cara & veritas potior erat, injustum judicium non receperunt: inter quos Paullinus episcopus Treverorum, oblata sibi epistola, ita subscripsisse traditur, Se in Photini atque Marcelli damnationem præbere consensum, de Athanasio non probare. Tum vero Ariani, ubi doli parum processerant, vi agere decernunt. nam quodlibet audere atque agere facile erat regis amicitia subnixis, quem sibi pravis

5

XXXVIII.

1 *concesserant*) Cur non potius *concesserunt*? ut concordet cum verbo *accepit*, quod præcedit, & *receperunt*, quod sequitur. Ceterum multa paucis complectitur Severus, quæ ad acerrimam in Orthodoxos persecutionem pertinent per multos annos a Constantio exercitam, in qua multos episcopos vi & metu in suam sententiam pertraxit, alios fortiter resistentes exsilio multavit.

3 *Paullinus*) De hoc Hilarius lib. 1. ad Constantium num. 8. habet, in Arelatensi synodo *contraisse hæreticorum sceleribus*; Fragm. vero 1. num. 6., cum ibidem ipsorum *se perditioni simulationique non miscuisset, indignum Ecclesia ab episcopis, dignum exsilio a rege esse judicatum*. Sed de Arelatensi synodo & de exsilio Paullini Severus infra. Apparet tamen ex Hilario, quæ hoc loco a Severo traduntur, ad eamdem Arelatensem synodum esse referenda. Nam cum dixisset se librum illum incepturum *ab iis quæ proxime gesta sunt in Arelatensi oppido*, hæc subdit: *Atque hoc ita fieri non rerum ordo, sed ratio ex præsentibus petita demonstrat: ut ex his primum confessio potius fidei, quam favor in hominem* (ita emendat Contantius in Notis vulgatam lectionem, quæ fert *pavor in homine*: *hominem* autem intellige Athanasium) *intelligatur, ex quibus in eum* (Paullinum scilicet, non, ut apud Coutantium, Athanasium) *qui adsensus his non est, cepit injuriam* (nisi legendum potius sit *cœpit injuria*). Innuit nimirum Paullinum injuria excommunicationis & depositionis in ea synodo omnium primum affectum, propterea quod non adsensus sit hæreticis ut damnaret Athanasium: id vero ab eo factum, non quod privatis rationibus Athanasio faveret, sed ob fidei confessionem.

3 *oblata sibi epistola*) Puta quæ in Sirmiensi congressu, de quo supra, ad Occidentales missa fuerat, & cujus meminit Hilarius Fragm. II. num. 22. & seq. Id enim propositum fuisse videtur Constantio & episcopis hæreticis, ut quæ Sirmii in Photinum, Marcellum & Athanasium lata fuerat sententia, ac per epistolam Occidentalibus significata, Arelate primum, tum Mediolani, ac deinde Beterris rata haberetur & confirmaretur ab Occidentalibus ibidem congregatis. Sane in Synodica Mediolanensis conciliabuli, de quo paullo infra, ad Eusebium Vercellensem, hic suadetur, ut *definiat quod de nomine hæreticorum Marcelli & Photini, nec non & Athanasii sacrilegi totus pæne definivit orbis*.

5 *de Athanasio non probare*) Giselinus vix dubitavit quin scripserit Severus *non præbere: quæ repetitio*, inquit, *fore accommodatior est, & haud paullo amplius habet efficaciæ*. Idem Vorstio, nubisque videtur.

8 *regis amicitia subnixis*) Constantii scilicet Augusti, quem Græcorum more *regem* passim appellat Severus Hilarium imitatus.

pravis adulationibus devinxerant. Quin etiam ex consensione multorum inexpugnabiles erant: nam omnes fere duarum Pannoniarum episcopi, multique Orientalium ac tota Asia in perfidia eorum conjuraverant. Sed principes mali istius habebantur, a Singiduno Ursacius, Valens a Mursa, ab Heraclia Theodorus, Stephanus Antiochenus, Acacius a Cæsarea, Menophantus Epheso, Georgius Laodicea, Nar- 5

1 *pravis adulationibus*, &c.) Quam hoc vere dictum sit, nemo ignorat qui Constantii & aulicorum ejus ingenium & mores ex historia didicit. Quod ad Arianos episcopos præcipue spectat, illud unum commemoraho *pravæ* ipsorum *adulationis* exemplum, quod cum Constantius stulte atque impie sibi *Æterni*, & *Æternitatis meæ* titulum arrogaret (quæ res Ammiano Marcellino, licet gentili, stomachum movit) illi mioime veriti sint eodem Imperatorem mactare elogio. Rem narrat Athanasius in libro de Syoodis, quem videsis. Quid? quod Lucifer refert ab iisdem eum appellatum fuisse *episcopum episcoporum*. *Quid ad hæc respondes, Constanti? cui crebro sunt acclamantes Ariani dogmatis tui episcopi, Episcopum te esse episcoporum.*

2 *duarum Pannoniarum*) Recole quæ in Vita S. Martini cap. VI. habentur: *hæresim* scilicet *Arianam maxime intra Illyricum pullulasse*: nam Pannoniss duas ad Illyricum spectasse in comperto est.

3 *ac tota Asia*) *Tota Asia* forte sexto casu. *Asiam* autem proprie dictam intellige, de qua itidem S. Hilarius lib. de Synodis num. 63. *Nam absque episcopo Eleusio & paucis cum eo, ex majori parte Asianæ decem provinciæ, inter quas* (exsul) *consisto, vere Deum nesciunt.*

4 *in perfidia eorum c.*) Vorstius: *Fortasse* in perfidiam *legendum*, &c.

4 *Sed principes, &c.*) Sumsit totum hunc locum Severus ex epistolis Sardicensis synodi apud Hilarium Fragm. II. §. qui proinde spectat ad annum CCCXLVII., quo octo hi Ariani episcopi nomioatim fuerunt ab ea synodo excommunicati. Sane nonnulli ex ipsis, ut in sequentibus Notis declarabimus, hoc tempore apud Constantium non erant, nec in Occidentis partibus.

5 *Valens a Mursa*) Antea erat *Mursia*, uti ea civitas corrupte legitur in aliis etiam libris: nam *Mursa* legendum, ut ex MS. paullo infra eamdem vocem alio pacto corruptam emendabimus, vel *a Mursis*, ἀπὸ μουρσῶν.

5 *ab Heraclia Theodorus*) Hic Theodorus aono CCCLV. jam objerat, uti colligitur ex Constantii & Liberii Dialogo apud Theodoretum lib. II. Hist. Eccl. cap. 13. Ceterum in MS. desideratur præpositio *ab*.

6 *Stephanus Antiochenus*) Quisque videt scribendum fuisse *Stephanus ab Antiochia*, ut in ceteris episcopis & eorum ecclesiis commemorandis factum est: id quod librariorum negligentiæ tribuo. Male autem hoc tempore & loco a Severo hic Stephanus inter Arianorum principes connumeratur, qui ab anno CCCXLVIII. a suis ipsis gregalibus Antiochia pulsus ad annum usque CCCLXII. in exsilio fuit.

7 *Menophantus*) Noo *Menophanes*, ut in omnibus Severi libris, sed *Menophantes*, seu potius *Menophantus*: ita enim legitur apud Hilarium Fragm. II. num. 7. 8. & 14. & in lib. 1. ad Constant. num. 5. *Minophantus* etiam cum aliis septem Arianæ impietatis antesignanis occurrit non semel in anecdotis antea epistolis Sardiceosis synodi & S. Athaoasii, quas ex antiquissimo (quid-

Narciſſus a Neronopoli. Hi ita palatium occupaverant, ut nihil ſine eorum nutu ageret imperator: obnoxius quidem omnibus, ſed præcipue Valenti deditus. Nam eo tempore quo apud Murſam contra Magnentium armis certatum, 5 Conſtantius deſcendere in conſpectum pugnæ non auſus, in baſilica martyrum extra oppidum ſita, Valente tum ejus loci epiſcopo in ſolatium aſſumto, diverſatus eſt. Ceterum

(quidquid contra ſcripſerit P. Mamachius in epiſtolis ad Manſium) MS. Capitulari vulgavit Cl. Maffejus Tom. III. Obſ. Litt. Nec ſecus ſcribitur in græcis libris, *μηνόφαντος*. Itaque minime dubitandum *Meaophanes* ſphalma eſſe.

s *Narciſſus a Neroaopoli*) Mendoſe antea *N. a Neapoli*, pro quo Druſius malebat *a Neropoli*: ſed *a Neronopoli* omnino ſcribendum, ut ex codice pervetuſto Creſconianæ Collectionis edidit Baronius ad annum Chriſti CCCXLVII. nu. 23.: nam illa quæ eodem loco habetur in Fragmentis Hilarii lectio, *Narciſſus a Jeropoli*, omnino rejicienda; ſed vel *Neroaopoli*, vel *Ireaopoli* reponendum eſt. Nam *Neroaias*, ſeu *Neronopolis*, urbs Ciliciæ, cujus Narciſſus epiſcopalem cathedram boc tempore occupabat, alio nomine *Ireaopolis* dicta fuit, ut ſcribit Theodoretus lib. I. Eccl. Hiſt. capit. 7. Sed vide Cellarium in Geog. ant., & cl. Coutantium in Notis ad Hilarium.

1 *Hi ita palatium*, &c.) S. Athanaſius in Apol. II., ubi agit de Arianis epiſcopis qui circa annum CCCLI. Conſtantium contra ipſum Athanaſium & ceteros catholicos exſtimulabant, primo loco nominat Leontium eunuchum, qui in Stephani Antiocheni locum fuerat ſubrogatus, tum Georgium, Acacium, Theodorum, Narciſſum, denique Valentem & Urſacium. Hi omnes itaque in Conſtantii comitatu erant, eique auctores erant opprimendæ per vim & fraudem Occidentalis potiſſimum Eccleſiæ, utpote quæ antea ſub Conſtante ab Ariana labe pæne immunis fuerat. Menophantum, cujus non meminit eo loco Athanaſius, conſtat anno CCCLVI. ſacrilegas manus impoſuiſſe Georgio, qui in Athanaſii ſedem ab iiſdem Arianis fuit intruſus: itaque eum hoc tempore Epheſi ſubſtitiſſe oportet.

2 *obnoxius q. omnibus*) Scilicet *deviactus*, *obſtrictus*, *morigerus*. Sic Dial. III. cap. XII. pag. 141. *Sed ille, licet epiſcopis nimio favore eſſet obnoxius*, &c. De hac voce diſputat A. Gellius lib. VII. cap. 17. quem vide.

4 *apud Murſam*) Ita MS., non *apud Morſam*, ut antea legebatur. Pugnatum autem contra Magnentium apud Murſam anno CCCLI. ante diem IV. kal. Octobris, ut Idatius in Faſtis prodit.

5 *Conſtantius*) Monet Giſelinus in prima Severi editione haberi *Conſtantinus*, manifeſto librariorum errore. Porro quæ hoc loco de Conſtantio narrantur, ut commentitia a nonnullis traducta fuerunt, ut a Vorburgo in Hiſt. Romano-German., cujus objecta diluit Tillemontius Nota XX. in Conſtantii Vitam. In dubium etiam ea revocat Ezechiel Spanhemius, Obſerv. in Juliani orat. I. pag. 246., quaſi in odium Valentis Ariani epiſcopi conficta fuerint & credita a Catholicis. Ego, ut alia pleraque, ita & hoc factum ex Hilario hauſiſſe Severum minime dubitaverim, proindeque haud temere rejiciendum. Sane anceps diu ea pugna fuit, nec niſi nocte jam obſcura fuga & clades Magnentiani exercitus contigit. Nil itaque mirum, ſi eo ſaltem tempore Conſtantius ex prælio ſe in baſilicam apud Valentem epiſcopum

rum Valens callide per ſuos diſpoſuerat, ut quis prælii fuiſſet eventus, primus cognoſceret: vel gratiam regis captans, ſi prior bonum nuntium detuliſſet: vel vitæ conſulens, antecapturus fugiendi ſpatium, ſi quid contra accidiſſet. Itaque paucis qui circa regem erant, metu trepidis, imperatore anxio, primus nuntiat hoſtes fugere. cum ille indicem ipſum intromitti poſceret, Valens, ut reverentiam ſui adderet, angelum ſibi fuiſſe nuntium reſpondit. Facilis ad credendum imperator, palam poſtea dicere eſt ſolitus, Se Valentis meritis, non virtute exercitus viciſſe. XXXIX. Ab hoc initio illecti principis extulere animos Ariani, poteſtate regis uſuri, ubi auctoritate ſua parum valuiſſent. Igitur cum ſententiam eorum, quam de Athanaſio dederant, noſtri non reciperent, edictum ab imperatore proponitur, ut qui in damnationem Athanaſii non ſubſcriberent, in exſilium pellerentur. Ceterum a noſtris tum apud Arelatem ac Biterras, oppida

pum receperit, qui ſane eo loci pugnæ proximo multo ante potuit ſubſtitiſſe in gratiam Imperatoris.

2 *per ſuos diſpoſuerat*) Nihil muto: ſuſpicor tamen ſub his verbis mendum cubare, atque excidiſſe aliquid: exempli gratia *per agros*, vel campum *ſuos diſpoſuerat*.

3 *antecapturas*) Quod hactenus ſeparatim legebatur *ante capturas*, conjungendum cenſui, optimorum ſcriptorum exempla ſecutus.

7 *ut reverentiam ſui adderet*) Infra cap. XLVI. de Priſcilliano: *honorem ſui & reverentiam cunctis injecerat*.

9 *dicere eſt ſolitus*) Severus dicere debuit *fuit*, non *eſt*: niſi quis ſuſpicetur hæc fuiſſe ad verbum ſumta ex Hilario, aut alio qui vivente adhuc Conſtantio ſcriberet.

11 *poteſtate regis uſuri*, &c.) S. Athanaſius in epiſtola ad ſolitariam vitam ag. *Cum autem eſſet Arelate & Mediolani, omnia pro hæreticorum exhortata ſuggeſtioneque faciebat, vel potius illi ipſi agebant inſultabantque in omnes, Cæſaris poteſtate ſuccincti*.

13 *ſententiam eorum, quam*, &c.) Puta in Sirmienſi ſynodo, de qua ſupra.

13 *noſtri non reciperent*) Sic infra *a noſtris*, ſcilicet ab Occidentalibus epiſcopis catholicis, qui cum Athanaſio communicabant.

14 *edictum ab imperatore proponitur*) S. Athanaſius, ad ſolit., rem fuſius narrat. *Rurſus ad alias partes edicta miſſa*, &c. pag. 829. edit. Colon.

16 *apud Arelatem*) Apud Giſelinum & alios *Arelatem* legitur: nec ſcio cur poſtea *Arelatam* fuerit ſubſtitutum, quum utraque lectio ſtare poſſit. Synodus hæc Arelatenſis ad annum CCCLIII. vulgo refertur: ſed nihil prohibet quo minus anni ſequentis initio haberi potuerit, niſi forte eam fuiſſe celebrandi hujus epiſcoporum conventus occaſionem ponamus, quod Conſtantius tunc tricennalia imperii ſui feſta ageret, quæ in diem VI. *Idus Octobris* juxta Ammianum Marcellinum, ſeu verius *Novembris* (ut ex Kalendario Bucheriano, & Idatio in Faſtis emendat Noriſius in Diſſert. de Votis Decen. cap. 1.) jam dicti anni CCCLIII. inciderunt.

16 *ac Biterras*) Antea erat *Buteras*, forte pro *Byteras*: ſed melius alii *Bæterras*, & *Beterras*, de quibus ſcribendi modis videndus Cellarius.

oppida Galliarum, episcoporum concilia fuere. Petebatur, ut priusquam in Athanasium subscribere cogerentur, de fide potius disceptarent: ac tum demum de re cognoscendum, cum de persona judicium constitisset. Sed Valens sociique
5 ejus prius Athanasii damnationem extorquere cupiebant, de fide certare non ausi. ab hoc partium conflictu agitur in exsilium Paullinus. Interea Mediolanum convenitur, ubi tum aderat imperator. eadem illa contentio nihil invicem rela-

larius. Nos *Biterras* edimus, ut apud Hilarium legitur, & quia in MS. *Bitterras*. Hoc Concilium anno CCCLVI. post Mediolanense, de quo mox, est habitum: ideo de eo suo loco.

e Petebatur, ut, &c.) Ita nimirum Paullinus & alii episcopi Catholici: nec secus in Mediolanensi anni sequentis Eusebius Vercellensis *conventus ut in Athanasium subscriberet, ait, de sacerdotali fide prius debere constare: compertos sibi quosdam ex his, qui adessent, hæretica labe pollutos*.

3 *ac tum demum*) Antea erat *nec tum demum*, quæ lectio obscuram implexamque sententiam reddebat. Itaque mecum ipse cogitabam, num pro *nec* legendum esset *&*, uti legitur etiam a Venerabili Cardinali Baronio ad annum Christi CCCLIII. num. 22. Sed cum MS. liber Vaticanus præferat, *ac tum demum*, nullus superest de vera lectione ambigendi locus. Sed aliud mendum his paucis verbis adhuc inesse omnino censeo, ita ut pro *judicium* legendum sit *judicum: cum de persona judicum constitisset*. Conferatur totus hic locus cum Athanasio in epist. ad solit., edit. Colon. pag. 833. C. D.

5 *prius Athanasii damnationem*, &c.) Id nimirum Valens ejusque socii in hac synodo, quin & in Mediolanensi ac Beterrensi, de quibus infra, sedulo agebant. Sane legati Liberii Papæ Arelatem ad Imperatorem missi primum se Athanasium damnaturos spoponderunt, si tamen & illi Arii hæresim condemnassent: sed responsum est ab hæreticis, *Arii doctrinam se damnare non posse: Athanasium (quod solum exigebant) communione esse privandum*. Ita ex legatorum litteris Liberius apud Hilarium Fragm. VI. num. 3.: qui deinde scribens ad Osium narrat, ut ex iis Vincentius Capuanus episcopus tandem prædamnando Athanasium turpiter cesserit hæreticorum voluntati: *Et ipse in illam ductus est* (inquit) *simulationem*. & in epistola ad Eusebium, quæ exstat apud Baronium ad annum Christi CCCLIII. num. 20. *Cum igitur post legationem Vincentius* (f. *Vincentii qui*, vel *quum Vincentius*) *in illam ductus est simulationem, reliqui per Italiam episcopi publica conventione coacti fuissent sententiis Orientalium obedire*, &c. Non ita sane Paullinus Trevirensis, de quo Hilarius Fragm. I. *Eorum se perditioni simulationique non miscuit*, Athanasii damnationi fortiter repugnans. Videas tum Hilarium, tum Liberium Vincentii & aliorum qui condemnationi Athanasii acquieverunt, peccatum *simulationem* dicere; quia non ideo Arianam hæresim ex animo amplectebantur, sed in speciem hæretici videri poterant, quum id ipsi falsa pacis & concordiæ spe, vel metu fecissent.

6 *ab hoc partium con.*) Scilicet *post hunc partium conflictum*: nam ee ipsa Imperator Paullinum egit in exsilium.

7 *Interea Mediolanum c.*) Anno CCCLV., atque, ut rerum series persuadet, primis anni illius mensibus. Vide Tillem. Not. IV. in Eusebii

relaxabat. Tum Eusebius Vercellensium & Lucifer a Caralis Sardiniæ, episcopi relegati. Ceterum Dionysius Mediolanensium Sacerdos in Athanasii damnationem se consentire

Eusebii Vercellensis Vitam. Sed quæstio est, quot episcopi huic synodo interfuerint. Socrates lib. II. cap. 36. & Sozomenus lib. IV. cap. 9. tradunt fuisse trecentos & eo amplius: in quo a plerisque recentioribus & ab ipso Tillemontio fuerunt transcripti. Sed Valesius in Notis ad Socratem scribit, *vix credibile esse tantum numerum episcoporum ad hoc Mediolanense concilium convenisse. Potius crediderim mendosos esse tam Socratis quam Sozomeni codices, & pro τριακοσίους scribendum esse τριάκοντα. Certe in epistola Concilii Mediolanensis missa ad Eusebium Vercellensem episcopum, triginta tantum episcoporum nomina leguntur, qui in damnationem Athanasii, Marcelli atque Photini consenserunt, inter quos quidam etiam Orientalis partium episcopi recensentur, ut videre est apud Baronium ad an. Ch. 355.* Hæc ille; sed egregie fallitur, quum mendosos Socratis & Sozomeni codices putat: nam utriusque narratio omnino exigit, ut magno valde Occidentales, Orientales admodum pauco numero Mediolanum convenerint. Ego itaque crediderim ipsorum testimonium hac in re non esse admittendum, sed Constantio ipsi potius fidem esse habendam, qui in epistola ad Eusebium Vercellensem apud Baronium ad annum Christi CCCLV. num. 27. ita scribit: *Ob quam caussam conventum Sanctorum episcoporum in Mediolanensi placuit fieri civitate, eorum vel maxime qui alibi gesta possint facile revelare. In diversis quippe provinciis episcoporum sane contra coacta (l. contracta) concilia: sed quid per singulas concordi unanimitate decreverunt prudentissimi episcopi, in synodo Mediolanensi perspicue declaratum est. Denique venientes pauci de provinciis singulis, voluntate communi unanimes protulerunt, & juxta venerationem legi debitam firmaverunt.* Ex his intelligitur non multos episcopos Mediolanum convenisse, tum ratio affertur cur *pauci de provinciis singulis* convenerint. Sane si fides est habenda Vitæ S. Eusebii Vercellensis, quam ax antiquissimo codice edidit Ughellius, cujusqua partem illam quæ spectat ad Mediolanensam hanc synodum, Balluzius collatam cum Colbertino MS. conciliorum Collectioni inseruit (habendam autem in plerisque judico; quidquid contra sentiat Tillemontius Not. 2. in ejusdem Eusebii Vitam, eo quod nonnullis inspersa sit erroribus) in ea primum habetur *viginti & novem* episcopos Athanasii damnationi subscripsisse (qui sane numerus fere congruit cum eo episcoporum Catalogo, quem ex Vercallensis Ecclesiæ scriniis Baronius ad an. CCCLV. nu. 22. vulgavit: sunt enim omnino triginta, qui epistolæ ad Eusebium ex synodo missæ subscripsisse creduntur) tum, posteaquam Eusebius Mediolanum pervenisset cum aliquot Catholicis episcopis, hos *numero quadraginta* Nicænam fidem approbasse: nec dubitandum quin, uti Dionysius Mediolanensis, de quo mox, ita & alii ex his quadraginta Catholicis episcopis antea ad pronuntiandam contra Athanasium sententiam qua dolis, qua minis fuerint compulsi: adeo ut omnes tum Arianos tum Catholicos, qui huic synodo interfuerunt, ad quinquaginta, aut summum ad sexaginta fuisse oporteat.

2 *a Caralis*) Antiquæ editiones habebant *a Caranalis*, mendose. Scribitur etiam *Calaris*, unde Italicum *Cagliari*.

4 *Dionysius Mediol.* &c.) Quam hic memorat Dionysii subscriptionem, eam esse puto quam ab initio

tire subscripsit, dummodo de fide inter episcopos quæreretur. Sed Valens & Ursacius ceterique, metu plebis quæ catholicam fidem egregio studio conservabat, non ausi piacula profiteri, intra palatium congregantur. illinc epistolam
5 sub Imperatoris nomine emittunt omni pravitate refertam;
eo

tio synodi edidit, quamque attingit Lucifer Caralitanus libro II. pro Athanasio, ita Constantium Imperatorem alloquens: *Cum Sanctissimum Dionysium Mediolanensem episcopum, qui jam tibi falsa asserenti credens damnaverat Athanasium, quod Arianus esse noluerit, miseris in exsilium.* Et sane, quum *Dionysius* legatur in Catalogo episcoporum qui contra Athanasium scripserunt ad Eusebium (de quo Catalogo in superiori Nota) hunc ipsum Mediolanensem episcopum epistolæ illi subscripsisse minime dubitaverim: quod tamen facit Tillemontius Nota V. in Eusebium Vercell., sed infirmo admodum ductus argumento. Ceterum, ut intervenit synodo huic Eusebius Vercellensis, agnita fraude Dionysius ex hæreticorum manibus extorsit, opera ipsius Eusebii, quam in Alexandrinum episcopum ediderat sententiam, ut fusius narrant antiquissimus auctor Sermonis primi in die Natali S. Eusebii, & scriptor Vitæ ejusdem S. Eusebii, & ipse satis antiquus: tumque factum est quod habetur apud Hilarium lib. 4. ad Constantium numero 8., nimirum: Eusebius Nicænam fidem *posuit in medio, spondens omnia se quæ postularent esse facturum, si fidei professionem scripsissent. Dionysius Mediolanensis episcopus chartam primus accepit: ubi profiteri scribendo cœpit, Valens calamum & chartam e manibus ejus violenter extorsit, clamans, Non posse fieri ut aliquid inde gereretur.*

4 *intra palatium congr.*) S. Hilarius loco proxime citato: *Verentes igitur illi populi judicium, e Dominico ad palatium transeunt.*

4 *epistolam sub Imp. nomine, &c.*) Huc merito refertur Hilarii locus in lib. de Synodis numero 78. *Homines enim perversi eo usque proruperant, ut eum hoc ipsi prædicare publice non auderent, Imperatorem tamen fallerent ad audiendum* (leg. *audendum*). *Fefellerunt enim ignorantem regem, ut istiusmodi perfidiæ fidem bellis occupatus exponeret, & credendi formam Ecclesiæ nondum regeneratus imponeret.* Scio Tillemontium in Comm. de Arian. her. art. 68. hunc ipsum Hilarii textum ad aliud tempus referre, nimirum ad annum CCCLVII., quo secunda Sirmiensis fidei formula prodiit, quasi eam ipse Constantius dictasset, aut sub ejus nomine edita fuerit: cum neutrum verum sit. Nec ipsi suffragatur quod statim postea Hilarius scribit, legatione Patrum Ancyranorum *agnovisse tandem errorem non suum, sed adhortantium &c.*: nam vere dici potuit, eadem opera qua agnovit & damnavit eorum blasphemias, qui Sirmiensem secundam formulam vel ediderant, vel postea probarant, suum quoque edictum Mediolani anno CCCLV. Arianorum impulsu propositum, iisdemque fere, qua Sirmiensis illa perfidia, erroribus scatentem damnasse. Sed vide proxime sequentem Notam.

5 *omni pravitate refertam*) Melius fortasse MS. liber, *omni pravitate infectam*. Lucifer Caral. in libro *De non conveniendo cum hæreticis* hujus epistolæ seu edicti meminit, his verbis Constantium alloquens: *Circumscribere nos te potuisse arbitratus es subtilitate qua serpens circumscripserit Adam & Evam, eximiis verbis pulcherrimisque*

Digitized by Google

eo nimirum conſilio, ut ſi eam æquis auribus populus recepiſſet, publica auctoritate cupita proferrent; ſin aliter fuiſſet excepta, omnis invidia eſſet in rege, & ipſa venialis: quia etiam tum cathecumenus ſacramentum fidei merito videretur potuiſſe neſcire. Igitur lectam in eccleſia epiſtolam 5 populus averſatur. Dionyſius, quia non eſſet aſſenſus, urbe pellitur: ſtatimque ejus in locum epiſcopus ſubrogatur. Li-

que ſenſibus conſcribens edictum, in quo omnia venena tuæ hæreſis continentur . . . . . Quomodo potueramus illis Arianis tuis ſacrilegis ſenſibus, verbis ſublimibus licet, ſeduci, cum inanem te philoſophiam cognoverimus habere? . . . . . Quomodo tibi diſcipulo Arii acquieſceremus Chriſtiani, deſertores Apoſtolicam traditionem, cum te invenimus dicere, Patrem non eſſe verum patrem, ſed appellari patrem? *cum dicas* non illum verum habere filium, ſed factum eſſe ex nihilo? Sanctum Paracletum Spiritum *cum dicas* totidem (forte *itidem*) conſtare ex nihilo? cetera. De eodem edicto nonnulla habentur etiam in ejus libello, cui eſt titulus, *Moriendum eſſe pro Dei Filio*, prope finem. Huc etiam potiſſimum refero Hilarii verba ex lib. de Syn. num. 78., quæ præcedunt ea quæ ex eodem loco in ſuperiori Nota retulimus: *Antea enim in obſcuro atque in angulis Dominus Chriſtus Dei eſſe ſecundum naturam filius negabatur; & eſſentiæ inops paternæ, accepiſſe eam creaturis originem ex non exſtantibus prædicabatur. At vero nunc publicæ auctoritatis profeſſione hæreſis prorumpens, id quod antea furtim muſſitabat, nunc non clam victrix gloriabatur* (leg. *gloriatur*). *Quibus enim*, &c.

3 *ut ſi eam.*) Non *ea*, ut in omnibus editis: nam de epiſtola Imperatoris ſermo eſt, de qua ſequitur, *ſin aliter fuiſſet excepta.*

4 *ſacramentum fidei*) Symbolum intellige, quod *competentibus* tantum memoriæ mandandus tradebatur; ita nimirum illud vocat Hilarius alibi: vide Coutantii indicem Gloſſarum & Notas. Rufinus lib. 1. Invectivarum numero 4. *ſacramentum Symboli* appellat: *Etenim cum omnes Eccleſiæ ita ſacramentum Symboli tradant, ut*, &c. Quia igitur Conſtantius catechumenus quidem, ſed non in claſſe competentium erat, merito neſcire potuit Symbolum.

5 *lectam in eccleſia epiſtolam*) MS. *lecta in e. epiſtola.*

6 *Dionyſius, quia*, &c.) Certum eſt non Dionyſium tantum, ſed etiam S. Euſebium cum Lucifero, nec non Pancratio presbytero, & Hilario diacono (qui tres Liberii Papæ legatione fungebantur) Conſtantii epiſtolæ ſeu decreto non adquieviſſe. Sed quoniam illos in exſilium pulſos ſupra jam dixerat, hoc loco eos iterum nominare omiſit: vel potius Dionyſii peculiariter meminit, quod is non cum ceteris epiſcopis in Imperatoris palatium convenerat, ſed in eccleſia una cum fideli plebe ſubſtiterat; eaque averſante Imperatoris epiſtolam, ipſe quoque palam eamdem rejecit: vel denique quod in Dionyſium exſilii ſententia poſt reliquos ſupradictos pronuntiata fuerit. Quidquid ſit, ab Severo tum hoc loco, tum alibi jejune nimis & obſcure res geſtæ indicantur.

7 *epiſcopus ſubrogatur*) Placet omnino conjectura Sigonii, qui *Auxentii* nomen deſiderari hoc loco putavit (*Auxentius epiſcopus ſubrogatur*) omiſſum fortaſſe a librariis

Liberius quoque urbis Romæ & Hilarius Pictavorum episcopus, dantur exilio, Rhodanium quoque Tolosanum antistitem (qui natura lenior, non tam suis viribus quam Hi-

brariis, qood ejus memoriam detestarentur. Ejus sane meminit Severus in *Vita* S. Martini cap. VI., *Auxentius auctor & princeps Arianorum*. Sin vero huoc minime heic nominatum quis velit, concedat saltem aliquod excidisse verbum, puta *Arianus*, aut simile alind.

1 *Liberius quoque*; &c.) Hic aliquanto post syoodum, sed eodem anno primum Mediolaoum ab Imperatore accitus; deiode, quum minime ejus acquiesceret voluntati, in exsilium pulsus fuit. Sed præstat Ammiani Marcellini, homiois ethnici, integrum de Liberio locum heic apponere, ex ejusdem lib. XV. cap. 7. *Liberius Christianæ legis antistes a Constantio ad Comitatum mitti præceptus est, tamquam Imperatoris jussis & plurimorum sui consortium decretis obsistens in re, quam brevi textu percurram. Athanasium episcopum eo tempore apud Alexandriam ultra professionem altius se efferentem, sciscitarique conatum externa, ut prodidere rumores adsidui, cœtus in unum quæsitus ejusdem loci multorum (Synodus, ut appellant) removit a sacramento quod obtinebat. Dicebatur enim fatidicarum sortium fidem, quæve augurales portenderent alites, scientissime callens, aliquoties prædixisse futura. super his intendebantur ei alia quoque a proposito legis abhorrentia, cui præsidebat. Hunc per subscriptionem abjicere sede Sacerdotali, paria sentiens ceteris, jubente Principe Liberius monitus, perseveranter renitebatur, Nec visum hominem nec auditum damnare nefas ultimum sæpe exclamans, aperte scilicet recalcitrans Imperatoris arbitrio. Id enim ille, Athanasio semper infestus, licet sciret impletum; tamen auctoritate quoque, qua potiores æternæ urbis episcopi, firmari desiderio nitebatur ardenti: quo non impetrato, Liberius ægre populi metu qui ejus amore flagrabat, cum magna difficultate noctis medio potuit asportari. Et hæc quidem Romæ, ut ostendit textus superior, agebantur.* Hactenus Marcellinus.

1 *Hilarius Pict. episcopus*) Melius *episcopi*, ut ea vox referatur etiam ad Liberium. Sic supra *Eusebius Vercellensium & Lucifer a Caralis Sardiniæ, episcopi*. Porro S. Hilarius non eodem anno quo Liberius, sed post Beterrensem synodum, quæ anno CCCLVI. adfigitur, fuit relegatus, exeunte circiter anno illo, vel ineunte CCCLVII., ut Tom. I. Dissert. IV. fuse demonstratum: vide ibidem potissimum num. 20. Porro quæ in Beterrensi synodo adversus Arianos ab Hilario, & contra hunc ab illis, ac præcipue a Saturnino Arelatensi gesta fuerunt, ipse Hilarius indicat in lib. de Syn. n. 2., tum in lib. II. ad Const. num. 2., nec non in lib. advers. Const. num. itidem 2.

2 *Rhodanium quoque Tolosanum a.*) Hujus episcopi nomen non uno modo in libris legitur: sunt enim qui *Rhodianum*, sunt qui *Rhodanum*, sunt denique qui *Rhodanium* scribunt. *Rhodanum* habet heic MS. Vaticanus, quamquam prima editio, ut ex Giselini Notis arguo, *Rhodanum* haberet (ut etiam nonnulla exemplaria Hieronymiani Chronici) quæ tamen infra cap. XLV. & ipsa haberet *Rhodanus*. Ῥοδανὸς etiam apud Theodoretum legitur lib. IV. H. E. cap. 9. Sed plerique libri & Rufinus in primis *Rhodanium* dicunt. Sed major est de Rhodanii sede episcopali quæstio, quæ tamen ex Severi tantum textu pendet. Sane in vulgatis libris hactenus obtinuit vitiosa lectio *Rhodanium quoque & Dosanum*

Hilarii societate non cesserat Arianis) eadem conditio implicuit: cum tamen homines parati essent Athanasium a communione suspendere, modo ut de fide inter episcopos quæreretur. sed Arianis optimum visum præstantissimos viros a cer-

ant. Itaque Sigonio pro *& Dosanum* placebat legere *& Hosium*, approbantibus Hornio & Vorstio; sed perperam: nam unius episcopi heic mentio est, *antistitem*. Melius Theodorus Canterus in litteris ad Joannem Drusium datis conjiciebat legendum esse *Tolosanum*, ut nos juxta codicem Vaticanum edidimus: quem fortasse MS. vidit & laudavit Baronius, cum ad annum Chr. CCCLVI. num. 110. hunc Severi locum recitans, subdit se illum emendasse *ex antiquiori exemplari*, *ut loco* Dosanum *sit legendum* Tolosanum. qui præterea ad ann. CCCLX. num. 13., emendationem hanc confirmat Hilarii auctoritate, qui in lib. contra Constant. num. 11. hæc habet: *Quos tu deinde in Ecclesiam Tolosanam exercuisti furores? Clerici fustibus cæsi, diacones plumbo elisi, & in ipsum, ut sancti mecum intelligunt, in ipsum Christum manus missæ.* *Christum* nimirum intelligens episcopum Rhodanium: & recte quidem meo judicio, licet secus Coutantio sit visum, qui in Nota ad hunc locum Hilarii scribit: *Quis vero ille Christus, in quem manus missæ? Non certe Rhodanius, qui Biterris in exsilium evectus, ad Ecclesiam suam redire nequaquam permissus est*; &c. Sed, ut in IV. Differt. Tom. I. demonstravimus, exsilium S. Hilarii, atque adeo Rhodanii, aliquanto post synodum illam est collocandum. itaque hic Tolosæ commode eo tempore esse potuit, quo in exsilium est deportatus. Coutantius, qui hoc nobis immerito conatus est subducere argumentum, aliud suggerit ex libri de Syn. titulo petitum. Inscribitur nimirum liber ille, seu epistola, tum compluribus aliis Ecclesiis, tum peculiariter *ex Narbonensi* (provincia) *plebibus & clericis Tolosanis*, ea de caussa, ut Cl. editor adnotat, quia de istis *præcipua ipsi cura fuit, quia Rhodanium illorum episcopum . . . . . eadem exsilii conditio implicuerat*. Eodem inter cetera argumento utitur Tillemontius Not. VI. in Hilarii Vitam, Guillelmi Cateli Opus inscriptum *Memoires de l'Histoire de Languedoc* in margine citans. Idem aliam producit conjecturam, quam tamen statim deserit, auctoritate codicis a Baronio laudati victus: ea est, pro *Dosanum* posse legi *Elosanum*, seu mavis *Elusanum*. Hæc nimirum conjectura ita placuerat Valesio, ut in Notis ad cap. 9. lib. IV. Sozomeni, eamdem lectioni Baronianæ opponere, ac fere præponere non sit veritus. Postquam enim hunc Severi locum ita recitavit: *Rhodanium quoque Elusanum ant.* &c. sequitur: *Sic enim eum locum scribendum censeo. Baronius tamen in Annalibus ex manuscripto codice emendat* Tolosanum ant. Ceterum si Baronius alio ac nos usus est codice, eo magis confirmatur hæc nostra emendatio.

1 *non cess. Arianis*) In plerisque libris parenthesis concluditur ante vocem *Arianis*.

2 *cum tamen homines*, &c.) Vorstius: *Pro* homines *legendum videtur* omnes. Quæritur autem, qui salva conscientia Athanasium innocentem excommunicare potuissent viri illi sanctissimi, vel se excommunicaturos polliceri? Respondet Tillemontius in Vita S. Eusebii Vercel. artic. VI., catholicos episcopos eam conditionem hæreticis proposuisse, quo eos artius premerent, quum probe nossent numquam ad quæstionem de fide subeundam animum accommodaturos. Addit præterea *æ* *a communione suspendere*, qua heic utitur Severus, ea in significatione accipi posse, ut episcopi

[1] certamine submovere. Ita pulsi in exsilium, quos supra memoravimus, abhinc annos quinque & quadraginta, [2] Arbetione & Lolliano consulibus. [3] Sed Liberius paullo post Urbi redditur

scopi illi paratos se exhibuerint ut ab Athanasii communione se abstinerent, quoad ejus caussa rursus ad examen revocaretur. Sic nos supra interpretati sumus ea Hilarii verba, quibus dicit, Athanasium *a sua communione separasse* Marcellum, rursusque *negatam* huic *ab Athanasio communionem*, quibus respondent hæc ipsa Severi verba *Athanasius.... Marcellum a communione suspendit*. Sane si secus illi fecissent, aut facere ex animo parati fuissent, in crimen Vincentii Capuani, de quo supra, incidissent: nam ubi ipsi primum sententiam, eamque injustissimam in Athanasium pronuntiassent, nihilominus Ariani quæstionem de fide declinassent postea, eoque pacto ex certamine victores discessissent, catholicosque ludibrio habuissent.

1 *a certamine subm.*) Nempe ut ita nullo negotio ceteros episcopos catholicos ad suas partes pertraherent: quod facinus paucis abhinc annis in Ariminensi synodo aggressi fuut.

2 *Arbetione & Lolliano Coss.*) *Arbetione* Giselini liber, non *Arbitione*, ut alii plerique. *Arbetione* etiam legitur apud Amm. Marcellinum lib. XV. cap. 8. juxta editionem Valesii, & apud alios. S. Athanasius in ep. ad solit. ἀρβαιθίωνι habet, *Arbæthione*. neque tamen caret exemplis lectio altera *Arbitione*. Porro hi consules fuerunt anno Chr. CCCLV., a quo anno ad Stiliconis consulatum sunt anni XLV., quot nimirum Severus computavit. Sed non omnes, *quos supra memoraverat*, hoc ipso anno exsilium subierunt; nam, ut vidimus, Paulinus anno superiore ineunte, Hilarius & Rhodanius vero sequenti desinente, vel etiam CCCLVII. initio, ea pœna affecti fuerunt. Sed hic omnium fere antiquorum scriptorum fuit error.

3 *Liberius paullo post*, &c.) Scilicet *tertio anno exsilii* (qui fuit Chr. CCCLVIII.) ut habetur in Procemio (uti quidem inscribitur) libelli precum Marcellini & Faustini: in quo etiam cujusmodi fuerint *Romanæ seditiones* illæ describuntur, nempe ob Felicem in ipsius Liberii sedem intrusum; ita tamen ut alia etiam ejusdem ab exsilio reditus caussa ibidem designetur, nimirum quod tandem Constantii indulserit voluntati. Sane fœdus iste Liberii casus adeo multis antiquorum testimoniis & monumentis confirmatur, ut merito cum Auxilio lib. I. de Ordinat. cap. 25. dicere possimus: *Quis nesciat quod Liberius, heu proh dolor! Arianæ perfidiæ subscripsit?* Prodiit tamen scriptor quidam ex Gallia (Gorgnæum Suessionensem Canonicum esse ferunt) qui edita Parisiis anno 1736. Dissertatione idipsum in quæstionem revocare, ne dicam negare & omnino falsum demonstrare conatus est. Utitur primum ille argumento ducto a silentio quorumdam scriptorum (inter quos eminet Severus noster, utpote qui ex Hilario pleraque omnia ad hujus temporis historiam spectantia hauserit: de quo tamen argumento pauca infra dicemus, ubi de Osio mentio incidet) qui Liberii cum magna laude meminerunt, ejusve reditum Romanis tumultibus unice tribuerunt, nulla facta de ipsius lapsu mentione, quam Rufinus quidem injecit lib. I. H. E. a se scriptæ cap 27., ita tamen ut de ea re dubitaverit. Addit nullibi exstare ejusdem Liberii retractationem, seu palinodiam, quæ tamen ab eo, ubi ab exsilii angustiis evaserat, facienda fuisset: nec probabile esse, ut a Romanis vel tan-

tur ob seditiones Romanas. Ceterum exsules satis constat totius orbis studiis celebratos, pecuniasque eis in sumtum affatim congestas, legationibus quoque eos plebis catholicæ ex omnibus fere provinciis frequentatos. Interea Ariani

XL.

non

tanto studio absens exspectaretur, vel eo plausu & gaudio rediens exciperetur, si quidem prævaricator fuisset. His & aliis hujusmodi conjecturis sententiam suam stabilire; quæ vero eidem opponuntur auctoritates ita nititur eludere: nimirum quæ apud Athanasium in epist. ad solit., & apud Hilarium in Fragmentis habentur de Liberii lapsu vel testimonia vel documenta, ea omnia veluti spuria & commentitia traducit: Athanasii locum in extrema Apologia II., nec non Hilarii in lib. advers. Constant. num. 11., non esse satis perspicuos, & aliud nescio quid fortasse indicare: Proœmium libelli Marcel. & Faust., de quo supra, incerti esse auctoris, & suspectæ auctoritatis. Denique Hieronymi apertissimo testimonio ex lib. de Vir Illust. in *Fortunatiano*, & ex Chronico ad an. Constantii XII., reponit, hunc Patrem a rumoribus qui in vulgus, opera utique hæreticorum, disseminati fuerant, in eam falsam opinionem inductum: idem fere de Sozomeno sentit. Hæc ejus Dissertationis summa, cujus auctor laudandus quidem est ob egregiam in illum sanctissimum alioqui Pontificem voluntatem, & Romanæ cathedræ ab omni errore vindicandæ studium: non tamen ita facile, meo quidem judicio, ejus sententiæ acquiescendum, utpote quæ maximis oppugnetur difficultatibus. Atqui eruditus P. Mamachius pag. 333. Epistolarū contra Mansium *de ratione temp. Athanas.* Nota 3., eidem se suffragari profitetur, sed obiter, atque aliud agens. Sane quod in confirmationem ejusdem opinionis ipse affert, nimirum in antiquissimo quodam Chronici Hieronymiani codice Vaticano *lapsus Liberii ne vestigium quidem exstare: ex qua re* (pergit) *conjicere licet, adjunctum recentioribus exemplaribus esse quod spectat ad lapsum hujusmodi*; id nihil est. cur enim conjicere potius non liceat, omissum in eo codice consulto fuisse, quod in aliis magno numero & antiquissimis tum a Pontaco tum ab aliis lectum est, quodque alio jam indicato Hieronymi testimonio confirmatur, in quo nulla prorsus locum habet depravationis suspicio? Satius proinde fuerit Liberii peccatum sincere fateri, quod luculentis adeo testimoniis testatum habemus; sed illud, quantum salva veritate historiæ fieri possit, extenuantes (ut ii præcipue faciunt, qui eum subscripsisse volunt & solidis argumentis evincunt primæ Sirmiensi formulæ: quod & nos sentimus, & ad id confirmandum nostram symbolam conferemus in Dissert. de I. Sirm. synodo) tum declararantes Liberii peccatum, quodcumque demum fuerit, *nihil Ecclesiæ, nihil fidei, nihil Apostolicæ sedi nocuisse*; quia *non ut Pontifex & ex cathedra, sed ut privatus homo* erravit. Ita nimirum tradunt eximii quique & Romanæ Ecclesiæ devinctissimi Theologi, ut doctissimus P. Ursius in præclaro Opere *de Romani Pontificis auctoritate*, Tom. II. cap. 33. & 35.

s *Ceterum exsules*, &c.) Hæc & quæ sequuntur, ut alia multa testimonia omittam, confirmantur egregie epistola illa eximia S. Eusebii, quam exhibet Baronius ad an. CCCLVI. num. 92., ex qua etiam liquet quam indignis modis ab Arianis vexarentur hi sanctissimi Confessores, de quo agit & Hilarius multis in locis & alii. S. Epiphanius, Hær. 30., scribit se in Palæstinam ad eumdem Eusebium invisendum perrexisse

Digitized by Google

non occulte, ut antea, ſed palam ac publice hæreſis piacula prædicabant: quin etiam ſynodum Nicænam pro ſe interpretantes, quam unius litteræ adjectione corruperant, caliginem quamdam injecerant veritati. nam ubi ὁμοούσιον
5 erat ſcriptum, quod eſt *unius ſubſtantiæ*, illi ὁμοιούσιον, quod eſt *ſimilis ſubſtantiæ*, ſcriptum eſſe dicebant: con-

xiſſe cum aliis fratribus, quo tempore hic hoſpitio utebatur Comitis Joſeph, viri ſanctiſſimi ex Judæo Chriſtiani.

1 *non occulte, ut antea*, &c.) Recole quæ ſupra pag. 202. habentur, quæque nos ad eum locum notavimus, tum Hilarii verba in Notis pag. 210. Nimirum in Mediolanenſi concilio & deinceps nonnulli, qui antea ad catholicum dogma in eorum fidei profeſſionibus accedere videbantur, purum putumque Arianiſmum præ ſe ferre cœperunt: puta qui ſecundam Sirmienſem formulam ediderunt, aut approbarunt, quique Anomœi dicti ſunt.

2 *ſynodum Nicænam*, &c.) Quod heic Severus ſcribit de Nicæni ſymboli interpolatione ab aliquibus hæreticis tentata, a Tillemontio exploditur Not. LII. in Comm. de Arian. hær., propterea quod id a nullo alio ejus temporis ſcriptore referatur. Idem antea indicaverat Hornius in Notis ad hunc locum, qui tamen addidit, *fieri potuiſſe ut hoc ex Hilario, vel aliis Occidentalium epiſcopis, qui illis certaminibus interfuerunt, habuerit, ſicut & alia quædam peculiaria paſſim inſerit*. Ego crediderim nonnullos hæreticos hac tanta horum verborum ſimilitudine & conſonantia catholicis fucum facere voluiſſe, ὁμοιούσιον Patri Filium dicentes, ut ὁμοούσιον juxta Nicænum Symbolum profiteri putarentur.

5 *quod eſt* unius ſubſtantiæ) In editis omnibus habetur *quod unius eſt ſubſtantiæ*: ſed cum his verbis nihil aliud exhibeatur quam interpretatio græcæ vocis, liquet ſcribendum fuiſſe *quod eſt unius ſubſtantiæ*; ſicuti mox, dum altera vox ὁμοιούσιον exponitur, habetur *quod eſt ſimilis ſubſtantiæ*: Vorſtius adnotat ad hunc locum: *Subſtantiam pro eſſentia dixit*. Sane vox οὐσία ad verbum eſt *eſſentia*, & ita interpretatur eam alicubi Hilarius: verum tum ipſe, tum cæteri Latini Patres τὸ ὁμοούσιον conſtanter interpretati ſunt, *quod eſt unius ſubſtantiæ* (eodemque modo τὸ ὁμοιούσιον, *quod eſt ſimilis ſubſtantiæ*), unde facta vox *conſubſtantialis*, quæ tamen antiquis fere ignota fuit: vide doctiſſimos Ballerinios S. Zenonis editores, Diſſert. 1. pag. XXXIX. Quod autem addit Vorſtius: *Alii, quod tres divinitatis ſubſtantias dixere, aliter vocem acceperunt*; verum quidem eſt, aliquos *ſubſtantiam* confudiſſe cum *ſubſiſtentia*: unde factum eſt, ut tres in Deo ſubſtantias eſſe dixerint, ideſt tres ſubſiſtentias, ſive perſonas: ſed plerique Patres *ſubſtantiam* ita definiunt, ut ſignificet id quod per ſe ſubſiſtit, nec alio indiget tamquam ſubjecto, ſive accidenti: quo profecto ſenſu Deo maxime proprium eſt ſubſtantiæ nomen, ut & eſſentiæ. S. Hilarius Fragm. II. n. 32. ita utramque vocem explicat: *Eſſentia enim ex eo quod ſemper eſt, nuncupatur: quæ quia extrinſecus opis ad continendam ſe numquam eguerit, & ſubſtantia dicitur; quod intra ſe id quod ſemper eſt, & in æternitatis ſuæ virtutem (l. virtute) ſubſiſtat*. Vide eumdem in lib. de Syn. n. 12.

Digitized by Google

concedentes similitudinem, dum adimerent unitatem: quia multum ab unitate similitudo distaret. ut, verbi gratia, pictura humani corporis esset homini similis, nec tamen haberet hominis veritatem. Sed quidam ex his ultra processerant, *ἀνομοιουσίαν*, id est, *dissimilem substantiam*, confirmantes. eoque his certaminibus processum, ut istiusmodi piaculis orbis terrarum implicaretur. Nam Italiam, Illyricum atque Orientem Valens & Ursacius ceterique, quorum nomina edidimus, infecerant. Gallias nostras Saturninus Arelatensium episcopus, homo impotens & factiosus, premebat, Osium quoque ab Hispania in

1 *concedentes similitudinem*, &c.) Qui ὁμοιούσιον usurparunt, in duas classes dividi possunt: vel enim Filium Patri in omnibus, atque adeo in essentia & natura, similem prædicabant, & a catholicis qui ὁμοούσιον profitebantur, vix aut ne vix quidem dissentiebant; vel similem quidem, sed non in omnibus: & hi in speciem quidem ad catholicum dogma se accommodare simulabant, sed re vera parum ab illis discordabant, qui palam ἀνομοιουσίαν inducebant: *nam*, ut S. Athanasius in lib. de Syn. pag. 913. A. scribit, *si* Filius Patri *similis non est secundam substantiam, plane dissimilis est*. de his autem secundis agit Severus.

3 *pictura humani corporis*, &c.) Vorstius vult *comparationem istam nihil esse, & ne mentem quidem Arianorum satis exprimere*, et quæ apud eum sequuntur. Sed fallitur omnino: nam cum heic agatur de illis qui imperfectam dumtaxat similitudinem in qualitatibus quibusdam sitam intelligebant, & non in essentia; aptari iis merito potuit picturæ comparatio & similitudo cum hominis corpore. Sic fere auctor Tractatus de Fide orthodoxa, inter Opera S. Ambrosii, cap. 2. *Denique sublato ὁμοούσιον, idest unius substantiæ vocabulo, ὁμοιούσιον, idest similem factori suo posuerunt: cum aliud sit similitudo, aliud veritas. Nam homo ad imaginem & similitudinem Dei factus est, nec tamen Deus est: nec quod Deus est, homo exstitisse credendus est. Ita & Filium Dei similem volunt, ut eum aliunde similem, non de ipsa una, sancta & beata Patris substantia dicant.*

4 *hominis veritatem*) Sigonius contendit pro *veritatem* rectius se habere *unitatem*: cui contradicit Vorstius, & merito.

5 ἀνομοιουσίαν) Placuit hanc vocem græcis litteris exprimere, ut superiores: in editis est *Anomœasiam*, vel *Anomœousiam*. Hi nimirum auctore quodam Aetio eo audaciæ & impudentiæ pervenerant, ut Filium Patri dissimilem assererent, dicti proinde *Anomœi*, vel Eunomiani ab Eunomio Aetii discipulo.

9 *quorum nomina edidimus*) Vide supra pag. 204. & seq.: sed multi alii adjungi potuissent.

10 *homo impotens*) Scilicet *impotentis animi*. Sic lib. 1. cap. XIV. *impotens sui animus*, & cap. XVI. *impotentis populi contumacia*. Hic Saturninus rursus infra cap. XLVI. dicitur *vir sane pessimus & ingenio malo pravoque*, &c. Vide de eodem Hilarium.

11 *Osium*) Monet Coutantius *in antiquis libris Osii nomen cum duplici s constanter pingi*: nonnulli *Hosium* cum aspiratione scribunt, græcorum puto auctoritate moti, qui Osium *Sanctum* interpretati sunt. Athanasius ad Solit. pag. 841. A. ὁ ἀληθῶς ὅσιος: *vere Hosius*

in eamdem perfidiam concessisse opinio fuit : quod eo mirum atque incredibile videtur, quia omni fere ætatis suæ tempore constantissimus nostrarum partium ; & Nicæna synodus auctore illo confecta habebatur ; nisi fatiscente ævo : etenim major centenario fuit ; ut

sius, sive *Sanctus*. Plerique tamen *Osium* sine aspiratione, & unico *s* scribunt. Fuit autem hic Cordubensis episcopus. Porro de ejus prævaricatione ita loquitur Severus, ut de ea dubitasse videatur, quæ tamen indubiis multorum Scriptorum, Hilarii præsertim (quem tamen plerumque hic transcribit) testimoniis confirmatur. vide Tillemont. Not. 3. in Osii Vitam. Auctor Dissertationis pro Liberio Papa, cujus supra meminimus, in Severo fortissimum sibi præsto esse credidit argumentum, ut quæ in Hilarii Fragmentis nunc extant epistolæ Liberii ipsius jam lapsi nomine inscriptæ, ipsi abjudicaret & postea confictas contenderet. Sed viderit nunc quid hujus silentium pro Liberio valeat, cum ne ipsius quidem expressa de Osio dubitatio demere quidquam possit auctoritatis multis & certis Hilarii contra hunc testimoniis. sane non Fragmenta tantum, sed alia etiam ejus scripta interpolata fuisse oportuerit opinari, ubicumque de Osii lapsu sermo est.

3 *constantissimus nostrarum par.*) Ut innumera fere, quæ apud antiquos occurrunt passim, Osii elogia prætėream, unum commemorabo, idque editum a Sardicensi synodo in epist. ad universas Ecclesias, prout est apud Hilarium Fragm. II. num. 2. *Venerabilis senectæ Osium, qui & propter ætatem & confessionem & tanti temporis probatam fidem, qui tantum laboris id ætatis pro Ecclesiæ utilitate sustinuit, ut omni reverentia dignissimus habeatur*. Sed nullum Osio gloriosius elogium quam quod ipse sibi confecit in epistola ad Constantium, quam Athanasius inseruit suis scriptis.

4 *Nicæna synodus auctore illo*, &c.) Osius primo auctor fuisse creditur Constantino, apud quem plurimum valebat, ut Nicænam synodum cogeret : secundo eidem synodo præfuisse, & quidem, si Gelasio Cyziceno & aliis posterioribus habenda fides, ut legatus Stephani Romani Pontificis : tertio simbolū ipsum Nicænum composuisse, ut proditum est ab Athanasio in epist. ad solit. pag. 837. D. Præterea præfuit concilio Sardicensi, in quo egregiam Ecclesiæ navavit operam. denique, ut est apud Athanasium laudato loco, ab hæreticis dicebatur *synodorum princeps*, seu *præses* : οὗτος καὶ συνόδων καθηγεῖται.

5 *fatiscente ævo*) *Fatiscente ævo* dixit pro *deficiente* : sic Tom. I. epist. III. quæ est ad Bassulam : *nec fatiscentem caussabor ætatem* ; & mox, *fatiscentes artus servire spiritui cogebat* ; & Dial. I. cap. xr. *corpus inedia fatiscebat*.

5 *major centenario fuit*) Sic Athanas. in epist. ad sol. pag. 841. C., ἑκατοντούτης γὰρ λοιπὸν ἦν, *centennis enim jam erat*. Quod vero ex Dextri Chronico ab Hornio in hunc locum, & a Jacobo Basnagio in Notis ad Prosperi Chronicum, Tom. I. Thesauri Monum. &c. pag. 292., profertur de Osio testimonium, in quo itidem dicitur *centenario major*, id nullius est momenti : quum probe constet Dextro suppositum fuisse illud Chronicum, de quo tum alii multi agunt, tum novissime & fuse Jo: Albertus Fabricius in Biblioth. lat. mediæ & inf. ætatis. Mirum sane Basnagium nasutissimum criticum id ignorasse, adeoque in Notis ad laudatum Prosperi Chronicum Dextri pseudoepigraphum librum tribus vicibus citasse. Phœbadius in libro contra Aria-

ut *sanctus* Hilarius in epistolis refert: deliraverit. Quibus rebus

per-

Arianos Osium *nonagenario majorem* tantum facit : ita enim habet prope finem : *Rursum dico : non mihi ejus* (Osii) *auctoritate præscribitur : nam si nonaginta fere annis male credidit , post nonaginta illum recte sentire non credam.*

1 *ut* sanctus *Hilarius in epistolis refert*) Sigonius suspicatus est verba ista *glossema esse : nunquam enim alias* (Severus) *nominavit aliquem nomine sancti , ut* S. Hilarius , *&* *alibi* Hilarium *tantum dixit* . Hoc nimirum valet , ut vox *sanctus* ab aliquo librario adiecta fuerit , & quidem , ut apud Giselinum , initiali tantum littera expressa : reliqua vero cur repudianda sint , non video : illustranda potius fuerint . Sane non Sigonius modo , sed & alii , ut Coutantius in Præf. gener. in Hilarii Opera , num. 24. , receptam interpunctionem sequuti (quæ una parenthesi hæc comprehendit : *etenim major centenario fuit , ut sanctus Hilarius in epistolis refert*) minime dubitarunt in epistola aliqua quæ perierit , scriptum fuisse ab Hilario , Osium *centenario majorem fuisse :* quod ego minime negare ausim . Sed cur non etiam ad sequentem vocem *deliraverit* referri possit Hilarii testimonium ? sane quum in libro qui inscribitur *contra Constantium* , sed qui revera epistola est (ut ipse Coutantius tum in laudato paullo ante loco , tum in prævia Dissert. ad eum ipsum librum , num. XIII. tradit , accedente etiam duorum MSS. probæ notæ codicum auctoritate) num. 23. blasphemiæ in secunda Sirmiensi formula congestæ dicantur *deliramenta Osii* ; non video quare ad hæc ipsa verba alludere non potuerit Severus . Itaque , ut in re ancipiti , ea interpunctione usi sumus , quæ neutræ interpretationi tum receptæ , tum a nobis indicatæ præjudicium ferat : ut integrum eruditorum sit judicium , utra potior habenda .

1 *deliraverit*) MS. *deliraverat* . Porro hic est locus , qui ex *Chronicis* Severi potissimum laudatur in Epitome canonum ab Hadriano Papa circa annum DCCLXXIV. oblata Carolo Magno , ex qua aliquos versus exscripsimus Tomo I. in Testimoniis pag. XLIII. & seq. Sed quoniam nonnulla ibidem , undeunde sumta , de Osio habentur , quæ a nemine , quod sciam , commemorantur ; integrum locum hic exhibere placet , ita tamen ut dictorum fides sit penes auctorem . *Præfatio canonum Sardicensium . . . . . Sunt etiam viginti regulæ , quæ per Osium Cordubensem episcopum currunt , quæ titulantur tamquam* XL. (leg. LX.) *episcoporum apud Serdicam , quæ tamen non apud Græcos , sed magis apud Latinos inveniuntur . Sciendum est autem hunc Osium inter* CCCXVIII. *Patres Nicæni concilii honorabilem fuisse , atque ab Apostolica sede cum Victore & Vincentio presbyteris destinatum , qui & Hispanias* (leg. *in Hispaniis*) *usque ad tempus Constantii Principis in corpore legitur permansisse . Hic tamen in extremis satis pueriliter desipuit , ut Severus Sulpicius in Chronicis suis testatur , asserens quod Constantius Imperator numerosissimum Ariminense concilium , ab eo contra catholicam fidem congregatum , Arianæ hæresi subscribere compulisset . Unde etiam placuit , ut missa Apostolica legatione a prædicto Osio perquireretur , An Nicæna synodus , cui ille interfuit , Filium Patri ὁμοούσιον , id est* consubstantialem , *quod catholicorum est , an ὁμοιούσιον , id est* consimilem *tantum , quod Ariani dicunt , decrevisset confitendum ? sed ille aut pro longa ætate desipiens , aut assentatione Principis verum dissimulans , respondisse perhibetur , Utrumque fa-*

tum

perturbato orbe terrarum, & morbo quodam Ecclesiis languentibus,

tem recte confiteri, sive συνομώσιις, sive συνόμοιον. quod responsum tam a Catholicis quam ab Arianis uno ore irrisum est atque refutatum. Denique post hoc responsum in civitate sua Corduba, in qua episcopus fuit, nomen inter Catholicos episcopos minime recitatum est. In hac autem Præfatione, ut alia nonnulla, ita hoc postremum falsum esse judicabitur, ubi Osius extra catholicam communionem, ac proinde impœnitens mortuus supponitur: contrarium enim ab Athanasio asseritur in epist. ad solit. pag. 841. D. his expressis verbis: *Moriturus enim, quasi testamentum condens, de vi* sibi illata *protestatus est, & Arianam hæresim anathematizavit, præcepitque eam a nemine recipi*. qui etiam alibi tradit eam *ad horam*, sive *ad tempus cessisse* Arianis (vide ejusdem Tomi pag. 704. A. & 807. B.) non obscure scilicet indicans eum postea resipuisse. Baronius ad ao. Chr. CCCLVII. num 31. Hilarium etiam Osii pœnitentiæ testem producit in libro de Syn. num. 63., ubi legitur: *Sed de eo* (Osio) *nil loquor* (ita Cout. editio: Baronius legebat *nihil queror*) *qui idcirco est reservatus, ne judicio humano ignoraretur, qualis ante vixisset*. Sed hoc ab Hilario contra Osium scriptum fuit non sine indignatione animi, & eo quidem tempore, quo hujus recens adhuc prævaricatio ab illo resciri potuit, non autem pœnitentia. Sane nec regressum in Hispanias eum statim pœnituit, ut colligitur ex epistola S. Eusebii Vercell. ad Gregorium Eliberitanum episcopum, in qua huic gratulatur, quod, ut ex ejus litteris didicerat, *transg essori Osio restitisset*. Quid? quod scripta fuit hæc epistola aliquanto post Ariminense concilium, puta an. CCCLX., quo tempore Osius jam objerat: cum tamen de ejus pœnitentia proxime ante mortem ignarum adhuc fuisse Eusebium appareat. Quid plura? si fides habenda Marcellino & Faustino presbyteris Luciferianis, res secus omnino cessit atque Athanasius retulit. Narrant hi nimirum Osium vix in Hispanias reversum contra Gregorium Eliberitanum, de quo supra, impia molitum, sed in ipso molimine morte repentina perculsum. At hi schismatici erant, ut sane erat eo ipso tempore Gregorius, quem miris efferunt laudibus. Fateor: at eorum narratio non rejicienda, tum quia S. Eusebii jam allato testimonio fulcitur, tum quia in re adhuc recentis memoriæ (scribebant enim anno fere CCCLXXXIV.) & quæ facile resciri poterat ab Imperatoribus ad quos scribebant, vix credi potest eos mentiri ausos, & ad totius Hispaniæ fidem provocare, quod faciunt scribentes: *Scit melius omnis Hispania, quod ista non fingimus*. Huc accedat quod ex Donatistarum relatu habet S. Augustinus lib. 1. contra epist. Parmeniani, num. 7., scilicet Osium *ab Hispanis damnatum, a Gallis esse absolutum*. Ipse quidem, utpote rei gestæ omnino ignarus, ita respondet, ut adversariorum argumentum retundat egregie; nihil tamen habet quod Osii caussæ, ut Baronius ibidem contendit, prosit: nam vel Gallos ei communicasse, quod nescierint qualis fuerit, vel Hispanos circumventos falsis accusationibus eum damnasse primum, postea ejus innocentia perspecta eumdem cum Gallis episcopis absoluisse opinatur. Accedit Isidori Hispalensis, qui sæculo septimo ineunte floruit, auctoritas, qui in libro de Scrip. Eccl., seu de Viris Ill., non modo de ejus pœnitentia nihil habet, sed prorsus cum Luciferianorum libello consentit, quem etiam compilasse videtur. Baronius reponit librum illum Isidori fuisse interpolatum. Esto, ut aliquis addiderit ex laudato libello narrationem de Osii infando obitu,

tibus, segnior quidem, sed non minus gravis cura Principem exercebat : quod licet Ariani quibus favebat, superiores viderentur, necdum tamen de fide inter episcopos conveniret. Igitur apud Ariminum urbem Italiæ synodum congregari jubet : idque Tauro Præfecto imperat, ut collectos in unum non ante dimitteret quam in unam fidem consentirent, promisso eidem Consulatu, si rem effectui tra-

XLI.

quæ in aliquibus MSS. desideratur. Ipse tamen Isidori textus (qui ita definit : *cujus quidem vitam, ut meruit, confestim exitus crudelis finivit*) manifesto ad eamdem narrationem alludit. Deceptus itaque fuerit Isidorus, Luciferianis illis fidem præstans. At qui id fieri potuisset, ut illustris adeo & doctus Hispaniæ episcopus nihil de Osii pœnitentia, saltem ex Patrum traditione, resciverit. Sane tanta fuerant in Ecclesiam Osii merita ante prævaricationem, ut si quidem, quod Athanasius narrat, moriturus vim sibi illatam fassus fuisset, & Arianam perfidiam ejurasset, ejus nomen apud Hispanos sanctum & venerabile in perpetuum fuisset. Quod cum secus acciderit, ut ex Augustini & Isidori testimoniis colligitur, addo etiam Hadriani Papæ, qui aperte testatur nomen ejus ex catholicorum episcoporum catalogo erasum ; restat ut de Osii pœnitentia incertus esse debeat quisquis non opinione, sed ratione ducitur. A Severo potius dubitatum de illius peccato : quod non fecisset, si eum ante mortem pœnituisse audivisset. sed de hac quæstione satis.

1 *gravis cura Principem exer.*) Hanc importunam & Ecclesiæ reique publicæ maxime exitialem Constantii curam & sollicitudinem in componendis quæstionibus ad Christianam religionem spectantibus optime cognovit ac egregie carpsit Ammianus Marcellinus, licet ethnicus homo, his verbis, in extremo libro XXI. *Christianam religionem absolutam & simplicem anili superstitione confundens : in qua scrutanda perplexius, quam componenda gravius, excitavit discidia plurima, quæ progressa fusius aluit concertatione verborum : ut catervis Pontificum jumentis publicis ultro citroque discurrentibus per Synodos quas appellant, dum ritum omnem ad suum trahere conantur* (Vales. monet legendum potius *conatur*) *arbitrium, rei vehiculariæ succideret nervos*. Sed audiendus etiam S. Hilarius Frag. 1. num. 4., hoc potissimum tempus respiciens : *In Romani imperii negotiis quies carpitur, rex* (Constantius) *angitur, palatium fervet, episcopi circumcursant, officiales Magistri volitant, adversus apostolicos viros Officiorum omnium festinatione turbatur. ita ubique agitur, trepidatur, instatur*, &c.

2 *Arianis quibus favebat*) Ariani, ut supra vidimus, tunc non unius erant inter se sententiæ : Constantius vero modo his, modo illis favebat : ut hoc tempore, quod proxime antecedit Ariminense concilium, damnatis ejectisque Anomœis, quos antea foverat, eorum qui ὁμοιούσιον defendebant, patrocinium susceperat.

4 *synodum congregari*) Spectat hæc synodus, ut notissimum est, ad annum CCCLIX. Sane anno superiore jusserat Imperator, ut Orientis & Occidentis episcopi in unum convenirent ; sed postea mutato consilio Occidentales Arimini synodum agere voluit : Orientales eodem fere tempore Seleuciam in Isauria sunt acciti.

5 *Tauro Præfecto*) *Præfecto* scilicet

tradidisset. Ita missis per Illyricum, Italiam, Africam; Hispanias Galliasque Magistri officialibus, acciti aut *ma-*
cti

licet *Prætorio Italiæ*. Hic idem biennio post consul fuit cum Florentio, qua tamen impietatis suæ mercede non diu frui ei licuit: nam eodem anno Constantio mortuo relegatus fuit, teste Am. Marcellino.

n *Magistri officialibus*) Ita MS. liber, non *magistris officialibus*, ut editi mendose habent. Sane Vorstius sub his verbis mendum cubare indicaverat in epistola nuncupatoria, ex qua pauca hæc transcribo: *Notum quippe est Magistrum Officiorum majoris omnino dignationis fuisse, quam ut ad episcopos acciendos mitteretur. In Notitia quidem Imperii adpellatur ille Vir illustris: in eademque memoriæ proditum est, sub ejus dispositione fuisse scholam scutariorum primam & secundam, & varias item alias scholas: deinde quatuor scrinia, memoriæ puta, epistolarum, libellorum ac dispositionum: denique vero & fabricas numero quindecim. Ceterum inter scholas ipsas, quibus Magister officiorum præfuit, fuit &* Agentium in rebus *schola, qui mandato Principis varia ob negotia in provincias mittebantur; de quibus & peculiaris titulus in libro XII. Codicis Justinianei, & numero quidem vigesimus, agit. Atque ex ipso illo* Agentium in rebus *corpore puto fuisse eos, quos ad episcopos acciendos Sulpicius missos ait*. Ceterum idem statuit legendum *magisterii officialibus*, sicuti *cap. XI. Dial. III. Auctor hos quos ad consimilia negotia peragenda missos ait, vocat* magisterii officiales. *quæ quidem adpellatio Agentibus istis in rebus, de quibus dixi, optime & quadrat.* Hæc & alia ipse in confirmationem suæ conjecturæ, quæ sane rejicienda non esset, nisi si antiquorum librorum auctoritas genuinam proderet lectionem. Nam & in Dialogo III. pag. 139. pro *magisterii officialibus*, eorumdem librorum ope restituimus *Magistri officialibus*. *Officiales Magistri volitant* habetur etiam in paullo ante allatis Hilarii verbis ex Fragm. I. num. 4., & ex his tribus locis inter se collatis apparet *Officiales* istos inservisse mandatis Principum ad absentes perferendis.

a *acciti aut* macti) Ita MS. Vat., ac prima editio, quam Giselinus summa fide & diligentia secutus est. Est autem, ut apparet, vitiosa lectio, quæ multis conjecturis occasionem præbuit. Nam Galesinus pro *aut macti* audacter substituit *numerativi*, quæ lectio, licet omnino falsa, in plerisque editionibus legitur. Giselinus pro *aut macti* conjecit legendum *aut etiam coacti*, sed nec istud sibi placere monuit. Fabricius in Orthodox., in textum ipsum conjecit *acciti ac in unum coacti*. Baronius hunc locum laudans ad an. ccclix. num. n., legit *acciti atque tracti*. Sirmondus in Nota quadam in Facundum Hermianensem, ita hæc Severi verba citat *acciti aut inacti*. Denique Sigonius approbantibus Hornio & Vorstio, conjecit legendum *acciti aut coacti*, quod & nobis magis placet: non quia, ut illi addunt, *acciti* ad Arianos, *coacti* ad Catholicos sit potissimum referendum, sed potius quia Officiales, seu Agentes in rebus a Tauro missi, quo numerosior esset synodus, nullo delectu omnes vel infirmæ valitudinis aut provectæ ætatis Ariminum convenire compulerint ex remotissimis etiam provinciis, non sine magno etiam fidelium detrimento: quæ caussæ fuerunt, cur Catholici in epistola ad Constantium, enixe supplicaverint, ut quam primum ad propria redire permitterentur.

Digitized by Google

Hi quadringenti & aliquanto amplius Occidentales episcopi Ariminum convenere: quibus omnibus annonas & cellaria dare Imperator præceperat. sed id nostris (id est Aquitanis) Gallis ac Britannis indecens visum: repu-

1 *quadringenti & aliquanto amplius*) Ita Athanasius in libro de Syn. duobus in locis, scilicet pag. 874. C. ἐπίσκοποι υ' καὶ πλεῖον, *episcopi cccc.*, *& ultra*, & ita pag. 908. B. ἐπίσκοποι υ' καὶ πλείους. Ita etiam Sozomenus lib. IV. cap. 17. Alii hunc numerum aut minuunt, ut Philostorgius, qui lib. IV. numero 10. εἰς τριακοσίους ἄνδρας, *ad trecentos viros* tantum numerat; aut augent, ut Auxentius apud Hilar. in lib. contra eumdem numero 12.: si tamen de Ariminensibus episcopis illic agitur, ut Constantius in Admon. in eum librum, num. IV., supponit. Sed vide etiam Tillem. N. LXXIt. in Comm. de Arian. hær.

2 *convenere*) MS. Vat. *convenire*, quæ lectio stare possit, si paullo supra cum Sigonio legas *aut coacti . . . . . . convenire*.

2 *annonas & cellaria dare*) Sigonius, nec male, *dari* malebat, *ne subaudias*, inquit, *Tauro*. Idem: *Annonæ & cellaria idem sunt, atque quod Romani dicebant, loca, lautia. cellaria enim pro hospitiis, sive cellis hospitalibus accipio*. Sed egregie fallitur, nec minus qui per *annonas* esculenta, per *cellaria* poculenta intellexit. *Cella & cellarium a reponendis celandisque rebus esculentis & poculentis* dicitur juxta Donatum ad Terent. Adelph. IV. 2. Item juxta Servium ad Virgil. 1. Æn. vers. 704. *Inter penum & cellarium hoc interest, quod cellarium est paucorum dierum: unde & in cellam dicitur imperatum frumentum*; penus *vero temporis longi*. Porro *cellarium* significat etiam species quæ in cellario asservabantur, & præsertim illas quas accipiebant viri in dignitatibus constituti, cum a Principe in provincias mittebantur, aut a provinciis ad Comitatum evocabantur. Ita fere Du-cangius in Glossar. mediæ & inf. lat. Apparet itaque *annonas* & *cellaria*, fere synonima esse, & utramque vocem tam de esculentis quam de poculentis dici. si quid autem inter se differunt, in eo differunt, ut *annonæ* nomine panis potissimum aut ceteræ species viliores ac victui magis necessariæ veniant, *cellarium* obsonia significet & lautiora cibaria.

3 *nostris (id est Aquitanis)* &c.) Parenthesin apponere necessarium duximus, ut auctoris sententia primo cuique aspectu pateat, quæ Sigonium ipsum atque alios latuit. Sigonius enim hæc adnotat: *Ausim affirmare illa verba* (id est, Aquitanis, Gallis & Britannis) *esse glossema imperiti alicujus, quod ex margine in textum irrepserit. Nam Sulpicius ferme cum dicit* nostros, *catholicos intelligit, non Gallos. & si* nostri *pro Gallis essent accipiendi, cur Britannos nominaret? jam vero . . . . ridiculum videtur Aquitanos a Gallis distinguere, quasi vero Aquitani non sint Galli*: cetera. Accedit Vorstius *Recte conjicit Sigonius verba illa . . . . glossema esse, atque ex margine irrepsisse in textum. Vocabulo* nostri *noster ad religionem adludere & Catholicos designare solet: ut supra cap.* XXXIX. A nostris tum apud Arelatum ac Buteras, *&c. Et infra hoc cap.* ecclesiam nostri obtinent. Denique anonymus qui Lipsiæ anno 1711. hos libellos edidit cum Notis *ad modum Minellii*, eamdem acriter propugnat sententiam, cujus verba brevitatis caussa omitto. Sed contra primum, ut Hornius scribit, Sigonium, quod Aquitanos a Gallis non

repudiatis fiscalibus, propriis sumtibus vivere maluerunt. tres tantum ex Britannia inopia proprii publico usi sunt, cum oblatam a ceteris collationem respuissent, sanctius putantes fiscum gravare quam singulos. Hoc ego Gavi-
5 dium episcopum nostrum quasi obtrectantem referre solitum audivi. sed longe aliter senserim: laudique attribuo episco-

non distinguendos dixerat, notans, hic *non perpendit morem ejus seculi & ipsius Sulpicii: cujus hæc sunt Dial.* I. 20. Dum cogito me hominem Gallum inter Aquitanos verba facturum: *& paullo post:* Celtice, aut si mavis, Gallice loquere. Utitur his ipsis Severi locis Sirmondus in Notis ad Carmen XVII. Apollinaris Sidonii, ut confirmet *Aquitanos a Gallis illa ætate distinctos* fuisse. Secundo etiam si *nostri* apud Severum sint catholici, quando nimirum ex orationis contextu hæreticis opponuntur; non raro tamen sunt *Aquitani*, quod ex eadem provincia esset ipse. vide quæ de Severi patria scripsimus Tomo I. pag. LVIII.: itaque heic vox *nostris* non ad Gallos, multo minus ad Britannos, sed singillatim ad Aquitanos est referenda. Alibi tamen ea voce omnes Gallos videtur comprehendere, ut cap. XXXIX. cum dicit: *a nostris tum apud Arelatum*, &c. quod in Notis ad cap. seq. confirmabitur.

1 *repudiatis fiscalibus*) Sic mox *fiscum gravare*. Itaque si *fiscus* est proprium & privatum principis patrimonium, non reipublicæ ærarium; peculiare id fuerit, ut episcopis Arimini congregatis *annonæ & cellaria* ex unius Constantii liberalitate suppeditarentur: cum ceteroqui præberentur ex rescripto Principis a populis. sed in eam potius sententiam propendeo, ut improprie fiscus heic pro publico ærario ponatur, tum quia statim habetur *publico sunt usi*, tum quia etiam Dial. II. cap. III. *fiscalis rheda* huic dicitur, quæ ad *cursum publicum* spectabat, cujus sumtus, ut notum est, collato a populis ære expendebantur.

1 *propriis sumtibus*) MS. *propriis cum sumtibus*. Porro hinc factum puto, ut ad summam egestatem redacti sint multi ex his episcopis, adeo ut in epistola ad Constantium, quæ habetur apud Hil. Fragm. VIII., num. 3. scripserint *plurimos ex ipsis ætate & paupertate defectos esse*.

4 *Gavidium ep. nostrum*) Sigonius: Nostrum *intellige aut amicum, aut ejusdem provinciæ, aut earumdem partium*. Hornius: *Hic Gavidius haud dubie Gallus Aquitanus fuit*. Bollandus ad diem XIII. Januarii hunc Gavidium Aginnensem episcopum & Phœbadii successorem facit, ea nimirum, puto, conjectura ductus, quod uterque a Severo dicatur *noster*, de qua voce vide quæ paulo supra notavimus. Contra Sam-Marthani fratres in Gallia Christiana, Dulcidium Phœbadio substituunt, Gavidii autem nuspiam mentionem faciunt. Fuerit itaque hic episcopus in Aquitania, sed incertæ sedis: neque enim puto Aginnensem episcopum esse potuisse, qui ex Severi narratione Ariminensi synodo interfuisse apparet una cum Phœbadio, & forte jam ante annum CCCC. obiisse; cum ceteroqui Phœbadium constet ex Hieronymo de Vir. Illust., anno CCCXCII. adhuc superstitem fuisse. Rursus vide quæ in Vita Severi Tomo I. habentur, ubi de ejus patria.

Digitized by Google

Epifcopis tam pauperes fuiffe, ut nihil proprium haberent, neque ab aliis potius quam fifco fumerent, ubi neminem gravabant. ita in utrifque egregium exemplum: de reliquis nihil memoria dignum traditur. fed redeo ad ordinem. Poſteaquam omnes, ut fupra diximus, in unum collecti funt, fit partium feceffio. ecclefiam noſtri obtinent: Ariani *tam* ædem *tum* de induſtria vacantem orationis

5

a *epifcopis tam paup.*) MS., nec male, *epifcopos tam paup.*

3 *ita in utrifque*, &c.) Mendofus antea locus erat, *ita in utriusque*, qui quidem ab aliis aliter emendabatur. Sed quod Sigonius conjecerat legendum, *vitæ in utriusque eg. ex.*, prorfus non intelligo. alii *ita in utrifque*, vel *vitæ in utrifque*, ut *utrifque* referatur tam ad eos qui ex publico alebantur, quam ad illos qui ex proprio vivebant (ita Drufius) vel ad eos tantum qui & nihil proprium habebant, & tamen ex fifco vivere malebant: adeo ut *in utrifque* pofitum fit pro *in utroque*. Ita Vorſtius, quod & exemplis confirmare nititur; fed fruſtra: nam alia omnino eſt Auctoris mens, quam potiffimum ex verbis quæ fequuntur *de reliquis* &c., deprehendo. *Reliqui* funt epifcopi ceteri præter Aquitanos, Gallos & Britannos. Hi imprimis egregium exemplum dederant, non fumentes annonas publicas: fed quia ex his tres Britanni propter fummam inopiam, & nolentes fratres gravare, publico ufi erant cibo, & ob id a Gavidio reprehendebantur; ubi hos quoque Severus laude dignos oſtendit, fententiam denique concludit dicens: *ita in utrifque egregium exemplum*. Ita forte putavit & Drufius.

5 *omnes, ut f. diximus*) Ita MS. Vat., cum libri editi habeant *omneis, ut f. dictum*. Sane *omneis* nonnifi quarto cafu dicitur: itaque palam eſt fcribendum hoc loco fuiffe *omnes*. Eadem de cauffa fupra pag. 105. lin. 7. *omnes* pofuimus pro *omneis*. vide quæ ad eum locum notavimus.

7 *Ariani* tam *ædem* tum *de ind. vac.*) Prima editio, quam pleræque omnes fequutæ funt, habet *Ariani tam Edeatum de ind. vac.*, & ita MS. liber. Porro convenit locum effe mendofum, fed non convenit quo pacto fit emendandus. Gifelinus ex *Edeatum* tentavit facere *ædem tum*: & quamvis ipfe fibi de conjectura fua minus placeret, confentiunt tamen fere omnes *ædem* fub ea voce corrupta latere. folus Baronius hunc locum proferens ad ann. CCCLIX. nu. 4., legit *Ariani tantum locum de in. vac.* Sed, ut *ædem* reponas, nondum locus a mendo vacare videtur: quod enim Sigonius conjicit, minus placet. eſt autem: *Ariani tum ædem, tum de ind. vac.*: offendit enim illud *tum* repetitum. Vorſtius malebat, *Ar. ædem tum de ind. vac.*; Anonymus qui Notas ad modum Minellii confecit, *Ar. tum ædem de ind. vac.*; Joannes Clericus in recenfione Severi, Biblioth. felectæ Tom. XX., *Ar. autem ædem tum de ind. vac.*; Bochartus denique in epiſtola quadam, in qua agit de editione Severi ab Hornio curata (habetur autem Tom. I. ejus Opp. col. mihi 1058.) legit: *Ariani junctam ædem tum de ind. vac.*, reprehenditque Hornium, quod ita legendum non viderit. Ut meam quoque conjecturam producam, *tam* & *tum* unum effe adverbium crediderim, interjecta per errorem a librario aliquo voce *ædem* in duas partem difcerptum, adeo ut genuina lectio fit: *Ariani tan-*

Digitized by Google

nis loco capiunt. sed hi non amplius quam octoginta: reliqui nostrarum partium erant. Igitur frequentibus conciliis nihil actum, nostris in fide manentibus, illis de perfidia non cedentibus. Ad postremum placuit decem 5 legatos mitti ad imperatorem, ut quæ esset partium fides & sententia, cognosceret, sciretque pacem cum hæreticis esse

tantum ædem, vel *A. ædem tantum*. Sed hæ omnes conjecturæ sunt: itaque, dum certius aliquid habeatur, his interim tuo arbitrio, lector, utere.

1 *octoginta*) Ven. Cardinalis Baronius ad an. CCCLX. num. 3. ex Athanasii libro de Synodis citat locum, in quo habeatur *quinquaginta vel plures* fuisse Arianos episcopos qui Arimini convenerint. Is est, quem supra laudavi ex pag. 874., in quo nempe de universis episcopis Arimini congregatis sermo est, & hi quidem *quadringenti & eo amplius* fuisse dicuntur. Baronium nimirum fefellit Petri Nanii vitiosa interpretatio, qui eo loco vertit *episcopi fuere L. & eo plures*; Nanium autem vitiosus textus græcus, in quo pro υ, quod CCCC. significat, legeretur ν, quod est L. Itaque si ex *quadringentis & aliquanto amplius* episcopis (totidem enim Severus paullo supra numeravit) subducas Arianos *octoginta*, supererunt catholici CCC. fere & XXX., quot nimirum apud Augustinum numerat Maximinus Arianus, qui initio Collationis inter ipsos habitæ profitetur se *illam tenere fidem quæ Arimini a trecentis & triginta episcopis non solum exposita, sed etiam subscriptionibus firmata est*: tametsi ipse his verbis intelligat non fidem, sed perfidiam, quam postremo catholici ab hæreticis decepti subscripserunt: numerus certe catholicos episcopos æquat. Quod vero in epistola S. Athanasii ad Africanos pag. 934. legatur episcopos Orthodoxos fuisse ἐγγὺς διακοσίων, *numero ferme ducentos*, mendosus textus habetur a Baronio laudato loco: idem tamen numerus legitur etiam in libro Synodico: sed & apud Theodoretum lib. II. cap. 23. Athanasii locus ita laudatur ἐγγὺς τῶν διακοσίων. quare de hac lectione non est ambigendi locus. Sed de ea rursus infra.

2 *frequentibus conciliis*) Sigonius: *Concilia vocat conventus, quibus inter se disceptabant in unum locum convocati*. vulgo *sessiones* dicuntur. *Frequentia* autem *concilia* dicit, vel quia crebra, vel potius quia magnus erat episcoporum qui conveniebant, numerus. Porro apud Hilarium exstant fragmenta nonnulla Actorum hujus synodi ad hoc primum tempus spectantia, quo Orthodoxi acriter Nicænam fidem sunt tutati. vide Frag. VII. a numero 3. & deinceps.

4 *decem legatos mitti*) Ita nimirum jusserat Constantius, ut habetur in ejus epistola apud Hil. Fragm. VII. num. 2. Apud eumdem etiam Fragm. VIII. exstat epistola a Catholicis tum missa ad Imperatorem, quam latine primum scriptam testis est S. Athanasius, pag. 876. D., & Socrates, quæque græce reddita habetur tum apud ipsum Athanasium laudato loco, tum apud Socratem, Sozomenum & Theodoretum, sed multis in locis aliquanto interpolata. vide Valesium in Notis ad Socratis H. E. lib. II. cap. 37.

5 *quæ esset partium f.*) In aliquibus libris legitur *essent*, contradicentibus aliis, ac præcipue Galesini, & Giselini.

esse non posse. idem Ariani faciunt, mittuntque numero pari legatos, qui adversum nostros coram imperatore confligerent. sed ex parte nostrorum leguntur homines adolescentes, parum docti & parum cauti: ab Arianis autem missi senes callidi & ingenio valentes, veneno per- 5 fidiæ imbuti, qui apud regem facile superiores exstiterunt. sed nostris mandatum ne quo modo cum Arianis communionem inirent, omniaque integra synodo reservarent.

XLII. Interim in Oriente, exemplo Occidentalium, imperator jubet cunctos fere episcopos apud Seleuciam Isauriæ oppi- 10 dum congregari. qua tempestate Hilarius quartum jam exsilii annum in Phrygia agens, inter reliquos episcopos, per

1 *idem Ariani f.*) Hilarius Frag. VIII. oum. 4. *Cum hac epistola* (de qua io superiore Nota) *integræ fidei subscribentes episcopi catholici miserant decem legatos ad Imperatorem. Nihilominus* (apud Coutantium *Nihilo minus*) *& pars hæreticorum misit ex suo corpore decem legatos.*

3 *homines adolescentes*, &c.) Horum nomina habentur apud Hilarium Fragm. VIII. num. 5., ubi tamen quatuor supra decem recensentur. Ex illis unius tantum iodicatur sedes episcopalis, id est Restituti, episcopi Carthagiois, qui ceteris legatis præfuisse videtur, quum primo loco nominetur, quique aliis auctor fuit, ut subscriberent Arianæ fidei: idem tamen facti pœnitens in catholicorum communiooe usque ad mortem perseveravit: adeo ut jam inde ab Augustini ætate ejus depositionis memoria Carthagine quotannis celebraretur: scribit enim Possidius io Indiculo cap. 8. Augustioum sermonem habuisse ad populum in die anniversaria ejusdem, seu *De depositione Restituti episcopi Carthaginis.*

5 *veneno perfidiæ imbuti*) Antea erat *veterno perf. imbuti*: sed ooo *veterno*, sed *veneno* legendum esse facile apparet: quod tamen a nemine fuerat notatum. Hilarius Fragm. II. num. 22. Arianos quosdam ita pingit: *homines mente callidos, ingenio valentes, malitia pertinaces.*

6 *apud regem f. superiores exst.*) Hilar. Fragm. VIII. oum. 4. *Qui* (sermo est de his legatis) *ubi venerunt ad Imperatorem, suscepti sunt ita, ut legati catholicorum non susciperentur, atque longa dilatione fatigati, & minis Imperatoris perterriti, damnaverint integram fidem quam antea defendebant, & susceperint perfidiam quam ante damnaverunt.* sed de his Severus paullo infra.

7 *mandatum ne*, &c.) Credo adludere Severum ad hæc verba, quæ in laudata ad Coostantium epistola habentur: *quibus hoc ipsum solum mandavimus, ut non aliter legationem perferrent, quam statuta vetera remanerent firmissima.*

10 *cunctos fere episcopos*) Attamen juxta Athanasium, Socratem & Sozomenum illuc confluxere tantum episcopi clx. circiter, juxta Theodoretum cl.

11 *quartum jam ex. annum*) Nimirum Severus cap. xxxix. Hilarium junxerat illis qui *Arbetione & Lolliano coss.* fuerant exsilio dati. itaque ab anno ccclv. quem hi consules indicant, si numerare incipias, erit tibi annus ccclix., quo hæc Seleuciensis, uti & Ariminensis, synodus fuit habita. vide quæ de hoc loco scripsi Tom. I. Dissert. IV. oum. 22.

per vicarium ac præsidem data evectionis copia, adesse compellitur. cum tamen nihil de eo specialiter mandasset imperator, judices tantum generalem jussionem sequuti, qua omnes episcopos ad concilium cogere jube-
5 bantur (hunc quoque inter reliquos volentes miscere, ut

1 *per vicarium & præsidem*) *Vicarium* intellige, qui sub Præfecto Prætorio Orientis universam Asiæ diœcesim regebat: *Præsidem* autem, qui peculiarem illam Phrygiæ provinciam administrabat, in qua S. Hilarius exsulabat. Sane Julianus Imp. Vicariis & Præsidibus *faciendarum evectionum licentiam* ademit lege XII. Cod. Theod., Tit. de cursu publico.

2 *data evectionis copia*) *Evectionis* (non *vectionis*, ut aliqui perperam legunt) *copia: id est*, ut Vorstius notat, *data cursus publici copia*, seu facultate, quod & confirmat exemplis ex Codice Justiniani lib. XII. tit. LI. *Evectionum copiam senatui, cum proficiscendi ad nos necessitas fuerit, serenitas nostra largita est*: item, *Judicibus faciendæ evectionis copiam denegamus*. quibus addimus ex Am. Marcell. lib. XIV. cap. II. *& copia rei vehiculariæ data*; tum ex Cod. Theod. lib. VIII. tit. V., qui est de cursu publico; legem V. eamque Constantii Imp., & ad annum CCCLIV. spectantem, in qua ita habetur: *Jamdudum nostræ clementiæ jussa exstiunt, ut rectoribus provinciarum evectionum faciendarum copia denegetur, quoniam cursui publico magna infertur pernicies*, &c. Ceterum ex hac tanta synodorum per hæc Constantii tempora frequentia, & eo episcoporum huc illuc discurrentium numero, cursui publico magnam perniciem illatam, seu *rei vehiculariæ nervos succisos*, audivimus supra ab Am. Marcellino: de quo jam inde a Sardicensis synodi tempore queruntur illi qui Philippopoli convenerant: *cursusque ipse publicus attritus ad nihilum deducitur*: apud Hilarium, Fragm. III. num. 25.

3 *volentes miscere*) Giselinus, postquam vitiosam esse hanc periodum prolixe conquestus est, concludit: *quare ego miscuere potius scriptum opinabor, dum aliorum m. s. librorum testimonio confuter*. Volentes oppono *episcopis compulsis & coactis concilio adesse*. Sigonius *volentem* malebat legere & *miscuere*, ut sit: *Hilarium quoque inter ceteros, quia volebat, miscuere*. Sed, ut notavit Hornius, his *turbis opus non est, nam sensus clarissimus*: hunc quoque Hilarium inter reliquos, volentes miscere, *sive* miscuere. Volentes *refertur ad judices, qui etiamsi nihil specialiter de Hilario mandasset Imperator, tamen eum volentes, id est sua sponte, nullo mandato, nisi generali, synodo miscuerunt*. Sed neque hic Severi mentem ad plenum est assecutus. sensus quidem, ut ipse dicit, est clarissimus, si primum rectam interpunctionem restituas, ut nos fecimus, & substantivum verbum suppleas vel subintelligas paulo ante, ut sit *sunt sequuti*: deinde si quod sequitur, *ut ego conicio*, ad hanc ipsam, non vero ad sequentem propositionem referas. Coniiciebat nimirum Severus judices, seu Vicarium & Præsidem, ideo Hilario evectionis copiam dedisse, quod vellent eum *inter reliquos miscere*, seu Orientalibus episcopis hæreticis associare. Ceterum Coutantius in Hil. Vit. num. 56. hanc Severi narrationem convellere nititur, hæc opponens: *At vero si generalis jussio, cur Lucifer, cur Eusebius Vercellensis non leguntur accersiti? cur nunc tot inter exsules Hilarius adesse compellitur?* Sed responsio in promtu est: *Generalis jussio* erat, ita tamen ut de episcopis exsulibus *nihil specialiter mandasset imperator*. Porro hi duo, quos

ut ego conjicio). Dei nutu ita gestum, ut vir divinarum rerum instructissimus, cum de fide disceptandum erat, interesset. Is ubi Seleuciam venit, magno cum favore exceptus omnium in se animos & studia converterat. ac primum quæsitum ab eo, quæ esset Gallorum fides :· quia tum Arianis prava de nobis vulgantibus 5 su-

quos Coutantius nominat, non in Phrygia exsulabant, sed Eusebius quidem Scythopoli in Palæstina, Lucifer autem Germaniciæ in Syria : proinde neuter ad Vicarium Asiæ, multoque minus ad alterutrius Phrygiæ Præsidem spectabat; sed ad Comitem Orientis, & ad proprios cujusque provinciæ Præsides : qui sane Imperatoris mentem longe aliter ac priores illi sunt interpretati, nempe ut episcopi exsules non comprehenderentur in eorum numero qui Seleuciam convenire deberent. Sin autem, ut Tillem. obiter facit in Hil. Vit. art. xi., instet quis, alios in eamdem quam Hilarius provinciam, aut in conterminas fuisse relegatos, neque tamen ex iis aliquem hoc tempore ad synodum cum Hilario ire compulsum; reponam admodum probabile esse illos vel jam mortuos, vel alio asportatos fuisse. Sane *Paullinum & Rhodanium in Phrygia defunctos* scribit ipse Severus infra cap. xlv. prope finem, neque tamen tempus ipsum quo obierint indicat: vide tamen quæ in eum locum notabimus. Nunc restat, ut Coutantii ipsius conjecturam expendamus: *Num id potius*, pergit ille proxime post allata paullo ante verba, *factum Basilii Ancyrani opera* (*cujus nutu plurima tunc agebantur*) *cum ab eo partes suas non parum adjuvandas speraret, quem proxime* (sc. lib. de Syn. num. 90.) *laudatorem habuisset*? At hæc, prætterquam quod mera conjectura est, seu potius opinatio, minus etiam rationi consentanea mihi videtur : nam si quidem in eo Basilii opera intercessisset, Imperatorem ipsum, apud quem plurimum valebat, hic, puto, recta adiisset, & ab eo impetrasset deducendi ad synodum Hilarii facultatem : quod tamen Severus inscio Constantio factum refert.

r *ut ego conjicio*) Sigonius : *Illa verba*, ut ego conjicio, *alii ad superiora retulerunt, ego ad sequentia malim, ut conjecturam suam afferat de Dei consilio*. Eamdem interpunctionem amplectitur Hornius; sed prior est omnino retinenda : neque enim conjecturæ locus superest, ut *Dei nutus*, seu voluntas, dignoscatur in ejusmodi rebus, quarum faustus eventus ne dubitare quidem de singulari Dei providentia permittit : est autem contra vel maxime conjecturæ locus, cum de humano arbitrio ac consilio ex effectis judicandum est.

5 *quæ esset Gallorum fides*) Idem fere paullo ante Galli ab Hilario quæsierunt de Orientalibus, ut ex libro de Syn. num. præsertim 5. liquet. Ibidem num. 8. indicatur inter Gallos atque Orientales episcopos *mutuas suspiciones* intercessisse, quod ex parte confirmat Severus in iis quæ statim addit.

6 *prava de nobis vulg.*) Quia *Gallos* aliquando, ut paullo ante, in significatione magis generali accipit, se quoque & Hilarium atque Aquitanos omnes ea appellatione comprehendit : sicuti etiam cum cap. xl., & infra cap. xlv. *Gallias nostras* dicit. Alibi, ut vidimus, Aquitanos a Gallis distinguit, & *nostros* singillatim Aquitanos dicit.

Digitized by Google

ſuſpecti ab Orientalibus habebamur, trionymam ſolitarii Dei unionem ſecundum Sabellium credidiſſe. ſed expoſita fide ſua, juxta ea quæ Nicææ erant a patribus conſcripta, Occidentalibus perhibuit teſtimonium. Ita abſolu-
5 tis omnium animis, intra conſcientiam communionis, nec non

1 *trionymam ſolitarii Dei unionem*, &c.) Jam ſupra pag. 202. dogmatis Sabelliani, quod in *unione* potiſſimum conſtabat, Severus meminit. ſed præter ea quæ ad eum locum notavimus, animadvertenda eſt vis & ſignificatio peculiaris harum vocum, *ſolitarii Dei*, & *unionem trionymam*. Deus unus quidem eſt, non tamen *ſolitarius*: hoc enim non ad naturam, ſed ad perſonas refertur: vide Hilarium lib. IV. de Trin. num. 16. & ſeqq. Sed nec *unio*, ſeu ſolitudo ac ſingularitas in Deo eſt admittenda, quia & hæc vox ad perſonas refertur. videque de hac voce Coutantius congeſſit in Nota quadam prope finem ejuſdem lib. IV. de Trin. *Trionyma* itaque *unio* Sabellii unam in Deo perſonam tribus expreſſam nominibus, atque adeo Deum ipſum *ſolitarium* inducit: unde & Hieronymus in Dial. con. Luciferianos: *in tribus nominibus trinominem credens Deum, in Sabellii hæreſim incurrit*. Ceterum ab hac Sabellianiſmi ſuſpicione ipſi ſe purgarunt apud Orientales Galliæ epiſcopi in epiſtola ad ipſos data ex Pariſienſi ſynodo: nec dubitandum eſt, quin id fecerint impulſu Hilarii ipſius, a quo de rumoribus in Oriente diſſeminatis fuerunt edocti. en verba epiſtolæ num. 2. *Nam homouſion ſermonem ad veram & legitimam ex Deo patre unigeniti Dei nativitatem ſumus amplexi, deteſtantes ſecundam Sabellii blaſphemias ipſam unionem, neque aliquam partem Patris eſſe Filium intelligentes*, &c.

4 *abſolutis omnium animis*) Scilicet *omnium* Orientalium *animis* a ſuſpicione quam de Occidentalium fide conceperant, *ſolutis* & liberatis. Ceterum hæc non de Gallis peculiariter, ſed de univerſis qui *homouſion* defendebant, apud imperitiores & indoctum vulgus diſſeminabantur ab Arianorum anteſignanis, quippe qui eam vocem ſubdole in alias ac illi, & omnino vitioſas, Sabelliique dogmatibus apprime conſentaneas ſignificationes diſtorquerent. Hilarius tamen horum fraudes perſpectas habens, de pravis illis interpretationibus fuſe egit tum lib. IV. de Trin. num. 4. 6. & 7., tum in lib. de ſyn. a num. 67. & deinceps, quibus in locis rectum etiam ejus verbi uſum & ſenſum explicat. Sed conferenda etiam epiſtola ſynodi Pariſienſis, numero 2., ex quo nonnulla ſuperiori nota produximus.

5 *intra conſcientiam communionis*) Obſcurior ſane loquendi forma, & fortaſſe ex Hilario ſumta. Sane hic in lib. de Syn. num. 4. habet: *intra nos tantum communio dominica contineretur*: & num. 8. *firmiſſima fidei conſtantia intra communionem ſe meam continentes, a ceteris extra Gallias abſtinuerent*. Sed heic vox *conſcientia* potiſſimum difficultatem parit, cujus eam putaverim peculiarem eſſe ſignificationem, ut illi quidem parati eſſent Hilarium ad myſteriorum participationem admittere, reipſa tamen cum eo non communicaverint: nempe quia ipſe ſe ab eorum ſacris cœtibus ſubduxerit, quos noſſet a Nicæna fide alienos. Nec tamen recuſavit ſynodo intereſſe & ſocietatem inire cum iis qui homœuſion defendebant, utpote cum catholicis fere conſentientes, ut ſimul Anomœos oppugnaret, quorum blaſphemias iidem ſummopere execrabantur.

non etiam in societatem receptus, concilioque adscitus est. Agi deinde cœptum: repertique pravæ hæresis auctores, atque ab Ecclesiæ

1 *Agi deinde cœptum*) *Concilium* nimirum *cœptum agi*, idque *septima & vigesima die mensis septembris*, juxta Socratem, qui ex Sabini collectaneis singula quæ in eo gesta sunt, perstringit. paucis autem admodum diebus absolutum fuit. Sed quæritur utrum hoc concil. Severo orthodoxum fuerit? Coutantius Hil. Vit. num. 62. *Catholicum apud nonnullos audiit: & etiamnum apud Sulpicium* catholici concilii *titulo cohonestatur*. Equidem colligi posse videtur ex toto hoc capite, ut & ex xlv., Severum in ea opinione fuisse, ut hæc synodus orthodoxa fuerit, nuspiam tamen eam *catholici concilii* titulo cohonestasse comperias. Coutantium, ut alias, etiam heic Sigonii editio fefellit, in qua nimirum is titulus ab ipso Sigonio appositus cernitur. Idem fere in nonnullis aliis editionibus, in margine tamen, adnotatur.

2 *repertique pravæ hær. auctores*) S. Hilarius fusius hæc refert in lib. con. Constantium juxta Coutantii editionem (nam Baluzius in nova Conciliorum collectione multo aliter legit juxta optimum & vetustissimum cod. Colbertinum) num. 12. *Affisto Orientalium in Seleucia synodo, ubi reperi tantum blasphemorum quantum Constantio placebat. Nam prima secessione in ea deprehendi, ut centum & quinque* (non *centum viginti*, ut in Noris Coutantii ad Frag. x. num. 2.) *episcopi homœusion, id est similis essentiæ, prædicarent, & decem & novem anomœusion, idest dissimilis essentiæ, profiterentur, & soli Ægyptii, præter Alexandrinum* (Georgium) *hæreticum, homousion constantissime obtinerent*. Hi postremi ad triginta sex fuerint; quum, ut supra notavimus, omnes simul fere clx. fuisse constet. Sed de numero Anomœorum non plane constat: nam Athanasius quidem pag. 881. A. *paucos admodum* fuisse dicit, καὶ ὀλίγοι παντελῶς: Socrates & Sozomenus triginta sex, Epiphanius triginta novem aut etiam tres & quadraginta, numerant. Forte initio xix. tantum fuerint, postea majorem in numerum excreverint. Cum itaque Severus ait *repertos pravæ hæresis auctores*, intelligit Anomœos, qui ab Homœusistis seu Semiarianis primum secesserunt, deinde & damnati fuerunt. Hilarius rursus de utrisque laudato loco: *Cogente itaque Leona Comite in unum omnes congregati sunt. Ex his qui homœusion prædicabant, aliqui nonnulla pie verbis præferebant..... qui vero anomœusion defendebant, nihil nisi profanissimum asserebant*, &c. Addit numero 14., hos ipsos, quum intellexissent *humanas aures tantæ impietatis verba non suscepturas esse, fidem scripsisse, homousion & homœusion & dissimilitudinem pariter damnantes*. Animadvertenda heic obiter peculiaris vocis *auctores* significatio, qua non ipsi inventores & artifices, sed assertores & primarii hæreseos duces designantur. Sic in Vita S. Martini cap. vi. Auxentius dicitur *auctor & princeps Arianorum*: nec alia forte significatione supra cap. xxxv., *duobus Ariis perfidiæ hujus auctoribus*: licet ex his duobus alter vere & proprie architectus & magister ejus perfidiæ fuerit.

2 *atque ab Ec. corpore a.*) Factum id ab illis qui homœusion defendebant. Ita Hilar. cont. Const. num. 16. *Hi autem qui homœusion prædicabant, omnes eos qui maxime sine aliquo impietatis pudore impudentissime hæc* (de Anomœorum blasphemiis proxime dixerat) *loquebantur, condemnaverunt*. Horum tamen sententiam confirmatam etiam ab Orthodoxis fuisse, nullus dubito.

Digitized by Google

ſiæ corpore avulſi. in eo numero fuere Georgius ab Alexandria, Acacius, Eudoxius, Vranius, Leontius, Theodoſius, Euagrius, Theodulus. Sed confecta ſynodo, decreta ad imperatorem legatio quæ geſta inſinuaret. damnati quoque ad regem 5 profecti, ſatis freti ſociorum viribus & Principis ſocietate. Interea legatos Ariminenſis concilii ex parte noſtrorum compellit imperator uniri hæreticorum communioni, eiſdemque conſcriptam ab improbis fidem tradit verbis fallentibus involutam, XLIII.

quæ

1 *in eo numero fuere*, &c.) Athanaſius in lib. de Syn. pag. 881., & Socrates lib. II. cap. 40., novem epiſcopos Anomœos depoſitos, totidemque excommunicatos recenſent. In priorum numero habentur hi octo quos Severus nominat, ac præterea Patrophilus Scythopolitanus, cujus nomen apud hunc fortaſſis excideerit. Fuerunt autem horum epiſcoporum ſedes, Acacii quidem omnium choriphæi (idem qui ſupra cap. XXXVIII. nominatur) Cæſarea Palæſtinæ, Eudoxii Antiochia (atque hic eſt Antiochenus ille epiſcopus, cujus impiiſſimum dictum refert Hilarius in lib. cont. Conſt. num. 13.) Uranii Tyrus, Leontii Tripolis Lydiæ, Theodoſii Philadelphia Lydiæ, Euagrii Mitylene, Theoduli, qui mendoſe in Giſelini libro & aliis dicitur *Theodolus*, Chæretapi in Phrygia.

3 *decreta ad imp. legatio*) Decem nimirum epiſcopi, ut ab Ariminenſi ſynodo, ex Imperatoris mandato ad ipſum legati ſunt.

4 *geſta inſinuaret*) Vorſtius: *Uſus ille vocabuli* inſinuare *antiquioribus ignotus fuiſſe videtur*.

4 *damnati quoque*, &c.) Hilarius in Conſt. num. 15. *Condemnati ad regem ſuum advolaverunt: exceptique honorifice impietates ſuas quanta potuerunt ambitione confirmaverunt*, &c.

6 *Interea*) Nimirum dum hæc Seleuciæ agerentur, immo etiam aliquanto ante, ut ex Hiſtoriæ ſerie colligitur.

6 *ex parte noſtrorum*) Scilicet, catholicorum: vide ſupra cap. XLI. pag. 226. *Sed ex parte noſtrorum*, &c.

6 *compellit imp.*, &c.) Notæ ſunt artes quibus legatorum animi ab Imperatore tandem fracti atque evicti fuerunt: ſed juvat eas ex Marcellini & Fauſtini perelegantı ſane libello ſiſtere lectorum oculis: *Eos vero legatos, qui pro fide catholica contra hæreticos venerant, reprobat, & per ſuos nunc gratia invitat, nunc minis perterret, & interim ſola dilatione diſcruciat, ut in ultimum, cum iram regis metuunt, cum non dignantur pro Chriſto filio Dei exſilium perpeti, cum propriis ſedibus & eccleſiarum perniecioſiſſimis poſſeſſionibus oblectantur, reſciadant quod pie vindicaverant, & ſuſcipiant quod ut impium damnaverant*.

7 *uniri hær. communioni*) Factum id VI. id. Octobris, ut ex Hilarii Frag. VIII. num. 5. & 6., ex quo etiam apparet eos jam tum ſubſcripſiſſe ei fidei profeſſioni, de qua in ſeq. Nota. Erant autem tunc legati Nicæ, vel Nicææ in Thracia.

7 *conſcriptam ab improbis fidem*) Hæc fides quæ poſtea etiam in Ariminenſi conciliabulo lecta & ſuſcepta fuit, a Valente conſcripta fuerat, ut S. Hieronymus refert in Dial. con. Luciſer. numero 18., (*Denique ipſo in tempore quum fraudem fuiſſe in expoſitione* fidei *rumor populi ventilaret, Valens Murſenſis epiſcopus qui eam conſcripſerat . . . profeſſus eſt, ſe Arianum non eſſe, & penitus ab eorum blaſphemiis abhorrere*)

quæ catholicam disciplinam perfidia latente loqueretur: namque Usiæ verbum tamquam ambiguum & temere a patribus usurpatum, neque ex auctoritate Scripturarum profe-ctum

vere) & quidem, ut ab homine latino, non græce sed latine: sed græce habetur apud Athaoasium, de Syn. & Socratem; tum, sed ex alia versione, apud Theodoretum lib. 11. cap. 21., qui eam vocat *Fidem apud Nicen Thraciæ expositam*. Et quia S. Hierooymus in laudato Dial. num. 17. eam fere integram ipsissimet, ut puto, quibus expressa fuit verbis recitat, eam heic exhibere juvat: *Credimus in unum solum verum Deum* (*solum* supplemus ex MS. Sangermanensi, ex quo variantes aliquot lectiooes Baluzius excerpsit, quia & apud Socratem est εἰς ἕνα μόνον θεὸν, & apud Theodoretum, εἰς ἕνα καὶ μόνον ἀληθινὸν θεὸν, & quia hæreticorum prodit fallaciam & perfidiam, qui dum Patrem *unum & solum verum* Deum dicebant, Filium oon verum Deum esse intelligebant. græcæ versiones addunt ἐξ οὗ τὰ πάντα, *ex quo omnia*), *& in unigenitum Dei filium, qui ante omnia sæcula & ante omne principium natus est ex Deo* (in græcis additur, *per quem omnia facta sunt tum visibilia tum invisibilia*): *natum autem unigenitum solum ex solo patre, Deum ex Deo, similem genitori suo Patri secundum Scripturas, cujus nativitatem nullus novit nisi solus qui eum genuit Pater. qui de cælo descendit* (ex græcis apparet heic & deinceps oonnulla omissa), *conceptus est de Spiritu Santo, natus ex Maria Virgine, crucifixus a Pontio Pilato, tertia die resurrexit a mortuis, ascendit in cælum, sedet ad dexteram Dei Patris, venturus judicare vivos & mortuos*. in græcis sequitur articulus de Spiritu Sancto, &c.

1 *quæ catholicam disciplinam*, &c.) S. Hieronymus laudato libro, hæc ad eam Fidem præfatur: *præsertim cum superficies expositionis nihil jam sacrilegum præferret*: qui & subdit: *sonabant verba pietatem, & inter tanti mella præconii nemo venenum insertum putabat*.

2 *Usiæ verbum .... abolebat*) *Usiæ* verbum abolebat, non modo quia neque *homousion*, oeque *homœusion* Filium Patri dicebat, sed etiam quia *usiæ* verbo juxta Euoomianos io Divinis uti vetabat. S. Hieronymus contra Lucif. nu. 18. *De usiæ vero nomine abjiciendo verisimilis ratio præbebatur*: Quia in Scripturis, *ajebant*, non invenitur, & multos simpliciores novitate sua scandalizat, placuit auferri. Verum pleoius hæc ex græcis interpretationibus habemus. est enim apud Athanasium & Socratem, ut ego quidem interpretor: *Nomen vero usiæ quoniam simplicius a Patribus positum, ignoratum autem a populis, scandalum afferebat, quoniam neque Scripturæ illud habent, placuit e medio tolli, & nullam omnino de eo mentionem dehinc fieri: siquidem nec sacræ Scripturæ usquam usiæ*, seu substantiæ, *Patris & Filii meminere. etenim ne hypostasis quidem de Patre & Filio & Spiritu Sancto nominari debet*. Eadem fere habeotur apud Theodoretum, nisi quod postrema hæc senteotia ita effertur: *Neque item oportere in persona Patris & Filii & Sancti Spiritus unam hypostasim nominari*. Sed Athanasii interpretatio præferenda, utpote quæ Eunomianum dogma, quo *Notionibus*, seu ἐπινοίαις nullus in Theologia locus dabatur, & contra quod disputat Petavius lib. 1. de Deo cap. 7. & 8., expressius exhibeat. Est alia præterea peculiaris ratio, propter quam vocem *hypostasis* in hac potissimum fidei professione proscriptam puto, quam paullo infra indicabo.

Digitized by Google

ctum sub specie falsæ rationis abolebat, ne unius cum patre substantiæ filius crederetur. eadem fides similem patri filium fatebatur: sed interius aderat fraus parata, ut esset similis, non esset æqualis. Ita dimissis legatis præfecto manda-

1 *sub specie falsæ rationis ab.*) Falsa ratio quam prætendebant Ariani, ea ipsa est quam antea Severus commemoravit, vera autem quam statim subdit: nimirum, *ne unius cum patre substantiæ filius crederetur*. Porro hæc *Usiæ* ac *Homousii* damnatio iisdem de caussis ac iisdem fere verbis in aliis fidei professionibus jam pervulgata fuerat, ut notum est, ab Arianis.

2 *eadem fides similem*, &c.) Semel & iterum expressum id fuit in hac fidei professione; tum ab initio, quod jam ex Hieronymo transcripsimus, tum circa finem, hoc pacto: *similem autem dicimus Patri Filium, ut dicunt & docent divinæ Scripturæ*. In tertia Sirmiensi formula hoc eodem anno edita, appositis consulibus mense & die, cui alioqui in plerisque hæc consentanea est, illud amplius habebatur, ut Filius Patri *per omnia* esset similis; quæ additio ex Constantii voluntate tunc inserta, & ab ipso Valente licet reluctante tandem subscriptione firmata, ut auctor est Germinius apud Hilarium Fragm. xv. numero 3., & Epiphanius, Hær. lxxiii. numero 22., in hac Nicensi Valentis ipsius opera omissa impune fuit: ex quo ejus & asseclarum fraus magis elucet, de qua Severus: *ut esset similis, non esset æqualis*. Porro ex laudato Epiphanii loco non improbabilis etiam conjectura duci potest, cur in hac Nicensi professione fidei damnata fuerit & vox *hypostasis*, de qua nulla antea quæstio habita fuerat. Narrat enim Valentem, cum subscriberet Sirmiensi Fidei, de qua supra, *Filium Patri similem* posuisse, prætermissis voculis *per omnia*: Constantium autem ea re animadversa, illas addere eum coegisse: Basiliumque Ancyranum suspicantem subdole istud etiam *per omnia* a Valente additum fuisse, secundum nimirum interpretationem & sententiam suam, ita subscripsisse, ut per omnia Patri Filium esse similem exprimeret, *non solum voluntate, sed etiam hypostasi & secundum essentiam ipsam*: κατὰ πάντα δὲ, οὐ μόνον κατὰ τὴν βούλησιν, ἀλλὰ κατὰ τὴν ὑπόστασιν, καὶ κατὰ τὴν ὕπαρξιν, καὶ κατὰ τὸ εἶναι. Hæc quidem tum, quum Semiariani, quorum Basilius erat facile princeps, apud Imp. gratia valerent: nunc autem cum Anomœorum factio prævaleret, Valens non modo obtinuit, ut prior illa formula rescinderetur, in qua Patri per omnia similis Filius dicebatur, sed etiam ut hypostasis vox a Basilio in subscriptione contra ipsum Valentem usurpata proscriberetur. Ita quidem ego conjicio. Athanasius tradit Sirmiensem Fidem illam quæ consules appositos haberet, postea ejusdem auctoribus ita displicuisse, ut Constantii edicto omnia illius exempla conquisita & suppressa fuerint: sed Socrates lib. II. cap. 30. de alia Sirmiensi Professione id ipsum tradit, de quo vide Tillem. Not. LVIII. in Ar. hær.. Verum id forte de utraque verum est: nam certe hac Nicensi Fide abrogabatur ea quæ eodem anno e Sirmio prodierat, puta quia ejus exemplaria omnia supprimi reipsa nequiverint, ut scribit Socrates supra citato capite.

4 *præfecto mandatum, ut syn.*, &c.) Quibus jam legatos expugnaverat artibus, iisdem universam synodum adoritur Imp.: itaque ab Hilario, *contra Constantium* num. 7., scribitur: *Occidentalium fidem ad impietatem* com-

datum, ut synodum non ante laxaret quam conscriptæ fidei consentire se omnes subscriptionibus profiterentur: ac, si qui pertinacius obsisterent, dummodo is numerus intra quindecim esset, in exsilium pellerentur. Sed regressis legatis, licet vim regiam deprecantibus, negata communio. Enimvero compertis quæ 5 decreta erant, major rerum & consiliorum perturbatio: dein paullatim plerique nostrorum, partim imbecillitate ingenii, partim tædio peregrinationis evicti, dedere se adversariis, jam post reditum legatorum superioribus, & ecclesiam, nostris inde detrusis, obtinentibus: factaque semel inclinatione animorum, 10 catervatim in partem alteram concessum, donec ad viginti XLIV. usque nostrorum numerus imminutus est. Sed hi quanto pauciores, tanto validiores erant: constantissimusque inter eos habebatur noster Fægadius, & Servatio Tungrorum episcopus

compellis, conclusos urbe una minis terres, fame debilitas, hieme conficis, dissimulatione depravas.

1 *conscriptæ fidei*) In Lipsiensi editione Vorstii duo hæc verba exciderant, quæ ex aliis editis & ex MS. supplemus. Palam autem est de ea fide heic agi, quam legati subscripserant Nicæ, quamque inde Ariminum detulit Valens ejus auctor.

4 *licet vim regiam deprecantibus*) Id est, vim a rege sibi factam exsecrantibus & cum abominatione protestantibus. sed fortasse locus est mendosus. Baronius ad annum CCCLIX. numero 38. legit *caussantibus*.

5 *quæ decreta erant*) Nimirum a Constantio in litteris ad Taurum Præfectum datis, de quibus paullo ante. Ceterum hæc & sequentia, quæ apud antiquos scriptores frustra requiras, hic ex Phœbadio aut ex aliis qui adfuerunt, scire potuit.

9 *superioribus*) Qua ratione *superioribus*? cum juxta Severum Orthodoxorum numerus triplus saltem esset Arianorum. sed fortasse etiam antea, in eo quod intercesserat a discessu ad reditum legatorum intervallo, non pauci jam ad Arianos transfugerant, adeo ut legatorum interventu hi superiores numero evaserint: neque enim aliud erat, in quo hi primum inferiores essent. Hæc explicatio fulciri videtur Athanasii auctoritate, qui ducentos tantum catholicos episcopos, ut supra notavimus, Arimini fuisse statuit: nam id verum esse potuit non initio, quo trecenti & amplius juxta Severum erant, sed circa hoc tempus quo legati regressi sunt.

9 *ecclesiam, n. in. d., obtinentibus*) Vide quæ de hac ecclesia supra cap. XLI. habentur. ejus etiam a Hieronymo mentio fit in Dial. contr. Lucif. num. 18., *in ecclesia quæ est apud Ariminum, & episcoporum simul & laicorum turbis concurrentibus*, &c. In ea nimirum synodi conventus agebantur.

13 *constantissimusque inter eos habebatur*) Cur non potius, *consultissimique i. e. habebantur*?

14 *noster Fægadius*) Ita & Giselini liber, alii *noster Fœgadius*. Idem autem esse creditur ac *Phœbadius*, cujus nomine in Biblioth. PP. liber exstat contra Arianos, & de quo Hieronymus cap. CVIII. libri de Vir. Ill.,

Digitized by Google

pus. Hos, quia minis & terriculis non cessarant, Taurus precibus aggreditur, ac lacrymans obtestatur, Mitiora uti consulerent: clausos intra unam urbem episcopos jam septimum mensem agere: injuria hiemis & inopia confectis nullam spem reversionis dari: quis tandem esset finis? sequerentur plurium exemplum: auctoritatem saltem ex numero sumerent. Enim

III., ubi tamen dicitur etiam vel *Fœdabius*, ut in MS. Capitulari & apud Pastregicum scriptorem Veronensem, vel *Sœbadius*, ut in aliis libris & apud græcum interpretem. Fuit autem Phœbadius Aginni in Aquitania episcopus, atque ob eam rationem *noster* a Severo dictus. Sed de eo vide quæ alibi notavi.

1 *Hos, quia*) Ambiguum est, utrum Taurus hos duos tantum, an vero omnes viginti illos sit alloquutus.

3 *jam septimum mensem*) Tillemontius Nota LXVIII. in Comment. de Ar. hær., huic Severi loco contradicit, vel mendosum, vel saltem axaggeranter expressum contendens: quasi id incommodi afferat, ut hujus synodi finis ad Januarium, vel Februarium sequentis anni sit protrahendus. sed omnia recte se habebunt, si saltem circa Maii finem Ariminum pervenisse ponas plerosque episcopos: nam ab eo tempore ad finem Novembris vel ad initium usque Decembris, quo hæc a Tauro Præfecto habita oratio fuerit ipso Tillemontio non dissentiente, episcopi *jam septimum* ibidem *mensem agebant*. Porro Majo mense episcopos plerosque Arimini fuisse, haud obscure colligitur ex epistola a Constantio ad eosdem data VI. Kal. Junias, quæ apud Hilarium habetur Fragm. VII., & missa ab eo dicitur ad episcopos, *qui in Ariminensi concilio convenerant*. Tillemontius tamen, Comm. de Ar. hær. art. LXXVIII., supponit tum nondum eo episcopos advenisse. sed quæ caussa fuisset ejus tunc scribendæ epistolæ? præsertim cum jam antea quam Ariminum convenirent, ad ipsos jam scripsisset, ut ipse innuit his verbis, *ut prudentiæ vestræ prioribus litteris intimavimus*. Rursus Tillemontius ibidem statuit synodum non fuisse habitam nisi Julio mense, eamque paucis diebus absolutam. sed neutrum adeo certum videtur, ut ipse putat: nam verum quidem est, Constantium in epistola illa res celeriter tractari voluisse: ex Severo tamen colligitur propter mutuas inter Orthodoxos & hæreticos discordias haud ita breve fuisse synodi tempus. Verum etiam est, Ursacium & Valentem cum paucis aliis a catholicis excommunicationis sententia punitos a. d. XII. Kal. Augusti, sed id profecto ad synodi exitum est referendum. Præterea non heic agitur de hujus synodi initio, seu quando episcopi de fidei quæstionibus simul agere cœperint, sed de tempore quo iidem Arimini persliterunt. Fieri enim omnino potuit, ut non statim ac plerique eorum ad eam civitatem convenerunt, de rebus propositis simul consultare & decernere potuerint, seu quia nondum eo pervenissent primarii ex parte Arianorum, ut Valens & Ursacius, quos constat XI. Kal. Junii Sirmii adhuc fuisse, quum ibidem hac ipsa die eam fidei professionem subscriptione sua ratam habuerint, quam postea Arimini Orthodoxis proposuerunt confirmandam; seu etiam quia, ut postea factum fuisse constat, jam tum catholici moras trahere compulsi sint, ut interim eorum animi flecterentur & ad hæresis consensum allicerentur. Maneat itaque sua integra hoc loco Severo fides & auctoritas.

Enimvero Fægadius paratum ſe exſilio, atque ad omne ſupplicium in quod depoſceretur, profiteri: ſe ab Arianis conceptam fidem non recepturum. ita in hoc certamine aliquot dies tracti. Ubi parum ab pacem proficiebant, paullatim & ipſe infractior, ad extremum propoſita conditione evincitur. Namque Valens & Vrſacius affirmantes præſentem fidem catholica ratione conceptam, ab Orientalibus imperatore au-

1 *Enimvero*) Editi *Etenim vero*, ſeu, ut apud Giſelinum, *Et eaimvero*: ſed *Et* omnino redundat, forte ex repetita præcedentis verbi ſyllaba ultima effictum: neque enim *eteaim* huic locn opportunnm eſt. denique *etenim vero* exemplis caret, cum contra *enimvero* etiam apud Severum paullo ſupra occurrat, nbi dicitur: *eaimvero compertis quæ decreta eraat.*

4 *ad pacem proficiebant*) Sigonius legendum eſſe ſtatuit *proficiebat*, Taurum intelligens. Malim & egn *proficiebat*, ſed de Phœbadio id dictum velim, de quo ſtatim ſequitur, *paullatim & ipſe iafractior*, &c.

6 *V. & Ur. affirmantes*) Hæc quaſi abſnlute poſita, ut alias, pro, *Valente & Urſacio affirmantibne.*

7 *catholica ratione conceptam*) Sic ſupra: *quæ catholicam diſciplinam perfidia lateate loqueretur*. Sane, ut obſervat Hiernnymus, contra Lucif. numero 17., nulla in ea ſententia habetur, quæ aperte Arianam hæreſim ſapiat. *Numquid*, ait ille, *bene iaſertum eſt*: Erat tempus, quando non erat? *vel* de nullis exſtantibus creatura eſt Filius Dei? *Perfecta fides eſt Deum de Deo credere. Et* natum *ajebaat* unigenitum ſnlum ex ſoln Patre. *quid eſt* natum? *certe non factum: nativitas ſuſpicionem auferebat creaturæ*. Verum tamen nec ita *catholica ratione concepta* dici potuit, niſi a mendaciſſimo Valente, qui Hieronymo teſte ſe qnoqne *Arianum non eſſe* coram Ariminenſibus patribus *profeſſus eſt*.

7 *ab Orientalibus Imp. au. prolatam*) Hæc videntur deſtruere quod ex Hieronymi potiſſimum auctnritate aſſeruimus, nimirum Valentem ipſum hanc Fidem dictaſſe; eorum autem confirmare ſententiam qui, ut Petavius lib. 1. de Trin. cap. IX. num. XII., tradunt, *Conſtaatiaopoli ſcriptam eſſe ab Acacio, Eudoxio aliiſque, qui Seleucienſis decreto ſynodi damnati ad Imperatorem confugerunt*. Sed utraque ſententia conciliari facile poſſit ita, ut Valens eam cnnſcripſerit, illi autem ſubſcriptione ſua ratam habuerint. Sed & heic mendacium & fraudem adverte, cum reipſa *Orieatalium* generali appellatione pauci tantum, iique Eunomiani, venditentur. Et tamen eo ſpecioſo nomine ſimplicitati Ariminenſium impnſuerunt, ut teſtantur epiſcopi Gallicani in epiſtola ex Pariſienſi ſynodo ad Orientales epiſcopos data, in qua num. 1. hæc habentur: *Nam plures numero, qui aut Arimini, aut Nicææ adfuerunt, ſub auctoritate veſtri nominis ad Uſiæ ſilentium ſuat coacti*, & num. 4. *Cum ex litteris veſtris in Uſiæ ſilentio fraudem ſe paſſam ſimplicitas noſtra cognoſcat*, apud Hil. Fragm. XI., apud quem etiam Fragm. IX. exſtat epiſtola ab Ariminenſibus ad Conſtantium ſcripta poſt prævaricationem, in qua ita ſe appellant: *Synodus Ariminenſis Orientalibus conſentiens.*

auctore prolatam, cum piaculo repudiari: & quis discordiarum finis foret, si, quæ Orientalibus placuisset, Occidentalibus displiceret? postremo, si quid minus plene præsenti fide editum videretur, ipsi adderent quæ addenda putarent: 5 prædituros se in his quæ essent adjecta, consensum. Favorabilis professio pronis omnium animis excepta, nec ultra nostri repugnare ausi, jam quoquo modo finem rebus imponere cupientes. Dein conceptæ a Fægadio & Servatione professiones edi cœpere, in queis primum damnatur Arius, to-

3 *& quis d. finis*) Libri omnes *ut quis*, mendose. Sigonius volebat *ecquis*, Baronius legebat, *at quis*, alii, *aut quis*: sed minori mutatione fit, *& quis*.

4 *ipsi adderent*, &c.) Hæc nimirum *conditio* est, qua *proposita* evictus paullo ante dicitur Phœbadius.

9 *professiones edi cœp.*) Rem fusius narrat Hieronymus ex ipsis synodi Actis: itaque integrum ejus locum ex Dial. con. Lucif. num. 18. heic describam, ut uno intuitu lector utriusque narrationem perlustret, & simul conferat. *Denique ipso in tempore, quum fraudem fuisse* (for. *subesse*) *in expositione* (fidei) *rumor populi ventilaret, Valens Mursensis episcopus, qui eam conscripserat, præsente Tauro Prætorii Præfecto, qui ex jussu regis synodo aderat, professus est*, se Arianum non esse, & penitus ab eorum blasphemiis abhorrere. *Res secrete gesta opinionem vulgi non extinxerat. itaque alia die in ecclesia quæ est apud Ariminum, & episcoporum simul & laicorum turbis concurrentibus, Muzonius episcopus Provinciæ Byzacenæ, cui propter ætatem primæ ab omnibus deferebantur, ita loquutus est*: Ea quæ sunt jactata in publicum & ad nos usque perlata, aliquem e nobis sanctitati vestræ legere præcipimus, ut quæ sunt mala, & ab auribus & a corde nostro abhorrere debent, omnium una voce damnentur. *responsum est ab universis episcopis*: Placet. *Itaque, cum Claudius episcopus Provinciæ Piceni ex præcepto omnium blasphemias quæ Valentis ferebantur, legere cœpisset; Valens suas esse negans, exclamavit, & dixit*: Si quis negat Christum Dominum Dei Filium ante secula ex Patre genitum, anathema sit. *ab universis consonatum est*: Anathema sit. (*Et addidit*, supplet Baluzius ex MS.) Si quis negat Filium similem Patri secundum Scripturas, anathema sit. *omnes responderunt*: Anathema sit. Si quis Filium Dei non dixerit æternum cum Patre, anathema sit. *ab universis conclamatum est*: Anathema sit. Si quis dixerit creaturam Filium Dei, ut sunt ceteræ creaturæ, anathema sit. *similiter dictum est*: Anathema sit. Si quis dixerit de nullis extantibus Filium & non de Deo Patre, anathema sit. *omnes conclamaverunt*: Anathema sit. Si quis dixerit, Erat tempus quando non erat Filius, anathema sit. (ex Bal. MS. *omnes responderunt*: Anathema sit.) *In hoc vero cuncti episcopi & tota simul Ecclesia plausu quodam & tripudio Valentis vocem exceperunt. Quod si quis a nobis fictum putat, scrinia publica scrutetur: plenæ sunt certe Ecclesiarum arcæ, & recens adhuc rei memoria est: supersunt homines qui illi synodo interfuerunt: &, quod veritatem firmet, ipsi Ariani hæc ita ut diximus, gesta non denegant. Quum igitur cuncti Valentem ad cælum laudibus tollerent, & suam in eum suspicionem cum pœnitentia damnarent*, idem

totaque ejus perfidia : ceterum non etiam patri æqualis & fine initio , fine tempore , Dei filius pronunciatur . Tum Valens , tamquam nostros adjuvans , subjecit sententiam cui inerat occultus dolus : Filium Dei non esse creaturam sicut ceteras creaturas : fefellitque audientes fraus professionis. etenim his verbis , quibus similis esse ceteris creaturis filius negabatur , creatura tamen , potior tantum ceteris , pronuntiabatur . Ita neutra pars vicisse se penitus , aut victam putare poterat : quia fides ipsa pro Arianis , professiones vero postea adjectæ pro nostris erant , præter illam quam Va-

idem Claudius , qui supra legere cœperat , ait : Adhuc sunt aliqua quæ subterfugerunt domioum & fratrem meum Valentem , quæ , si vobis videtur, ne quis scrupulus remaneat, in commune damnemus. Si qnis dixerit Filium Dei esse quidem ante omnia secula , sed non ante omne omnino tempus, ut ei aliquid anteferat , anathema sit. *dixerunt cuncti* (vel melius , ut in cod. Baluz., *& ipse Valens , & cuncti responderunt*): anathema sit. *multaque alia, quæ suspiciosa videbantur , ad pronuntiationem Claudii Valens condemnavit : quæ si quis plenius discere cupit , in Ariminensis synodi Actis reperiet , unde & nos ista libavimus*. Apparet itaque *professiones*, quas hic dicit *conceptas a Phœbadio & Servatione* , eas esse quæ a Hieronymo dicuntur proponente Muzonio perlectæ a Claudio episcnpo Provinciæ Piceni , quibus Valens inseruerit non illam tantum sententiam, qua dicebatur Filius Dei non esse creatura sicut ceteræ creaturæ , sed & illas omnes quæ apud eumdem Hieronymum leguntur : quæ sane in sensu obvio orthodoxæ erant , sed ab eodem & aliis Arianis in pravum & hæreticum distorquebantur , ut liquet vel ex unico Hilarii loco, Fragm. x. num 3.

1 *ceterum non etiam* , &c.) Giselinus : *Non potest hæc esse pars ipsius professionis : esset enim falsa. nam ipsi Ariani in fidei professione Ariminensi edita Filium Dei agnoscunt fuisse ante omnia secula , & ante omne principium , & ante omne quod cogitare potest , tempus , &c. Quid igitur sibi volunt hæc verba ? Anne in Fæbadii confessione horum trium articulorum nullam factam esse mentionem ? at duorum posteriorum facta est , ut jam ostendi . quare , nisi me fallit opinio , legendum* : ceterum non etiam patri æqualis , set fine principio , *&c.* , *ut unum s alterum absorpserit* , &c. Hæc ille , quibus addimus ex Hieronymo etiam cnnstare definitum fuisse in his professionibus Dei Filium non modo ante omnia sæcula , sed etiam *ante omne omnino tempus* esse . Quid ? quod statim additur *fidem ipsam pro Arianis , professiones vero postea adiectas pro nostris* fuisse. Itaque crediderim particulam negativam ab hoc loco penitus eliminandam : adeo ut genuina lectio sit : *ceterum etiam patri æqualis & fine initio*, &c. Nec obstat quod apud Hiernnymum non habeatur de Filii cum Patre æqualitate sententia : nam has professiones a Claudio episcopo lectas attingit ille tantum , oon singillatim recitat. MS. Vatican. habet : *ceteram non etiam Patri esse fine initio* , &c. Sed non videtur omitti potuisse a Catholicis de Filii cum Patre æqualitate professio , in qua quæstionis cardo potissimum versabatur .

5 *etenim his verbis* , &c.) S. Hilar. Fragm. x. num. 3. hæc ad legatos Ariminensis synodi , ex quibus primo loco nominantur Ursacius & Valens initio ejusdem Fragmen-

Digitized by Google

Valens subjunxerat, quæ tum non intellecta, sero demum animadversa est. Hoc vero modo concilium dimissum, bono initio, fœdo exitu consummatum. Igitur Ariani, rebus nimium prospere & secundum vota fluentibus, Constantinopolim ad imperatorem concurrunt. ibi repertos Seleuciensis syn-

XLV.

5

menti : *Nam in conventu multorum vos arguentium, cne etiam non* (sed *non* videtur redundare : vel *etiamnum* legendum sit) *creaturam Dei Filium diceretis; respondistis, Sanctis Ariminensibus non Christum creaturam negatum fuisse, sed dissimilem* (lege, *similem*) *ceteris creaturis: quia in eo quod dictum sit*, non esse creatum velut ceteras facturas, *non* (supple, *hoc dictum est*) *quia creatio non sit, sed* (quia) *excipiatur a ceteris: ut licet non dissimilis* (etiam heic legendum omnino, *similis*), *tamen ut ipse aliud non sit*.

1 *sero demum animadv.*) Audiendus rursum Hieronymus lib. cont. Lucif. num. 19. *His ita gestis concilium solvitur, læti omnes ad Provincias revertuntur: idem enim regi & bonis omnibus curæ fuerat, ut Oriens atque Occidens communionis sibi vinculis necterentur. Sed diu scelera non latent, & cicatrix male obducta, incocto pure dirumpitur. Cœperunt postea Valens & Ursacius ceterique nequitiæ eorum socii, egregii videlicet Christi Sacerdotes, palmas suas jactare, dicentes se Filium non creaturam negasse, sed similem ceteris creaturis. Tunc Usiæ nomen abolitum est: tunc Nicænæ fidei damnatio conclamata est: ingemuit totus orbis, & se Arianum esse miratus est. Igitur alii intra suam communionem remanere* (vide quæ de hac opinione supra ex Hilario notavimus) : *alii ad eos Confessores qui sub nomine Athanasii exsulabant, cœperunt litteras mittere: nonnulli initam societatem meliorum desperatione planxerunt* (scilicet, *planxerunt* quam *inierant* eum hæreticis *societatem*, eo quod *desperarent* de remedio) *: pauci* (*ut se natura hominum habet*) *errorem pro consilio defensavere. Periclitabatur navicula Apostolorum, urgebant venti, fluctibus latera tundebantur, nihil jam supererat spei. Dominus excitatur, imperat tempestati, bestia* (Constantius) *moritur, tranquillitas redit. Manifestius dicam:* &c. Hæc eo libentius exscribere placuit, ut eadem opera lectorem tanti Doctoris auctoritate admonerem, nihil ea fallacia aut errore præjudicii illatum fuisse Ecclesiæ in fide, ut vocant, infallibilitati: neque enim umquam magis se Catholicos episcopi illi professi sunt & Nicænæ fidei addictos, quam quum se Arianis consensisse deceptos senserunt atque ingemuerunt. Sed de his alii ex instituto.

a *bono initio, fœdo exitu con*) Editi *est consf.*, sed MS. non agnoscit *est*. Porro ad eumdem modum in libello precum Marcellini & Faustini dicitur: *Ariminensis synodus piissime cœpta, sed impiissime terminata*, & in epist. 21. S. Ambr. libro II. *Sed quod bene cœpit, aliter consummatum est*.

3 *Igitur Ariani*, &c.) Nimirum statim post Ariminense conciliabulum decem ex eo numero ad Constantium legationem susceperunt, qui statim juncti communione & societate cum illis Anomœis, qui in Seleuciensi synodo damnati ad regem confugerunt, ut dictum est supra cap. XLII. extremo, legatos Seleucienses per vim coegerunt Fidem illam approbare, quæ Arimini per fraudem fuerat suscepta. Agit de his Ariminensibus legatis Hilarius Fragm. x. a num. a. ad finem.

3 *rebus nimium prospere*) Num legendum *nimirum*?

synodi legatos vi regia compellunt exemplo Occidentalium pravam illa fidem recipere. plerique abnuentes, injuriosa custodia ac fame vexati, captivam conscientiam dedere. multi constantius retinentes, ademto episcopatu in exsilium detrusi, atque in eorum locum alii dati. Ita optimis Sacerdotibus aut metu territis, aut 5 exsilio

1 *vi regia compellunt*) Hilarius cont. Constantium num. 15. *Constantius res blasphemiæ suæ metu extorsit exsilii, vicisse se jam Orientales gloriatus, quia decem legatos voluntati suæ subdidisset, comminatusque & populo per præfectum & episcopis intra palatium, per maximas se Orientis civitates hæreticos episcopos subrogaturum*, &c. Porro *subrogaturum* in duobus MSS. legit Contantius, qui tamen *subrogatos* prætulit.

2 *pravam illam fidem*) Narrat Sozomenus lib. IV. cap. 23. extremo, Constantium totum diem, qui erat pridie Kalendas Januarias, & insequentis noctis maximam partem consumsisse cum episcopis disceptans, *donec illi qui a Seleuciensi concilio advenerant, formulæ fidei Arimino allatæ subscripserunt*. Exstat apud Hilarium Fragm. X. epistola a Seleuciensis synodi legatis, atque aliis qui ex eadem synodo Constantinopolim convenerant, scripta, & quidem antequam Fidem Arimino allatam subscriberent: sunt autem omnes numero XVIII. Sed aliquot præterea nomina exciderunt, ut ibidem notavit Coutantius.

2 *injuriosa cust. ac fame vex.*) MS. addit *etiam*: *ac fame etiam vexati*. Ceterum solus, quod sciam, Severus hæc in Seleucienses legatos gesta narrat. Habet quidem & Hilar. lib. contr. Const. num. 7. *Episcopatus tuis donas: bonos malis demutas. Sacerdotes custodiæ mandas*, &c. sed non satis apparet ad quod potissimum tempus hæc sint referenda.

3 *captivam consc. dedere*) Forte *dedidere*: quamquam & alibi occurrat *dedere* pro *dedidere*, ut cap. XLIII. *dedere se adversariis*, nisi malis eo loci *dedere* esse infinitivi modi. *Captivam* autem conscientiam dicit, quia *vi regia compulsi* tandem cesserunt, non libere consenserunt: vel quia assensi sunt contra conscientiam suam, & ita captivam eam dederunt.

3 *multi const. retinentes*) Ita prima editio aliæque multæ posteriores, non dissentiente MS.. Giselinus tamen *renitentes* substituit; *monente*, inquit, *orationis sensu & ἀκολουθίᾳ*. Ita quoque legit Drusius, approbante etiam Vorstio: *id enim συνέπεια verborum requirit, & verbo reniti noster sæpe usus deprehenditur*. Hæc ille. Ego tamen nihil muto, quia & in voce *retinentes* allusio quædam esse videtur ad præcedens verbum *dedere* vel *dedidere*: licet *renitentes* magis placeat.

4 *ademto episcopatu*, &c.) Verum quidem est in Constantinopolitano conciliabulo, quod anno CCCLX. ineunte est habitum, ab Anomœis primarios ex Homœusiistis, qui superiore anno ipsos Seleuciæ damnaverant, fuisse a suis sedibus ejectos: non tamen id factum apparet, quod Ariminensem formulam non recepissent, sed aliis peculiaribus de caussis, idque cum iis ipsis qui jam Fidem illam, coacti licet, ratam habuerant. Sane Philostorgius initio lib. V. tradit hos, *cum in exsilium ducerentur, subscriptiones suas, quibus Ariminensis concilii fidem confirmaverunt, revocasse: atque alios quidem τὸ ὁμοούσιον, alios autem τὸ ὁμοιούσιον, iterum prædicasse*.

5 *optimis Sacerdotibus*) Ignorasse putabimus Severum hos quibus episcopatus ademtus fuit, non pro Nicæna fide stetisse, sed Homœusion tantum Patri Filium propugnas-

èxſilio deductis, perfidiæ paucorum cuncti conceſſerant. Aderat ibi tum Hilarius, a Seleucia legatos ſecutus, nullis certis de ſe mandatis opperiens imperatoris voluntatem, ſi forſitan redire ad exſilium juberetur. Is ubi extremum fidei periculum animadvertit: Occidentalibus deceptis Orientales per ſcelus vinci; tribus libellis publice datis audientiam regis poposcit

gnaſſe; ac proinde Semiarianos fuiſſe? an vero probe ſciſſe, eos ab Hilario pro hæreticis omnino oon habitos? ut ſane non habiti fuerunt a Patribus, qui ex Pariſienſi ſynodo ad ipſos reſcripſerunt: ex qua etiam ſynodica epiſtola, de qua infra, non obſcure colligi poſſe videtur, quod ex Philoſtorgio ſuperiori Nota retulimus: nimirum Ariminenſem perfidiam Conſtantinopoli per vim ab ipſis Orientalibus ſubſcriptam, ejuratam poſtea fuiſſe, & Dei Filium aſſertum Patri vel conſubſtantialem, vel ſaltem ſimilem per omnia, atque in ſignificatione plane orthodoxa *Homœuſion*. Theodoretus H. E. lib. II. cap. 27. præterea tradit, Silvanum epiſcopum, qui ex eorum numero erat, vocem Homouſion coram Imp. & contra Anomœos conſtanter aſſeruiſſe, quæ cauſſa fuerit ut in exſilium cum ſociis idem profitentibus mitteretur. id tamen in dubium merito revocatur, quod vel error in Theodoreti textum irrepſerit, vel potius quod Theodoretus ipſe ambiguitate vocum *ὁμοούσιον* & *ὁμοιούσιον*, vel alia quacumque ex cauſſa deceptus fuerit.

3 *perfidiæ paucorum cuncti conc.*) Idipſum aliis verbis Hilarius dicit in lib. cont. Conſtantium num. 15. *Pauci* (ſcilicet Aoomœi) *plurium dominati ſunt*.

4 *ubi extremum fidei periculum*, &c.) Ita Hilarius ipſe in libro II. ad Conſt. num. 3. *Nunc autem, quia mihi metus eſt de mundi periculo*, &c.

5 *tribus libellis p. datis*) Ita & Fortunatus ſcriptor Vitæ S. Hilarii, num. 8.: *Imperatori autem tribus libellis oblatis preces effudit*, &c. ſed hic, ut alia multa, ex Severo hoc quoque ſumſerit. Quæritur itaque, cujuſmodi fuerint illi *tres libelli*, quibus Hilarius audientiam regis popoſcit? S. Hieronymus tum in Chronico, tum in lib. de Vir. Ill. cap. C., meminit unius tantum libri, quem Hilarius Conſtantio Conſtantinopoli porrexerit, quem etiamnum habemus. Baronius itaque ad an. CCCLX. num. 3. monet *tres illos* libellos *quos oblatos Conſtantio Severus ait, diverſos eſſe a libellis pro defenſione fidei ad Conſtantium datis, vel adverſus ipſum ſcriptis, ſiquidem hi tres (ut Severus ipſe declarat) ſupplices erant, atque ejus argumenti, ut audientiam Imperatoris expoſceret*, &c. Hæc ille, quem tamen ſequi non placuit Coutantio & Tillemontio. nam maluerunt Severum per errorem tres libellos ab Hilario Conſtantio hoc tempore oblatos ſcripſiſſe, eo quod totidem ejuſdem exſtarent, ut nunc quoque exſtant, libri *ad Conſtantium*, ſeu *contra*; licet, præter unum illum de quo Hieronymus, alio tempore aut argumento fuiſſent conſcripti. Ita Coutantius in Vit. Hil. num. 70. & in Admonitione ad lib. I. ad Conſt. num. 3., Tillemontius autem Nota XI. in Hil. Vitam. Sed qui ita de Severo judicant, nimis craſſum abſonumque ei errorem affingunt, quem conſtat in Hilarii lectione ac imitatione apprime verſatum fuiſſe, eique fere ætate parem: quum omnes ejus libri, quorum nonnulli perierunt, adhuc exſta-

poſcit, ut de fide coram adverſariis diſceptaret. id vero Ariani maximopere abnuere. poſtremo quaſi diſcordiæ ſeminarium & perturbator Orientis, redire ad Gallias jubetur abſque exſilii indulgentia. Verum ubi permenſus eſt orbem pæne

ſtabant, iique emendatiores multo ac abſolutiores quam nunc ſunt. Præterea dubitari merito poſſit, num tres illi libri quos nunc habemus, iis titulis inſigniti fuerint Severi ætate, quos nunc præferunt. Nam, ut a primo exordiamur, qui incipit *Benignifica natura ſua*, hunc nos, Tomo 1. Diſſert. IV. num. 52., haud levibus argumentis oſtendimus ab Hilario quidem ſcribi potuiſſe, non ſuo tamen ſingulari nomine, ſed alicujus ſynodi, cui ipſe præfuerit: quæ cauſſa etiam eſſe potuit, ob quam a Hieronymo inter Hilarii opera non recenſeatur; fortaſſe etiam quod tum aliquot epiſcoporum nomine ſubſcriptus circumferretur, ut ibidem notavimus. Quod ſpectat ad librum III., qui inſcribitur *contra*, vel *in Conſtantium*, ipſius Coutantii judicio, de quo ſupra in Notis pag. 218., epiſtola proprie dici debet, eaque ſcripta ad catholicos epiſcopos, quos ſtatim ab initio *Fratres* vocat, & ubique fere alloquitur: quamquam Hieronymo placuerit eam appellare *libellum alium in Conſtantium*, (quem etiam poſt ejus mortem ſcriptum ſibi falſo perſuaſerat) unde forte derivata eſt recepta nunc ejus nuncupatio. Quæ cum ita ſint, Severo haud ita temere abroganda eſt fides, ſed cum Baronio potius dicendum, tres libellos ab illo memoratos diverſos omnino eſſe ab iis quos nunc habemus. addit ibidem Baronius Hilarium, cum illis ſupplicibus libellis audientiam *minime impetraſſet, ad eumdem Conſtantium fuſioribus ſcriptis egiſſe, binos, alterum poſt alterum, libellos ſcribendo*, &c. Sed & illud fieri potuit, ut liber ille ad Conſtantium, qui nunc ſecundo loco habetur, quemque Conſtantinopoli Imperatori ab eo traditum titulus ipſe præfert, reipſa fuerit unus ex tribus libellis a Severo indicatis, idemque ordine poſtremus, fuſiori tamen præ ceteris ſtilo exaratus, quique ob hanc ipſam cauſſam unice a Hieronymo fuerit recenſitus. Ad eum ſane librum referenda omnino videntur Hilarii verba, Fragm. 1. num. 5. *Raptim enim tunc hæc per nos ingerebantur, corruptio Evangeliorum, depravatio fidei, & ſimulata Chriſti nominis blaſphema confeſſio. et neceſſe fuit in eo ſermone omnia eſſe præpropera, incompoſita, confuſa: quia quanto nos impenſiore cura audientiam quæreremus, tanto illi pertinaciore ſtudio audientiæ contrairent.* Ex his ſane apparet non eo primum *ſermone*, ſeu libro, quicumque demum is fuerit, *audientiam* ab Hilario *quæſitam*: itaque jam ſemel & iterum duobus aliis libellis idem præſtare potuit, quod repugnantibus tamen adverſariis numquam impetrarit. hoc etiam a Severo mox confirmatur: *id vero Ariani maximopere abnuere.*

3 *abſque exſilii indulgentia*) Coutantius, in Hilarii Vit. num. 81., obſervat hæc verba variis eruditorum conjecturis locum præbuiſſe: *illum nimirum aut militis alicujus cuſtodiæ creditum, aut Pictavis prohibitum fuiſſe egredi, aut aliquam ubique tuliſſe exſilii notam.* Vorſtius contra Hieronymi locum ex lib. c. Lucifer. producens, quo dicitur: *Omnes epiſcopi, qui de propriis ſedibus fuerant exterminati, per indulgentiam novi Principis ad Eccleſias redierunt. tunc triumphatorem ſuum Athanaſium Ægyptus excepit: tunc Hilarium de prælio revertentem Galliarum Eccleſia complexa eſt: tunc ad reditum Euſebii lugubres veſtes*

Ita-

Digitized by Google

ne terrarum malo perfidiæ infectum, dubius animi & magna curarum mole æstuans, cum plerisque videretur non ineundam cum his communionem qui Ariminensem synodum recepissent; optimum factu arbitratus revocare cunctos ad emen-

Italia mutavit; ex eo colligit Hilarium *ad Ecclesiam Pictavensem certe non ante rediisse, quam Constantius decessisset, inque locum ejus successisset Julianus*. Nimirum quam Hieronymus *Galliarum Ecclesiam* dicit, Pictavensem hic singillatim intelligit; sed perperam. ipse vero Hieronymus in Chronico reditum Hilarii accuratius notavit, ad annum CCCLX. *Hilarius*, inquiens, *cum apud Constantinopolim librum pro se Constantio porrexisset, ad Gallias rediit*. Porro Coutantius laudato loco sequitur: *Ideo etiam forte dictus est* absque exsilii indulgentia *dimissus, quod Imperator molestum interpellatorem a se removere cupiens, eum velut indignans in patriam redire jusserit, donec de caussa ipsius maturius deliberaretur*: quæ postrema conjectura præ ceteris mihi arridet. Quod autem in Vita S. Martini cap. VI. hic idem Severus scribit, Hilario *regis pœnitentia potestatem indultam redeundi* in Gallias, nonnihil quidem ab hoc loco discrepare videtur; sed ex Giselini conjectura ibidem in Notis allata conciliari aliquatenus possit.

2 *cum plerisque videretur*, &c.) Aliqui hæc ad Luciferum referunt; sed de eo postea Severus. S. Hieronymus Dial. c. Lucif. significare videtur, consilium hoc, non communicandi nimirum cum Ariminensibus episcopis, immo etiam eos deponendi, initio aliquibus non modo probatum fuisse, sed & peragi cœptum, infelici tamen eventu. *Hoc loco*, ita habet num. 19., *interrogo istos nimium religiosos* (Luciferianos), *quid de Confessoribus* (sed leg. *a Confess.*) *agendum putaverint? Depositis, inquiunt, veteribus episcopis novos ordinassent. Tentatum est. sed quotusquisque bene sibi conscius patitur se deponi? præsertim cum omnes populi Sacerdotes suos diligentes, pæne ad lapides & ad interemtionem deponentium eos convolassent. Mansissent, ajunt, intra suam communionem. Hoc est dicere, irrationabili crudelitate orbem totum diabolo condonassent*: cetera. Refert & Rufinus in concilio Alexandrino, de quo nos infra, aliquos ita sensisse: *Aliis videbatur, fidei calore ferventibus, nullum debere ultra in Sacerdotium recipi, qui se utcumque hæreticæ communionis contagione maculasset*.

4 *optimum factu arbitratus*, &c.) Primus sane Hilarius hoc consilium Ecclesiæ saluberrimum & prudentissimum inivit, quod paullo post Alexandrina synodus, in qua Athanasius & Eusebius Vercellensis, amplexa est, ipseque Liberius Romanus Pontifex ratum habuit. Sed & antequam in exsilium pelleretur, huic decreto præluserat alio, de quo hæc ipse in lib. c. Constan. num. 2. refert: *post sanctorum virorum exsilia Paullini, Eusebii, Luciferi, Dionysii, quinto abhinc anno* (sc. anno CCCLV., cum nimirum multi episcopi catholici in synodis Arelatensi & Mediolanensi cum Arianis vel fraude vel metu communicare, & Sirmiensi Fidei subscribere sunt compulsi) *a Saturnini & Ursacii & Valentis communione me cum Gallicanis episcopis separavi, indulta ceteris consortibus eorum resipiscendi facultate: ut nec pacis abesset voluntas, &.... Si tamen hoc ipsum beatissimis Confessoribus Christi editum* de-

emendationem & pœnitentiam, frequentibus intra Gallias conciliis, atque omnibus fere episcopis de errore profitentibus, apud Ariminum gesta condemnat, & in statum pristinum Ecclesiarum fidem reformat. Resistebat sanis consiliis Saturninus

decretum (*tum redundat*) *a nobis munero placuisset*. Vide quæ de hoc Decreto diximus Tom. I. Differt. IV. num. 58.

1 *frequentibus intra Gallias concil.*) Unius tantum ex his conciliis memoria ad nos usque pervenit, atque etiam epistola, scilicet Parisiensis, quod post reditum Hilarii celebratum cum plerisque doctissimis viris non ambigimus: quamquam Coutantius illud ante ejusdem reditum velit fuisse habitum, contra quem egimus jam laudata Differt. IV. num. 31. Verum inter eruditos adhuc quæstio est, utrum illud ante vel post Constantii mortem sit collocandum. Nos quidem in Baronii sententiam ibidem num. 30. & 31. descendimus, qui anno CCCLX., seu post Constantii obitum, illum Parisiensem conventum adfixit; nunc tamen re diligentius expensa nulla nobis satis certa ratio occurrit, cur etiam anno præcedenti non possit commode aptari. Ceterum ex epistola, quæ ab hac synodo ad Orientales scripta habetur in Hilarii Fragmentis, haud obscura conjectura ducitur, duas alias synodos proxime ante habitas fuisse in aliis Galliarum provinciis, in quibus Saturninus jam damnatus fuerit. Sed de hoc paullo infra.

2 *episcopis*) In prima editione, & in plerisque aliis pro *episcopis* legitur *epistolis*, quod tamen jamdiu fuit a Giselino & aliis ex conjectura emendatum: accedit nunc auctoritas MS. Vat., qui rem omnino certam reddit.

3 *condemnat .... reformat*) Antea erat *condemnant .... reformant*, quæ tamen lectio fieri nullo modo poterat. Coutantius in Hil. Vit. num. 89., legendum statuit, *condemnavit .... reformavit*, quod etiam Giselinus multo antea conjecerat. Sed nostra lectio ex parte confirmatur a MS. libro, in quo pro *condemnant* legi comperio *comdepnet*; Hornius conjecerat legendum *condemnans .... reformans*, non ita bene.

4 *Resistebat sanis consiliis Saturninus, &c.*) Mire hæc concordant cum iis quæ in epistola synodi Parisiensis leguntur circa finem: *A quo* (Sacerdotio) *etiam Saturninum, qui statutis salubribus impiissime contradicit* (al. *contradixit*) *secundum fratrum nostrorum geminas jam litteras* (supplendum videtur, *dejectum &*) *excommunicatum ab omnibus Gallicanis episcopis caritas vestra cognoscat: quem & vetera* (*dissimulata jam diu licet*) *crimina, & cetera edita epistolis suis novæ temeritatis irreligiositas indignum episcopi nomine esse fecerunt*. Nimirum conabatur episcopos qui Arimini lapsi fuerant, in errore & pertinacia confirmare, missis ad ipsos epistolis: qua re *resistebat* Hilarii *consiliis*, seu *statutis salubribus contradicebat*. Porro Coutantius in hujus epistolæ explanatione non una ratione peccat: I. quod ad vocem *excommunicatum* notat, id semel anno CCCLV., iterumque vel anno sequenti vel aliquanto post a Gallicanis episcopis factum: quod etsi minime negem, eo tamen referenda non esse hæc Parisiensis synodi verba contendo (utpote quæ de re recentissima loquantur) nec *geminas* illas *litteras* episcoporum Galliæ. II. quod, in Hil. Vit. num. 90., supponat in hac synodica Saturninum dici tantum excommunicatum: quum tamen tum ex allatis verbis, tum ex integro contextu manifesto appareat, illum eadem sententia etiam e sede sua pulsum affirmari. Verum ita Coutantii

Digitized by Google

ninus Arelatensium episcopus, vir sane pessimus & ingenio malo pravoque. verum etiam, præter hæresis infamiam, multis atque infandis criminibus convictus Ecclesia ejectus est. ita partium vires amisso duce infractæ. Paternus etiam a
5 Petrocoriis æque vecors, nec detrectans perfidiam profiteri, Sacerdotio pulsus: ceteris venia data. Illud apud omnes constitit, unius Hilarii beneficio Gallias nostras piaculo hæresis liberatas. Ceterum Lucifer tum Antiochiæ longe diversa sen-

tantii rationes ferebant, qui eam synodum ante Hilarii reditum celebratam statuerat, Saturninum autem non nisi post Constantii mortem potuisse ab episcopatu pelli putabat: nam ut illud omnino falsum, ita hoc dubium saltem esse debet: quum etiam anno CCCLI., quum Julianus purpuram sibi imperiumque in Galliis vindicasset, episcopi catholici a Constantio non haberent quid dejecto Saturnino sibi timerent. Sed hæc omittamus. Tillem. in Hil. Vit. art. XIV. in notula quadam textui substrata, monet *se nescire, cur recentiores aliqui scriptores* (in margine autem citat Hilarii Vitam a Benedictinis Monachis, seu a Coutantio contextam) *Saturnini depositionem concilio cuidam Biterrensi adscribant, de quo tamen apud antiquos altum sit silentium*. Verum Coutantius indicato a Tillemontio loco, seu paullo supra num. 90., se ex Severi nimirum auctoritate id asserere testatur: *qui* (Sulpicius) *cum hoc multis conciliis factum testetur, unum subinde memorat Biterrense, quo* Saturninus præter hæresis infamiam, &c. En alteram Coutantii allucinationem, qui addita a Sigonio capitula, seu titulos, pro ipso Severi textu habuit. confer quæ supra notavimus pag. 230. Sane in Sigonii editione verbis illis Severi *Verum ubi permeasus est*, &c. præfixus hic cernitur titulus: *Concilium Biterrense in alia catholica contra Ariminense*. ex ejusdem vero Commentario elucet, unde Biterrense hoc concilium exsculpserit: scribit enim: *Ex conciliis autem quæ multa habuit* (Hilarius) *unum est Biterrense, ut ipse significat in libro de synodis*: Ego gravissimum fidei periculum .... ad Biterrensem synodum compulsis, &c.; quæ tamen habentur in lib. c. Constant. num. 2.: quamquam & in libro de Synodis, num. itidem 2., Biterrensis synodi mentio fit: sed utroque loco de illa sermo est, ut omnes norunt, quæ ante Hilarii exsilium habita fuit.

4 *a Petrocoriis*) Ita scribendum, non *a Petrocoris*, ut in vulgatis libris. MS. omnino corrupte *a Petrocalus*. Petrocoriorum autem civitas proprio nomine Vesunna dicebatur.

7 *unius Hilarii beneficio*, &c.) Verissime id dictum, approbante etiam Hieronymo in Chronico, qui ante Constantii mortem hæc refert: *Gallia per Hilarium Ariminensis perfidiæ dolos damnat*. Ceterum non intra Gallias tantum Hilarii de Ecclesia merita substiterunt, sed in Italiam postea regressus restituendo ibidem religionis nostræ pristino statui operam suam cum S. Eusebio Vercellensi contulit: de quo exstat præclarum Rufini testimonium lib. I. H. E. cap. 30. & 31. Tunc etiam Mediolani cum Auxentio congressus est, de quo ipse agit in libro con. eumdem Aux.

8 *Lucifer*) Placeret *Lucifero*, ut *diversa sententia* esset recto casu. Baronius ad an. CCCLXII. num. 219. hunc locum ita refert: *Ceterum Lucifer tum Antiochiæ agens longe*

ſententia fuit : nam in tantum eos qui Arimini fuerant, condemnavit, ut ſe etiam ab eorum communione ſecreverit, qui eos ſub ſatisfactione vel pœnitentia recepiſſent. id recte an perperam conſtituerit, dicere non auſim. Paul-

longe diverſæ ſententiæ fuit. Porro notum eſt, ut Lucifer ex Thebaide, ubi poſtremum miſſus fuerat in exſilium, poſt Conſtantii mortem redire a Juliano in patriam permiſſus, recte Antiochiam perrexerit, ut diſcordias quæ ibidem erant inter Arianos & catholicos, atque adeo inter catholicos ipſos, ſedaret: quibus tamen male conſuluit, Paullinum, alioqui optimum presbyterum, ad epiſcopatum ejus urbis evehens, quæ alios duos jam haberet, Meletium catholicum, & Euzojum Arianum: quod ejus factum cum poſtea minus probaretur Euſebio, qui poſt Alexandrinam ſynodum illuc contenderat, decretum illius ſynodi de recipiendis lapſis & ipſe improbavit, ſeque a catholicis omnibus communione diſcrevit. Narrat hæc Rufinus lib. I. H. E. cap. 30. his verbis: *Interim Lucifer injuriam dolens, quod epiſcopum a ſe ordinatum apud Antiochiam non recepiſſet Euſebius, nec ipſe recipere cogitat Alexandrini decreta concilii. Sed conſtringebatur legati ſui vinculo, qui in concilio ipſius auctoritate ſubſcripſerat: abjicere namque eum non poterat, qui auctoritatem ejus tenebat: ſi vero recepiſſet, omne ſuum fruſtrandum videbat inceptum. Diu ergo de hoc multumque deliberans, cum ex utraque parte concluderetur; elegit ut, legato ſuo recepto, erga ceteros ſententiam diſparem, ſed ſibi placitam cuſtodiret. Ita regreſſus in Sardiniæ partes, ſive quia citata morte præventus tempus ſententiæ mutandæ non habuit (etenim temere cœpta corrigi ſpatio ſolent), ſive hoc animo immobiliter ſederat, parum firmaverim. Ex ipſo interim Luciferianorum ſchiſma, quod licet per paucos adhuc volvitur, ſumſit exordium*. Socrates & Sozomenus hæc eadem fere habent, Rufinum, ut videtur, tranſcribentes; in eo tamen ab eo diſcrepant, quod ipſum quidem Luciferum in Eccleſiæ communione permanſiſſe, diſceſſionem autem ab ea feciſſe tantum ejuſdem diſcipulos, ſeu aſſeclas dicant: quæ ſententia tamen ſatis refellitur teſtimonio tum Severi, tum Hieronymi, Ambroſii, Auguſtini & aliorum Patrum: nec niſi ex male intellectis & interpretatis Rufini verbis profluxiſſe videtur.

2 *qui Arimini fuerant*, &c.) Non hos tantum, ſed omnes qui ubicumque cum Arianis communicaverant, aut etiam hæreſi, metu aut dolis evicti, conſenſerant: his enim omnibus Alexandrina ſynodus, dummodo eos facti pœnituiſſet, communionem & priſtinum gradum reſtitui voluit. Refert ejus ſynodi decretum S. Hieronymus c. Lucif. num. 20. *in Alexandrina ſynodo conſtitutum eſt*, Ut exceptis auctoribus hæreſeos, *quos error excuſare non poterat*, pœnitentes Eccleſiæ ſociarentur: *non quod Epiſcopi poſſint eſſe* (juxta Canonum rigorem) *qui hæretici fuerant: ſed quod conſtaret eos qui reciperentur, hæreticos non fuiſſe. Aſſenſus eſt huic ſententiæ Occidens, & per tam neceſſarium concilium Satanæ faucibus mundus ereptus eſt*. Sed de eo decreto fuſius Rufinus cap. 28. lib. I. H. E.

3 *qui eos ſub ſatisfactione vel pœnit.*) *Vel* pro & uſurpatur. In MS. *qui eos vel ſub ſatisf.*

4 *recte an perperam*) Immo vero perperam: ſed tanta catholicorum animis inſita erat erga Luciferum Confeſſorem reverentia, ut illum

lum palam damnare non auderent. Vide quibus & Hieronymus verbis de illius schismate catholicum virum inducat loquentem, lib. con. Lucif. num. 20. *Ventum est ad asperrimum locum, in quo adversum voluntatem & propositum meum cogor de beato Lucifero secus quidquam, quam & illius meritum & mea humanitas poscit, existimare. Sed quid faciam? veritas os reserat, & invitam linguam conscium ad eloquendum pectus impellit. In tali articulo Ecclesiæ, in tanta rabie luporum, segregatis paucis ovibus reliquum gregem deseruit; bonus quidem ipse pastor, sed multam prædam bestiis relinquens*, &c. Quid? quod idem Hieronymus in Chronico hæc habet: *Lucifer Caralitanus episcopus moritur, qui cum Gregorio episcopo Hispaniarum & Philone Lybiæ numquam se Arianæ miscuit pravitati*, quasi id ei laudi attribuat, quod ejus memoriam unice lædit. Sed de Lucifero mitius forte loqui liceat: ejus tamen consilium omnino palamque damnandum nobis est.

1 *Paullinus & Rhodanius*, &c.) Ex his quæ Hilarius de Paullino scribit in lib. c. Const. num. 11., colligitur, jam tum, scilicet anno CCCLX., eum ex hac vita migrasse, idque, ut videtur, non in Phrygia, quo primum in exsilium missus fuerat, sed alicubi *extra Christianum nomen* relegatus: quamvis & Hieronymus in Chronico scribat, idque ad annum circiter CCCLVIII., *Paullinus Trevirorum episcopus in Phrygia exsulans moritur*. Attingit eodem fere loco Hilarius & Rhodanii exsilium, ut nos supra pag. 212. contra Coutantium astruebamus: sed de loco exsilii & mortis nemo antiquorum præter Severum meminit, qui tamen de S. Dionysio Mediolanensi indicare omisit; quod ab Ambrosio in epistola ad Vercellensem Ecclesiam factum; nimirum, ut hic quoque, *in exsilii locis propter martyribus titulo vitam exhalavit*, in cujus laudem exstat hymnus ab Ennodio scriptus.

1 *sexto anno postq.*, &c.) Hilarii in patriam reditus nemine repugnante affigitur vel anno CCCLX. exeunti, vel ineunti CCCLXI.: ejusdem itaque mors ex Severi sententia collocanda erit serius in annum CCCLXVII., ut sane Hermannus Contractus, Marianus Scotus, Bollandus aliique fecerunt. Verum Severi calculo Coutantius & Tillemontius non acquiescunt, sed in annum proxime sequentem, seu CCCLXVIII., Pictavensis Præsulis obitum protrahere malunt, moti potissimum hoc argumento, quod inter Fragmenta *Operis Historici* habeatur, num. XIV., epistola quædam XVIII. Decembris anni CCCLXVI. Singiduni scripta, nec non, num. XV., rescriptum Germinii aliquanto post emissum: quæ sane non videntur potuisse ex Pannonia ad Hilarium deferri, & ab eo inferri Operi suo intra Idus Januarias proxime sequentes, qua die in plerisque antiquis Martyrologiis ejus *depositio* collocatur. Ut ab hac difficultate se expediat Pagius, negat eum diem fuisse Hilario emortualem. sed non eo confugere est opus: nam etiam aliquanto post quam ille ad superos evolaverat, addi facile potuerunt ejus libro duæ illæ epistolæ, atque aliæ etiam, ab ejusdem scribis aut clericis, qui probe scirent quanta diligentia & industria ejusmodi monumenta undique conquireret, & ad se allata, unumquodque suo loco, insereret. Hac potiori objectione ita dissoluta, cetera faciliori negotio conciliari possunt. Sane annus quar-

XLVI. postquam redierat, in patria obiit. Sequuntur tempora ætatis nostræ gravia & periculosa, quibus non usitato malo pollutæ Ecclesiæ, & perturbata omnia. namque tum primum infamis illa Gnosticorum hæresis intra Hispanias depre-

quartus imperii Valentiniani & Valentis, in quem nonnulli MSS. codices & editio Scaligeriana Chronici Hieronymiani Hilarii obitum conferunt, incidit, ex more computandi in eo Chronico usurpato, in annum CCCLXVII., idemque annus IV. Valentiniani & Valentis in eodem Chronico est sextus ab anno XXIV. Constantii, quo anno Pontacus, aliquot antiquos MSS. & excusos libros pro se habens, collocavit Hilarii in Gallias reditum: adeo ut Severus cum Hieronymo non modo non pugnet, sed etiam adeo concordet, ut ejus auctoritatem in eo sequutus videri possit: quam sequutum minime dubitamus Gregorium Turonensem, quum & ipse lib. I. H. F., *quarto Valentiniani & Valentis anno* Hilarii exitum consignet: tum Hermannum Contractum atque Marianum Scotum supra laudatos, Eusebio-Hieronymiani Chronici compilatores. Confer nunc, si lubet, quæ de hac quæstione habet Coutantius in Hilar. Vit. num. 113. & seq., & Tillemontius Not. XVIII. in Hil. pariter Vitam: qui tamen dum objiciunt Hermannum Contractum Hilarii mortem anno quidem CCCLXVII. collocare, sed hunc eumdem Hilarii emortualem annum statuere fuisse secundum a Gratiani electione, quod tamen non ad annum illum CCCLXVII., sed ad proxime sequentem tantum referri possit; non satis observant eum pingui, ut ajunt, minerva Hieronymiani Chronici vestigiis prorsus insistere, in quo habetur anno tertio Valentiniani, Gratianum Imperatorem factum, anno autem quarto ejusdem Valentiniani, juxta editiones & codices supra laudatos, Hilarii mors indicatur. Neque enim Hermannus vidit, quod res est quodque ex aliis accuratioribus Historicis discitur; Gratianum non renuntiatum fuisse Imperatorem nisi IX. kal. Septembris Lupicino & Jovino coss., quorum consulatus indicat annum CCCLXVI. & cum anno Valentiniani III. fere concordat; atque adeo secundum Imperii Gratiani annum non cœpisse nisi IX. kal. Septemb. anni proxime sequentis, seu CCCLXVII., quum Hilarii mors contra idibus Januariis ejusdem anni collocari debeat: nam primum Gratiani annum a Januario, ut vulgo fit, numerare incipiens ille & cum Valentiniani III. componens, ejusdem Gratiani II. annum computavit illum, qui apud Hieronymum est Valentiniani IV. Idemque fecit Gregorius Turonensis, annum IV. Valentiniani & Valentis ex eodem Chronico a Kal. Jan. numerare incipiens, qui tamen non nisi a. d. III. kal. Martias initium sumebat.

3 *Sequuntur*, &c.) Quod reliquum est hujus libri, Priscillianistarum historiæ contexendæ impenditur, quæ quum a nullo alio antiquo scriptore edita habeatur, ab hoc autem satis diligenter & luculenter tradatur, utpote qui eodem tempore iisdemque fere locis, in quibus res gestæ sunt, vixerit; summo in pretio est habenda.

4 *Gnosticorum hæresis*) Nondum, quum hæc scriberet Severus, a Priscilliano appellationem obtinuerat hæc secta, ideoque eam sub antiquo & notissimo Gnosticorum nomine indicat. Porro Gnostici dicti sunt plerique omnes hæretici, qui Chri-

prehensa, superstitio exitiabilis, arcanis occultata secretis. Origo istius mali Oriens ac Ægyptus. sed quibus ibi initiis coalucrit, haud facile est differere. Primus eam intra Hispanias Marcus intulit, Ægypto profectus, Mem-

Christi Ecclesiam primis illis temporibus contaminarunt, quod sub ementito *scientiæ* nomine (quo spectasse volunt & S. Paullum 1. ad Tim. VI. 20.) venditarent absurdissimas fabulas, & turpissimos ritus moresque inducerent. Horum pleraque impia dogmata sæculo tertio Manichæi exsuscitarunt: Manichæorum vero sæculo quarto discipuli fuerunt Priscillianistæ. itaque Vincentius Lirinensis, Commun. cap. 34., repetens a prima origine hujus sectæ conditorem; Simonem Magum Gnosticorum omnium patrem, eum fuisse dicit, *a quo vetus ille turpitudinum gurges usque in novissimum Priscillianum continua & occulta successione manavit.* Ceterum & Philastrius, qui paullo ante Severum atque adeo ante Priscilliani fortasse necem scribebat, caput LXI., quod est de Manichæis, ita concludit: *qui & in Hispania & quinque provinciis latere dicuntur, multosque hac quotidie fallacia decipere*; caput vero LXXXIV., quod est de Abstinentibus, ita orditur: *Sunt in Galliis & Hispaniis & Aquitania veluti Abstinentes, qui & Gnosticorum & Manichæorum particulam perniciosissimam æque sequuntur, eamdemque* (forte *eademque*) *non dubitant prædicare*, &c. Hieronymus in epistola CXXXIII. ad Ctesiphontem, num. 3.: *Priscillianus in Hispania pars Manichæi de turpitudine* (quod ad imitationem Tertulliani dictum videtur, cujus Apolog. cap. V. habetur: *Domitianus portio Neronis de crudelitate*). Sequitur paullo post: *qui quidem* (puta, Priscilliani discipuli) *partem habent Gnosticæ hæreseos de Basilidis impietate venientem*. His adde August. de hæres. num. 70.

3 *arcanis occultata secretis*] Augustinus supra laudato loco: *Propter occultandas autem contaminationes & turpitudines suas, habent in suis dogmatibus & hæc verba:*

Jura, perjura, secretum prodere noli.

Vide etiam ejusdem Augustini epistolam CCXXXVII. num 3., & lib. II. Retract. cap. 60., nec non totum librum *contra mendacium*.

2 *Oriens ac Ægyptus*) Ita MS. liber, longe melius quam editi *oriens ab Ægyptiis*. Indicatur enim Manichæismum in Oriente seu Perside ortum habuisse.

4 *intra Hispanias Marcus int.*) S. Isidorus in libro de scrip. Eccl. cap. 2. refert *Idacium*, seu *Ithacium* (de quo infra quæstio occurret) scripsisse *quemdam librum sub Apologiæ specie, in quo detestanda Priscilliani dogmata, libidinumque ejus probra demonstrat: ostendens Marcum quemdam Memphiticum magiæ scientissimum, discipulum Manis fuisse & Priscilliani magistrum*. Meminit hujus Marci & Hieronymus in epistola LXXV. ad Theodoram viduam, num. 3., & in Comm. in Isaiæ cap. LXIV., nec non in libro de Vir. Ill., ubi de Priscilliano agit, ita tamen ut eum confundat cum Marco illo mago, de quo Irenæus libro I. cont. hær. Ceterum Irenæi verba ad quæ is adludit, hæc sunt ex antiqua versione: *Talia autem dicentes & operantes* (de Marci discipulis sermo est) *& in iis quoque quæ sunt secundum nos regiones Rhodanenses*, καὶ ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς κλίμασι τῆς Ῥοδανουσίας, *multas seduxerunt mulieres, quæ*, &c. ex quibus liquido apparet, Marcum illum non in Galliis versatum, sed aliquos tantum ex ejus discipulis: nullam tamen apud Irenæum, secus atque a Hieronymo asseri-

Memphi ortus . hujus auditores fuere Agape quædam non ignobilis mulier & rhetor Elpidius . ab his Priscillianus est institutus , familia nobilis , prædives opibus, acer , inquies , facundus , multa lectione eruditus , disserendi ac disputandi promtissimus : felix profecto , si non pravo studio corrupisset optimum ingenium . prorsus multa in eo animi & corporis bona cerneres : vigilare multum , famem ac sitim ferre poterat : habendi minime cupidus , utendi parcissimus . sed idem vanissimus , & plus justo inflatior profanarum rerum scientia : quin & magicas artes ab adolescentia eum exercuisse creditum est . Is ubi doctrinam exitiabilem aggressus est , multos nobilium pluresque populares auctoritate persuadendi & arte blandiendi allicuit in societatem . ad hoc mulieres novarum rerum cupidæ , fluxa fide , & ad omnia curioso ingenio , catervatim ad eum confluebant : quippe humilitatis speciem ore & habitu prætendens , honorem sui & reverentiam cunctis injecerat . Jam-

asseritur, Hispaniarum mentionem fieri. Sed de his consulendi Irenæi & Hieronymi editores.

1 *Memphi ortus*) Libri editi *Memphis ortus*, præter Galesin., qui habet *Memphi*. Vorstius vulgatam lectionem defendit exemplis ex Dialogo I. ejusdem Severi productis, ubi cap. xv. habebatur, *deserto quod est Memphis contiguum*, & cap. xvi. *quæ Syenis jungitur*. Sed nos utrumque locum emendavimus, ut videre est Tom. I. pag. 80. & 83. : quare & heic Galesini emendationem amplectimur, ne contra Grammaticæ leges Severum inducamus scribentem.

1 *Agape quædam*) Meminit hujus feminæ Hieronymus in laudata jam epistola ad Ctesiphontem, num. 4. *In Hispania Agape Elpidium, mulier virum, cæcum cæca duxit in foveam, successoremque sui Priscillianum habuit, Zoroastri magi studiosissimum & ex mago episcopum, cui juncta Galla, non gente sed nomine, germanam huc illucque currentem alterius & vicinæ hæreseos reliquit hæredem.*

2 *Elpidius*) In Severi libris hoc nomen cum aspiratione legitur, & ita sæpius apud alios scriptores : sed alii *Elpidius*, & melius, si quidem derivatum sit ab ἐλπίς.

3 *familia nobilis*, &c.) Observarunt alii hanc elegantem Priscilliani effigiem expressam fuisse ex Catilina Sallustii, cujus Severus sedulus imitator fuit.

10 *& magicas artes*, &c.) Vide quæ paullo ante de Priscilliano ex Hieronymo attulimus, tum quæ de Marco Ægyptio ex Isidoro.

11 *doctrinam exitiabilem aggressus*) Sic supra *exitiabilis superstitio*. Porro non verbis solum errores suos docuit, sed & scriptis, quorum Hieronymus & alii meminerunt : quæ tamen omnia interciderunt præter fragmenta aliquot cujusdam epistolæ ab Orosio in Commonitorio ad Augustinum allata.

14 *mulieres*, &c.) De mulieribus a Priscilliano & ejus discipulis seductis Hieronymus in epistola ad Theodoram, & in Comm. in Isaiæ cap. lxiv., atque alibi.

Jamque paullatim perfidiæ istius tabes pleraque Hispaniæ pervaserat : quin & nonnulli episcoporum depravati ; inter quos Instantius & Salvianus Priscillianum non solum consensione , sed sub quadam etiam conjuratione susceperant :
5 quoad Hyginus episcopus Cordubensis , ex vicino agens , comperta ad Idacium Emeritæ Sacerdotem referret . Is vero sine modo & ultra quam oportuit , Instantium sociosque ejus lacessens , facem quamdam nascenti incendio subdidit : ut exasperaverit malos potius quam compresserit.
10 Igitur post multa inter eos & digna memoratu certamina , apud Cæsaraugustam synodus congregatur : cui tum etiam Aqui-

XLVII.

1 *pleraque Hispaniæ*) Hinc Hieronymo epistola CXXVI. num. 1. *Hispana Priscilliani hæresis* dicitur, & epistola LXXVI. num. 3. *spurcissima per Hispanias Basilidis hæresi sæviente , & instar pestis & morbi totas intras Pyrenæum & Oceanum vastante provincias* .

5 *quoad Hyginus*) Antea erat *quo Adyginus* , unde quidam Adyginum Cordubensem episcopum fuisse voluerunt, quum tamen alii viderint legendum esse *Hyginum*, qui & infra nominatur. Hunc porro *Hyginum* illum episcopum in Bætica provincia fuisse putant eruditi, cujus meminit libellus precum Marcellini & Faustini, quemque iis annumerat, *qui pœnitentes de impia subscriptione* (Ariminensis perfidiæ) *suscepti sunt ad catholicam disciplinam propter bonum pacis & unitatis* . Osio itaque in episcopatu proxime successerit oportet. Hic idem Hyginus esse videtur, de quo Ambrosius, cujus verba paullo infra producam .

6 *comperta ad Idacium Emeritæ Sac. referret*) Hunc locum in editis libris corruptum , ex MS. Vaticano restituimus, in quo ita omnino ut exhibemus habetur : nisi quod pro *ad Idacium* legi videtur *ad Idesum*. Antea erat, *comperto, ad Idacium emeritæ ætatis sac. refert* : multi tamen adnotarant pro *ætatis* legendum *civitatis* : sed ea vox omnino abest in MS. Hic autem Idacius proxime fortasse successerit *Florentio* illi , cujus meminit laudatus jam libellus Marcell. & Faust. Certe Florentium proxime post Ariminensem synodum Emeritæ episcopum fuisse inde colligitur , quem etiam Sardicensi subscripsisse constat : nam apud Hil., Fragm. II. num. 15., legitur *Florentinus ab Spaniis de Emerita* , qui tamen in aliis ejus synodi subscriptionibus *Florentius* dicitur.

9 *ut exasperaverit malos* , &c.) Similia fere habentur Dial. 1. cap. VII., ubi de monachis Origenianis : *Sed tamen sive illud error est , ut ego sentio , sive hæresis , ut putatur , non solum reprimi non potuit multis animadversionibus Sacerdotum , sed nequaquam tam late se potuisset effundere , nisi contentione crevisset* .

10 *& digna memoratu*) Mendum subesse suspicor : neque enim silentio præterire debuisset Severus, quæ ipse digna memoria judicasset. Legendum itaque videtur *indigna* , vel *nec* sive *haud digna memoratu* .

11 *apud Cæsaraug. synodus cong.*) Exstant etiamnum hujus synodi canones octo, iique omnes contra Priscillianistas eorumque errores editi videntur. Porro annus, quo hæc synodus habita fuit, ex Æra Hispanica CCCCXVIII. quam præfixam habet, fuisse Christi CCCLXXX. creditur ac pro certo habetur : ego tamen ejus Æræ nullam habendam esse rationem , synodum vero ante illum

Aquitani episcopi interfuere. verum hæretici committere se judicio non ausi: in absentes tum lata sententia, damnatique Instantius & Salvianus episcopi, Elpidius & Priscillianus laici. Additum etiam, ut si quis damnatos in communionem recepisset, sciret in se eamdem sententiam promendam. Atque id Ithacio *Sossubensi* episcopo negotium datum, ut decretum episcoporum in omnium notitiam defer-

illum aooom collocaodam osteodam suo loco, seu io peculiari de ea Synodo aliisque cootra Priscillianistas quarto Ecclesiæ sæculo habitis Dissertatione.

1 *Aquitani episcopi int.*) Inter episcopos qui huic synodo interfuisse leguntur, occurrunt primo loco *Fitadius* & *Delphinus*: primum esse volunt Fægadium, seu Phœbadium Aginnensem (qui præfuit etiam synodo Valentino ao. CCCLXXIV. ubi *Fægadius* dicitur) de quo supra cap. XLIV.; hunc autem, Delphinum illum Burdigalensem, de quo Severus capite sequenti, & Paullinus Nolanus, qui ad ipsum plures dedit epistolas. Utrique etiam missa creditur ab Ambrosio epistola quæ in novissima editione est LXXXVII., & inscribitur: *Segatio & Delphino Episcopis*: ad quem tamen locum notat Cl. Editor: *Vet. edit. & duo MSS.* Fægadio: *Rom.* Fygadio: *ceteri MSS.* Segatio: *excipe tamen Albin., ubi scribitur* Sægatiaoo: &c. Uterque itaque, *Fitadius* & *Delphinus*, Aquitanus fuerit.

2 *in absentes tum lata sent.*) MS. liber, *in absentes tantum l. sent.*, quam lectionem nec respuo, nec vulgatæ præfero, quia utrique potius substitucrem, *tamen*: nam in libris manuscriptis voces ille facile confundi solent. Ceterum meminit hujus in Priscillianistas absentes sententiæ & Toletaua I. synodus his verbis: *post Cæsaraugustanum concilium, in quo sententia in certos quosque dicta fuerat*, &c.

3 *Instantius & Salv. episcopi*) Ita omnino legendum, ut Drusius & Vorstius jam monuerunt; non *episcopus*, ut in aliis libris editis.

4 *Additum etiam, ut*, &c.) His verbis manifesto indicatur canon quintus ex octo illis quos habemus, qui qoidem his verbis conceptus est, ex editione Labcana: *Item lectum est: Ut hi qui per disciplinam & sententiam episcopi ab Ecclesia fuerint separati, ab aliis episcopis non sint recipiendi: quod si scientes episcopi fecerint, dictum est: Qui hoc commiserit, non habeat communionem.*

6 *Ithacio* Sossubensi) Sigonios omnium primus meodum voci *Sossubensi* subesse vidit, & duas emendationes indicavit. altera est *Ossonobensi*, ab *Ossonoba* civitate ad provinciam Lusitaniæ olim pertinente: altera vero *Oxomensi*, ab *Uxama* Plinio & Ptolemæo in Hispaniis celebrata civitate, cujus episcopus in conciliis dicitur *Oxomensis*. Pertinebat hæc ad provinciam Carthaginiensem, ut ex tribus Notitiis Provinciarum Hispaniæ ab antiquis codicibus a Garsia Loaysa primum, tum ex eo ab Emanuele a Schelstrate editis tom. II. Antiquit. Eccl. pag 663. & seqq. colligitur, ubi tamen *Oxoma* dicitur: sicut *Ossonoba* ibidem scribitur vel *Exonoba*, vel *Oxobona*, vel denique *Ononoba*. Ceterum plerique omnes, ut Loaysa in Notis ad synodum hanc Cæsaraogustanam, Mariana Hist. Hisp., Holstenius Geog. sac., Tillem. Not. XV. in Comm. de Priscillianis., & alii, *Ossonobensi* hoc loco legendum statuunt. Nos rem in medio relinquimus.

Digitized by Google

ferret, maximeque Hyginum extra communionem faceret: qui cum primus omnium insectari palam hæreticos cœpisset, postea turpiter depravatus in communionem eos recepisset. Interim Instantius & Salvianus damnati judicio Sacerdotum, Priscillianum, etiam laicum sed principem malorum omnium, una secum Cæsaraugustana synodo notatum, ad con-

1 *maximeque Hyginum ext.*) Editi *Iginum*, sed ex superiori loco *quoad Hyginus*, & hic emendandus erat. MS. iber habet *maxime Igynum communionem*, omissa & vocula *extra*. Ceterum hic idem Hyginus, ut Baronio, Tillemontio & aliis jure videtur, ille est qui post Priscilliani necem in exsilium pulsus fuit, teste S. Ambrosio in epistola ad Valentinianum Imp., quæ nunc est sub numero XXIV. & ad annum CCCLXXXVI. refertur. En ejus verba: *Ita tum discessi* (a Maximo), *ut se tractaturum diceret. Postea cum videret me abstinere ab episcopis qui communicabant ei, vel qui aliquos, devios licet a fide* (puta, Priscilliani discipulos) *ad necem petebant; commotus eis, jussit me sine mora regredi. Ego vero libenter, etsi me plerique insidias evasurum non crederent, ingressus sum iter, hoc solo dolore percitus, quod Hyginum episcopum senem in exsilium duci comperi, cui nihil jam nisi extremus superesset spiritus. Cum de eo convenirem comites ejus, ne sine veste, sine plumatio paterentur extrudi senem, extrusus ipse sum. Hæc est expositio legationis meæ.* Hæc Ambrosius. Quid vero ad hunc locum adnotat Cl. Nourryus in noviss. edit.? *Ceterum suspicatur Baronius ad an. 387., hunc Hyginum eumdem esse atque Adiginum Cordubensem episcopum, a quo primum antistites adversus Petilianum* (leg. *Priscillianum*) *concitatos narrat Severus lib. 2. Hist. Verumtamen, cum ex eodem historico, Adiginus ille seu Iginus, ut in sequentibus appellatur, Priscillianistas admiserit in communionem, id cum Hygini nostri generositate non cohæret: nisi forte is exsilii propositi asperitate deterritus, priorem constantiam abiecerit, quod Ambrosio adhuc in reditus itinere posito innotescere nequaquam potuerit.* Hæc ille: sed primum, quod de Hygini ab Ambrosio memorati *generositate* asseritur, nullo testimonio aut indicio asseritur: secundo, quod Ambrosius cum Severo ea una ratione conciliari posse additur, *nisi forte is exsilii propositi asperitate deterritus, priorem constantiam abiecerit*, &c. temporum series & Historiæ funditus evertitur. Hyginus siquidem jam ante synodum Cæsaraugustanam turpiter ad Priscilliani dogmata desciverat, quæ caussa fuit ut & ab episcopis tum excommunicaretur, & post aliquot annos, Priscilliano jam occiso, in exsilium ab Imp. Maximo pelleretur: unde ejusdem in errore pertinacia & pervicacia potius quam *generositas* & *constantia* satis proditur. Doluit autem S. Ambrosius ob ejus exsilium, non quia innocentem judicaret, sed quod, Ithacio ejusque partis episcopis accusantibus, tam inhumaniter haberetur, cum dedecore etiam episcopalis dignitatis: sicuti doluit Priscillianistas alios, licet nocentissimos, morte fuisse multatos, quare & ab Ithacianorum se communione subduxit.

5 *etiam laicum*) Legendum videtur *etiamtum laicum*, nisi malis *etiam* idem significare, ut apud Terent. And. I. 1. *Nihil suspicans etiam mali.*

confirmandas vires suas episcopum in Abilensi oppido constituunt: rati nimirum, si hominem acrem & callidum Sacerdotali auctoritate armassent, tutiores fore sese. Tum vero Idacius atque Ithacius acrius instare, arbitrantes posse inter

1 *In Abilensi op.*) In editione Vorstii Lipsiensi desideratur *in*, quæ vocula in prioribus omnibus & in MS. habetur. Porro pro *Abilensi* Giselinus ex Flacii editione *Labilensi* expressit, Fabricius in Orthodoxogr. *Labiliensi*, plerique autem post secuti, corruptius, *Labinensi*. Sed jam pridem Baronio & aliis observatum est restituendum esse *Abilensi*: nam Hieronymo, de Vir. Ill., Priscillianus dicitur *Abilæ episcopus*, & Idacio in Chronico *Abulæ episcopus*. *Abilæ* autem, seu *Abulæ* episcopatus ad Lusitaniæ provinciam olim pertinuit, ut ex supra laudatis Notitiis Hispaniæ apparet, in quibus *Abela* (unde *Abelensis* episcopus in aliquot synodis legitur) vel *Avela* dicitur: quamquam aliqui, ut Tillemontius art. VI. de Priscillian., & nuperrime Cl. editor Bachiarii pag. VII., Abilam tunc in Gallæcia censitam velint, moti potissimum auctoritate Prosperi, qui in Chronico habet: *Priscillianus episcopus de Gallæcia*: quæ tamen verba ita Drusius in Notis ad hunc locum exponit, ut *Priscillianus de Gallæcia* fuerit quidem, quia hoc illi natale solum (quo etiam respexit Miræus in Scholiis ad Hieron. lib. de Vir. Illust., apud Fabric. Bib. Eccl.) *non episcopus de Gallæcia. Nam Abila certe in Gallæcia non est*. Quod autem Innocentius I. Romanus Pontifex in quadam epistola, (quæ in Concil. Ven. collect. est XXIII., sed ex Sirmondi restitutione) cap. I. *Gallicianorum* nomine illos innuat, qui Priscillianam hæresim in Toletana synodo ejuraverant; non inde sequitur Priscillianum in Gallæcia episcopum fuisse, sed tantum eam provinciam potissimum infectam Priscillianismo, vel potius illos qui in jam dicta synodo Ecclesiæ reconciliati fuerant, indidem fuisse: quod Idacius, Lemicæ in Gallæcia episcopus, in Chronico his verbis memoriæ mandavit, ad an. V. Arcadii & Honorii. *In provincia Carthaginensi in civitate Toleto synodus episcoporum contrahitur, in qua, quod Gestis continetur, Symphosius & Dictinius & alii cum his Gallæciæ provinciæ episcopi Priscilliani sectatores, hæresim ejus blasphemissimam cum adsertore eodem professionis suæ subscriptione condemnant*. Sed operæ pretium erit heic apponere alterum Idacii locum supra laudatum, qui Priscilliani historiam a Severo traditam non parum confirmat & illustrat. Habet itaque ad an. Theodosii VII. *Priscillianus declinans in hæresim Gnosticorum, per episcopos quos sibi in eadem pravitate collegerat, Abulæ episcopus ordinatur. qui aliquot episcoporum conciliis auditus, Italiam petit & Romam: ubi ne ad conspectum quidem sanctorum episcoporum Damasi & Ambrosii receptus, cum his cum quibus iverat, redit ad Gallias. Inibi similiter a Sancto Martino episcopo & ab aliis episcopis hæreticus judicatus, appellat ad Cæsarem, quia in Galliis hisdem* (ita MS.) *diebus potestatem tyrannus Maximus obtinebat imperii*. Tum ad an. IX. ejusdem Theodosii: *Priscillianus propter supradictam hæresem ab episcopatu depulsus, & cum ipso Latronianus laicus aliquantique sectatores ejus apud Treverim sub tyranno Maximo cæduntur. Exin in Gallæciam Priscillianistarum hæresis invasit*. Hæc postrema verba notatu maxime digna sunt, propter ea quæ paullo ante diximus de *Gallicianorum* nomine, & de Priscilliani episcopatu extra Gallæciam, seu Callæciam (ita enim scribendum) collocando.

ter initia malum comprimi. sed parum sanis consiliis sæculares judices adeunt, ut eorum decretis atque exsecutionibus hæretici urbibus pellerentur. Igitur post multa & fœda certamina, Idacio supplicante elicitur a Gratiano tum Imperatore
5 rescriptum, quo universi hæretici excedere non ecclesiis tantum aut urbibus, sed extra omnes terras propelli jubebantur. quo comperto Gnostici diffisi rebus suis, non ausi judicio certare, sponte cessere qui episcopi videbantur: ceteros metus dispersit. At tum Instantius, Salvianus & XLVIII.
10 Priscillianus Romam profecti, ut apud Damasum Urbis ea tempestate episcopum objecta purgarent. sed iter eis præ-

1 *parum sanis consiliis*, &c.) Quoniam Severus non hoc uoo loco, sed sæpius infra, dum Idacii & Ithacii nimiam in Priscillianistis exagitandis sævitiam merito exagitat (qua etiam de caussa Dial. 3. cap. VII. Theophilum Alexandrinum, & Ægypti episcopos perstrinxerat) in universum damnare viderur eos, qui judices sæculares in hujusmodi caussis utcumque interpellant, & Principes ipsos io hæreticos qualibet pœna animadvertentes; hæc generalis oimium & decretoria assertio aliquo indiget temperamento. Legendæ itaque de hoc argumento binæ saltem S. Augustioi epistolæ, quarum prior ad Vincentium Rogatistam, sub num. CXIII., altera ad Booifacium Comitem, num. CLXXXV., ex quibus apparet eumdem Augustinum ejus primum sententiæ fuisse, ut non solum putaret hæreticos noo esse occidendos, sed nec quavis ratione puniendos, vel cogendos: cum jam tum a Constantino primum & deinde a sequentibus Imperatoribus catholicis statutum esset, ut ii multa pecuniaria, aut etiam exsilio plecterentur. movebatur potissimum Augustinus hac ratione, ne Ecclesia fictos catholicos haberet, quos apertos noverat hæreticos. Postea tamen exemplis edoctus, quam leges illæ imperiales utiles essent Ecclesiæ & multorum saluti, easdem defendit, & justas esse ostendit: judices tantum ab occisiooe hæreticorum avocans (in quo tamen potissimum peccaverant Hispani illi episcopi) non quod eam injustam existimaret, sed quod vel pœna capitis nondum ab Imperatoribus statuta fuisset in hæreticos, vel quod non videretur lenitati Christiaoæ convenire, vel aliia de causis, quas attingit epist. C. Eam tamen aliquando perspexit & docuit esse justam, ut videre licet in libris contra epist. Parmeniani, qui habentur Tom. IX. vide etiam quæ Tom. I. observavimus pag. 361.

3 *post m. & f. certamina*) Vox *certamina* est ex MS., quam supplendam esse jampridem animadverteram, conferens hunc locum cum iis quæ ioitio hujus capitis habentur: *Igitur post multa inter eos & indigna* (ita enim legendum monui) *memorata certamina*.

5 *rescriptum, quo universi hær.*, &c.) Tillemontius, Nota V. in Priscillian., quærit, num hoc Gratiani rescriptum in Theodosiano codice habeatur? neque tamen aliquid defioire audet, propterea quod quæ ibidem habentur leges anno CCCLXXXI. & duobus sequentibus promulgatæ, Constantinopoli omnes datæ sint, vel eo tempore quo Priscilliaoistæ opera Macedonii redierant in gratiam Imperatoris Gratiani. Verum ubi Cæsaraugustanam synodum anno CCCLXXX. per-

præter intetiorem Aquitaniam fuit : ubi tum ab imperitis magnifice fufcepti , fparfere perfidiæ femina : maximeque Elufanam plebem , fane tum bonam & religioni ftudentem , pravis prædicationibus pervertere . A Burdigala per Delphinum repulfi , tamen in agro Euchrotiæ aliquantisper morati , infecere nonnullos fuis erroribus . Inde iter cœptum ingreffi , turpi fane pudibundoque comitatu , cum uxoribus atque alienis etiam feminis , in queis erat Euchrotia , ac filia ejus Procula : de qua fuit in fermone hominum , Prifcilliani ftupro gravidam partum fibi graminibus abegiffe . Hi ubi Romam pervenere Damafo fe purgare cupientes , ne

perperam adfigi demonftravero, indicabo quænam effe poffit Gratiani lex a Severo indicata, quoque anno data: inde etiam verior epocha illius fynodi poterit ftabiliri.

1 *præter interiorem Aquitanium*) MS. habet *Aquitunicum*; fupple *provincium*. Ceterum *præter int. Aquitunium* ex Severi ftilo idem eft ac *per int. Aquit.*, ut ad lib. 1. cap. IX. in Notis pag. 16. multis exemplis declaravimus. Sane eum paullo infra *Elufæ* & *Burdigalæ* mentio occurat, fatis indicat iter a Prifcilliano per mediam Aquitaniam habitum: nifi quis malit pro *interiorem* legendum effe *citeriorem*, habita nimirum ratione ad ipfius Severi patriam, de qua nos egimus tom. I. pag. LVI. & feqq.

1 *ubi tum*) Ita Gifelinus & alii. In Lipfienfi Vorftii editione, *ubi dum*, mendofe.

5 *Euchrotiæ*) In vulgatis libris *Euchrociæ*: fed ex græca etymologia feribendum *Euchrotiu*, uti legitur apud Hieronymum de Vir. Ill. cap. CXXII., ubi & græca interpretatio εὐχρωτία exhibet. Fuit autem *Euchrotia*, ut Profper refert in Chronico, *Delphidii Rhetoris conjux*, quem *acerrimum oratorem* vocat Amm. Marcell. initio lib. XVIII., & *clarum vatem* Pacatus in Panegyr. Sed & S. Hieronymus feribens ad Hedibiam Delphidii neptem, hæc habet epift. CXX. num. 1. *Majores tui Patera atque Delphidius, quorum alter antequam ego nafcerer Rhetoricum Romæ docuit, alter me jam adolefcentulo omnes Gallias profa verfuque fuo illuftravit ingenio; jam dormientes & taciti me jure reprehendunt, quod audeam ad ftirpem generis fui quippiam muffitare*: &c. Meminit idem utriufque, Pateræ nimirum feu Paterii, & Delphidii in Chronico, & Aufonius carm. IV. & V. de Profefs. Burdig., ex quo paucos hos verfus excerpfit primus Gifelinus, utpote qui a Severo mire illuftrentur hoc loco & cap. LI. Ita nimirum Aufonius alloquitur ipfum Atticum Tironem Delphidium:

Minus malorum munere expertus Dei,
Medio quod ævi raptus es:
Errore quod non deviantis filiæ,
Pœnaque læfus conjugis.

7 *cum ux. atque al. etiam feminis*) Reponendum videtur inverfo verborum ordine: *cum feminis, atque alienis etiam uxoribus*. Neque enim *uxores* proprias habuerunt Prifcillianiftæ, quorum hærefis matrimonium damnaret, referente Auguftino & aliis: *coniuges quibus hoc malum potuerit perfuaderi, disjungens, & viros a nolentibus feminis, & feminas a nolentibus viris*.

ne in conspectum quidem ejus admissi sunt. regressi Mediolanum, æque adversantem sibi Ambrosium repererunt. Tum vertere consilia, ut (quia duobus episcopis, quorum ea tempestate summa auctoritas erat, non illuserant) largiendo &
5 ambiendo ab imperatore cupita extorquerent. ita corrupto Macedonio tum Magistro officiorum, rescriptum eliciunt, quo calcatis quæ prius decreta erant, restitui Ecclesiis jubebantur. hoc freti Instantius & Priscillianus repetivere Hispanias (nam Salvianus in Urbe obierat) ac tum sine ullo cer-
10 tamine Ecclesias quibus præfuerant, recepere. Verum Ithacio ad resistendum non animus, sed facultas defuit: quia hæretici corrupto Volventio proconsule vires suas confir-

XLIX.

1 *ne in conspectum quidem*) Recole Idatii verba supra allata pag. 254.

6 *Macedonio tum M. O.*) Libri editi habent *eum* loco *tum*: sed constat circa hoc tempus Macedonium fuisse Magistrum officiorum, atque adeo legendum esse *tum*, ut Sigonius voluit, & ut legitur apud Baronium ad an. ccclxxxi. num. ex. Meminit hujus Macedonii M. O. Paullinus in Vita S. Ambrosii his verbis: *Temporibus Gratiani cum ad prætorium Macedonii tunc Magistri officiorum pro quodam intercedendo Ambrosius perrexisset, atque præcepto prædicti viri fores invenisset clausas, nec copiam ingrediendi adeptus esset; ait, Et tu quidem venies ad ecclesiam, quam nec clausas januas inveniens* (supplendum videtur *non*) *ingredieris. quod factum est mortuo Gratiano: confugiens enim Macedonius ad ecclesiam, patentibus januis aditum reperire non poterat.* Ex quibus etiam prava ejus indoles dignoscitur.

10 *Verum Ithacio*) Editi omnes *Verum Trachio*, cujus loco Sigonius & Tillemontius, Nota vii. in Priscillianistas, *Idacio* substituendum voluerunt: Baronius autem hunc locum exscribens, *Ithacio* posuit, cui lectioni favet MS. liber, quum *Ithachio* habeat. itaque minime dubitavi *Ithacio* restituere, de quo statim subditur: *quin etiam Ithacius*, &c.: neque enim sententia, quod tamen Tillemontio videbatur, exigit, ut heic de alio viro sit sermo.

12 *Volventio proconsule*) Baronius in margine *Viventio* posuit, ita nimirum legendum conjiciens. Sane *Viventius* quidam summis sub Gratiano dignitatibus fuit decoratus, atque adeo ipsa Galliæ præfectura: contra nulla exstat *Volventii* memoria. Hæc tamen non tantum apud me valent, ut nomen illud mutandum judicem. Porro gravior difficultas est de Volventii dignitate, quem Severus tum hoc loco, tum paullo infra proconsulem appellat, eaque dignitate in Hispaniis functum significat. Sigonius quidem in hunc locum adnotat: *Est autem intelligendum, non omnes provincias habuisse Proconsulem, sed tantum Africam & Hispanias, quæ Proconsulem & Vicarium habuerunt, cum aliæ Præsidem & Vicarium haberent. Gratianus autem hoc tempore, ut post apparebit, Proconsulem Hispaniæ removit, ac solum Vicarium reliquit: itaque in Notitia Imperii Occidentalis sola Africa Proconsularis nominatur.* & paullo post: *Interim Hispania Proconsule spoliatur, atque omnis judicii summa ad Vicarium Hispaniæ redigitur.* Hæc ille: qui tamen uno, quod sciam, Severi testimonio fuisse Proconsulem in Hispania per hæc tempora affirmavit, quum contra non Notitia

Digitized by Google

firmaverant. Quin etiam Ithacius ab his, quasi perturbator Ecclesiarum, reus postulatus, jussusque per atrocem exsecutionem deduci, trepidus profugit ad Gallias. Ibi Gregorium præfectum adiit; qui compertis quæ gesta erant, rapi ad se turbarum auctores jubet, ac de omnibus ad imperatorem refert, ut hæreticis viam ambiendi præcluderet. sed id frustra fuit: quia per libidinem & potentiam paucorum cuncta ibi venalia erant. Igitur hæretici suis artibus, grandi pecunia Macedonio data, obtinent, ut imperiali auctoritate præfecto erepta cognitio Hispaniarum vicario....(nam jam

solum Imperii, Arcadii Honoriique temporibus scriptis consignata, repugnet, sed & *Breviarium rerum gestarum P. R.* a Sex. Rufo Festo anno CCCLXIX. vel sequenti editum, in quo hæc de Hispania habentur: *Per omnes Hispanias sex nunc sunt provinciæ, Tarraconensis, Carthaginensis, Lusitania, Callæcia, Bætica: trans fretum etiam in solo terræ Africanæ provincia Hispaniarum est, quæ Tingitana Mauritania cognominatur. ex his Bætica & Lusitania Consulares, ceteræ sunt Præsidiales*. Nulla heic sane, ut in Africa, provincia Proconsularis occurrit: nam omnes a Præsidibus, aut Consularibus regebantur, ac proinde jam tum sub Vicarii Hispaniarum ditione erant. Si cui itaque persuaderi non possit Severum in re tam nota erravisse, oportet ut Volventium cum extraordinaria proconsulari potestate in Hispanias ad aliquod tempus missum a Gratiano ponat, ad eum finem, puta, ut gliscentes ibidem ob Priscillianismum turbas sedaret: quemadmodum Dial. III. cap. XI. refertur, decrevisse Maximum *tribunos summa potestate armatos ad Hispanias mittere, qui hæreticos inquirerent, deprehensis vitam & bona adimerent*. Secus Volventius non *Proconsul*, sed *Consularis* erit dicendus, Severus autem nominum affinitate deceptus fuerit: quod tamen ægre mihi persuadere possum.

2 *per atrocem exsecut. deduci*) Puta, *in carcerem*, vel *in judicium*.

3 *Gregorium P.*) Apparet hunc Gregorium fuisse præfectum Prætorio Galliarum, cujus tamen in Codice Theodosiano nulla fit mentio: quin potius tum anno CCCLXXXII. tum proxime sequenti, quum hæc gesta sunt, alii præfectura Prætorii functi esse videntur. Vide Tillemontium Nota XIX. & XXI. in Gratiani Vitam.

5 *turbarum auctores*) Mendose in Lipsiensem Vorstii editionem irrepsit *auctorem*, repugnantibus aliis libris editis.

10 *Hispaniarum Vicario ......*) Deesse heic verbum aliquod, manifestum est: id a multis ex arbitrio suppletum fuit, nempe a Galesino *deferatur*, a Baronio *traderetur*, a Fabricio in Orthodoxog. *committeretur*. Nos tamen cum Giselino, qui asterisco apposito indicavit deesse aliquid, spatium vacuum relinquimus, quoad ex MS. aliquo vera lectio eruatur: nam nec in variantibus Vaticani codicis aliquid hoc loco suppletum invenimus. Ceterum Vicarius Hispaniarum anno CCCLXXXIII. Marinianus fuit, ut colligitur ex lege 14. *de accusationibus* in Cod. Theodos.

jam proconſulem habere deſierant) miſſique a Magiſtro officiales, qui Ithacium tum Treveris agentem ad Hiſpanias retraherent. quos ille callide fruſtratur: ac poſtea per Pritannium epiſcopum defenſus illuſit. Jam tum rumor inceſſerat, Clementem Maximum intra Britannias ſum-

1 *jam proconſulem hab.* &c.) Vide quæ paullo ante notavimus de *Volventio* proconſule.

1 *a Magiſtro officiales*) Scilicet a Macedonio, de quo ſupra. Vide quæ de Magiſtri officialibus notavimus pag. 221.

2 *tum Treveris agentem*) Ita Giſelinus edidit (quem & Baronius ſequitur) ſed ex conjectura: nam prima editio habebat *tam in ære veris agentem*, unde Galeſinus exculpſerat, *Arvernis*. Præſtat tamen *Treveris* legere: quia ea ſedes præfecti, quem Ithacius adiit: ibidemque & Maximus ſedem poſtea fixit. Alii, ut Hornius & Vorſtius, *tum in Treviris ag.* ediderunt.

3 *callide fruſtratur*) Sigonius malebat *fruſtratus*, ut cum verbo *illuſit* conſtruatur: quod & mihi probatur.

4 *per Pritanniam epiſcopum*) Tillemontius conjicit hunc *Pritannium* fuiſſe Trevirenſem epiſcopum, qui aliis *Britto* dicitur: itaque *Britanniam* legendum fortaſſe fuerit. *Britto* interfuit ſynodo Valentinæ anno ccclxxiv.: & Concilii Conſtantinopolitani Patres ſcribentes ſynodo quæ Romæ an. ccclxxxii. exeunte habita fuerat, poſt Damaſum & Ambroſium *Brittonem* nominant, certe Trevirenſem. Huic ſucceſſit Felix, de quo Severus Dial. III. cap. XIII.

4 *Jam tum rumor*) Supplevimus ex MS. *tum*, nam antea erat *Jam rumor*.

5 *Clementem Maximum*) Magnum Maximum altero *Clementis* cognomine augent recentiores pleriqne, Severi auctoritati innixi & lapideæ primo ab urbe Bononia milliario exſtanti inſcriptioni, a Sigonio lib. IX. de Occid. Imp. vulgatæ, in qua legebat: DD. NN. MAG. C. MAXIMO ET FL. VICTORI, &c., quam referunt etiam Valeſius in Notis ad cap. 14. lib. v. H. E. Socratis, & Pagius ad an. ccclxxxiii. num. XI. Sed audiendus Cl. Maffejus in Differtat. *de Senatoriis Nominibus*, quæ habetur Tom. II. Obſervat. Litter. Hæc enim ibidem pag. 307. *At, quod ad prænomina pertinet, Magnus iis acceſſit quæ tribus litteris ſignificabantur, quod memorati Magni Maximi numiſmata docent, & adhuc certius duo illa, quæ tyranni hujus unice, quod ſciam, ſuperſunt marmorea documenta. Cippi milliarii ſunt, quorum alterum ut inſpicerem, ad Bononienſis agri villulam olim me contuli: edidere Sigonius & Malvaſia, ſed quam corrupte! Reineſius quoque* (Inſ. p. 326.) *qui C litteræ perperam intruſæ mirificam Clementis ſignificationem dedit, atque exinde inaudita hoc nomine Maximum auxit: Magnum vero tribus elementis primoribus cippus denotat. Lapidem alterum nondum vulgatum in agro Veronenſi aliquando reperi, acquiſitumque in Muſæum publicum tranſtuli ac dedicavi.* IMPP. AVGG. MAG. MAXIMO I. FL. VICTOR. PERPETUIS PRINCIPIBUS M. P. V. Quod vero ad hunc Severi locum attinet, hæc Tom. III. ejuſdem Operis pag. 323., inter *Addenda* poſt verba illa *cippus denotat*, ſupplevit: *Inauditum diu Clementis nomen in Maximo: nam quod apud Sulpicium Severum Hiſt. lib. 2.* Cle-

ſumſiſſe imperium, ac brevi in Gallias erupturum. ita tum Ithacius ſtatuit, licet rebus dubiis, novi imperatoris adventum exſpectare: interim ſibi nihil agitandum. Igitur ubi Maximus oppidum Treverorum victor ingreſſus eſt, ingerit preces plenas in Priſcillianum ac ſocios ejus invidiæ atque criminum. 5 quibus permotus Imperator, datis ad præfectum Galliarum atque ad vicarium Hiſpaniarum litteris, omnes omnino quos

Clementem Maximum, *geminato præter conſuetudinem cognomine, legamus, ex librariorum errore ortum ſuſpicor, cum numiſmata omnia* Magnum Maximum *præſeferant, nullumque* Clementis *veſtigium apud Zoſimum, Socratem, Theodoretum, ſcriptoreſque alios appareat.* Hæc ille.

1 *ſumſiſſe Imperium*) Hoc anno CCCLXXXIII. contigiſſe, exploratum eſt.

4 *ingerit preces*, &c.) Opinari ſubit his verbis, & iis quæ cap. LI. habentur: *quod initio jure judiciorum & egregio publico defenſum*, &c., Severum alludere ad Apologiam illam, de qua S. Iſidorus Hiſpalenſis in libro de Script. Eccl. *Ithacius*, ſive *Itacius* (ita in nonnullis libris impreſſis legitur, ut in Iſidori editione Madritenſi an. 1599., in aliis autem *Idacius*) *Hiſpaniarum epiſcopus, cognomento & eloquio* Clarus, *ſcripſit quemdam librum ſub Apologiæ ſpecie: in quo deteſtanda Priſcilliani dogmata & maleficiorum ejus artes, libidinumque ejus probra demonſtrat: oſtendens Marcum quemdam Memphiticum, magiæ ſcientiſſimum, diſcipulum Manis fuiſſe & Priſcilliani magiſtrum. Hic autem cum Urſacio epiſcopo, ob necem ejuſdem Priſcilliani, cujus accuſatores exſtiterant, Eccleſiæ communione privatus exſilio condemnatur, ibique diem ultimum obiit, Theodoſio majore & Valentiniano regnantibus.* Sed quoniam multi ſunt ex recentioribus, ut Baronius, Fleurius, Caveus, Fabricius in Bibl. mediæ & inf. lat., qui Idacium Emeritæ epiſcopum cognomento *Clarum* vocant, & hujus Apologetici adverſus Priſcillianum auctorem fuiſſe volunt; nos cum Tillemontio, art. V. de Priſcillian., aſſerimus Iſidorum de Ithacio illo loquutum, qui apud Severum *epiſcopus Soſſubenſis* appellatur: nam 1., ut vidimus, *Itacius* appellatur in pleriſque Iſidori exemplaribus: quin Miræus, qui in textu *Idacius* expreſſit, in adjuncto tamen ſcholio habet: *Idacius, vel Ithacius Clarus, epiſcopus Hiſpanus, de quo multa habet Severus Sulpicius in Hiſt. Sacra, ubi de Priſcilliano agit*, &c.: Ithacium nimirum intelligens, incertæ adhuc ſedis epiſcopum: 2. Ithacius præ Idacio acerrimus Priſcilliani accuſator non a Severo tantum, ſed ab ipſo etiam Iſidoro declaratur, cum in Chronico ejus tantum meminerit: *Priſcillianus, accuſante Itacio, a Maximo tyranno gladio cæditur*: 3. hoc ipſo loco Iſidorus Apologiæ ſcriptori jungit *Urſacium* quemdam *epiſcopum*: atqui *Urſacius* hic Ithacio in Priſcilliano accuſando jungitur ab aliis etiam ſcriptoribus, ut a Proſpero, a Sigeberto Gemblacenſi, Hermanno Contracto & aliis. en Proſperi verba: *Ithacius & Urſacius epiſcopi ob necem Priſcilliani, cujus accuſatores fuerunt, Eccleſiæ communione privantur.* Cum itaque hi omnes in *Ithacii* nomine conſentiant cum Severo, ab eodem autem in eo diſſentiant, ut *Urſacium* dicant quem ille *Idacium*; apparet Iſidorum non Idacio ſeu Urſacio, ſed

quos labes illa involverat, deduci ad synodum Burdegalensem jubet. Ita deducti Instantius & Priscillianus: quorum Instantius prior jussus caussam dicere, postquam se parum expurgabat, indignus esse episcopatu pronuntiatus est. Priscillianus vero, ne ab episcopis audiretur, [5] ad Principem provocavit. permissumque id nostrorum inconstantia, qui aut sententiam in refragantem ferre debuerant, aut si ipsi suspecti habebantur, aliis episcopis audientiam reservare, non caussam imperatori de tam manifestis criminibus permittere. Ita

sed Ithacio Apologeticum illud adscribere. Porro unde orta sit nominum Idacii in Ursacium, aut contra Ursacii in Idacium permutatio, adbuc ignoro. Hieronymus de Vir. Ill. cap. CXXI. habet *factione Hidacii & Ithacii*: Hieronymi compilator Honorius Augustodun. lib. I. cap. 122. *factione Idacii & Ithacii*: Sophronio vulgo adscripta interpretatio συσκευῇ Ὑδατίου καὶ Ἰθακίου, seu *factione Hydatii & Ithacii*. Sed quod ad Hidacii seu Hydatii nomen attinet, variant nonnihil Hieronymi codices: nam legitur & *Hylacii*, & *Hydiaci*, &c. Inter episcopos etiam Cæsaraugustanæ synodi recensentur *Itacius* & *Idatius*. itaque *Ursacii* nomen corruptum esse omnino videtur. Verum, ut eo unde digressi sumus, tandem aliquando revertamur, Ithacius in secessu illo Trevirensi, dum Maximi adventum præstolatur, commode Apologiæ scribendæ incumbere potuit, qua & se apud novum Imperatorem purgaret ab objectis accusationibus, & ejus animum in Priscillianum ejusque asseclas exstimularet: quod etiam, ut dicebamus, a Severo hoc loco[4] indicatur ab eo factum esse.

1 *ad synodum Burdegalensem*) Tillemontius, Nota VIII. in Priscill., recte collocat hanc synodum in annum CCCLXXXIV., quæ tamen in Concil. Collection. male in sequentem annum reiicitur, quod ad eum annum ejus Prosper meminerit: sed de his alibi fusius.

5 *ad Princ. provocavit*) Prosper in Chron.: *Priscillianus in synodo Burdegalensi se damnandum intelligens, ad imperatorem Maximum provocavit, auditusque Treviris ab Euodio præfecto Prætorio*, &c.

6 *nostrorum inconstantia*) Non est bocloco, ut videtur, *inconstantia*, mobilitas animi, qui sibi plane non constet, sed constantiæ & fortitudinis defectus. timuerunt nimirum Maximum offendere, si eum damnassent, qui ad ipsum provocasset. Opportune autem hoc loco Sigonius refert ex Ambrosii epistola ad Valentinianum II., quid Valentinianus ejus pater in hujusmodi caussis mandasset servandum: *Augustæ* (inquit) *memoriæ pater tuus non solum sermone respondit, sed etiam legibus suis sanxit: In causa fidei vel Ecclesiastici alicujus Ordinis eum judicare debere, qui nec munere impar sit, nec jure dissimilis: hæc enim verba rescripti sunt: hoc est Sacerdotes de Sacerdotibus voluit judicare. quin etiam, si alias quoque argueretur episcopus, & morum esset examinanda caussa, etiam hanc voluit ad episcopale judicium pertinere.*

6 *qui aut sententiam*) Ita legendum omnino, non *quia aut*, ut vul. lib.

7 *aut si ipsi susp.*) Ita MS. liber: & ita jam pridem Giselinus, ex conjectura, vulgatam lectionem emendarat, quæ habet *aut sibi ipsi susp.*,

Digitized by Google

L. ita omnes quos caussa involverat, ad regem deducti. Secuti etiam accusatores Idacius & Ithacius episcopi: quorum studium in expugnandis hæreticis non reprehenderem, si non studio vincendi plus quam oportuit certassent. Ac mea quidem sententia est, mihi tam reos quam accusatores displicere. certe Ithacium nihil pensi, nihil sancti habuisse definio: fuit enim audax, loquax, impudens, sumtuosus, ventri & gulæ plurimum impertiens. Hic stultitiæ eo usque processerat, ut omnes etiam sanctos viros, quibus aut studium inerat lectionis, aut propositum erat certare jejuniis, tamquam Priscilliani socios aut discipulos, in crimen arcesseret. Ausus etiam miser est ea tempestate Martino episcopo, viro plane Apostolis conferendo, palam objectare hæresis infamiam. namque tum Martinus apud Treveros constitutus, non desinebat increpare Ithacium, ut ab accusatione desisteret: Maximum orare, ut sanguine infelicium abstineret: satis super-

susp., pro qua tamen Vorstius legendum putabat *aut si ipsi sibi*, id est Priscilliano. ceterum in Giselini textu editum fuit, *aut si hi ipsi susp.*

2 *studium in expugn. hær.*) MS. Vat. *studium super in exp. hær.*

5 *mihi tam reos quam*, &c.) Sigonius: *Lego, sic postulante sententia*: mihi non tam reos quam acc. displ. . Ejus tamen conjecturam minime probo.

6 *nihil pensi, nihil sancti*) Ex imitatione Sallustii, ut alia multa, quæ lectorum judicio relinquo.

8 *omnes etiam sanctos viros*) Confer quæ Dial. III. cap. XI. pag. 139. lin. 14. & seq. habentur.

10 *certare jejuniis*) Quæritur quid sit *certare jejuniis*? Hieronymus in epist. ad Eustochium num. 34. de quibusdam falsis monachis: *Revera solent certare jejuniis, & rem secreti, victoriæ faciunt*. sed alius, puto, Severi verbis sensus subest, apud quem *certare jejuniis* idem fortasse sit, ac per aliquot dies jejunium continuare, quæ jejuniorum *superpositio* seu ὑπέρθεσις dicebatur. Notum autem est Priscillianistas Manichæorum vestigiis insistentes, vino & carnibus prorsus abstinuisse, ac jejunare solitos etiam die Dominica.

12 *ea tempestate*, &c.) Sigonius: *Et hoc loco vereor, ne verba illa* ea tempestate *luxata sint, & suum locum non teneant: malimque ita legi*: Ausus etiam miser est, Martino ep. viro ea temp. plane Apost. conf. &c. sed *ea tempestate* commode referri potest ad verbum *ausus est*. Quod autem S. Martinus *vir plane Apostolis conferendus* dicatur, ne cui scrupulum iniiciat, præter ea quæ Tom. I. pag. 350. observavimus occasione eorum quæ in epistola ad Aurelium pag. 47. habentur; addimus in Sacramentario Gallicano a Mabillonio primum edito & nuper a cl. Muratorio, hæc legi in Missa ejusdem Sancti: *Hic vir quem adnumerandum Apostolis, Martyribus adgregandum proxima ita in rem tempora protulerunt*. vide ejusdem Muratorii Sacrament. Tom. II. pag. 891.

14 *Martinus apud Treviros con.*) Ad hunc primum sub Maximo Mar-

Digitized by Google

perque sufficere, ut episcopali sententia hæretici judicati Ecclesiis pellerentur: novum esse & inauditum nefas, ut caussam Ecclesiæ judex sæculi judicaret. denique quoad usque Martinus Treveris fuit, dilata cognitio est: & mox
5 discessurus egregia auctoritate a Maximo elicuit sponsionem, nihil cruentum in reos constituendum. Sed postea imperator per Magnum & Rufum episcopos depravatus, & a mitioribus consiliis deflexus, caussam præfecto Euodio permisit, viro acri & severo. qui Priscillianum gemino judicio au-
10 ditum, convictumque maleficii, nec diffitentem obscœnis se studuisse doctrinis, nocturnos etiam turpium feminarum egisse

Martini ad Trevirensem urbem adventum referenda, quæ in Vita S. Martini cap. xx. & Dial. II. cap. VI. habentur: ad alterum, occiso jam Priscilliano, spectant quæ Dial. III. cap. XI. & duobus sequentibus habentur. Vid. Tom. I. Dissert. II. num. 3. & Dissert. VI. pag. 257.

2 *Ecclesiis pellerentur*) *Pellerentur*, nimirum, ut puto, Imperatoris auctoritate. Ita nimirum sæpius antea factum fuerat contra Arianos episcopos, nec semel contra catholicos sub Constantino ejusque filiis Imperatoribus: ut quos episcopi in synodo aliqua congregati indignos episcopatu judicassent, Imperatores pellerent in exsilium.

3 *novum esse & inaud.*) MS. *sevum* (seu *sævum*) *esse*, &c. Atqui jam antea sub Constantino Magno simile aliquid in caussa Donatistarum acciderat: 1. enim hi hæretici Cæcilianum catholicum episcopum apud Imperatorem accusarunt, ab eoque judices petierunt Gallos episcopos, quod ille eis concessit: 2. in Romana & Arelatensi synodo damnati appellarunt ad Imperatorem ipsum, quod licet primum exhorruerit Constantinus, tamen paullo post eorumdem appellationem admittendam censuit, seque inter ipsos & catholicos judicem fecit: 3. caussa omni diligenter expensa, idem Cæcilianum episcopum absolvit, Donatistas autem ejus accusatores damnavit, capitalique supplicio afficiendos censuit; quam tamen pœnam paullo post mitigavit. de qua re August. lib. 1. contra epist. Parmen. cap. VIII., seu num. 13.

7 *& Rufum*) Vide quæ de hoc Rufo observavimus Tom. 5. pag. 348.

8 *deflexus*) MS. *defluxus*, mendose, ut videtur.

8 *præf. Euodio perm., viro acri & severo*) In Vita S. Martini cap. xx. *præfectus idemque consul Euodius, vir quo nihil umquam justius fuit*. Vide quæ de bino Euodii consulatu disputavimus Tom. I. Dissert. II. num. 4. & 6., quorum primum anno CCCLXXXIV. congruere diximus, secundum alterum post annum collocandum constat. Hoc vero tempore, seu initio anni CCCLXXXV. præfectus prætorio Galliarum tantum fuerit.

9 *qui Priscill.*) MS. liber, *Is Priscill.*

10 *convictumque maleficii*) Sic apud Isidorum supra allatis ex libro de Scrip. Eccl. verbis: *& maleficiorum ejus artes*. Est autem *maleficium* peculiare crimen, quo homines aut veneno, aut magicis incantationibus vexantur. eo etiam refero, quod

egisse conventus, nudumque orare solitum, nocentem pronuntiavit, redegitque in custodiam, donec ad principem referret. Gestis ad Palatium delatis, censuit imperator Priscillianum sociosque ejus capitis damnari oportere. Ceterum

LI. Ithacius videns quam invidiosum sibi apud episcopos foret, si accusator etiam postremis rerum capitalium judiciis adstitisset (etenim iterari judicium necesse erat) subtrahit se cognitioni: frustra, callido jam scelere perfecto. At tum per Maximum accusator apponitur Patricius quidam, fisci patronus. 5

quod sequitur: *nec diffitentem obscœnis se studuisse doctrinis*; ut & illud Ammi. Marcellini cap. 1. lib. XIV. *vel artium nefandarum calumnias insontibus adfigebat*, seu *adfingebat*.

1 *nudumque orare sol.*) Vide quæ de Adamianis hæreticis referunt Epiphanius, Augustinus & alii, & quæ Hieronymus in Vigilantium num. 12. scribit.

3 *Gestis ad pal. delatis*) MS., nec male, *Gesta ad pal. delata*. Porro horum Gestorum meminit & Maximus in epistola ad Siricium Papam his verbis: *Ceterum quid adhuc proxime proditum sit Manichæos* (seu Priscillianistas) *sceleris admittere, non argumentis neque suspicionibus dubiis vel incertis, sed ipsorum confessione inter judicia prolatis, malo quod ex Gestis ipsis tua Sanctitas, quam ex nostro ore cognoscat: quia hujuscemodi non modo facta turpia, verum etiam fœda dictu, proloqui sine rubore non possumus*.

4 *capitis damnari*) MS. *capite damnari*.

6 *si accusator*) Ita MS. liber: vulgati *si accusato* præferunt.

8 *frustra, callido*, &c.) Forte *frustra callide, jam scelere perfecto*. Id enim significare vult auctor, calliditatem Ithacii, qua se demum subtraxit ab accusatione Priscilliani, nihil ipsi profuisse ad declinandam invidiam: nihil minus enim postea ab episcopis damnatus fuit, & apud omnes, etiam ethnicos, ejus infamiæ nota inustus. S. Ambrosius ad Studium scribens, ac *quæstionem decantatam* agitaturus de muliere illa adultera quæ ab Judæis accusata, a Christo autem fuit absoluta, hæc interserit: *Sed vehementior* (quæstio) *facta est, posteaquam episcopi reos criminum gravissimorum in publicis judiciis accusare, alii & urgere usque ad gladium supremamque mortem, alii accusationes hujusmodi & cruentos Sacerdotum triumphos probare cœperunt*. Sed audiendus & Latinus Pacatus Drepanius in Panegyrico ad Theodosium cap. XXIX. *De virorum mortibus loquor, cum descensum recorder ad sanguinem feminarum, & in sexum cui bella parcunt, in pace sævitum? sed nimirum graves suberant invidiosæque caussæ, ut unco ad pœnam clari Vatis matrona* (Euchrotia) *raperetur: objiciebatur enim atque etiam exprobrabatur mulieri viduæ nimia religio, & diligentius culta divinitas. Quid hoc majus poterat intendere accusator Sacerdos? Fuit enim, fuit & hoc delatorum genus, qui nominibus antistites, revera autem satellites atque adeo carnifices, non contenti miseros avitis evolvisse patrimoniis, calumniabantur in sanguinem, & vitas premebant reorum jam pauperum. quin etiam cum judiciis capitalibus adstitissent, cum gemitus & tormenta miserorum auribus ac luminibus hausissent, cum*

lictorum

nus. ita eo insistente Priscillianus capitis damnatus est, unaque cum eo Feliciſſimus & Armenius, qui nuper a catholicis, cum essent clerici, Priscillianum secuti desciverant. Latronianus quoque & Euchrotia gladio peremti. Instantius quem superius ab episcopis damnatum diximus, in Sylinam insu-
5 lam

lictorum arma, cum damnatorum frena (*for. funera*) *tractassent, pollutas pœnali manus contactu ad sacra referebant, & cæremonias quas incestaverant mentibus, etiam corporibus impiabant.* Hæc ille, quibus tamen se vel Priscillianistarum prorsus iguarum turpitudinis & impietatis prodit, vel Theodosio blandiendi studio abreptum, nimium in Maximum ejusque gesta iniquum: sunt etiam, qui idcirco Priscilliana fuligine tinctum suspicentur: sed Paganum fuisse rhetorem hunc, satis constat.

2 *Feliciſſimus & Armenius*) S. Hieronymus de Vir. Ill. cap. CXXII. meminit hujus *Feliciſſimi*, nec non *Juliani & Euchrotiæ*, qui omnes *ejusdem factionis auctores* cum Priscilliano & Latroniano cæsi fuerant. Tillemontius itaque conicit *Armenium* eumdem esse ac *Julianum* a Hieronymo memoratum, utpote qui appellari potuerit *Julianus Armenius*.

3 *cum essent clerici*) Ita MS. liber: quum editi habeant tantum *clerici*.

3 *Latronianus*) Hunc Hieronymus, supra citato loco, in plerisque codicibus & in græca versione *Matronianum* mendose appellat, eumdemque *provinciæ Hispaniæ*, *valde eruditum, & in metrica opere veteribus comparandum* tradit.

4 *Euchrotiæ*) Repete quæ de hac muliere jam notavimus.

5 *in Sylinam insulam*) *Sylina* una est ex *Silurum* insulis, de quibus Michael Antonius Baudrand in Lexico Geograph. Ferrarii a se locupletato, hæc habet: *Silurum insulæ*, Silly *Anglis*, les Sorlingues *Gallis*, *insulæ sunt parvæ Angliæ in Oceano Virginio, plures numero, sed parum inter se distantes*, lx. *mill. pass. a Bolerio promontorio in Occasum ..... Earum præcipua est S. Maria*, S. Maria, *ubi castrum munitum: aliæ sunt Anothia*, Anoth; *S. Agnetis*, S. Agnes; *Sampsonis*, Sampson; *Silina*, Silly; *Bresaria*, Bresar; *Ruscovia*, Rusco; *S. Helenæ*, S. Heleine; *S. Martini*, S. Martin; *Arturii*, Artus, & Minan Vithan. Præterea Cellarius Geogr. Ant. lib. II. cap. IV. num. 83. tradit eas insulas, vulgo quidem *Silurum* dici, *sed falso, quia non Silurum regioni, sed Dumnoniorum obiacent. A Solino id nomen fuit, sed male castigato, ex quo vulgo legitur cap.* XXII. Silurum quoque insulas ab ora quam gens Britanna Dumnonii tenent, turbidum fretum distinguit. *Salmasius ait in MSS. esse* Siluram insulam, *& in margine Regii codicis adscriptum* Sillinas insulas, *quod probat: saltem Silinam insulam e nam Sulpicius quoque Severus lib.* II. *Hist. Sacræ cap.* LI. *id nominis habet.* Instantius, *inquit*, ... in Sylinam insulam, quæ ultra Britanniam sita est, deportatus. *Hunc Limnum Plinii & Ptolemæi quidam referunt, quasi* Silimnum, *truncato capite. Cambdenus etiam* Cassitetides *veterum huc referendas censet. quas nullas in Hispanici maris ora invenimus, ubi a Strabone, Plinio, Solino sunt collocatæ: stanni proventus, unde nomen habent, conjecturam firmat, quod copiosum in Silinis est. Hodie* Sillyes *dicuntur, & a nautis* Sorlingues. Hæc Cellarius: cujus tamen Salmasiique conjecturam de corrupta *Silurum* voce minus probo: nihil enim prohibet, quin a Siluribus ad Hiber-

lam, quæ ultra Britannias sita est, deportatus. Itum deinde in reliquos sequentibus judiciis, damnatique Asarinus & Aurelius diaconus gladio. Tiberianus, ademtis bonis, in Sylinam insulam datus. Tertullus, Potamius & Joannes, tamquam viliores personæ & digni misericordia, quia ante quæstionem se ac socios prodidissent, temporario exsilio intra Gallias relegati. Hoc fere modo homines luce indignissimi, pessimo exemplo, necati aut exsiliis multati: quod initio 5

nicum mare in Britannia sitis, de quibus ibidem Cellarius agit sub num. 49. & seqq., cultæ primum & cognominatæ fuerint insulæ illæ; postea vero ex unius peculiari nomine omnes *Sillinæ* seu *Sillyes* dictæ: certe unam tantum insulam Severus *Sylinam* nominat. Notandum tamen in MS. Vaticano tum heic, tam paullo infra haberi, *in Syllinasim insulam*.

1 *ultra Britannias*) Ita MS., Vulg. libri *ultra Britanniam*.

2 *Asarinus & Aur. diaconus*) MS. præfert *Asaricias*: cujus autem hic gradus in Ecclesia fuerit, non liquet: sed cum ante Aurelium diaconum nominetur, episcopum vel presbyterum fuisse oportet: nisi legendum potius sit *diaconi*.

3 *Tiberianus*) De eo Hieronymus cap. CXXIII. libri de Vir. Ill.: *Tiberianus Beticus scripsit pro suspicione qua cum Priscilliano accusabatur hæreseos, Apologeticum tumenti compositoque sermone. Sed post suorum cædem tædio victus exsilii, mutavit propositum, & juxta sanctam Scripturam* canis reversus ad vomitum suum, *filiam devotam Christo virginem matrimonio copulavit*. Nempe, ut se penitus alienum a Priscilliani hæresi quæ matrimonia damnabat, ostenderet, in aliam hæresim, puta Joviniani, impegit, quæ virginitatem æquabat nuptiis, atque adeo filiam Deo dicatam nubere coegit. Ceterum Apologetico suo refutasse voluit, ut puto, quæ Ithacius in similis argumenti opere Priscilliano objecerat.

4 *in Sylinam ins. datus*) Vallarsius in Notis ad laudatum Hieronymi locum, hæc Severi verba recitans, emendat ultimam vocem ita: *lege*, delatus. Potest tamen vox *exsilio* subintelligi: sic supra cap. XXXIX. *Liberius . . . & Hilarius . . . . . dantur exsilio*: sic alibi *captivitati datæ*, & *exsiliis datos*. ceterum non *delatus*, sed *deportatus*, ut paullo ante, ita etiam hoc loco dixisset Severus.

8 *pessimo exemplo, nec.*) Nimis se auctor in Priscilliani ejusque sociorum cædem perstringendam severum vehementemque prodit. non ita S. Leo Magnus, qui in epistola ad Turibium, hæc præcipua habet: *Merito patres nostri, sub quorum temporibus hæresis hæc nefanda prorupit per totum mundum, instanter egere, ut impius furor ab universa Ecclesia pelleretur: quando etiam mundi Principes ita hanc sacrilegam amentiam detestati sunt, ut auctorem ejus ac plerosque discipulos legum publicarum ense prosternerent. Videbant enim omnem curam honestatis auferri, omnem conjugiorum copulam solvi, simulque divinum jus humanumque subverti, si hujusmodi hominibus usquam vivere cum tali professione licuisset: & profuit diu ista districtio Ecclesiasticæ lenitati, quæ etsi Sacerdotali contenta judicio cruentas refugit ultiones, severis tamen Christianorum Principum constitutionibus adjuvatur: dum ad spiritale nonnumquam recurrunt remedium, qui timent corporale supplicium*. Sed & Hieronymus

initio jure judiciorum & egregio publico defenſum, poſtea Ithacius in jurgiis ſolitus, ad poſtremum convictus, in eos retorquebat, quorum id mandato & conſiliis effecerat. ſolus tamen omnium epiſcopatu detruſus: nam Idacius, licet minus nocens,
5 ſponte ſe epiſcopatu abdicaverat: ſapienter id & verecunde, niſi poſtea amiſſum locum repetere tentaſſet. Ceterum Priſcilliano occiſo non ſolum non repreſſa eſt hæreſis, quæ illo auctore proruperat, ſed confirmata, latius propagata eſt: namque ſectatores ejus, qui eum prius ut ſanctum honorave-

mus ad Cteſiphontem ſcribens, nu. 3. *Quid loquer de Priſcilliano, qui & ſæculi gladio & totius orbis auctoritate damnatus eſt?*

1 *initio jure judiciorum*) *Initio* tempus illud omne deſignare puto, quod hæreticorum cædem præceſſit, aut proxime ſubſequutum eſt; *poſtea* autem, quod ſequitur, reliquum illud temporis ſpatium quo Maximus tyrannus imperium in Galliis tenuit: jam tum enim Ithacianæ factioni a reliquis epiſcopis crimini datum fuit mortem Priſcilliani ſollicitaſſe, ut ex Dial. III. cap. XI. & ſeq. colligitur: licet favore tyranni ſe a condemnatione aliquatenus defenderit, quam demum vitare nequivit quum Maximus fuit exſtinctus: ad quod demum tempus referendum illud, *ad poſtremum convictus*. Ceterum pro *jure judiciorum*, placeret *more judiciorum*.

1 *egregio publico*) Vorſtius: Egregio publico *pro* bono publico, *imitatione Taciti, qui lib.* III. *Ann. ad eum modum ſcripſit. Livius lib.* II. *contrarium ſimili forma dicit*, peſſimo publico. Sic & Varro lib. I. R. R. cap. 13. *Villæ peſſimo publico ædificatæ*. Gellius lib. VII. cap. 3. *quod optimum eſſe publicum exiſtimabat*.

2 *in jurgiis ſolitus*) Mendum ſubeſſe his verbis, aut aliquid excidiſſe videtur: neque tamen certi aliquid definire auſim. fruſtra etiam Giſelinus & Sigonius hunc locum ſollicitarunt.

4 *nam Idacius*) Libri pleriqne editi habent *Nardarius*: ſed, ut notavit Sigonius, legendum omnino, *Nam Idacius*, quem ſæpius Sulpicius Ithacio jam ſupra junxerat. Druſius contra, *legendum*, inquit, *ex editione nupera & alia Pariſienſi*, Urſacius. *ſic etiam Iſidorus*, &c. Verum editio illa Pariſienſis nullius auctoritatis eſt, quippe quæ nullo ſuffragante MS. a prima editione recedit: &, quod in ſuperioribus notis monuimus, qui Iſiduro & aliis *Urſacius* dicitur, Severo conſtanter *Idacius* eſt. tum quod Proſper, Iſidorus & alii ſcribunt, Ithacium & Urſacium excommunicatos fuiſſe; id Severus ita declarat, ut uni Ithacio id proprie conveniat: quum alter ſponte ſe epiſcopatu abdicaverit primum, licet poſtea ſedem ſuam repetere tentaverit. Quod autem addit Severus, Idacium *minus nocentem* fuiſſe, id comparatione Ithacii dictum veriſſime eſt. Tillemontius tamen, Not. XI. in Priſcill., in tranſverſum abreptus lectione illa apud Severum arbitraria *Urſacius*, omnia turbat & tenebras luci offundit, dum Nardacium aut Urſacium ab Idacio diſtinguendum ſtatuit.

8 *latius propagata eſt*) Recole quæ ſupra in Notis pag. 254. ex Idacii Chronico protulimus, quibus adde excerpta Geſtorum Concilii Toletani I. anno CCCC. habiti. His adde Oroſii Commonit. ad Augusti-

verant, poſtea ut martyrem colere cœperunt. peremtorum corpora ad Hiſpanias relata, magniſque obſequiis celebrata eorum funera. quin & jurare per Priſcillianum ſumma religio putabatur. Ac inter noſtros perpetuum diſcordiarum bel-

guſtinum, & hujus contra Priſcillianiſtas libros: præterea nonnullas contra eoſdem Honorii, Theodoſiique junioris leges ſeveriſſimas in codice ejuſdem Theodoſii digeſtas: denique ſuperius laudatam S. Leonis ad Turibium epiſtolam, multaſque ſynodos per illud ſæculum & ſequens in Hiſpaniis contra eamdem hæreſim habitas.

1 *poſtea ut martyrem c. c.*) In excerptis Actorum Concilii Toletani I. ſuperiori Nota laudatis, hæc habentur: *Herenas clericos ſuos ſequi maluerat, qui ſponte nec interrogati, Priſcillianum catholicum ſanctumque martyrem clamaſſent; atque ipſe uſque ad finem catholicum hunc eſſe dixiſſet, perſecutionem ab epiſcopis paſſum*, &c. ac paullo ante: *putat reſpondiſſe Symphoſium, ſe a recitatione eorum qui dicebantur martyres receſſiſſe*: ita enim hunc locum legendum puto, non ut in editis, *quæ dicebant martyres*. nimirum omiſerat primum Symphoſius recitare, puta in Canone Miſſæ, inter reliquos martyres Priſcillianiſtarum occiſorum nomina. Perpendenda etiam verba hæc Auguſtini ex libro ad Conſentium Contra mendac. cap. v. ſeu num. 9. *Cum igitur blaſphemare Deum doceamus noſtros* (ita nimirum aliqui faciendum eſſe dicebant, ut qui vere Priſcillianiſtæ eſſent, deprehenderentur: quod tamen Auguſtinus toto eo libro vehementer reprehendit) *ut eos Priſcillianiſtæ credant ſuos; videamus quid mali dicant ipſi, quando propterea mentiuntur, ut eos noſtros eſſe credamus. Anathematizant Priſcillianum, & ad noſtrum arbitrium deteſtantur: dicunt animam creaturam Dei eſſe, non partem: exſecrantur Priſcillianiſtarum falſa martyria: catholicos epiſcopos, a quibus illa hæreſis nudata, oppugnata, proſtrata eſt, magnis efferunt laudibus, & cetera hujuſmodi*, &c. Ceterum Sigonius ex Joanne Vaſæo notat Priſcillianum adhuc in quibuſdam Martyrologiis tamquam martyrem recenſeri: & Druſius id Petro de Natalibus merito exprobrat, quod Priſcillianum & Latronianum inter martyres ex Hieronymi auctoritate retulerit. Verum Hieronymus hęc tantum habet in lib. de Vir. Ill. cap. cxxi. quod eſt de Priſcilliano: *Hic uſque hodie a nonnullis Gnoſticæ . . . . . hæreſeos accuſatur, defendentibus aliis, non ita eum ſenſiſſe, ut arguitur*.

4 *Ac inter noſtros*) Mallem *At int. n.*; ſed quocumque legas modo, nova inde periodus exordienda, non ut in editis omnibus: *religio putabatur, ac inter n.*

4 *perpetuum diſcordiarum bellum*) S. Ambroſius in Concione de obitu Valentiniani, an. cccxcii. habita, *Gallorum frequentes diſſenſiones* memorat, propter quas eo ad Valentinianum pergere crebro ſe excuſaverat: ſed de origine harum diſcordiarum nihil habet. habet autem nonnihil Proſper in Chronico, ut vocant, Imperiali, ad annum ſeptimum Theodoſii, qui eſt Chriſti cccxc. *Ingens inter noſtros contentio oborta: quod ſcilicet epiſcopi qui ab hæreticis depulſi fuerant, nollent, his ab imperatore dejectis, alios quam ſe ſubſtitui ſacerdotes*. Sed & alias eaſque multo graviores diſcordiarum cauſſas indicat Concilium I. Toletanum his verbis a Patruino, vel Patrono epiſcopo prolatis: *Quoniam ſinguli cœpimus in Eccleſiis facere*

bellum exarserat, quod jam per quindecim annos fœdis dissensionibus agitatum, nullo modo sopiri poterat. Et nunc, cum maxime discordiis episcoporum turbari aut misceri omnia cernerentur, cunctaque per eos odio aut gratia, metu, inconstantia, invidia, factione, libidine, avaritia, arrogantia, somno, desidia essent depravata: postremo plures adversum paucos bene consulentes, insanis consiliis & pertinacibus studiis certabant: inter hæc plebs Dei & optimus quisque probro atque ludibrio habebatur.

facere diversa, & inde tanta scandala sunt, quæ usque ad schisma perveniunt; si placet, communi concilio (leg. *consilio*) *decernamus, quid ab omnibus episcopis in ordinandis clericis sit sequendum*. Huc etiam spectant quæ Innocentius Papa I. in epistola ad episcopos synodi Tolosanæ, seu Toletanæ, præloquitur: *Sæpe me & nimia cum teneret cura sollicitum super dissensione & schismate Ecclesiarum, quod per Hispanias latius in dies serpere, & citatiore gradu incedere fama proloquitur*, & quæ sequuntur. Apparet itaque lites inde ortas quod magna in disciplinam ecclesiasticam discrepantia, atque adeo corruptela irrepserat: quæ tamen magna ex parte Priscillianistarum & Ithacianorum factionibus sit adscribenda.

1 *per quindecim annos*) Hoc nimirum temporis spatium fere intercesserat a Priscilliani morte ad consulatum Stiliconis, seu anni cccc. initium, quæ est hujus Operis epocha. Liquet tamen ex verbis *putabatur*, *exarserat*, & quæ post sequuntur, Severum hæc aliquanto post annum illum cccc. scripsisse.

2 *Et nunc*) Nullus ambigo, quin legendum sit *Et tunc*: nam, ut & superiori Nota monuimus, omnia verba præteriti temporis sunt.

5 *arrogantia, somno, desidia*) Vocem *somno*, quæ a plerisque libris exciderat, supplemus ex Giselini editione & paucis aliis, tum ex ipso MS.

6 *plures adversus paucos*, &c.) S. Gregorius Turon. lib. II. H. F. cap. 13. affert Paullini Nolani fragmentum, quod habetur etiam inter ejus epistolas sub num. XLVIII., & ad annum circiter CCCCIX. refertur, his verbis conceptum: *Si enim hos videas dignos Domino Sacerdotes; vel Exsuperium Tolosæ, vel Simplicium Viennæ, vel Amandum Burdigalæ, vel Diogenianum Albigæ, vel Dynamium Engolismæ, vel Verecundum Arverniæ, vel Alethium Cadurcis, vel nunc Pegasium Petragoriis; utcumque se habent sæculi mala, videbis profecto dignissimos totius fidei religionisque custodes*. Hæc itaque Paullinus ad aliquem, qui in episcoporum ejus temporis depravatos mores acerbius inveheretur, ut noster fecit; fortassis etiam ad eumdem Sulpicium scripserit.

7 *certabant*) Sententia postulare videtur, *certarent*.

8 *quisque probro*) MS. *unusquisque probro*, qui desinit cum editis, *atque ludibrio habebatur*, ne uno quidem verbo superaddito.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN SULPICIUM SEVERUM

DISSERTATIO I.

Temporum ratio, seu Chronologia, Sacræ Historiæ Sulpicii Severi, partim ex verbis ipsis, partim ex mente ejusdem contexitur.

	Tempor. intervalla.	Anni post Diluvium.	An. a Mund. condito.
M*Undus a Domino constitutus est ab hinc annos jam pæne sex milia, sicut processu voluminis istius digeremus.* Hæc nimirum ipso initio lib. I. habentur pag. 3. Quam id vere ab eo dictum sit, & qua ratione eam annorum summam confecerit, ex sequentibus manifestum fiet			
I. *Noe arcam egressus est a mundi exordio post annos, ut ego comperio, II. CC., duos & quadraginta.* Ibidem pag. 6. & seq. Totidem annos a mundo condito ad diluvii non finem, sed initium constituunt plerique omnes, qui τῶν LXX. versionem sequuntur. Sit itaque primum hoc intervallum annorum.	2242		2242
II. *Abraam natus est post diluvium anno millesimo & septuagesimo.* pag. 9., & vide quæ ibidem notavimus.	1070	1070	3312
III. Abraam *admonitus a Domino, domum, patriam ac patrem relinquens, in terram Chananæorum profectus* est, cum esset annos natus LXXV. Ibidem.	75	1145	3387
Hic numerus non modo aperte habetur Gen. XII. 4., sed colligitur etiam ex sequentibus Severi			

Digitized by Google

	Tempor. intervalla.	Anni post Diluvium.	An. a Mundo condito.
veri calculis : adeo ut a Severo nullo pacto omitti debuerit, sed ex ipsius textu librariorum culpa fortasse exciderit.			
IV. *Jacob in Ægyptum descendit .... Id gestum anno ætatis Jacob centesimo & trigesimo ; a diluvio autem anno* CIↃ. CCC. & LX. *Ceterum ab eo tempore quo Abraam in terra Chananæorum consedit, in id quo Jacob Ægyptum ingressus est, referuntur anni CCXV.* pag. 21. Porro anni CCXV. ab adventu Abrahæ in Chananæam ad ingressum Jacob in Ægyptum ita conficiuntur. Ab anno Abrahæ LXXV., quo migravit in Chananæorum regionem, ad nativitatem Isaac, quæ in centesimum Abrahæ annum incidit, (vide pag. 12.) anni sunt XXV.; ab eo tempore ad Jacob natum anni fere LX. (vide pag. 13.) His adde CLX. annos Jacob: erunt simul anni CCXV.	215	1360	3602
V. *Populus egressus* est ex Ægypto post annos CCXV. ab eo tempore, quo Jacob in Ægyptum pervenerat : *ab eo autem quo primum Abrabam terram Chananæorum accesserat, anno trigesimo & quadringentesimo : a diluvio autem mille quingentis quinque & septuaginta.* pag. 24. Primum illud intervallum, ab ingressu Hebræorum in Ægyptum ad egressum, supplevimus, quia excidisse in Severi codice minime dubitamus, ut in Notis pag. 24. indicavimus.	215	1575	3817
VI. *Moyses mortuus est, cum XL. in deserto annos populo præfuisset.* pag. 35.	40	1615	3857
VII. *Frequens opinio est, XX. & VII. annis eum* (Josue) *Hebræis præfuisse. quod si ita est, a mundi exordio in excessum ejus anni sunt* III. DCCCLXXX. & IIII. pag. 38.	27	1642	3884
VIII. *A die mortis Jesu usque in id tempus quo Sampson defunctus est, numerantur anni CCCC. & XIX., a mundi autem exordio anni* IIII. CCC. & III. pag. 48. & seq. In Notis pag. 49. exhibetur Tabella Chronologica a Josue excessu ad Samsonis mortem juxta	419	2061	4303

juxta Severum, quam heic repetere prætermittimus.

Tempor. intervalla.	Anni post Diluvium.	An. a Mundo condito.

IX. Salomon *templum Domino immensi operis facere aggressus, paratis per triennium impendiis: quarto fere imperii anno primum fundamentum jecit, a profectione Hebræorum ex Ægypto anno fere octavo & octogesimo & quingentesimo*. pag. 66. & seq.

Tempor. intervalla.	Anni post Diluvium.	An. a Mundo condito.
102	2163	4405

In Notis pag. 66. ob oculos proponitur Severi calculus ab exitu Hebræorum ex Ægypto ad hoc usque tempus, unde si Heli annos XX., Samuelis & Saulis XL., Davidis itidem XL., & Salomonis tres vel quatuor sumas, emerget intervallum CII. annorum, quod a proxime superiori epocha ad hanc intercedit: quamquam, ut ibidem monuimus, duorum, vel unius saltem anni defectus deprehendatur. Scripserit itaque fortasse Severus *nono* pro *octavo*, seu VIIII. (ut olim scribi in usu erat) pro VIII.

X. *A quarto Salomonis anno, seu a templi jactis fundamentis, ad captivitatem usque Babyloniam sub rege Sedecia, anni fere CCCCXXXVII. numerantur*.

Tempor. intervalla.	Anni post Diluvium.	An. a Mundo condito.
437	2600	4842

Desideratur apud Severum (neque ejus rei modo caussam inquiremus) annorum numerus a templi ædificatione ad ejusdem destructionem, & captivitatem usque Babyloniam. Hunc itaque annorum numerum nos collegimus ex omnium regum Juda annis simul compactis juxta ipsius Severi rationes, qui nimirum capite XLVII. pag. 81. scribit: *Horum nos regum, omniumque qui in parte decem tribuum Samariæ præfuerunt, adnotanda esse tempora non putavimus: quia brevitati studentes, superflua omisimus: & ad cognitionem temporum ejus potissimum partis annos credimus persequendos, quæ in captivitatem posterius abducta prolixius tempus in regno habuit*. Ut autem computi nostri ratio unicuique constare possit, Indicem regum Juda & annorum uniuscujusque dabimus eum

singulorum annis ex mente Auctoris. Videsis Tabellam infra positam. (*)

	Tempor. intervalla.	Anni post Diluvium.	An. a Mundo condito.
XI. 1. *LXX. anni per Sacram Historiam a captivitate usque ad Cyrum fuisse referuntur*. lib.II. pag. 104.			
2. Cyrus *initio regni, propositis publice edictis, dat potestatem Judæis in solum patrium redeundi*. pag. 109.			
3. *Judæi, quos ex permissu Cyri in patriam regressos supra memoravimus, urbem ac templum restituere aggressi, ut pauci atque inopes, parum proficiebant; donec centesimo fere anno Artaxerxe rege Persis imperitante, per eos qui locis præerant, ab ædificando sunt deterriti . . . . . Comprobato a rege præsidum consilio, probibita urbis ædificatio, usque in secundum Darii regis annum dilata est*. pag. 110. & seq. Vide & pag. 113. ubi eadem fere repetuntur.			
4. *Darius sub quo templum est restitutum, regnum adeptus est, cui Ochus tum nomen erat*. pag. 113. & seq.			
5. *Ita templum quadriennio est consummatum, sexto post anno quam Darius regnare cœperat*. pag. 114.			
6. Neemias *adversa gentis suæ & ruinam civitatis deflere, quæ jam per annos fere ducentos & quinquaginta solo strata, malorum te-*			

* TABELLA CHRONOLOGICA REGUM JUDA JUXTA SEVERUM.

	An. Reg.	Pag.
Salomon, a cœpto templo	37.	
nam annos 40. regnavit.		69.
Roboam Salomonis filius	17.	70.
Abiud Roboam F.	6.	Ib.
Asa Abiud F.	41.	71.
Josaphat Asæ F.	25.	73.
Joram Josaphat F.	18.	78.
Ochozias Joram F.	1.	79.
Gotholia, sive Athalia,		
Ochoz. mater	8.	Ib.
Joas Ochoziæ F.	40.	Ib.
Amassias Joas F.	29.	80.
Ozias Amassiæ F.	52.	82.
Summa an.	274.	

	Anni 274.		Pag.
Joathas Oziæ F.	16.		82.
Achaz Joathæ F.	16.		87.
Ezechias Achaz F.	29.		89.
Manasses Ezechiæ F.	55.		Ib.
Amon Manasses F.	2.		Ib.
Josias Amon F.	31.		90.
Joachaz Josiæ F. mensibus		3.	Ib.
Eliachim, vel Joachim			
alter Josiæ F.	11.		91.
Joachim Eliachim F.,			
mensibus		3.	91.
Sedechias	11.		Ib.
Summa an. 436. m. 6.			

Digitized by Google

testimonium , spectaculum inimicis præbebat . pag. 116.

7. *Consummatio restitutæ urbis* (Hierusalem) XXX. & II. *imperii Artaxerxis anno refertur* . . . . *A die autem captivitatis Judæorum usque in tempus restitutæ civitatis fuerunt anni CCLX*. pag. 117. , & seq.

Tempor. intervalla.	Anni post Diluvium.	Ann. a Mundo condito.
260	2860	5102

Habes in his verbis , 1. annos LXX. captivitatis ; 2. templi & urbis ædificandorum sub Artaxerxe primo inhibitionem , *centesimo fere anno* ab initio regni Cyri ; 3. templi consummationem sub Dario Ocho ; 4. Neemiæ dolorem ob civitatem Hierusalem *jam per annos fere ducentos & quinquaginta solo stratam* ; 5. ejusdem denique urbis restitutionem sub Artaxerxe II. post annos CCLX. ab initio captivitatis . Visum est itaque hæc omnia in unum compingere , quoniam & sub eodem temporis intervallo comprehenduntur , & sibi invicem lucem impertiuntur : ut ex sequentibus tribus Tabellis constabit , in quibus tum seorsum singula putantur , tum simul omnia componuntur , adnotatis diligenter regum Babyloniorum & Persarum annis ex mente & scopo Auctoris , scribentis potissimum lib. I. cap. IX. pag. 111. *Sed hoc tractu temporis qui reges Persis imperaverint , inseremus , quo facilius annorum series in ordinem contexta prodatur* . tum cap. XIX. lib. II. pag. 136. *Sed , ut temporum ordo consertus sit , ac liqueat evidentius quis hic fuerit Antiochus* (de Antiocho Antiochi Magni filio loquitur , qui *Epiphanes* est dictus) *regum qui post Alexandrum in Syria fuerunt , & nomina & tempora enumerabimus* : tum cap. XXV pag. 149. & seq. *Demetrius refecto cum Judæis fœdere . . . . . . annua eis vectigalia in perpetuum remittit . . . . . . Id gestum Demetrii regis anno secundo : quod ideo signavimus , quia usque in hunc annum per tempora Asianorum regum cucurrimus , ut ratio temporum digesta luceret . Nunc autem per tempora eorum qui Judæis vel pontifices vel reges fue-*

fuerunt, usque ad Christi nativitatem rerum ordinem digeremus. (*)			
XII. *Consummatio restitutæ urbis* (Hierosolymorum) XXX. *&* *II. imperii Artaxerxis anno refertur : a quo tempore usque ad Christi crucem, id est Fusium Geminum & Rubellium consules, anni CCCXC. & VIII.* pag. 117. & seq. De hoc intervallo fusius infra, quum aliquot nodi & difficultates quibus implicatur, plane solventur.	398	3258	5500
XIII. *Hoc regnante* (de Herode Tetrarcha Galilææ sermo est) *anno regni octavo* (sed *nono* forte legendum, ut infra dicemus) *& decimo Dominus crucifixus est, Fusio Gemino & Rubellio Gemino consulibus. A quo tempore usque in Stiliconem consulem sunt anni CCCLXXII.* pag. 158.	372	3630	5872

Quo-

* TABELLÆ TRES AD SEVERI EPOCHAM XL SPECTANTES.

Tabella I. in qua LXX. anni captivitatis digeruntur.

	An. Reg.	Pag.
Nabuchodonosor, post captum Sedeciam	26.	103.
Evilmerodach	12.	105.
Baltassar	14.	106.
Darius Medos	18.	108.
Summa an.	70.	

Tabella II., a Cyri initio ad Artaxerxem I. seu Longimanum.

	An.	Reg.	Pag.
Cyrus regnat an.	31.		111.
Cambyses	9.		112.
Magi fratres mens.		7.	Ib.
Darius Hystaspis F.	36.		Ib.
Xerxes	21.		113.
Summa an.	97. m. 7.		

Quibus annis 97. & mens. 7. si addas duos tresve annos Artaxerxis, erunt anni *fere* centum a Cyro ad tempus quo ex mente Severi impedita fuit templi ædificatio.

Tabella III. ab initio captivitatis ad Artaxerxis II. an. 32.

Ex Tab. I. anni captivit.	70.		
Ex Tabella II. a Cyro ad Artax. anni	97. m. 7.		Pag.
Artaxerxes I. regnat an.	41.		113.
Xerxes II. mens.		2.	Ib.
Sogdianus mens.		7.	Ib.
Darius Ochus, cujus an. VI. templum fuit restitutum, regnat an.	19.		
Artaxerses II. an.	32.		119.
Summa an.	260. m. 4.		

A qua summa si demas XII. postremos annos Artaxerxis, habebis ejusdem Artaxerxis annum XX., quo Neemias impetravit redeundi in patriam facultatem: atque adeo erunt ab urbe Hierosolymorum exeisa anni *fere ducenti & quinquaginta*, quot ex mente Severi ipse Neemias enumerat num. 6., seu anni CCXLVIII. Vide quæ notavimus pag. 116.

Quoniam autem Fl. Stiliconis V. Cl. primus consulatus, qui in annum æræ Christianæ CCCC. incidit, terminus est ac veluti meta, ad quam usque Severus Breviarium Historiæ Sacræ perduxit (ut vel ex illo loco apparet, in quo legitur: *Omne enim tempus in Stiliconem consulem direxi*) ex digesta hactenus temporum serie colligitur effluxisse a mundo condito ad Stiliconem consulem, atque adeo ad hujus operis finem annos fere V. CIↃ. IↃCCC. & LXXII.: itaque anni circiter CXXVIII. adhuc deficiunt ad complementum sex mille annorum, de quibus ipse initio scripserat: *Mundus a Domino constitutus est abhinc annos jam pæne sex millia*.

Restat modo ut, quod jam in superioribus epochis præstitum est paucis, pluribus verbis in duabus postremis faciamus: nempe, ut explanemus quæ in iisdem occurrunt difficultates, easque epochas, quoad fieri poterit, demonstremus consentaneas ipsis Auctoris rationibus. neque enim nunc id agimus, ut Severum immunem venditemus a quocumque circa Chronologiam errore (in quam eum sæpe nec leviter peccasse, in Notis subinde observavimus) sed ut eumdem sibi perpetuo constantem, ac satis accuratum (prout ea quibus vixit tempora, ferebant) in temporum intervallis computandis designandisque ostendamus: cujus rei ipse sibi testimonium perhibet, præcipue cap. XXIX. lib. I., seu pag. 49. *Sed mihi conscius sum, me non incuriose latentem annorum ordinem protulisse, donec in hæc tempora incidi, de quibus dubitare me fateor*: & cap. XL. pag. 63. *Sed non dubito librariorum potius negligentia, præsertim tot jam sæculis intercedentibus, veritatem fuisse corruptam, quam ut propheta erraverit: sicut in hoc ipso nostro opusculo futurum credimus, ut describentium incuria quæ non incuriose a nobis sunt digesta, vitientur*.

Itaque, ut a priori epocha initium ducamus, quæ est a restauratione urbis Hierosolymitanæ, seu ab anno XXXII. Artaxerxis II. qui *Mnemon*, seu *Memoriosus* est dictus, ad Christum passum, quæque annorum CCCXCVIII. spatio concluditur; eam Severus ex Persarum primum regum, tum Seleucidarum qui post Alexandrum Magnum in Syria regnarunt, denique ex pontificum regumque Judæorum annis in unam summam redactis confecit, ut ipse declarat locis supra pag. 275. laudatis.

Auctoris proinde vestigiis insistens, singulorum regum annos qui ad hoc intervallum spectant, diligenter collegi statim atque in unam seriem redegi, quam tamen deprehendi viginti fere annis excedere numerum ab eodem in allato supra ex pag. 118. loco indicatum: quæ res non levem mihi molestiam attulit, quum non satis invenirem qua ratione eum nodum solverem, & Severum sibimet, ut in me receperam, constantem ostenderem. Venit itaque in men-

Digitized by Google

mentem illico quod paullo supra ex eodem Severo transcripseram: nimirum, quod ipse tanto antea futurum prævidit, hoc loco accidisse, *ut describentium incuria, quæ non incuriose ipse digesserat*, *vitiata* fuerint: neque enim secus id fieri potuit. Verum ubi potissimum mendum cubare conjicerem? suspicatus sum primo summam annorum CCCXCVIII. mendosam esse, & exili forte mutatione legendum CCCCXVIII.: sed postea deprehendi numerum illum Severi rationibus apprime consentaneum, ac proinde, ne majores nobis molestias crearet, minime sollicitandum. In aliam itaque partem me converti, ut erratum in exscribendis annis singulorum regum potius crederem: & quoniam memineram pag. 123. & 129. animadvertisse me in Artaxerxe II. viginti commodum annorum discrepantiam (nam ubi priori loco dicitur eum regnasse *annos duos & sexaginta*, in posteriori significatur eumdem annis tantum XLII. Persarum imperium administrasse); quamvis in Notis ad ea loca illi potius lectioni animum accommodaverim quæ Artaxerxis regno LXII. annos adscribit, propterea quod conformis esset iis quæ pag. 130. traduntur, ubi nimirum Persarum imperium *annis ducentis & quinquaginta* stetisse legitur; nunc tamen mutata sententia ob eam quam dixi caussam, annos tantum XLII. Artaxerxi a Severo attributos minime dubito, quot nimirum ex pag. 129. colliguntur: duos autem illos textus qui pag. 129. & 130. leguntur, corruptos fuisse facile mihi persuadeo. Hoc pacto singulorum annis in unam summam redactis a XXXII. Artaxerxis II. ad XVIII. Herodis Tetrarchæ colliguntur anni CCCXCV. ac menses VI., ut ex subjecta Tabella manifestum fit. (*)

Verum

* TABELLA CHRONOLOGICA EX SEVERO

	An. Reg.	Pag.	Sum. an. 195.		
Artaxerxes II. regnat an. 42., a 32. sunt an.	10.		Antiochus frater Seleuci, dictus *Epiphanes*	11.	143.
Ochus	23.	129.	Antiochus Eupator, Antiochi F.	2. m.6.	144.
Arses Ochi F.	3.	130.	Demetrius Seleuci F.	12.	146.
Darius, ultimus Persarum	4.	Ib.	Alexander	5.	Ib.
Alexander Macedo	7.	Ib.	Demetrius Demetrii F.	2.	148.
Interregnum ann.	8.	136.	Simon Machabæus Pontifex	8.	150.
Seleucus in Syria regnat an.	32.	Ib.	Joannes Hyrcanus Simonis F.	26.	Ib.
Antiochus Seleuci F.	19.	Ib.	Aristobulus Rex	1.	151.
Antiochus Antiochi F., qui & *Theos* dictus,	25.	Ib.	Alexander frater Aristobuli	27.	Ib.
Seleucus Callinicus Antiochi F.	21.	Ib.	Salina, sive Alexandra, Alex. uxor	9.	Ib.
Seleucus Callinici F.	3.	Ib.	Hyrcanus F. Alexandri	34.	153.
Antiochus Magnus, frater Callinici	37.	137.	Herodes alienigena	37.	157.
Seleucus Antiochi M. F.	12.	Ib.	Archelaus Tetrarcha	9.	Ib.
			Herodes Galilææ Tetrarcha	41.	158.
Summa an.	135.		Summa omnium an.	195. m.6.	

Verum hic numerus annorum licet proxime accedat ad Severi rationes, relinquit adhuc discrepantiam triennii, vel saltem biennii, quam tamen ipsam non Severi incuriæ sed librariorum vitio adscribendam judico : & quamvis difficilius sit certo definire quo loco biennium illud detruncatum fuerit, meam nihilo minus conjecturam producam. Habemus pag. 136. Seleucum *post novem annos* ab excessu Alexandri regnare cœpisse : quibus verbis, ut ibidem notavimus, designatur initium æræ Seleucidarum, cujus tamen verum initium non decem, sed duodecim fere annis Alexandri obitu posterius est. Scripserit itaque fortasse Severus *post XI. annos*, sed librarii per errorem exscripserint primum *post IX. annos*, tum alii pro notis numeralibus, *post novem annos*. id si ita gestum esse probari possit, habebimus integrum biennium quod quærimus.

Sane pag. 135. & seq. legitur primam Hierosolymorum vastationem & cladem sub Antiocho Epiphane accidisse *ab excessu Alexandri anno centesimo, uno & quinquagesimo, Paullo Crassoque consulibus, post quinquennium fere quam Antiochus regnare cœperat* : quæ postrema verba repetuntur pag. 337., quo loco hæc præterea adduntur quæ alia occasione paullo ante descripsimus : *Sed, ut temporum ordo consertus sit, at liqueat evidentius, quis hic fuerit Antiochus; regum qui post Alexandrum in Syria fuerunt, & nomina & tempora commemorabimus*. Atqui loca ista gravi difficultate non carent : quamvis in Notis ex I. Mach. I. aliquo modo eam solvere aut eludere conatus sim : nam si, quod ipse Severus factum voluit, seriem annorum, ut in ejus textu descripti sunt, colligas; summa erit an. CLIII., ut ex infra posita Tabella liquet (*). Attamen Paulli Crassique consulatus, qui a Severo semel & iterum commemoratur, biennium adhuc deesse indicio est : nam si ab illis consulibus ad duos Geminos in Fastis numeres, erunt tibi anni CXCVI., quibus si addas annos XLVII., qui apud eumdem Severum ab Artaxerxis XXXII. ad Alexandri Magni obitum intercesserunt, supererunt anni non CLIII., sed CLV. ab Alexandro mortuo ad annum illum, quo direptam ab Antiocho Hierusalem idem statuit : qui sane numerus exacte habebitur, si ab Alex-

* TABELLA AB EXCESSU ALEXANDRI AD ANTIOCHI EPIPHANIS ANNUM V.

	An. Reg.		
Alexander Macedo moritur, postquem Interregnum an.	9.	Seleucus Seleuci Call. F.	3.
Seleucus in Syria regnat an.	32.	Antiochus Magnus Seleuci frater	37.
Antiochus Seleuci F.	19.	Seleucus Antiochi Magni F.	12.
Antiochus Antiochi F.	15.	Antiochus Seleuci frater, dictus *Epiphanes*, anno V. regni sui Hierosolyma spoliat	5.
Seleucus Callinicus Antiochi F. annis	21.	Summa an.	153.

Alexandro ad Seleucum non IX., sed XI. anni interregni numerentur. Itaque pro *anno centesimo, uno & quinquagesimo* legendum fuerit *centesimo, quinto & quinquagesimo*, seu CLV. pro CLI.: & eo pacto omnia sibi perbelle & ad amussim respondebunt.

Sed est alius praeterea locus, quem suspectum nobis esse supra indicavimus: nimirum ubi legitur Herodis *anno regni octavo & decimo Dominum crucifixum Fusio Gemino & Rubellio Gemino coss.*, opinamur legendum esse *nono & decimo*, idque ex Fastis consularibus praecipue evincimus. Adsixerat Auctor pag. 156. Jesu Christi nativitatem *Sabino & Rufino consulibus, VIII. Kal. Januarias*: atqui inter hos & supradictos consules intercedunt in Fastis paria consulum XXXI., adeo ut ex sententia Severi vixerit in terris Dominus integris annis XXXI., ac mensibus aliquot anni XXXII. usque ad Paschatis festum (*). Verum is numerus apud eumdem minime habebitur, nisi XIX. Herodis anno Christum passum scripserit, quum eum natum statuat anno XXXIII. Herodis regis, cui XXXVII. omnino annos regni cum Eusebio tribuit: itaque post Christum natum quatuor eidem annos diserte assignat, novemque Archelao: supplendi proinde sunt Herodis Tetrarchae anni X. & IX., ut annus Christi XXXII. inceptus habeatur. Non est autem facile putandum aut Severum in consulum Fastis excutiendis fuisse negligentem, aut mendosos eum hoc bravi in intervallo Fastos prae manibus habuisse; sed potius aliquem data opera annum subduxisse ex regno Herodis, ut Auctorem quem describebat aut evolvebat, ad Chronici Eusebio-Hieronymiani, prout in omnibus fere codicibus jamdiu depravatis legitur, normam componeret; in quibus nimirum mors Christi anno XVIII. Herodis & Tiberii imperatoris consignatur, quam tamen Eusebium, atque ipsum S. Hieronymum ejus interpretem anno Tiberii XIX. adfixisse asserimus: de quo in Differt. III. agemus.

Non me praeterit in Notis pag. 155. & 157. aliam a me initam rationem: scilicet in Herodis annum non XXXIII. sed XXXII. Jesu Christi nativitatem collocandam conjeceram, cui & in Eusebiano Chronico affigitur: ita enim Herodum anni cum annis consulum con-

(*) Ægidius Bucherius Comm. in Victorii Canonem Paschalem, cap. XII. pag. 218. & seq. haec habet: *Ceterum, quando de annis a Nativitate Christi mentionem hic intulimus, omittendum non censui, quod manuscriptus codex (Victorii) de iis notaverat. Duas diversas opiniones suggerebat sive idem scriptor sive diversus, quarum ego neutram Victorii esse puto. Prima ante Victorii Prologum, veluti nihil ad ejus opus attinens, his verbis concepta erat:* SULPITIUS. Christus natus est Sabino & Rufino Coss. VIII. Kalendas Januarii. Passus duobus Geminis Coss. A Nativitate Domini, Rufino & Sabino Coss., usque ad Passionem ejus, Ruso (ita semper apud Victorium scribitur hujus consulis nomen, non *Fusio* aut *Fufio*) videlicet & Rubellio Coss. Geminis, sub quibus Christus crucifixus in die VIII. Kalendas Aprilis, sunt anni XXXI. & menses tres. *Haec ille*: &c.

conciliari posse putabam. Nunc vero mutata sententia ita sentio, ob eam quam paullo ante innui caussam: nimirum quod in Eusebiano eodem Chronico mortem Christi cum anno XIX. Tiberii atque Herodis Tetrarchæ omnino connectendam deprehendi, nisi mea me fallit opinio, quam in laudata Differt. III. fusius prosequar. Accedit quod annorum CCCXCVIII. a restauratione Hierusalem ad Christum passum computus ita habeatur absolutissimus.

Hæc quæ diximus, ad priorem ex duabus postremis epochis proprie spectant. pauca nunc de altera dicamus, qua a duobus Geminis ad Stiliconem consulem annos effluxisse dicuntur CCCLXXII. Sane non aliunde quam ex Fastis consulum eum numerum a Severo collectum persuasum habeo, eo quod per hoc intervallum annos cujusque Imperatoris Romani singillatim non recenseat. Sed quoniam a Geminis coss. ad Stiliconem usque in Fastis paria tantum consulum CCCLXX. interiecta inveniuntur, si quidem uterque terminus, seu Geminorum & Stiliconis ipsius consulatus adnumeretur, annorum numerus plane conveniet: quod tamen Severum minime sibi voluisse putarim; neque enim alibi eam computandi rationem sequitur. malim itaque credere anni unius vel alterius parachronismo eum peccasse, mendosos Fastos sequutum.

Reliquum modo est, ut simul conjunctis duabus his de quibus hactenus seorsum egimus, Severi epochis, quæ summam conficiunt annorum IↃCCLXX., hanc ipsam summam sumtis aliunde ex Severo momentis confirmemus, ejusque computo omnino conformem declaremus: quod & scriptoris diligentiæ commendandæ, & utrique epochæ, priori præsertim, confirmandæ plurimum inserviet. Sed res aliquanto altius est repetenda.

Agens Auctor noster lib. II. cap. IX. pag. 112. de Dario Hystaspis filio, quem cum plerisque historicis annos sex supra triginta regnasse tradit, hæc addit: *Hic ante quadriennium quam decederet, apud Marathonam pugnavit . . . . . . id gestum post Romam conditam anno fere ducentesimo & sexagesimo, Macerino & Augurino consulibus, abhinc annos, si tamen investigatio Romanorum consulum non fefellit, IↃCCCLXXX. & VIII. Omne enim tempus in Stiliconem consulem direxi.*

Porro his paucis verbis multa ad rem Chronologicam spectantia exhibentur: 1. pugna Marathonia comparata cum anno Darii XXXII., in quo Severus gravissimos auctores habet Herodotum & Thucydidem, ut ex Petavio in Notis monuimus: 2. ejusdem pugnæ tempus collatum cum anno ab V. C. *fere* CCLX., quod item, uti etiam A. Gellius in Notis productus, ex antiquo aliquo latino Chronico sumserit: 3. Macerini & Augurini consulatus cum dicto anno ab V. C. copulatus, qui tamen anno CCLXII. congruit: 4. spa-

Macerinum & Augurinum, annos utrimque comperiet XLII. incœptos, ut ex Tabella apparebit (*).

Verum ut in instituto examine pergamus, narrat Severus pag. 113. & seq., ut Darii Ochi, sive Nothi, anno secundo templi ædificatio, jamdiu intermissa, resumta fuerit, ac brevi spatio temporis maturata: *Ita templum quadriennio est consummatum, sexto post anno quam Darius regnare cœperat*; tum pag. 118. hæc habet: *Ceterum a restitutione templi usque in eversionem, quæ sub Vespasiano ..... consummata est, anni CCCCLXXX., & III.*: denique pag. 165. postremam hanc sub Vespasiano templi eversionem describens, addit: *templum dirutum abbinc annos trecentos triginta & unum*. junge igitur numeros illos, erunt a restauratione templi, seu ab anno Darii sexto (inde enim initium numerandi est faciendum, non ab anno secundo, ut per errorem in Notis pag. 118. legitur) ad Stiliconem anni DCCCXIV.: ab hoc vero numero si subducas annos XLVI., qui ab illo Darii anno ad XXXII. Artaxerxis effluxerunt (**), reliqui erunt anni supradicti DCCLXX. ab Artaxerxis *XXXII.* anno ad Stiliconem ex Severo numerandi; quod erat probandum.

Quamvis autem hæc abunde sufficiant, rursus sume tibi spatium hoc annorum DCCCXIV., illudque compara cum altero annorum DCCCLXXXVIII., quod a Dario Hystaspis filio ad Stiliconem Severus deduxit; discrepantia erit annorum LXXIV. Numera annos a Dario Hystaspis XXXI. ad Darii Ochi VI.; erunt commodum anni totidem, si tres, ut supra, menses suppleas: atque adeo concordabunt inter se duæ illæ temporis notæ: neque sane secus fieri potest juxta tritum illud Mathematicorum axioma: *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*. Vide tamen Tabellam (***).

Nn 2 Con-

* ANNI A XXXI. CYRI AD XXXII. DARII, ET A II. TARQUINII AD MACERINUM COS.

	an.	m.
Cyri annus regni ultimus	1.	
Cambyses regnat an.	9.	
Magi fratres mensibus		7.
Darii Hystaspis F. an. regni	32.	
Summa an.	42.	m.7.

	an.
Tarquinius Superbus regnat an. XXV.: itaque ab anno secundo sunt an.	24.
Post Tarquinium ad Macerinum & Augurinum usque, consulum paria	19.
Summa an.	41.

** ANNI A V. DARII OCHI AD XXXII. ARTAXERXIS II.

	an.
Darius Ochus regnat an. XIX.: a V. sunt reliqui an.	14.
Artaxerxis II. anni	32.
Summa an.	46.

*** ANNI A DARII XXXI. AD VI. DARII OCHI.

	an.	m.
A Darii Hystas. XXXI., an.	5.	
Post quem Xerxes an.	21.	
Artaxerxes I.	41.	
Xerxes II., mens.		2.
Sogdianus, mens.		7.
Darii Ochi ann.	6.	
Summa an.	71.	m.9.

Conferamus nunc, si placet, nostram hanc in Severum Chronogiam cum illa quam ex eodem contexuit Victor Giselinus, quæque in plerisque Severi editionibus posterioribus, in Lugduno-Batavis Hornii præsertim & in Lipsiensi Vorstii, inserta habetur. Equidem initio statueram de eadem ne verbum quidem facere, remque omnem aliorum judicio committere, ne viro alioqui diligenti & de Severi scriptis optime merito invidiam creare velle viderer. verum postea judicavi consultius esse, eam hoc loco ad examen revocare & aliquantisper excutere: ne quæ in ipsa occurrunt alucinationes, incautis diutius imponant, nostræque in illustranda Severi temporum digestione detrimento sint diligentiæ. neque enim satis tutum foret in hujuscemodi perplexis & involutis quæstionibus exspectare, ut lector ipse utriusque computi momenta accurate perpendat, & a qua potissimum parte veritas stet, probe dijudicet. Sit itaque ob oculos lectoris ipsa Giselini Tabella Chronologica.

		Anno Mundi
AB Orbe condito usque ad eluvionem & Noe ex arca egressum sunt anni	2242.	2242.
1. *Ab eo tempore ad Abrabami ortum anni sunt*	1070.	3312.
2. *Idem admonitus a Deo relicta patria venit in terram Chananæorum ætatis anno*	75.	3387.
3. *Ab ea Abrabami migratione in illud tempus quo Hebræi ex Ægypto sunt egressi, anni*	430.	3817.
4. *Ab eo Hebræorum egressu ad Josuæ mortem, anni*	67.	3884.
5. *A Josuæ morte ad mortem Samsonis anni*	419.	4303.
6. *A Samsone ad quartum Salomonis annum, quo templi prima fundamenta jacta sunt, anni*	102.	4405.
7. *A quarto Salomonis anno ad captivitatem Babylonicam sub Jeconia rege cœptam, anni*	424.	4829
8. *A primo ejus captivitatis die ad restaurationem templi perfectam & Hierosolymorum, anni*	260.	5089.
9. *Ab eadem templi restitutione ad Christi crucem duobus Geminis* COSS.*, anni vel potius*	* 398. 348.	5487. *sive* 5437.
10. *Ab iisdem consulibus ad Stiliconem cons. anni*	382.	5869. *seu potius* 5819.

Ex hac Tabella cum nostra comparata cuique intelligere facile erit, in quibus Giselini computus cum nostro consentiat, ab eoque

que rursus dissentiat. Sane, si statim ad summam postremam annorum a Mundo condito oculos convertas, duobus inter se diversis modis propositam; quæ minus illi probatur, triennio tantum a nostra diffidere videtur: sin autem singulares summas consideres, multæ nec leves discrepantiæ occurrunt a numero septimo, seu a quarto Salomonis anno, ad finem.

Nam primum eo numero septimo a jactis templi fundamentis ad initium captivitatis anni CDXXIV. numerantur, cum nos CDXXXVII. computaverimus: sed ratio hujus dissonantiæ ea est, quod captivitatem sub Jeconia, seu Joachim, cœptam ille, nos duodecim post annos sub Sedecia statuerimus: utra vero computandi ratio Severi verbis magis consentanea sit, facile perspici potest ex lib. II. cap. V. quo loco LXX. captivitatis annos numerare incipit a XXVI. Nabuchodonosoris anno *post devictum Sedeciam*. Habemus itaque annos XII.& sex menses a Giselino hoc capite omissos. verum quia, nescio quomodo, num. 10. a duobus Geminis ad Stiliconem decem adjecit annos, quos neque Severi textus habet, neque aliunde supplendos apparet, hinc factum ut triennio tantum, ut dicebamus, ejusdem summa a nostra distet.

Verum enimvero, quum eidem placeat a mundo condito ad Stiliconem consulem annos tantum V. M. DCCCXIX. numerare idque ex eo sequatur, quod numero nono a restauratione urbis & templi ad Christum passum non annos CCCXCVIII., sed potius CCCXLVIII. effluxisse statuat; non incuriose investiganda est hujus tam insignis deminutionis caussa. Hæc itaque scribit Giselinus: *Reliqua duo numerorum capita* (nempe nonum & decimum) *Auctori sua sunt: atque ut e variis auctoribus concinnata, ita quoque a fastis consularibus multum evariant. annis enim 50. eos excedunt: qui excessus quoniam immodicus est, & severo Sulpicii calculo indignus, prope abest, ut levi mutatione illum ausim corrigere, & ad annorum numerum cum superiori æqualem reddere, quod facile fiet, si pag.* 118. (juxta ed. quidem nostram) *pro CCCXCVIII. restituamus CCCXLVIII.; tum enim in utrinsque summæ reductione neque plures erunt neque pauciores annis* 900. Opportune factum est a nobis, ut in duobus his capitibus illustrandis & stabiliendis potissimum operam impenderimus, eaque & seorsim singula & simul utraque Severi rationibus usquequaque consentanea demonstraverimus: itaque id unum modo restat, ut Giselini alucinationem indicemus, quæ habetur in octavi numeri, seu capitis explicatione. *Octavi capitis*, scribit ille, *Severus est auctor: neque numeri quibus Babylonicam servitutem & Persarum regna describit, eidem disconveniunt. Soli enim tres menses desiderantur, ut ex septem mensibus Magorum qui Cambysem trucidarunt, & duobus Xerxis secundi, integer annus redeat* (quin immo quatuor menses redundant, ut ex Tabella tertia nostra pag. 276. manifestum fit: sed

Gi-

Giſelinus omiſit Sogdiani menſes ſeptem). *Minime vero hoc loco prætereundum a Severo* (pag. 112.) *aliam longe ſupputandi viam monſtrari, qua & propius multo itur, & minor eſt erratio. Scribit enim Darii qui Hyſtaſpis filius fuit, regnantis annum 32. eumdem eſſe qui ab Urbe condita eſt* 260. *A quo deinde anno, ſi, inquit, inveſtigatio Romanorum conſulum non fallit, anni reliqui ſunt ad Stiliconem conſulem* 888., *cui ſummæ ſi annos* 70. *captivitatis Babylonicæ*, 31. *Darii*, 9. *Cambyſis*, 7. *menſes Magorum*, & 32. *Darii ſecundi adjeceris* (*ſunt autem* 202. & *medius*) *ſumma naſcetur annorum a die captivitatis Babylonicæ ad conſulem Stiliconem* 990. &c. En itaque, ut ratiocinabatur Giſelinus: Ab initio captivitatis ad XXXII. Darii ſecundi regnantis, anni ſunt CII., & ab eo tempore ad Stiliconem DCCCLXXXVIII.: ergo ſimul ſunt anni M. demtis decem. ex alia parte, ſi ab initio captivitatis ad reſtaurationem Hieruſalem annos numeres CCLX., hiſque addas annos CCCXCVIII., ad uſque Chriſti crucem, rurſuſque alios CCCLXXXII. ad Stiliconem, erunt anni XL. & mille: ſubducendi ergo ex CCCXCVIII. anni ſolidi quinquaginta, ut habeatur par ſumma annorum cum ſupradicta, ſeu D.CCCCXC. Atqui hic ipſe calculus, ſi rite & recte inſtituatur, noſtras rationes apprime confirmat. ſunt enim ab initio captivitatis ad XXXII. Darii Hyſtaſpis filii, non anni CII., ut bonus Giſelinus dormitans certe putabat, ſed CXLII., quibus ſi addas annos ſupraſcriptos ab eo tempore ad Stiliconem, fient anni M. & XXX.: rurſumque ſi annos CCLX. & CCCXCVIII., nec non CCCLXXII. (non vero CCCLXXXII., de quibus ſupra egimus) in unam ſummam contrahas, & hæc totidem annis M. & XXX. conſtabit.

Liquet ergo quam perſunctorie & oſcitanter Giſelinus chronologiam illam contexuerit, quam Severus ſumma diligentia & accuratione digeſſerat. Ejus rei aliud augmentum eſto, quod in allata Tabella num. 8. *reſtaurationem templi & Hieroſolymorum* eodem tempore perfectam ponat, tum num. 9. annos CCCXCVIII. *ab eadem templi reſtitutione* ordiatur: quum, ut vidimus ſupra, reſtauratio templi ad Darii Ochi regnum ſit referenda, & annis XLV. ex Severi mente præceſſerit urbis reſtaurationem, a qua demum ad duos Geminos Coſſ. annos illos CCCXCVIII. numerat. Nec difficile ſane eſt perſpicere, quæ Giſelino occaſio fuerit duas illas diſtinctas epochas confundendi, ſi Severi textus pag. 117. & ſeq. percurratur: agitur enim eo loco de tempore quo Hieruſalem reſtituta fuit ſub Artaxerxe, tum interſeritur, ea data occaſione, licet alieno loco, reſtituti quoque templi mentio: demum de civitate reparata ſermo rurſus reſumitur. Sed ille duo hæc uno tempore facta putavit.

Idem Giſelinus, dum paullo poſt inſtituit catalogum aliquot ſcriptorum, qui annos a Mundo condito ad Chriſtum natum diverſis inter ſe modis putaverunt, Sulpicii Severi computum eſſe ſtatuit anno-

annorum V. M. CCCCXIV.: sed egregie fallitur, non modo quod ponat Christum passum fuisse anno Mundi V. M. CCCCXXXVII., de quo jam egimus; sed etiam quod eidem annos vitæ assignet tantum XXII. completos, quem errorem, Sigonio & Clerico communem, in Notis pag. 158. explosimus.

Jo. Albertus Fabricius tamen in Bibliographia Antiquaria cap. VII., quo capite multo prolixiorem catalogum contexuit diversarum a mundi initio ad Christi nativitatem computandi rationum, aliam Giselino sententiam adfigit, & quidem absurdiorem: habet enim pag. 191.

Victor Giselinus Sulpicium Severum corrigens 5419.

Itaque non XXII. ut supra, sed duodeviginti annis tantum, iisque nec absolutis degisset in terris Dominus noster Jesus Christus. ne autem putes mendum in numeris esse, statim addit:

Sulpicius Severus 5469.

Nimirum, dum sequitur alterum de Christi anno emortuali computum Giselino minime probatum, quo ad Christum passum annos V. M. CCCCLXXXVII. numerabat; dodeviginti itidem ut supra inde annis deductis, annum quo Christus natus est, designavit fuisse ab orbe condito V. M. CCCCLXIX. Verum hæc Fabricius, ut & alia pleraque quæ eo capite habentur, non ipse digesserit, expenderitque, sed ex alio quopiam transcripserit: quod & de Giselino dictum velim, ubi tamen agit non de Sulpicii Severi, sed de aliorum computis.

Longum sane nimis esset, & omnino alienum ab instituto nostro, omnes quæ tum apud Giselinum & Fabricium, tum apud Tourneminium & alios hujusmodi scriptores occurrunt, ad Christum natum annorum diversas sententias excutere, & quæ in plerisque occurrunt παροράματα exponere. Exempli gratia, a tribus his quos nominavi, dicitur S. Philastrium in libro de Hæresibus totum illud spatium ad annos usque V. M. DCCC. I. extendere. quod tamen falsissimum est: nam capite CXI. quod inscribitur *De annorum mundi incertitudine hæresis*, idem Fabricius in Notis hæc habet: *Si numeros singulos a Philastrio notatos colligas, prodibunt a rerum origine ad natum Christum anni* 5341.

Videsne quantum hæc summa distet ab illa superiori? verum si numeros singulos eo capite expressos colligas, invenies in Fabricii computo centum annos excidisse: nam in Philastrio sunt omnino V. M. CCCCXLI. Neque tamen statuit propterea potest, eo potissimum anno Philastrium Christi nativitatem affixisse: nam utitur ille non semel ibidem adverbio *pæne*, ut significet singulos numeros a se non exacte putatos: sane capite CIV. numerat ab Adam ad Heber & confusionem linguarum, annos II. M. DCC., totidemque ab

eo

eo tempore ad illud quo donum linguarum Apostolis fuit collatum (*): adeo ut ab Adamo ad Christi assensionem in cælum anni V. M. & CCCC. tantum computentur. Præterea dubitari jure possit, num mendum aliquod irrepserit in minores illas summas capite CXI. expressas, de quo tamen ne verbum quidem habent ejus eruditi illustratores Fabricius & Galeardus: nisi quod postremam illam, *Et inde a Domino usque nunc, anni CCCCXXX. plus*, contradicentibus licet editis & scriptis libris, interpolarunt, edentes *anni CCCLXXX.*, in quo tamen a fratribus Balleriniis in S. Zenonis editione castigati fuerunt. Dubitari, inquam, jure possit, num aliquot ejus capitis numeri, ut fieri consuevit, a librariis corrupti fuerint: exempli gratia, ubi dicitur a diluvio ad Heber & confusionem linguarum intercessisse annos *pæne DC.*, hic numerus mihi admodum suspectus fit, quod nec conciliari posse videatur cum calculo LXX. interpretum (juxta quos, non excluso Cainan illo secundo, de quo adhuc quæstio est, ad Phaleg natum anni sunt omnino DXXXI.) nec cum ipsius Philastrii rationibus. si enim eos annos DC. jungas cum annis ab Adam ad diluvium, erunt omnes II. M. DCCCXLII., cum contra jam laudato cap. CIV. atque etiam proxime sequenti expressum habeatur ab Adam ad Heber numerari annos II. M. DCC.: tum annis illis II. M. DCCC. XLII. adde ex eodem Philastrii loco annos DXL. qui sunt ab Heber ad Abraham, & alios CCCCXXX., ab Abrahamo ad Mosen, conficient anni III. M. DCCC. XII.: atqui Philastrius tum cap. CIX., tum cap. CL. numerat ab orbe condito ad Mosen annos tantum III. M. DCC. Sed de his aliorum sit judicium: nos ad Sulpicium nostrum revertamur.

Ita-

(*) S. Philastrii cap. CIV. legitur primum: *Ab Adam usque ad Heber MMDCC. anni sunt*: ac paullo post: *Scientiam linguarum, quæ* (leg. *quam*) *ante duo milia annorum & septingentos annos, offendentes amiserant homines, sub Apostolis post Assensionem suam Dominus . . . . . conferebat*. Rursus cap. CV. *Ab Adam enim usque Heber duo milia & septingenti anni transierunt*: tum paucis interjectis subditur: *Prior itaque non solum Paganis, verum etiam & Judæis* (seu *Hebræis*, ab Heber juxta Philastrium ita appellatis) *id est ante septingentos annos Heber fuisse cognoscitur justissimus* &c.: ubi Fabricius hæc tantum adnotat: *Septingentis annis ante Moysen, Judaicæ conditorem Reipublicæ*. Sed eo capite ne mentio quidem est Mosis, aut Mosaicæ legis: tum si Mosen respexisset, non *septingentos*, sed *nongentos*, aut *mille* annos dixisset Philastrius: itaque minime dubito locum mutilum esse, atque ita supplendum ex capite præc. *ante duo milia annorum, & septingentos annos*. Eadem occasione alium ex cap. CXI. locum emendabimus, seu explicabimus, quo habetur: *cum ab Adam usque ad diluvium decem sint generationes, & annorum MMCCXLII. anni*: ubi primo intuitu vox *annorum* nec concordare cum ceteris, & redundare videtur; nam statim sequitur *anni*. sed si legas, ut in allatis locis: *Et annorum duo milia, ducenti & quadraginta duo anni*, nihil erit quod redundet, aut vitiosum sit: ex quo etiam colligitur S. Philastrium non usum notis illis numeralibus.

Itaque, ut huic tandem Dissertationi coronidem imponamus, si quis certiori ea quam Giselinus & Fabricius inierunt, methodo scire velit, quoto fere (neque enim unius aut duorum annorum attendenda esset, si forte occurreret, discrepantia) ab orbe condito, anno Christi nativitas ex Severi mente collocanda sit; quum a nobis supra demonstratum sit, ejusdem passionem anno V. M. & D. congruere, ex eo numero demat annos XXXII., quot ille Christi in terris pro nobis susceptæ peregrinationi assignavit, & habebit annum V. M. CCCCLXVIII., ad quem Fabricius proxime quidem, sed tamen casu quodam accessit, dum annum insuper addidit.

Porro hæc sunt, quæ ad illustrandam Auctoris nostri Chronologiam fusius edisserere necessarium duximus.

IN

Digitized by Google

IN SULPICIUM SEVERUM

DISSERTATIO II.

Duos De Temporibus *libros ab Eusebio editos fuisse: Hieronymum autem ex illis alterum tantum fuisse interpretatum: quod dicitur* Exordium libri, *nec Hieronymum habuisse interpretem, nec Eusebium auctorem. Scaligeri, Vallarsiique sententiæ refelluntur: tum aliæ obiter pertractantur quæstiones cum primario argumento aliqua ratione connexæ.*

QUoniam ex libris antiquorum *qui de Temporibus scripserunt*, quosque, suppresso tamen auctorum nomine, Severus in contexendo Historiæ Sacræ Breviario post Sacræ Scripturæ codices se in subsidium adhibuisse non semel profitetur, nullius aut frequentior aut expressior apud eumdem mentio incidit, quam Chronici Eusebio-Hieronymiani, utpote quod, ut viri docti jam pridem observarunt (*), toties ille significatum voluerit, quoties *Chronica* nominat: idcirco, quum primum hoc elegantissimum Opus meis curis illustrare & expolire cœpi, opportunum immo necessarium duxi illud potissimum Chronicum consulere ac præ manibus assidue habere, quin etiam diligenter inquirere, quæ prima ejus indoles & forma fuerit, quæ deinde tractu temporis fata subierit, & num integrum sincerumque, quale nuperrime cusum Severi manibus teri debuit, an vero librariorum culpa aut negligentia mancum interpolatumve ad nos pervenerit. Comperiebam itaque quæstionem hanc magnæ obstrusæque indaginis esse, ob varias gravesque quibus obvolvitur difficultates, & sententiarum ab eruditis facta divortia. Siquidem, ne rem altius repetam, Josephus Scaliger, magnus ille Criticorum Choryphæus, ita primum putavit & tradidit: Eusebium Pam-

(*) Vide quæ supra pag. 61. notavimus ex Pontaco, Drusio & Vossio.

Pamphili duos de temporibus fcripfiffe libros , quorum tamen græcus textus jam diu periit : Hieronymum autem utrumque in latinam transfudiffe linguam ; fed eum qui primus majorifque molis & pretii erat , ex potiffima fui parte truncum , fœdumque in modum dilaniatum ad noftram perveniffe ætatem . itaque eumdem ex græcis latinifque undecumque collectis affutifque pannis refarcire fedulo conatus eft , ut in eo volumine cernitur , cui *Thefaurus temporum* (*) titulum fecit . Scaligeri fententiam plerique omnes docti viri fummis plaufibus exceperunt , & ad hanc fere diem funt fequuti : nifi quod a nonnullis , & merito , in eo reprehenditur , quod nullo fere delectu habito multa pro Eufebianis obtruferit , quæ ab eo prorfus aliena , aliifque fcriptoribus propria funt (**) . Unus , quod fciam , Jacobus Goarus ex illuftri Prædicatorum familia , qui Georgii monachi & fyncelli Tarafii Patriarchæ C. P. (unde *Syncellus* vulgo dicitur) Chronicum edidit , in Præfatione & Notis contra Scaligerum infurrexit , in eamque opinionem defcendit (in quam jampridem propenderat & Arnaldus Pontacus , qui biennio ante Scaligerum Chronicum Hieronymianum ad MSS. codices & impreffos diligenter collatum & fuis Notis illuftratum edidit) ut unum ab Eufebio librum Chronicum confcriptum , eumdemque a S. Hieronymo latinitate donatum , adhuc fuperftitem integrumque effe , obiter tamen , nec omnino affeveranter diceret (***). Hanc ipfam demum fententiam Dominicus Vallarfius presbyter Veronenfis (ob novam , poft Martianæum monachum Maurinum , Operum S. Hieronymi editionem magno animo fufceptam & feliciter abfolutam tota fere Europa notus , & fane de fanctiffimi illius doctiffimique Patris fcriptis multis de cauffis bene meritus) nuper vel marte fuo procudit , vel in Pontaci & Goari fcriptis jacen-

 tem

(*) *Thefaurus temporum* editus primum fuit an. 1606. Lug. Bat. , fed diu poft Scaligeri mortem multo auctior ibidem recufus fuit an. 1658. ; qua editione nos quoque fumus ufi .

(**) Vid. Tillemont. in Eufebii Vita art. V. ; Fabricii Biblioth. Græc. Vol. VI, feu lib. V. cap. 4. , & Scriptores ab eo laudatos .

(***) Goarus Præf. in Syncell. *Nec aliud Eufebium græce , quam quod Hieronymus latine reddidit . . . . a nato maxime Abraham & Nini imperio , fcripfiffe temere & inconfulto afferendum* . Idem in fuis Notis ad illa verba ἐν τῷ κατὰ πλάτος pag. 16. edit. Par. , hæc habet : *Partes Chronici duas fecit Eufebius : priorem Auctor nuper appellabat ἀνακεφαλαίωσιν , fecundam nunc τὸ κατὰ πλάτος χρονικὸν vocat . Utriufque partis fcopus eft idem , regnorum videlicet & hominum quorum præcipua fupereft in Chronicis memoria , origines ac terminos per certa temporum intervalla & fecies ordinatas recenfere . Id prima pars ἀνακεφαλαιωδῶς breviter & fummatim perftringit : pofterior κατὰ πλάτος , diffufius & ordinatius explicat . Ita Scaliger præfentem Auctoris locum in Eufebianarum Animadverfionum Proœmio referens . Partis utriufque ideam in latina Hieronymi verfione lector contemplabitur .* Sed legendus omnino Pontaci Apparatus in Notas & Caftigationes in Eufebii Chronicum , a Vallarfio To. VIII. S. Hieronymi recufus .

tem & quasi intermortuam exsuscitavit, atque acriter contra Scaligerum defendit in Præfatione & Notis Tomi VIII. S. Hieronymi, quo Tomo Chronicum continetur. Hæc ego loca ubi primum inspexi, permovit, fateor, me hominis tum doctrina non vulgaris, tum summa in asserendo constantia, ut prope mihi persuaserit (credo item aliis) ita revera esse ut ipse affirmabat: itaque plaudebam lubens civi atque amico, qui tam insignem in Ecclesiasticæ historiæ quasi facie maculam, quæ omnium eruditorum aciem effugisset, primus ipse lynceis illis oculis pervidisset, certisque, ut putabam, eluisset argumentis. Verum enimvero, postea quam attentius pensitare cœpi quæ in utramque partem momenta afferebantur, propositæque quæstionis penitiores recessus introspexi (quamquam, ut semper, mihimet ipse parum fiderem) dubitavi statim, num Vallarsius rem, ut ajunt, acu tetigisset; an potius, dum ceteros quos Scaliger auctoritate nominis sui in errorem forte induxerat, ad rectum tramitem deducere contendit, ipse incautus in oppositam partem nimium deflectens, longius aberraverit. Dubitatio hæc ingenium acuit, subdiditque stimulos ad investigationem veritatis. Quid plura? Argumentis omnibus Scaligeri Vallarsiique probe excussis, sic demum statuo, ac probandum in me recipio: Utrumque falsa veri specie captum, hinc illinc delirasse: media proinde inter utrumque via incedendum esse; ita ut duos quidem Eusebium libros ad Chronologiam spectantes edidisse contra Vallarsium cum Scaligero, unum vero ex his, eumque secundum, a Hieronymo in latinam linguam fuisse conversum contra Scaligerum cum Vallarsio dicendum sit. quamquam ne in hac quidem parte nobis cum Vallarsio plane convenit, qui priorem, ut ipse putat, ejus libri partem, quam Scaliger libri primi laciniam esse voluit, omnino reiicimus, & Eusebio Hieronymoque indignam prorsus asserimus. Equidem est animus, si Deus dederit, hoc argumentum penitus exhaurire alio tempore atque opere, quo exhibituri sumus, quotquot supersunt, primi Eusebiani libri germana fragmenta: idque primum, ut ea Scaligerianis opposita collectaneis, manifestissime evincant, nec Scaligerum eo volumine omnia collegisse, & quæcumque præterea apud illum occurrunt (occurrunt autem quam plurima) vel omnino Eusebio abjudicanda, vel saltem ejusmodi esse quæ nulla satis idonea ratione illi adjudicari possint: secundo, ut eadem opera nuperam de uno Eusebii libro Chronologico sententiam locupletibus adeo certissimisque testimoniis funditus convellam: juvabit tamen in præsentiarum duas illas oppositas inter se, nostræque æque repugnantes sententias, quasi proludentes futuro operi, oppugnare interim atque disiicere, quo asserendis Eusebio quæ adhuc supersunt ex ejusdem primo libro, fragmentis facilior nobis aditus patefiat.

2. Eja

2. Eja igitur, rem aggrediamur. Primum & præcipuum argumentum quo evincitur, duos ab Eusebio de temporibus libros fuisse editos, sumitur ex ipsis Eusebii verbis Præfatione seu Prologo in Chronicum, quem ex Hieronymi interpretatione integrum habemus latine, græce autem ex priori parte apud Syncellum. sed, quis crederet! hic ipse locus est, quem potissimum ceteris fraudi fuisse contendit Vallarsius, quemque ipse in aliam plane traducit significationem, quam qua hactenus fuit acceptus. itaque ab eo dicendi sumemus initium. Eusebius statim ab initio laudati Prologi, postquam Scriptorum quorumdam sententias de Moysis antiquitate retulit, quas ipse neutiquam ratas haberet, hæc continuo subdit Hieronymo interprete: *Cum hæc ita se habeant, necessarium duxi veritatem diligentius persequi: & ob id in priori libro* (vel *libello*) *quasi quamdam materiam futuro operi, omnium mihi regum tempora prænotavi, Chaldæorum*, &c.: *in præsenti autem, stilo eadem tempora contra se invicem ponens, & singularum gentium annos dinumerans, ut quid coætaneum fuit, ita curioso ordine coaptavi*. Apparet in his verbis *prior* quidam *liber*, seu *libellus* ab Eusebio jam scriptus, ut *futuro operi*, scilicet Chronico, ad quod ea præfatur, materiam suppeditaret. nihil itaque clarius & manifestius esse videtur, quam quod duos Chronologicos libros Eusebius ediderit, porro secundus ex his duobus libris ætatem tulit, prior ille temporum injuria intercidit. Quid contra Vallarsius? Hic se se nodum facile soluturum putavit, si diceret, unum quidem librum scripsisse Eusebium de eo argumento, sed illum in duas quasi partes dispertitum, quarum prior constet ex illo quod inscribitur *Exordium libri*, quodque ab Adamo ad Abrahamum excurrit, tum ex *Serie regum*, quæ eidem *Exordio* subtexitur, & ante Chronicum post Prologum impressa habetur; posterior vero pars sit ipsum Chronicum. Id autem ex græco textu confirmare nititur, in quo verbis illis Hieronymi *in priori libro* respondent hæc apud Syncellum, *ἐν τῇ πρὸ ταύτης προτάξει*, quæ ipse interpretatur, *in prævia operis ordinatione*. Statuit (*) itaque Eusebium Chronico suo, quod ab Abrahamo incipit, *præviæ* cujusdam *dissertationis* seu præfationis *loco*, duo illa præmisisse quæ diximus, brevem scilicet enarrationem superiorum temporum jam inde usque ab Orbe condito, deinde, *quasi quamdam materiam indicemque operis, quindecim regnorum tempora*: proindeque concludit de his intelligendum esse locum illum, quo *prioris libri* Hieronymo interprete meminit Eusebius, seu potius *præviæ operis ordinationis*. Hæc palmaris Vallarsii ratio, quam sæpius inculcat: sed quanti ea valeat, statim videbimus.

3. Primum itaque, etiam si concederemus in græco textu legendum

(*) Vide Notam C Vallarsii ipsius in hunc Prologi locum, col. 23. & 24.

dum esse ἐν τῇ πρὸ ταύτης προτάξει, non ea tamen inde elici sententia posset, quam excogitavit Vallarsius: nam si ad verbum interpretari velimus, significatur, *in ea quæ hanc præcedit præordinatione*, seu præfatione: nam illud ταύτης non potest referri nisi ad προτάξει quod statim sequitur, ut sensus integer sit ἐν τῇ προτάξει, πρὸ ταύτης προτάξεως: itaque sermo esset non de iis quæ sequi debeant Prologum, & quæ eum Chronico unum librum, ex duabus tamen constantem partibus, efficere ponuntur, sed de anteriori aliqua præfatione: adeo ut uni libro duæ præfationes seu προτάξεις præfixæ, fuerint quasi duo capita in uno corpore. Verum, licet Goarus ediderit hoc loco προτάξει, uti quidem habebatur in MS. Regio, lectio tamen ista repudianda est, ex qua monstrum oritur biceps (præter quam quod verbum militare est & omnino inusitatum ad libri præfationem, seu priorem ejus partem significandam) & ejus loco omnino legendum συντάξει: ita enim legisse Hieronymum apparet, ita legendum viderat Scaliger, ita postremo habetur in altero MS. Regio, Syncelliani Chronici tertiam fere partem continente, de quo dicemus infra, ubi Fragmentum hoc græcum Eusebii dabimus. Porro σύνταξις, quemadmodum & σύνταγμα, vox est in frequenti usu apud Græcos in significatione *commentarii*, seu *libri studio & diligentiæ compositi*, quæque in eadem periodo Eusebii paullo infra repetitur, ubi nimirum legitur, χρονικῶν κανόνος σύνταξιν ἐπεποιήμην, *Chronici Canonis librum confeci*: in quibus sane verbia fit allusio ad præcedentia, ἐν τῇ πρὸ ταύτης συντάξει. Hæc satis esse puto, ut appareat non esse cur hoc in loco ex græco textu in aliquam suspicionem vocemus Hieronymi interpretationem, in qua habetur, *in priori libro*, seu *libello*. Videamus nunc, si placet, utrum Vallarsii sententia contra tam apertum Eusebii testimonium se tueri possit. Duo sunt autem quæ maxime obstant, primum *futuro operi*, quod opponitur *priori libro*; alterum *in præsenti autem*, quod item opponitur præterito illi *prænotavi*: refertur enim *in præsenti autem* ad tempus, quo hæc Eusebius scribebat & quo Chronicum edebat; *prænotavi* vero ad tempus aliud, quo *priorem* illum *librum*, de quo quæstio est, se jam edidisse indicat. Non possunt itaque *prior liber* & *futurum opus* de duabus unius libri partibus accipi, sed debent intelligi de duobus libris omnino distinctis, & temporis etiam aliquo inter se intervallo distantibus. Verum, ut clarius appareat quod dico, & ne lectori negotium faciant libri impressi, qui Prologum inter & librum ipsum, seu Chronicum, nonnulla interserunt, quæ (ne quid modo dicam amplius) eo in loco minime collocanda fuerant; quædam ex ipso Prologo verba producam, ex quibus liquebit peculiarem eum esse Prologum Chronici: Chronicum autem cum nomino, intelligo & intelligendum moneo librum illum singularem, qui a Nino & Abrahamo incipit. Verba ex lau-

dato

dato Prologo hæc sunt: *Quamobrem præsens Opusculum ab Abraam & Nino usque ad nostram ætatem inferiora tempora persequetur, & statim in principio sui Hebræorum Abraam, Assyriorum Ninum & Semiramin proponet:* & iterum: *Igitur consequenter in libelli fronte ponimus uno eodemque tempore Abraam, Ninum, Semiramin, Europen, Ægyptiorum Thebæos*, & quæ sequuntur. Quum itaque in allatis verbia unius libri mentio sit, qui ab Abrahamo initium duceret, sequitur ut præter Prologum nullam Chronico enarrationem, seu *præviam operis ordinationem* Eusebius præfixerit: quod si verum est, ut est verissimum, ruat omnino necesse est interpretatio illa, quæ unicum Eusebii librum, sed in duas veluti partes divisum, inducit.

4. Unicum hoc effugium reliquum esset, si quis concederet, ea quæ Prologum inter & Chronicum interseri solent, ante ipsum Prologum quidem esse collocanda, quod Scaliger fecit; ita tamen, ut ex illis omnibus opus unum emergat bipartitum, seu ex duobus constans libellis, quorum prior sit itidem quod dicitur *Exordium libri* & *Regum series*, alter autem Prologus cum Chronico. hoc pacto in speciem quidem aliquantulum dissentire videbimur Vallarsius & ego, re autem probe inter nos concordabimus: &, quod caput est, adhuc stabit nullum Eusebii librum de Temporibus periisse, sed tantum ordine perturbato, qui duo initio libri erant, librariorum culpa in unum fuisse redactos. Sed hoc nullo modo a nobis concedi potest: neque enim nunc agitur, quo loco liber ille primus Eusebii sit collocandus, sed utrum exsistat, nec ne. Expendemus itaque quænam sint illa, quæ pro primo Eusebii de Temporibus libro nobis obtruduntur: nimirum, num ingenium Eusebii atque indolem referant: num instituto & scopo ipsius conveniant: num eadem cum Chronico denique concordent. his enim notis & indiciis, ut puto, liquido apparebit, Eusebio illa prorsus esse abjudicanda. Equidem mirari non satis possum, quomodo factum sit, ut nemo illa viderit tanto viro esse prorsus indigna, spuria, suppositilia, denique non nisi ab homine imperitissimo & ineptissimo conficta. Verum, ne ante pugnam epinicia canere videamur, rem sedulo aggrediamur atque ordinatim.

5. Priusquam tamen de illis Eusebiani Chronici additamentis ex supra allatis indiciis examen instituamus, juvabit nonnulla scitu pernecessaria in antecessum notare, quæ viam nobis sternant ad ea quæ postea observanda erunt. Quod itaque in primis, Lector, a te animadversum ac probe perspectum velim, hoc est: Falsum omnino esse, quod Scaligero, Vallarsio atque aliis omnibus hactenus persuasum fuit, nimirum Hieronymum utrumque Eusebii de Temporibus librum, seu utramque libri partem fuisse interpretatum; nam re vera ille nihil aliud in eo argumento, præter Prologum & Chronicum, latinum fecit. Longius forte quam par sit hac te quæ-

stione

ſtione ab argumento primario abducam: ſed nulli parcendum eſt labori & diligentiæ, quo præjudicata opinio illa probe refellatur, & contraria ſententia in præclaro lumine collocetur: mire enim hæc ſcopo noſtro inſervient. Hieronymum itaque interpretem fuiſſe Chronici ejuſque Prologi tantummodo, demonſtrandum mihi aſſumo tum ex ipſius Hieronymi verbis, tum ex duorum ipſi fere coævorum ſcriptorum teſtimonio. Hieronymus ſane in epiſtola ad Vincentium & Gallienum (quæ eſt veluti Præfatio ipſius Hieronymi in ſuam interpretationem) Chronicum tantum in Romanam linguam a ſe translatum his ſignificat verbis: *Sciendum etenim eſt me & interpretis & ſcriptoris ex parte officio uſum, quia & græca fideliſſime expreſſi, & nonnulla quæ mihi intermiſſa videbantur, adjeci, in Romana maxime hiſtoria, quam Euſebius hujus conditor libri non tam ignoraſſe, utpote eruditiſſimus, quam ut græce ſcribens, parum ſuis neceſſariam perſtrinxiſſe mihi videtur. Itaque a Nino & Abraam uſque ad Trojæ captivitatem pura græca translatio eſt: a Troja uſque*, &c. Viden' *librum* a Hieronymo latine verſum, qui *a Nino & Abraam* inciperet? Ergo ſolum Chronicum, reliqua non item (*). Sed & Chronici Prologum, licet hujus nulla facta ab eo mentio fuerit, dubitare non ſinit artiſſima quam cum Chronico habet affinitas, quin itidem Hieronymo debeamus; præterquam quod evincunt hoc ipſa verba Prologi, quibus dicitur: *A Tiberii autem quintodecimo* (non *quindecimo*) *uſque ad decimumquartum annum Valentis, quo interiit, numerantur anni CCCLI. Itaque fiunt anni iſtius hiſtoriæ MMCCCXCV*: eſt enim annus XIV. Valentis terminus, ad quem idem Hieronymus Euſebii Chronicum continuavit, ut notum eſt. Itaque quod ſanctiſſimus Doctor pro ſuo non agnoſcit, eſt nimirum illud quod ad primum de Temporibus librum ſpectare creditur. In ejuſdem rei confirmationem prodeat in medium Idatius epiſcopus, qui in Præfatione Chronici ſui, quod ad annum fere CCCCLXX. perduxit, ita habet: *Quorum primus Euſebius Cæſarienſis epiſcopus, qui Eccleſiaſticas ſui numeri libris ſcripſit hiſtorias, ab initio Nini regnantis Aſſyriis, & ſancti Abraæ Patriarchæ Hebræis, & reliquorum contemporales his annos regum, in viceſimum Conſtantini Auguſti quo imperabat annum, græci ſermonis chronographiæ concludit hiſtoria. Poſt hunc ſucceſſor Syngrapheus perfectus univerſis factorum dictorumque monimentis, Hieronymus presbyter, idem Euſebius cognomento, de græco in latinum ſcripturæ hujus interpres, a viceſimo anno ſupradicti*

(*) Scaliger in ea verba *hujus conditor libri* notat: *Librum vocat opus in duos libros tributum. alio nomine potius notandum erat*. Vallarſius vero: *Nempe ſingularis eſt liber, tametſi in duas quaſi partes tributus*. Uterque nimirum ex præconcepta a ſe opinione judicans, cum tamen Hieronymi verba ambos ab errore revocare debuiſſent. *Temporum librum* idem Hieronymus hunc eumdem vocat in epiſt. XVIII. & Præf. in librum de locis Hebr., quo loco hæc habentur: *Semel enim & in Temporum libro* (for. *librum*) *ius ſum, me vel interpretem eſſe, vel novi operis conditorem*. In libro de Vir. Ill., & epiſt. LVII. *Chronicon* appellat.

Digitized by Google

ſti Imperatoris in quartumdecimum Valentis Auguſti annum ſubditam texit hiſtoriam. En teſte Idatio Hieronymum ejus *ſcripturæ* Euſebii interpretem, quæ *ab initio Nini regnantis Aſſyriis* ad viceſimum Conſtantini annum pertingebat: quoniam vero nil aliud in eo argumento S. Hieronymum interpretatum fuiſſe ooverat ille, ideo Euſebium quoque illum tantum librum de temporibus qui a Nino incipit, ſcripſiſſe memoriæ tradidit. Sed nonnulla alia ex eadem Idatii Præfatione proferre placet, ut appareat, quam non incurioſus indagator fuerit Chronici Hieronymiani. Hæc itaque ſtatim addit: *Eſto ut in ſanctis quibus deguit Hieronymus locis, a memorato Valentis anno in tempus quo in præſenti vita duravit, forte quamplurima de his quæ ſunt inſecuta, ſubjecerit: quia haud umquam, dum valuit, a diverſo ſtili opere ceſſavit. quem quodam* (leg. *quondam*) *tempore propriæ peregrinationis in ſupradictis regionibus adhuc infantulus vidiſſe me certus ſum. qui poſt aliquot annos beato, ut erat, manſit in corpore. Si tunc proprio operi quod ſubdidit, aliqua ſubjunxerit, apud eos ad quos ſcriptorum ejus omne opus vel ſumma pervenit, certa & plena cognitio eſt. Sed quoniam in cujuſdam ſtudii ſui ſcriptura* (*) *dixiſſe eum conſtat,* Debacchantibus jam in Romano ſolo Barbaris omnia haberi permixta atque confuſa; *opinamur ex hujus indicio ſermonis, in hoc per ſe annorum volumine ſubdito de ſucceſſione temporum ab ipſo nihil adjectum*. Hæc Idatius. Si quis tamen adhuc anceps hæreat, num Hieronymi & Idatii verba ſatis declarent, ab eodem S. Hieronymo verſum fuiſſe in latinam linguam Chroo:cum tantum, ac proinde quod præcipue dicitur *Exordium libri*, ad ipſum minime pertioere; dubitaodi locum nullum relinquet Victorius Aquitanus in Præfatione Paſchalis Canonis, quem anno Chriſti CCCCLVI. edidit: nam in illa hæc ſcribit num. VII. (**) *Recenſitis igitur fidelibus hiſtoriis veterum, beati ſcilicet Euſebii Cæſarienſis Palæſtinæ civitatis epiſcopi, viri in primis eruditiſſimi atque doctiſſimi, Chronicis Prologoque, ac perinde his quæ a ſanctæ memoriæ Hieronymo hiſdem Chronicis ſunt adjecta presbytero, per quem in latinum quoque probantur translata ſermonem; hiſque etiam quæ a ſancto & venerabili viro Proſpero uſque ad Conſulatum Valentiniani Auguſti VIII. & Anthemii conſtat fuiſſe ſuppleta; reperi a mundi principio uſque ad Diluvium* $\overline{\text{II}}$*.CCXLII. annos: item a Diluvio uſque ad nativitatem Abrahæ annos DCCCCXLII.: natum autem Abraham* (***) *XLII. anno, regnante jam Nino, eadem monumenta teſtantur: a cujus etiam tempore geſtarum rerum publici Scriptores apud Barbaros eſſe cœperunt. Quapropter vir venerabilis prædictus Euſebius Chronicorum abhinc exorſus eſt* (****) *hiſtoriam, volens induſtriæ ſuæ fidem mundanorum quoque Annalium coætaneo relatu perpendi, & profeſſæ veritatis etiam*

(*) Nimirum in fine epiſtolæ ad Vincentium & Gallienum, quam diximus eſſe Præfationem Hieronymi in ſuum Chronicum.

(**) Ex edit. Ægidii Bucherii Antuerpiæ an. 1614.

(***) Al. *tribus & XL. annis*.

(****) Petavius hanc Præfationem edidit in Append. Operis de Doct. Temp. Tom. II., apud quem tamen deeſt hoc loco *eſt*, habetur contra infra poſt *contentus*.

Digitized by Google

etiam gentilium litteras testes sciscitari : contentus præterita sæcula sacris voluminibus explicari, ætates (*) tantum summatim retro generationum ex Prologi textu patefaciens, & operis plenitudine (al. *& in operis plenitudinem) sub annorum recapitulatione pariter comprehendens. cujus tenorem vir venerabilis Prosper secutus, hisdem Chronicis, hæc eadem egregia brevitate composuit (* al. *proposuit), ut eorum initium a mundi inchoaretur exordio.* Hactenus Victorius, cujus testimonio nihil sane luculentius, nihil enucleatius desiderari potest. primo siquidem tradit Hieronymum in latinam linguam transtulisse Eusebii Chronica, seu Chronicum cum Prologo: secundo, hæc eadem Chronica a Nino incipere dicit: tertio addit Eusebium superiora tempora non attigisse, quod sacris tantum voluminibus tradantur: postremo declarat ætates præcedentium generationum in Prologi textu summatim, tum in *operis plenitudine sub annorum recapitulatione comprehendi*. Qui locus igitur est reliquus *Exordio* illi *libri*, in quo ab Adamo ad Abrahamum genealogia texitur? nullus profecto. Porro textus Prologi, quem laudat Victorius (nam de *recapitulatione annorum in operis plenitudine* infra sermo erit) ita se habet: *Verum in curiositate* (**) *ne cesses: & cum divinam Scripturam diligenter evolveris, a nativitate Abraæ usque ad totius orbis diluvium invenies retrorsum annos* DCCCCXLII. *item a diluvio usque ad Adam* MMCCXLII., *in quibus nulla penitus nec græca nec barbara, &, ut loquar in commune, gentilis reperitur historia.*

6. Ex Hieronymo itaque, Idatio, atque Victorio manifestissime colligitur, illud præcipue quod dicitur *Exordium libri*, Hieronymum interpretem non habuisse: qua in re quamvis tam aperta & certa testimonia non suppeterent, ipse tamen assumenti illius stilus sufficere deberet ad id persuadendum: ipse, inquam, stilus incomtus, barbarus & obscurus satis se prodit, ac singulis fere verbis clamitat se Hieronymo esse prorsus indignum. Hoc per se quisque facile cognoscere poterit, qui non præjudicata opinione ad ejus lectionem accesserit, modo aliquem bonæ latinitatis & elegantiæ, quam Hieronymi scripta omnia redolent, gustum ceperit: ad quem etiam finem primam, eamque insigniorem ejus pericopen heic statim tibi ob oculos, lector amice, proponimus juxta novissimam editionem Veronensem. Illud tantum præmoneo: si quæ alicubi scripturæ menda videri possunt, librariis ea tamen vitio verti jure non debent: neque enim uno aut altero in loco, sed passim, immo perpetuo, oratio lutulenta fluit, ordo verborum est perturbatus, sensus ipse implexus & confusus, denique

(*) Apud Petavium mendose: *ætates tantarum summarum consummatas retro generationum ex Prologi textu.*

(**) Editi junctim *incuriositate*: sed legendum separatim, ut aliqui codices habent, *in curiositate*. *Curiositatem* autem ex Hieronymi stilo interpretor ipsum Chronicum Canonem: nam in hoc ipso Prologo *curioso ordine* dixit, & *curiosissima historia*, quod græce est χρονικὸν κανόνος σύνταξις, & εἰς τῶν χρόνων ἀναγραφή. Sententia erit nempe commodissima: studiosum non debere pedem sistere intra Chronici limites, sed ex Scripturis superiorum etiam ætatum annos scrutari. Hæc tamen conjecturæ loco haberi velim.

Digitized by Google

nique omnia sibimet perbelle respondent: ut serio singula animadvertenti non nisi ex ipsius, quisquis fuerit, Auctoris barbarie atque inscitia tam informem fetum ad nos pervenisse fatendum sit.

EXORDIUM LIBRI.

INcipiunt tempora totius saeculi, regesque gentium omnium, quibus locis quibusque temporibus in suis provinciis, & quantum regnaverint, (al. *regnaverunt.) vel si quid memoria dignum per generationes, nativitates & regna & ducatus, per (* al. *& per) omnem actum judicum & omnium regum Juda & aliorum, qui non ex eadem tribu regnaverunt, & per regnum (* al. *regna) Assyriorum ceterarumque gentium, & tempora Dictatorum cum Consulibus ordinariis. Sed & tempora Imperatorum & Caesarum, & quibus temporibus historiographos (*) esse dixerunt: sed & successiones eorumdem, quod per ordinem rerum superius (**) declaratum est. Quorum universa tempora, gesta sive apud Hebraeos, vel apud Graecos, vel apud Romanos, sive apud Barbaros, caeterasque gentes, quae gesserunt, vel constituerunt per historias in hoc libro plenissime demonstrantur: quod & in libro hoc (***) historiae singulae conscriptae declarant, deorum generationem, vel singulorum progeniem, sive his temporibus ipsis antelatis, quae gesserunt, & tempora Olympiacorum, ex quo primus agon gymnicus constitutus, quos (* al. *constitutus est, quod) Graeci Olympias appellant. Et quo tempore adventus fuit Salvatoris nostri Jesu Christi, sive passio ejus, simulque & nomina episcoporum Ecclesiarum numero quattuor, hoc est Romanorum, Alexandriae, Jerosolymorum & Antiochiae, qui per easdem civitates metropoles provinciarum episcopi, quantum temporis singuli sederint, (* al. *sederunt) vel qui eorum episcopatus sui tempore martyrio coronatus sit, sive tempora persecutionum, quibus temporibus Ecclesiae dissipatae sunt. Sed & tempora regum Macedonum, Alexandriae, (* al. *Alexandri) & quoto agone Olympiacorum, vel quibus temporibus seu Consulibus finem Alexander fecerit Judaeis, vel Vespasianus insequutionem, sive destructionem templi eorum miserit, & tributa eis constituit.*

En tibi, lector, insigne specimen elegantiae Ciceronianae. haec nimirum sunt, quae sub Hieronymi nomine venditantur: Hieronymo, inquam, haec asseruntur, contradicente ad hanc diem nemine. Tute ipse tamen judica, num in his vestigium ullum, aut vel obscurum lineamentum appareat indolis scribendi Hieronymianae. Ego sane vix me haec mecum reputantem contineo, quin mihimet praestitutos moderationis & lenitudinis fines transiliam: adeo indigna haec & injuria Hieronymo videntur. Sed praestabit inquirere, quibusnam per-

(*) Notat Vallarsius Scaligerum emendasse *Historiographi*, MSS. tamen omnibus, qui hactenus innotuerunt, contradicentibus. Idem opportune monet: *In fine Prooemii geminus huic locus occurrit*. Itaque conferendus omnino est uterque, fictus scilicet & verus Eusebius: nil sane dissimilius. *Prooemium* intellige Eusebii Prologum.

(**) Vide in hunc locum Scal. & Vallars.

(***) Pro *& in libro hoc*, Scaliger ex MS. Freheriano edidit *& in libro Hygini*, quam lectionem Pontacus antea & merito repudiaverat.

suasi compulsique argumentis, viri ceteroqui acutissimi tam male in hac parte de elegantissimo Patre sint meriti, ut crassum illum, lacerum sordidumque pannum eidem assuere non sint veriti. facile autem constabit ea nullius esse momenti, si cum iis comparabuntur quæ a nobis in contrariam partem jam allata fuerunt, & deinceps afferentur.

7. Josephus Scaliger, utpote qui probe vidisset duos ab Eusebio de Temporibus libros fuisse compositos, pro certo etiam habuit Hieronymum utrumque fuisse interpretatum, & ad priorem illum librum spectare credidit id quod inscribitur *Exordium libri*, ita tamen ut hoc nec integrum exhiberet Eusebii textum, nec puram sinceramque Hieronymi interpretationem. quamquam, ut mihi quidem videtur, nec ipse sibi plane in eo constat: nam modo integrum Eusebii librum, modo ejusdem tantum epitomen a Hieronymo latino sermone expressam ponit. Verum ipsius verba proferantur ex Nota in illud, *Incipiunt tempora*. *Hæc* (inquit) *solus Freberianus codex habebat, sed longe auctiora* (*) *quam editiones. Itaque si quæ in his reperiuntur quæ editiones non habent, scito ea esse ex Freberiano. Quam multa hinc desint potius quam quæ desint, ex græcis quæ supersunt, colligere potes. Præterea multa ex aliis Chronologis minorum gentium assuta sunt, non pauca, ut puto, ex Prosperi priori parte: nam & ipse, ut diximus, duas partes Chronicorum suorum fecerat. Quædam etiam puto interpretem Hieronymum inseruisse. quod cum in priori editione suspicati essemus, postea verum id esse ex codice Bongarsiano omnium vetustissimo deprehendimus, in quo ante epistolam Hieronymi hæc uncialibus litteris prænotata erant*: EUSEBIUS HIERONYMUS. Incipit (**) Epitoma de Chronicon: quibus generationes & regna ab Adam usque ad Abraham, & imperia, vel passionis Domini omnes consecuti sunt, usque ad finem Valentis & Valentiniani Imperatoris adjecimus. In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. *Hactenus codex Bongarsianus. ex quibus non temere ab Hieronymo multa ex priore libro conjecta fuisse indicavimus* (for. *judicavimus*), *vel potius totum librum ab Hieronymo conversum, cujus epitome hic posita fuerit, & a librariis mutilata, interpolata, & multis partibus vitiata. Deesse autem verba quædam in iis quæ protulimus, palam est. Porro hæc Prolegomena cum distributione regionum inter posteros Noe invenies in secundo tomo Lect. Ant. Canisii pag. 581. & deinceps. quæ sunt laciniæ hujus Operis. Itaque ea perpendat studiosus lector. Denique quæ hic leguntur, id quod periit, magis deflere, quam quod superest, frui nobis præbent. & sane parvi erant momenti, nisi essent argumentum & indicium eorum quæ desiderantur*: &c. Hæc ibi Scaliger, qui & in sequentibus Notis addit: *Quo magis confirmatur suspicio nostra, Hieronymi hanc epitomen esse eorum, quæ primo loco tractabat Eusebius, sed*

(*) Vallars. quæ in editione Scaligeri abundant, seorsim descripsit in Notis.

(**) Hæc eadem verba refert Pontacus in Notis ex codice Aurelianensi antiquissimo. Sed & Vallarsius in MS. Parmensi ante Eusebii Prologum hanc epigraphen se legisse refert: *Incipit Eusebii Pamphili episcopi Cæsariensis Epitome, quod Breviarium sonat, a Hieronymo traductum*. Sed hæc non ad primum librum cum Scaligero, sed ad secundum, sc. Chronicum, referenda fortasse sunt.

ſed eam epitomen ab otioſis hominibus temeratam fuiſſe. Multa enim habet tam a dictione Hieronymi, quam ab ejus liberali ingenio aliena. Idem infra ad ea verba, *Numeratio temporum*, ita ſcribit: *Aut alius auctoris ſunt, aut pauca Euſebiana intermixta; quin & dictio ipſa nihil de nitore Hieronymiano redolet. Omnino multa ſunt ridicula: quamquam non negamus veteris ſcriptoris eſſe*, &c. Pauca hæc ex Scaligero prænotavimus, ut conſtet quodnam de hoc eodem *Exordio libri* judicium tulerit: apparet enim virum κριτικώτατον Hieronymo quidem lacinias illas, ut eas ipſe vocat, tribuiſſe, ſed ita demum, ut vitiatas & interpolatas a librariis pro certo haberet: adeo multa erant quæ in ipſis Hieronymo indigna ipſi videbantur.

8. Videamus autem aliquando quibus innixus argumentis primum Euſebii librum de Temporibus ab eodem S. Hieronymo translatum fuiſſe judicaverit. Ipſe pag. 8. ita ſcribit: *Quod Chronicorum Canonum libros duos ſcripſerit Euſebius, quorum prior omnimodæ hiſtoriæ tempora, origines, cauſſas, progreſſus; poſterior annos expanſos contineret, ſatis ſuperque a nobis dictum eſt in iis quæ ſupra diſputavimus. Quod autem non ſolum Canonem, ſed & hunc priorem librum Hieronymus in latinum ſermonem converterit, tum ipſe, tum Marcellinus Comes auctor eſt. Ipſe quidem Commentario in Danielem, capite nono ita ſcribit*: Quicquid enim in Templo poſtea factum eſt, non fuit ſacrificium Dei, ſed cultus Diaboli, cunctis in commune clamantibus, *Sanguis ejus ſuper nos & filios noſtros*: Et hoc: *Non habemus regem, niſi Cæſarem*; quem locum in Chronica (*) ejuſdem Euſebii, quam ante annos plurimos in latinam linguam vertimus, diligens lector plenius ediſſertum poterit invenire. *Hujus autem*, &c. Sic itaque argumentabatur Scaliger: In eo quem habemus libro Euſebii, nihil de conviciis illis & maledictis Judæorum in Chriſtum habemus: de ipſis igitur agebatur in priori libro, qui intercidit: ergo utrumque librum Hieronymus interpretatus eſt. Verum enimvero, cum hoc loco S. Hieronymus *Chronicam*, ſeu potius Chronicum *Euſebii* citet a ſe jam latinum factum, Chronicum autem latinum habeamus ex ejuſdem Hieronymi interpretatione; non debuit Scaliger priorem librum intelligere ea appellatione deſignari, quæ alterius propria eſſe videtur: de quo infra ſuo loco agemus. Præterea, ut probe obſervavit Vallarſius in Præfatione pag. VIII., quum ea Judæorum convicia ad temporum doctrinam minime pertineant, neque peculiarem locum in Euſebiano illo libro habere potuerunt. Alio itaque ſpectat Hieronymi ſententia, quam quo a Scaligero refertur; nec ipſius declaratio aliunde peti debet, quam ex Chronico. itaque idem Vallarſius eam explicare ſatagit modo laudato loco, ita tamen ut Hieronymi mentem non aſſequutus penitus videatur. Nos itaque aliam interpretationem proponimus, planiorem & ex ſola emendata interpunctione conſequentem, quam & germanam eſſe

(*) *In Chronica . . . . . . quam*. Ita hunc locum citat Scaliger & Pontacus initio Apparatus in Notas Chronici: Vallarſius edidit in *Chronico . . . . quem*. utrobique mendum.

esse pro certo habemus. Locus Hieronymi integer (nam quæ præcedunt, nihil ad rem faciunt) hic nimirum est: *Quodque infert*: Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium, *sic interpretatur* (Eusebius): *Quod Herode regnante apud Judæam & Augusto apud Romanos Christus natus sit, qui tribus annis & sex mensibus juxta Evangelistam Joannem Evangelium prædicavit, & confirmavit veri Dei cultum*, multis, *haud dubium quin Apostolis & credentibus: quando post passionem Domini* in dimidia *rursum* hebdomada defecit hostia & sacrificium (*quidquid enim in templo postea factum est, non fuit sacrificium Dei, sed cultus diaboli, cunctis in commune clamantibus*: Sanguis ejus super nos & super filios nostros: *&*: Non habemus regem nisi Cæsarem) *quem locum in Chronico ejusdem Eusebii, quem* (leg. *quod*) *ante annos plurimos in latinam linguam vertimus, diligens lector plenius edissertum poterit invenire*. Quæ nos parenthesi a ceteris distinximus, antea sententiam aliquanto obscuram, nunc perspicuam & apertam reddunt: quod enim in Eusebii Chronico monet sanctus Doctor fuisse plenius edissertum, est ea Danielis vaticinii pars quam commentatur; scilicet, *in dimidia hebdomada* annorum, seu elapsis tribus annis & sex mensibus, quibus Jesus Christus, Evangelium proseminando, *confirmavit pactum multis*, ac postremo passus est; *defecisse hostiam & sacrificium*, nimirum quæ antea in templo Hierosolymitano Deo offerri rite consueverant. Hoc autem illud est, quod diserte habetur in Chronico, ubi ad annum Tiberii XVIII. hæc leguntur: *Jesus Christus filius Dei, secundum prophetias quæ de eo fuerat prælocutæ* (innuit autem potissimum hoc ipsum, ut puto, Danielis vaticinium) *ad passionem venit anno Tiberii XVIII., quo tempore etiam in aliis ethnicorum commentariis hæc ad verbum scripta reperimus.....Scribit vero super his & Phlegon, qui Olympiadarum egregius supputator est, in XIII. libro ita dicens*: Quarto autem anno CCII. Olympiadis, magna & excellens inter omnes quæ ante acciderant, defectio Solis est facta: dies hora sexta ita in tenebrosam noctem versus, ut stellæ in cælo visæ sint, terræque motus in Bithynia Nicenæ urbis multas ædes subvertit. *Hæc supradictus vir. Argumentum autem hujus rei, quod Salvator isto anno passus sit, Evangelium præbet Joannis, in quo scribitur, post decimum quintum annum Tiberii Cæsaris tribus annis Dominum prædicasse. Josephus etiam vernaculus Judæorum scriptor, circa hæc tempora die Pentecostes sacerdotes primum commotiones locorum & quosdam sonitus sensisse testatur, deinde ex adyto Templi repentinam subito erupisse vocem dicentium*: Transmigremus ex his sedibus. *Scribit autem memoratus vir, quod eodem anno Pilatus secreto noctis imagines in Templo statuerit*: cetera. Verum quidem est, ea quæ hoc loco ex Josepho referuntur, ad aliud tempus spectare, ut a doctis viris jam observatum fuit; Eusebius tamen ad Christi passionem retulit, quem & alibi sequutus est Hieronymus. proinde ex utriusque textus comparatione perspicue, ut mihi quidem videtur, mens ejus colligitur, dum in Danielis Commentario lectorem ad Eusebii Chronicum

nicum

nicum delegat: neque enim alium quam quem protulimus, locum indicare voluit. itaque perperam Scaliger de priori Eusebii libro, quem a Hieronymo numquam latinum factum supra ostendimus, ea intellexit. Sed quoniam mentio incidit hujus Eusebiani loci, moneo Passionem Christi, quæ in omnibus latinis codicibus ad annum Tiberii XVIII. refertur, juxta Eusebii mentem ad proxime sequentem annum spectare, adeoque legendum, *ad passionem venit anno Tiberii XVIIII.*, de quo tamen seorsim agemus in sequenti Dissertatione.

9. Ut ad Scaligerum revertamur, alterum quo potissimum nititur argumentum, nimirum ut & priorem illum Eusebii librum Chronologicum a Hieronymo latinitate donatum confirmet, ex Marcellini Comitis testimonio desumit. scribit autem Marcellinus in Præfatione sui Chronici, quod ad annum DXXXIV. perduxit: *Post mirandum opus quod a mundi fabrica usque in Constantinum principem Eusebius Cæsariensis hujus sæculi originem, tempora, annos, regna, virtutesque mortalium, & variarum artium repertores, omniumque pæne provinciarum monumenta commemorans, græco edidit stilo, nosterque Hieronymus cuncta transtulit in latinum, & usque in Valentem Cæsarem Romano adjecit eloquio*: &c. quæ verba ita commentatur idem Scaliger: *Non solum hanc priorem partem ab Hieronymo latine conversam hinc scimus, sed etiam quod ejus argumentum fuerit, & quæ in eo tractabantur, strictim nos docet. Ut autem hunc priorem librum a Canone distinguat idem Marcellinus, in fine Chronici sui Canonem Eusebii vocat librum Temporum.* Porro hoc ipsum testimonium Marcellini urget & Vallarsius, ut suam confirmet contra Scaligerum sententiam, contendens non alia de caussa Mercellinum repetere *a mundi fabrica* initium Eusebianæ Chronographiæ, quam quod inde incipiat *Exordium libri*, additque se minime dubitare illum, *cum ea scriberet, exemplar nostris non absimile, germanum adeo atque integrum, ob oculos habuisse: in quo unum videtur non satis attendisse caute, quod proprie ab illo* Exordio libri, *non pagellis inde loci paucis, incipere Chronicum existimavit*. Hæc ille laudata Præfatione pag. IX. Negotium sane aliquod nobis facesseret Marcellini testimonium, nisi ex Hieronymi, Idatii & Victorini verbis jam allatis probassemus Hieronymum nonnisi Chronicum cum Prologo transtulisse: itaque id unum modo est reliquum, ut cum iisdem Marcellinum ipsum commoda interpretatione conciliemus: facile autem conciliabimus, si dicamus eum ita scripsisse, propterea quod tum in Prologo tum in Chronico legerit expressum numerum annorum ab orbe condito, idque præcipue in extremo opere, ubi & illa habentur: *Fiunt ab Adam usque ad XIV. Valentis annum ..... omnes anni MMMMMDLXXIX.*, quæ, licet absint in quibusdam MSS., Marcellinum legisse tamen apparet & exscripsisse, dum post supra recitata verba scribere pergit: *Igitur uterque hujus operis auctor V & DLXXIX. hunc mundum tunc fore miro computavit ingenio*. Hoc, inquam, potius pacto interpretanda sunt Marcellini verba supra laudata, ne contra productas jam auctoritates certissimas, atque adeo contra veritatem pugnare videantur. sin autem quis mordicus

dicus defendat, Scriptorem hunc ea referentem de Chronico Eusebio-Hieronymiano, præ oculis habuisse *Exordium libri*, idem fateri saltem debeat hoc *Exordium* non a Hieronymo interprete profectum, sed ab aliquo postea additum: quod tamen ipsum eum non levem eidem adsumento auctoritatem conciliet, habita ratione temporis quo floruit Marcellinus; ideo maturiori examine, utrum a nobis concedendum sit, inquirendum est. Quod vero Scaliger urget eumdem Marcellinum in fine Chronici sui Canonem Eusebii vocare *librum Temporum*, id vero nihil est, & neutri opinioni obest aut prodest: ita enim scripsit non semel Hieronymus, ut supra notavimus, qui tamen non nisi Chronicum cum Prologo agnoscebat a se latine redditum. Verba Marcellini, quæ alio loco fortasse juvabit heic attulisse, sunt: *Passus est Dominus noster Jesus Christus a constitutione mundi post annos MMMMMCCXXIX. Eusebius ponit MMMMMCCXXX., si numeri non sunt transpositi. Ab Abraham autem, usque ad passionem Domini, anni sunt MMLIV. Idem Eusebius libro Temporum, ubi agit de passione Domini.*

10. Expedivi jam, quod primum de additamentis Chronici Hieronymi mihi observandum proposueram. quod secundo loco de iisdem prænotem, hoc est: ea a nullo laudari antiquo Scriptore, & a plerisque iisque antiquioribus abesse codicibus: quæ observatio tam ad eorum suppositionem falsitatemque magis magisque demonstrandam inserviet, tum iis quæ proxime disputabamus de Marcellini loco, opportune satisfaciet. Itaque qui Hieronymi Chronicum laudaverint & ex parte sint sequuti, innumeri fere sunt latini scriptores jam inde a Hieronymi ætate: plerique etiam Chronicorum consarcinatores ipsius fere vestigiis institerunt, nonnulli fere integrum transcripserunt: nemo tamen unus a me est repertus, quem ex illa priori parte quæ eidem Chronico affigitur, aliquid sumsisse appareat. sed omnes ab Abrahami & Nini temporibus Hieronymum aut Eusebium ducem sequi se profitentur, vel tacentes re ipsa indicant: de superioribus vero ætatibus quidquid habent, vel ex sacris Scripturis mutuantur aut ex aliis scriptoribus, vel denique annorum epochas tantum ex ipso Chronico Prologoque paucis repræsentant: sed & hi eo ipso satis declarant, se non vidisse *Exordium* illud *libri*, vel saltem non putasse ad Eusebio-Hieronymianum Chronicum ulla ratione pertinere. nam in illo, de quo postea agemus, alia initur a diluvio ad Abrahamum computatio, annis CXXX. Eusebianam excedens: quæ enim penes Eusebium tum in Prologo tum in ipsa Chronici serie non semel annis nongentis quadraginta duobus constat, Pseudo-Eusebio ad mille & septuaginta duos protenditur. Itaque ad Latinorum post Hieronymum Historicorum, vel Chronologorum examen veniamus: & quoniam singulos, maxime ad sequiora tempora spectantes, producere, longum nimis nec necessarium esset, paucos ex his tantum, eosque præcipuos, recensebimus. Quid igitur ex antiquioribus Sulpicius Severus, quid Augustinus, Orosius, & Prosper; quid Cassiodorius & Gregorius Turo-

Digitized by Google

Turonensis ex Eusebio aut Hieronymo decerpunt? nam de Victorio, Idatio & Marcellino Comite non est quod præterea addamus, cum de his jam actum sit num. 5. & 9. . Sane unius Victorii testimonium ejusmodi est, ut rem omnem ipsum conficere posse videatur. S. Augustinus itaque, ut ab eo sumamus initium, in præclaro & aureo illo Opere de Civitate Dei, ab exordio quidem mundi Patriarcharum annos recenset, & de differentiis quæ inter græcam versionem & hebraicum textum intercedunt, multis differit: nusquam tamen Chronici Eusebiani meminit, nisi cum ad Abrahami tempora pervenit: vide libri XVI. caput 16., quod primum ex Chronico est expressum: & ita deinceps. Et quamvis cap. X. ejusdem libri a diluvio usque ad Abraham colligat M.LXXII. annos, quam computandi rationem paullo ante diximus non esse Eusebio consentaneam, sed in *Exordio* tamen *libri* expressam; ipse Augustinus unde eam sumserit his verbis significavit: *Fiunt itaque anni a diluvio usque ad Abraam mille septuaginta & duo secundum vulgatam editionem, hoc est Interpretum septuaginta*: itaque ne hinc quidem ulla suppetit caussa, ut ex impurissimo illo *Exordio* eum numerum in suum Opus derivasse Augustinum opinemur. Id vero multo minus de Sulpicio Severo suspicari licet, qui vulgatæ tunc temporis Scripturæ editioni & ipse inhærens, sed per errorem omittens biennium illud, quod a diluvio ad Arphaxad natum intercessit, intervallum istud annis mille & septingentis tantum conclusit. ceterum hic *Chronicorum* non nisi cap. XXXVI. lib. I. primum meminit, quo demum loco de Samuelis & Saulis annis disputat. Sequitur Paullus Orosius, qui statim ab initio lib. I. Hist. ita scribit: *Sunt autem ab Adam primo homine usque ad Ninum magnum, ut dicunt, regem, quando natus est Abraam, anni tria millia CLXXX. & IIII., qui ab omnibus historiographis vel omissi vel ignorati sunt:* &c. confer hæc, Lector, cum Prologo & Chronico, agnosces computum, indolem & prospectum Eusebio-Hieronymiani Operis, a quo prorsus abludit *Exordii libri* putidum commentum. porro idem Orosius multa alia passim suis libris ex eodem Chronico excerpta inspersit, quæ singillatim commemorare non est opus. Quid vero Prosper Aquitanus in Chronico integro, quod a mundi origine ad suam usque perduxit ætatem? Hæc ipse initio: *A diluvio autem usque ad primum annum Abraæ anni nongenti* (lege *annos nongentos*) *XLII. Eusebius vir disertissimus annumeravit. ab Adamo usque ad diluvium, anni duo millia CCXLII. Sunt ergo omnes anni ab Adam usque ad annum XV. Tiberii, anni MMMMM.CCCLX., aut CCXXVIII. Anni vero secundum Geneseos Scripturam, & Africani historici supputationem amplius inveniuntur CXXIX.* Annus Tiberii XV. est Eusebio a nato Abrahamo bis millesimus quadragesimus quartus, ut ad eum Chronici locum diserte dicitur: his adde annos ab Adamo ad diluvium II M.CC.XLII., tum a diluvio ad Abrahamum DCCCC.XLII., erunt tibi omnes anni VM.CC.XXVIII., quot ex Eusebii rationibus refert Prosper secundo loco. quod vero addidit *secundum Geneseos Scripturam & Africani historici supputationem amplius inveniri CXXIX annos*; respexit, ut puto, ad Cainan secundum ab Eusebio omissum, cujus anno ætatis CXXX. natus ferebatur, in antiquis vulgata editione Geneseos, Sala filius. In eo autem quod de Africani supputatione addit, errasse eum crediderim: constat enim nec ab illo, nec ab Eusebio Cainan illum Salæ patrem fuisse recensitum. sed cum hic commodum Cainan habeatur in *Exordio libri*, quod

injuria dicimus affictum Euſebio; ſiquidem, ut aliis placet, jam id tum Chronico præfixum fuiſſet, ſane Proſper vel ſecus de Euſebii computo exiſtimaſſet, vel ad Africani ſupputationem minime confugiſſet. Proſperum excipiat Caſſiodorius, qui in *Epilogo* Chronici ſui (eadem fere initio leguntur) hæc habet: *Ab Adam uſque ad diluvium, ſicut ex Chronicis Euſebii & Hieronymi colligimus, anni ſunt MMCCXLII.; a diluvio uſque ad Ninum Aſſyriorum regem, anni ſunt DCCCXCIX.*: adde huic ſummæ annos regni Nini XLIII. ad natum uſque Abrahamum, ex eodem Euſebii Chronico; conſient anni DCCCCXLII. de quibus ſæpe a nobis eſt dictum. Jordanis autem, ſeu Jornandes, in libro *de regnorum & temporum ſucceſſione*, primum ab origine mundi uſque ad Abraham texit Chronologiam, *ſecundum veridici legiſlatoris verba Moyſis* Patriarcharum ætates colligens, & uſque ad annum Nini XLII. numerans annos IIIM.CCC.VIII., in quo CXXIV. annis Euſebium excedit: tum ſequitur: *Unde jam relictis familiis, regum ſeriem proſequamur, & ſicut Euſebius, ſeu Hieronymus, primum Aſſyriorum, deinde Medorum, Perſarumque & Græcorum regnum percurrentes, ad Romam imperium quomodo delatum ſit, vel quali tempore, latius, ſi Dominus permiſerit, exſequamur.* Vides Jornandem ætates Patriarcharum non ex Euſebii Prologo, aut ex *Exordio libri*, ſed ex Moſis libris repetere, & quidem peculiari ſibi computo? tum ab initio Chronici, & anno XLII. Nini, Euſebium & Hieronymum ſibi demum compilandos proponere? Agmen claudat antiquorum Gregorius Turonenſis epiſcopus, qui & initio lib. I. Hiſt. Franc. ſcribit: *De ſupputatione vero hujus mundi evidenter Chronicæ Euſebii Cæſarienſis epiſcopi ac Hieronymi presbyteri proloquuntur* (Prologum deſignans) *& rationem de omnium annorum ſerie pandunt*; & non multo poſt ſubdit: *In his decem generationibus, hoc eſt a Noe uſque ad Abraam, inveniuntur anni DCCCCXLII.* & ita deinceps, quem imitatus eſt continuator ejus Fredegarius circa finem, quem videſis. Apparet itaque ex hac antiquiorum, qui nempe quinto & ſexto Eccleſiæ ſæculo floruerunt, ſcriptorum enumeratione, omnes Euſebium laudaſſe & eſſe ſequutos, ab initio Abrahami & deinceps, ejuſdem Chronicum compilantes; enumerationes vero annorum ab Adamo ad Abrahamum vel ex ejuſdem Chronici Prologo decerpſiſſe, vel denique, qui alias inierunt rationes, *Exordio* illi *libri* magis conſentaneas, ſimul monuiſſe ſe eas ex vulgata tunc temporis Scripturæ editione collegiſſe: adeoque nemo unus vel *Exordium* illud ſe vidiſſe, vel ex eo quidquam ſumſiſſe, ne ſubobſcure quidem indicavit: quod ſane minime facere prætermiſiſſent, ſi cum vero Euſebii Prologo Chronicoque jam tum circumferretur.

II. Veniamus nunc ad auctores poſterioris antiquitatis, ex iiſque nonnullos tantum & carptim excutiamus. Ado Viennenſis in Gallia epiſcopus, qui nono ſæculo vixit, hæc in Chronico ſuo ad annum Tiberii XV. memoriæ tradidit: *Anno decimoquinto imperii Tiberii Dominus poſt baptiſmum quod prædicavit Joannes, mundo regnum cælorum annuntiat, peractis a mundi principio ſecundum Hebræos annis, ut etiam Euſebius in Chronicis ſuis ſignat, quattuor millibus, annotando quod decimoſexto anno Tiberii principium fuerit octuageſimiprimi jubilæi ſecundum Hebræos (noſtra vero computatio undeviginti minus ponendos eſſe exiſtimat) : juxta vero Chronica eadem quæ ipſe Euſebius de utraque editione, ut ſibi videbatur, compoſuit, anni ſupputantur quinque millia, ducenti & vigintiocto.* Quæ Ado de computatione ſecundum Hebræos ex Euſebio priori loco attingit, ad aliam quæſtionem hæc eadem

D.ſſer-

Digitized by Google

Differtatione agitandam fpectant: itaque de ea nihil eft quod hoc loco monendum occurrat. quod vero *juxta Chronica eadem* annos fupputat VM.CC. & XXVIII., ex eodem Eufebiani Chronici loco fumfit, adeoque ejufdem rationibus eft omnino confentaneum. ceterum Ado non juxta Eufebium, aut τοὺς LXX., fed juxta hebræum codicem, feu latinam Hieronymi interpretationem, annorum feriem putavit, fequutus Venerabilem Bedam, ex quo etiam totum hunc locum fere ad verbum tranfcripfit, uti poftea videbimus. Freculphus Lexovienfis in Gallia epifcopus, & ipfe fæculi noni fcriptor, qui tamen aliquanto ante Adonem floruit, Chron. Tom. I. lib. I. cap. 35. hæc refert: *Quamvis beatus Hieronymus in Chronico Eufebii, atque Orofius in prima fronte fuorum librorum (a quibus etiam Jofephus non longe exorbitat) aliter fentiant in numero annorum, dicentes a nativitate Abrae ufque ad totius orbis diluvium inveniri fupputando retrorfum annos* DCCCC.XLII. Idem lib. II. cap. 21. *Colligitur autem omne tempus a Mofe & egreffu Ifrael ex Ægypto ufque Salomonem & ædificationem Templi, anni quadringenti octoginta, ut Regnorum liber III. teftimonio eft: a diluvio fcilicet ufque ad Mofen anni M.CCCC.XLVII., a diluvio ufque ad Adam duo MCCXLII., qui fimul fupputati, ideft CCCCLXXX., MCCCCXLVII, duo M.CCXLII., a Salomone fcilicet ufque ad Adam fiunt anni IVM.CLXIX. Hanc quidem annorum fupputationem juxta Eufebii Chronica atque Hironymi affertionem coaptare curavimus*. atqui hæc quoque enumeratio, ex ipfo Eufebio depromta, innititur peculiari illi fummæ, quæ a diluvio ad Abrahamum conftituit annos DCCCC.XLII., de qua ipfe Freculphus in fuperiori textu, quem vide etiam lib. VI. cap. 19.. Marianus Scotus fæculi undecimi fcriptor, qui integrum Chronicum Hieronymi in fuum transfudit, quædam initio ex Prologo ipfius laudat: in *famofiffima* præterea *quæftione* de Mathufalæ annis citat Auguftinum & Hieronymum in Quæftionibus Hebraicis, fed de illo *Exordio libri* ne verbum quidem. nifi quis divinare velit, de eo potuiffe illum agere in prioribus capitibus: nam liber eft ἀκέφαλος. Non omittendum tamen eft hunc nonnulla quæ fub Eufebii nomine circumferebantur de Gigantibus fabulofa, memorare, quo loco de Enos filio Seth verba facit: *Hunc Enos* (fed Enos cum Enoch confundi, manifeftum eft) *nonnulla divina fcripfiffe Juda Apoftolo atteftante comperimus..... unde illa quæ Eufebii nomine proferuntur, & continent illas de Gigantibus fabulas, quod non haberent homines patres, recte a prudentibus judicantur non ipfius effe credenda*. De his in *Exordio libri* nihil habetur, fed in apocrypho Enoch libro apud Syncellum, quæ Mariani ævo latine reddita fub Eufebii nomine fuerint. Reftat mihi poftremo loco recenfendus Riccobaldus Ferrarienfis, qui compilationem Chronicam (*) ad annum MCCCXII. perduxit. Hic quoque opus fuum ex Hieronymi Chronico derivavit, neque tamen in eo invenit ea quæ jam inde a Marcellini ævo integros & germanos Hieronymiani Chronici codices habuiffe Vallarfius pro certo habuit. atqui, fi Riccobaldo ipfi fides eft habenda, nactus fuerat codicem venerandæ jam tum antiquitatis: ita enim præfatur: *Cum relicta non fponte genitalis foli dulcedine in urbe Ravenna relegatus degerem, & cum Canonicis Ecclefiæ majoris in eboro ac eorum laribus converfarer frequenter, aliquando non vana curiofitate perquifivi in ejus Archivio Ecclefiæ libros divinarum Scripturarum, qui mihi effent in oblectamentum honeftum. Dum*

Qq 2 *libros*

(*) Habetur hæc collectio in corpore Hiftorico medii ævi, quod Joannes Georgius Eccardus collegit & vulgavit Lipfiæ, an. 1723.

libros obsoletos volverem, venit in manus meas vetustissimus & obsoletus; visu mirabilis, cum serie invisa, cum litteris plurimis coloribus scriptis. Hic erat liber dictus Chronica B. Hieronymi. *difficile esset exprimere quam milis ad veterum tempora indicanda. Ex libris Eusebii erat deductus: per tempora multa intactus manserat: ejus membranæ libri putruerant. Aperui illum, intuitum in eum legendo desixi: continebat multarum rerum & illustrium virorum tempora a nativitate Abrahæ usque ad tempora Honorii Imperatoris. Dolui rem tam dignam proborum cognitione virorum, esse abditam & perditam, ut thesaurus suffossus*: &c. Videsne quid haberet vetus ille Chronici liber, & unde inciperet?

12. Equidem ita se res habet: antiquiores MSS. libri non agnoscunt, ac proinde negant esse Eusebii aut Hieronymi, quæ nos quoque suppofititia esse asserimus; cujus rei testes producam antiquorum Chronici codicum indagatores Pontacum & Scaligerum. Arnaldus Pontacus Vasarensis episcopus, qui, ut diximus, anno MDCIV. (biennio ante Scaligerum) edidit Chronica Eusebio-Hieronymianum ac Prosperi juxta editionem Basileensem anni MDXXIX., collatam diligentissime cum octo aliis libris impressis & MSS. viginti & octo; variantes singulorum in Notis & observationibus suis recensuit. Ex his MSS. libris nonnullos ob antiquitatem maxime commendat in Apparatu suo, ut Aurelianensem, qui ex apposita temporis nota scriptus videtur jam inde ab anno ıↄcxxıx., Alcobaciensem, Puteanum, alios: & tamen ea, de quibus agimus, additamenta in quattuor tantum invenit, de quorum antiquitate nihil habuit quod lectorem præmoneret: sed ipsum audire præstat in Nota ad illum titulum, *Exordium libri*: *Quæ subsequuntur*, inquit, *usque ad* Regum series *&c. pag.* 11., *sunt in impressis præter So.* (scilicet Chronicum impressum Lutetiæ anno cıↄıↄʟxxxvıı. a Michaele Sonnio); *quia absunt & ab omnibus nostris Chirographis, præter Fabricianum, Lodonense, secundum & tertium Vaticanum, licet in illis multis locis mutila, ut suo quæque loco demonstrabimus. Ea vero omnia quæ incipiunt a* Regum series *&c. usque ad initium Chronici*, Primus omni Asia, *excluduntur ab omnibus membranaceis præter tertium Vaticanum*. Hæc Pontacus, qui pergit eadem Nota in utramque partem disputare de eorum *αὐθεντίᾳ*: ita tamen, ut quæ pro illis afferr argumenta, infirma admodum sint, & longe infra alia quæ contra. Itaque, ne quid dissimulemus, nos heic priora illa, licet alieno loco, ipsius verbis commemorabimus, secunda in opportuniorem locum, scilicet num. 14., rejicimus. *Non desunt tamen*, inquit, *rationes, quibus germana esse videantur: tum quia Eusebius ait se in* priore libro, *seu quod magis urget*, libello *(sic enim nonnulli MSS.)* quamdam materiam futuro operi omnium regum nomina prænotasse; Chaldæorum, Assyriorum, *&c. usque ad* Latinorum, qui postea Romani nuncupati sunt*: quæ omnia illis optime conveniunt* (nos tamen contrarium adstruimus, præcipue num. 15.): *tum quia sub finem hujus Exordii pollicetur, quod præstat in Chronico*: modo autem ad annum Abraæ annum ad annum comparabimus (sed hæc scribere etiam facile potuit atque adeo scripsit, quicumque Eusebii personam ementiri sibi proposuerat). *Facit ad hæc Marcellini Comitis testimonium qui......* (sed hoc jam satis superque a nobis est refutatum argumentum). *His adde quod cum Beda, Ado & alii plerique citent hæc Chronica, vocant* libros Chronicorum, *seu* Temporum: *at sublato hoc Exordio cum Regum serie, non nisi unicus dici poterit*. Hoc postremum argumentum attingit Pontacus.

Digitized by Google

cus etiam in Apparatu, quo loco exponit quibus nominibus Chronicum Eusebii fuerit laudatum: *Aliis* (inquit ibi) libri Chronicorum, *ut Bedæ*, *Adoni*. *cur autem potius* libri, *quam* liber, *vide quæ diximus pag.* 224. *C. D.*: eam nimirum Notam indicans. Sed Adonis verba aliquot jam protulimus num. 11., tum Bedæ suo loco producemus, ex quibus quidem apparet dixisse eos *in Chronicis*, & *juxta Chronica eadem*: quod & ab Augustino & aliis ab ipso Pontaco in Apparatu laudatis, eleganter factum est. sin autem iidem scriptores alibi, aut alii, *libros*, dixerunt, non *librum* Chronicorum; reponi possit Chronicum Hieronymianum ex duabus partibus, seu mavis libris constare, quorum posterior sit ipsa Hieronymi continuatio. sed de his satis. Ut in viam redeamus: alter testis, æque fide dignissimus, Scaliger, cum multos se evolvisse libros antiquos hujus Chronici tradat, quo loco agit de artificio quo erat dispositum, eosque multum inter se diversos; tamen, ut supra num. 7. vidimus, unum invenit quem Freherianum & sane *luculentum & optimæ notæ* vocat, in quo ea additamenta haberentur: in quibus tamen ipsis non levis momenti accessio occurrit, sive interpolatio, præcipue ubi anni ab Adam ad diluvium computantur primum juxta calculum septuaginta Interpretum, tum etiam juxta textum hebraicum. huic libro similem, sed mutilum, habuisse Pontacum ex ejus Notis apparet. Ex his itaque omnibus ipse per te judices velim, Lector, quid de antiquitate harum Additionum statuendum sit: & num eas Marcellinum in suo codice habuisse verisimile sit, quæ ab omnibus antiquioribus, ac in plerisque etiam minus antiquis desiderantur. quantum ego judico, cum nec S. Hieronymus aliud præter quam Chronicum cum Prologo sit interpretatus, nec additiones illæ ab antiquis scriptoribus laudatæ, aut veteribus libris insertæ appareant; eas paucis ab hinc sæculis ab impostore aliquo Hieronymiano Chronico affictas, ex parte quidem ex aliis Chronicis, sed potissimum ex sacto Geneseos libro compilatas crediderim. Non levia sane indicia sunt, quisquis hæc finxit, græcam versionem, seu potius latinam ex illa expressam præ oculis habuisse, etiam si in annis ab Adam ad diluvium hebraici textus computum sequatur. Utrum vero lectio codicis Freheriani, an vulgaris, sincerior sit habenda, æque mihi est incertum atque ἄδηλον: sed si conjecturis dandum est aliquid, subit opinari neutram lectionem primigeniam esse, & ab ipsa primi impostoris manu, sed utramque ab aliis ejusdem furfuris hominibus fuisse interpolatam, vulgarem autem imprimis. Cedo, inquies, hujus tuæ conjecturæ caussas. eccas. Primum, ut ante innuimus, nomina aliquot propria ex græci textus pronuntiatione efferuntur, ut est illud *Gaidad*, qui fuit Cain nepos, quemque nos dicimus ex Hieronymi versione *Irad*: secundo, quamquam in vulgata lectione, ab Adamo ad diluvium, anni quo quisque filios suscepit, juxta Hebræos tantum computentur, ubi tamen primæ illius ætatis spatium omne colligitur, a Græcorum calculo initium fit, his verbis: *Ab Adam usque ad diluvium anni sunt MMCCXLII.*; tum adiicitur: *secundum Hebræorum numerum, anni MDCLVI.*: tertio, a diluvio usque ad Abraham, posthabita in utraque, tum vulgari tum Freheriana, lectione (quamvis hic codex, ut diximus, in priori illa usque ad diluvium ætate, annos quibus genuerunt Patriarchæ, juxta utrumque calculum, græcum primum, tum hebræum, recenseat) hebræi textus & computi ratione, pari consensu generationibus singulis recensitis juxta τοὺς LXX. tantum, demum concluditur: *Ab anno diluvii usque*

que ad nativitatem Abrae, sunt anni MLXXII. Cainan nimirum secundo inter ceteros computato, de quo alibi. Ex his itaque omnibus illud colligi posse videtur, primitus in hoc *Exordio* initas fuisse tantum rationes ad Græcorum computationem, postea vero a Freheriani codicis scriptore addita nonnulla fuisse, potissimum Hebræorum ex Vulgata nostra computandi modum ab Adamo ad diluvium: demum alium librarium, exemplar Freherianum aut simile aliud exscribentem, brevitatis gratia omisisse duplicem illum juxta Græcos & Hebræos computum, & huic tantum secundo locum dedisse in suo codice, ex quo postea vulgaris lectio *Exordii* prodierit. Hæc quidem ita facta fuisse, mihi fit verisimillimum: utcumque tamen res cesserit, parum aut nihil nostra interest. Viderint illi potius qui has quisquilias pro Hieronymianis mercibus venditant, si quid melius proferre valeant. Ego de his, rursus dicam, minime sollicitus sum: dummodo constet ea nec Hieronymo ut interpreti, nec Eusebio ut auctori, esse adscribenda: sed hoc secundum nimirum est, de quo modo ex instituto est agendum.

13. Quisque facile jam per se videt, quantum valeant & quo spectent, ea quæ a nobis hactenus disputata sunt de *Exordio libri* potissimum, Hieronymo falso adscripto: verum ut appareat, hæc ipsa quæ in quæstionem veniunt, nec ad primum Eusebii de Temporibus librum spectare, nec omnino ab ipso scripta fuisse; agedum, ex supra allatis indiciis ipsorum instituatur examen. brevi tamen negotium hoc totum conficere curabo, ne prolixitas tædio sit lectoribus. Primo itaque loco quæri potest, Num ea referant Eusebii ingenium atque indolem? quisquis sane in ejus scriptis vel obiter sit versatus, probe noverit qua esset eruditione instructus, quanta bonorum librorum copia abundaret, quam frequens ac fere assiduus esset in exscribendis sententiis gravissimorum Scriptorum non Ecclesiasticorum modo, sed etiam gentilium. Nihil hujusmodi apparet in his additamentis; jejuna prorsus sunt, frigida, inepta. Pauca producere sufficiet, ut lector quasi in rem præsentem veniens, ipse per se judicare possit. *Quibus ita perfectis* (agit de sole & luna) *manifestum est luminibus ipsis antecedere lucem tribus diebus: unde mihi videatur Ægyptii* (*) *ceteræque gentes.*

(*) Qui hæc scripsit, nu scisse quidem se prodit, quod nemo ignorat: annum nempe Bissextum a Julio primum Cæsare fuisse inductum, ut anni periodum ad Solis cursum quam maxime accommodaret. Nam quod is Ægyptiis potissimum, & jam inde usque a remotissima antiquitate hoc institutum adscribere videtur; sciendum, verum quidem esse, si fides Diodoro Siculo & Straboni in eo est habenda, sacerdotes Thebes & Heliopoleos annum solarem agnovisse diebus CCCLXV. constantem ac præterea horis sex: sed illud certissimum est, Ægyptiis in usu fuisse annum, qui *Nabonassari* dicitur, quique CCCLXV. diebus constabat absque ullo intercalari. Censorinus: *Ægyptiorum annus civilis habet dies CCCLXV. sine ullo intercalari. itaque quadriennium apud eos uno circiter die minus est, quam naturale quadriennium, eoque fit ut ann. MCCCCLXI. ad idem revolvatur principium.* Paria fere habet Geminus, Elem. Astr. cap. VI. Nihilominus Macrobius intercalandi quarto quoque anno diei morem ab Ægyptiis mutuatum Cæsarem scribit lib. I. Saturn.: nam eum cap. XII. dicat, ex persona Aurelii Symmachi: *Anni certus modus apud solos semper Ægyptios fuit*, capite demum XIV. addit: *Post hæc* (Cæsar) *imitatus Ægyptios, solos divinarum rerum omnium conscios, ad numerum Solis, qui diebus singulis tricenis sexagintaquinque & quadrante cursum conficit, annum dirigere contendit*: postremo cap. XV., ex persona Hori Ægyptii: *Dies quidem hic, inquit, intercalaris, antequam quintus annus incipiat, inserendus eum Ægypti matris artium ratione consentit*: &c. Verum de Sosigene peritissimo Astronomo & sectæ Peripateticæ Philosopho, in consilium a Julio Cæsare adhibito constat, de Ægyptiorum sacerdotibus non item. Vide Plin. lib. XVIII. cap. 25. de Sosigene, de quo etiam consulendus est Jo. Albertus Fabricius Biblioth. Græc. lib. III. cap. V., pag. mihi 300.: qui quidem eum & Ægyptium dicit, sed nullo teste in confirmationem ejus rei, ut in reliquis fecit, producto.

Digitized by Google

gentes hoc sequentes decretum, quattuor annis impletis diem integrum superfluum adiicere, quem etiam bissextum nominavere (al. *quod etiam bissextum solent nominare*). *Nam cum tres dies istos* (nimirum, qui solis & lunæ creationem præcesserant) *computare qui sint, atque recogitare voluerimus, unius anni centesimam vigesimamque partem istam esse cognoscimus* (al. *conoscemus*). *Centesima autem & vigesima dies invicem computata ista tertia pars esse anni dignoscitur.* Num hæc, quæso, redolent ingenium hominis in Græca Romanaque historia peritissimi? num hominem omnino sanum ratio illa indicat, propter quam diem quarto quoque anno intercalari solitum tradit? Sed audiendus Scaliger ita de his pronuntians: *Ridicula tam Scripturæ expositio, quam bissexti ratio. Centum viginti, inquit, sunt tertia pars anni. atqui hoc modo annus fuerit tantummodo dierum CCCLX. Si dixisset centum viginti duo, nihil esset quod obiici posset. Nam hoc modo annum bissextilem innueret, qui est dierum CCCLXVI., quorum tertia pars manifesto sunt CXXII., non, ut hic dicitur, CXX. Hæc omnia non sunt nauci, quamquam similia nescio quæ & apud Eusebium, Chrysostomum & Epiphanium, & alios veteres reperiantur.* Quam vellem, ut hic loca illa *nescio quæ his similia* apud Eusebium præsertim, indicasset. Sed personatum Eusebium interim audiamus. *Tertia ergo addita parte anuali quadriennio, dies* (al. *annuali, quadriennio dies*: ita Scalig. & melius) *integer completur, atque ad partium partes, menses atque anni superflui computantur, quos Hebræi quidem Embolismos vocare solent, Ægyptii autem exaltationes siderum atque stabilitates appellant; immo bissextum, ob rememorationem lucis atque dierum & noctium, quæ luminibus triduum antecesserunt, celebratur ideo, quod tres dies sine auctore sole processerunt*: &c. Quid ad hæc Scaliger? *Horum atque sequentium miseret me atque adeo pudet. Pars annalis, inquit, nempe CXX. dies, constituunt unum diem, qui in fine quarti anni absoluti adjectus bissextum dicitur. hoc est CXX. dies. Si non est hallucinari, quid aliud sit nescio.* Et: *Embolismi Hebræorum sunt quæ Ægyptiis exaltationes siderum atque stabilitates, inquit, hoc est, ut Græci vocant,* ὑψώματα καὶ στηριγμοὶ τῶν πλανητῶν ἀστέρων. *Quid mensibus lunaribus cum stationibus aut exaltationibus errantium? Insaniam si hæc confutem, aut si credam ab illis præstantissimis scriptoribus Eusebio aut Hieronymo profecta*. cetera. Merito sane ea risit & exsibilavit Scaliger: quare operam perderem, si in ejusmodi ineptiis confutandis immorarer. Sin vero ea quispiam, ut Vallarsius, defendere se posse contra Scaligerum, aut intelligere opinatur, ipse melius declaret atque explicet, & *erit mihi magnus Apollo*: sciat tamen se nihil perfecisse, quum dixit. *captare Eusebium ex Ægyptiorum anno elegantem potius quam veram Scripturæ expositionem*; &, *loqui illum ex Ægyptiorum prisco sensu, quum annum duodecim quidem mensium, menses vero triginta dumtaxat dierum periodo clauderent, antequam* ἐπαγόμεναι, *seu quinque illi dies postremo mensi ...... adiicerentur. Tunc nempe tertia pars anni centum viginti diebus constabat; & cum duabus horis unamquamque partem abundare intelligerent, idest sex horis unumquemque annum, singulis quadrienniis diem integrum intercalarem horarum XXIV. addebant*. Quid enim aliud, obsecro, hoc sibi vult, quam annum intercalarem dierum CCCLXI. comminisci, & priscis Ægyptiis concedere, ut sex horarum discrepantiam prius agnoverint, quam dierum quinque, quos postea in fine anni addiderunt, defectum deprehenderint. Sed de his satis.

14. Videndum secundo loco est: Num ea quæ in *Exordio* illo *libri* traduntur, cum iis quæ traduntur in Chronico, probe concordent? Sed nobis

bis

bis hunc laborem adimit Pontacus, qui licet in illam opinionem inclinaret quam modo Vallarsius acriter tuetur, ut liquet ex ejus Apparatu & ex Nota in illud *Exordium libri*, cujus supra partem quamdam protulimus; tamen hac eadem in Nota demum observat: *Obsistunt tamen nonnulla, quo minus tamquam genuina ita certo admittantur: ut tot membranarum auctoritas, quæ enim ista non habeant, clare negant esse Eusebii. Præterea minus respondent inter se hoc Exordium & Chronicon, cum plura ibi promittantur, quam quæ in hoc præstentur: ut dum ait, se* seriem temporum descripsisse per tempora Dictatorum cum Consulibus ordinariis: *item ubi ait, se* notare tempora & consules, sub quibus Alexander finem fecerit Judæis, vel Vespasianus Templum destruxerit, *& alia id genus, quorum nulla in Chronico sit mentio. adde, quod summæ annorum a diluvio ad Abraam, & aliæ non conveniunt cum Chronico: inter quæ malo hærere, quam alterutrum obfirmato animo asserere*. Idem tamen magis aperte judicium de his suum explicat aliquanto post, cum in illa Exordii verba, *Ab anno diluvii usque ad nativitatem Abrae sunt anni MLXXII.*, hæc postremo loco adnotat: *Hic tamen offert se se difficultas, qui concilianda sint ista cum iis quæ habentur in Præfatione, & circa annum Christi tricesimum, ubi a diluvio ad Abraam numerantur tantum anni DCCCCXLII.; idque suffragantibus omnibus libris: quin & ipse calculus Chronici ab orbe, hoc ipsum convincit, quo fit ut XXX. annus Christi sit Eusebio VM.CCXXVIII., cum alioquin si summa illa MLXXII. sumeretur pro DCCCCXLII., exsurgeret VM.CCCLVIII.: & hinc est verisimile, omnia quæ sunt hujus Exordii, minus esse germana*. Hæc Pontacus: nos autem quod ipse *verisimile esse* pronuntiavit, omnino manifestum & evidens esse dicimus, idque tum multis aliis de caussis, tum potissimum quod in hoc a diluvio ad Abrahamum periodo ab Eusebio annis CXXX. discordet; discordet autem, quod Cainan Arphaxadi filium admittat, quem ab Eusebio minime agnitum liquet tum ex ejus Patriarcharum Canone apud Syncellum, tum ex ipso Syncello, qui ea de caussa Eusebium sæpius atque acriter incusat (*). Sed audiendus omnino & Vallarsius, Nota A. col. 45.: *Nihil, puto, certius eo est, quod diximus, ab Eusebio fuisse Cainanum huncce alterum Arfaxadi filium prætermissum. Ipse idem Eusebius modo eum tacuit, ubi primum Semi Nationes digessit. Recensent heic tamen tanto consensu veteres Eusebiani libri omnes, editi ac MSS., ut Pontacus qui minima quæque mira sedulitate persequitur, nihil de quo Lectorem suum moneret, heic loci habuerit. Sed neque enim editio Scaligeri tacet, quæ .....*: Et paucis interjectis: *Verene igitur Eusebius, quem sexcentis testimoniis constat Cainanum alterum expunxisse e Patriarcharum albo, heic admiserit?* Arrigite aures, Lectores eruditi, seu potius oculos utraque manu fricate: *Ego* (pronuntiat Vallarsius) *scripsisse Eusebium hæc dico, non suo sensu, sed ex septuaginta interpretum mente: nam & totam annorum quos supputat in reliquis generationibus, seriem usque ad Nachor, recitat ad eorum fidem. Verosimillimum autem* (pergit ille) *arbitror isti Græcorum calculo, quod & factum supra novimus, alium quoque Hebræi, interdum etiam Samaritani exemplaris subdidisse, ut integrum lectori esset, cui vellet accedere. Factum vero librariorum culpa, ut duobus aliis ad compendium libri faciendum omissis, unus iste septuaginta Seniorum calculus, qui vulgo tum temporis obtinebat, reliquus fuerit: tametsi minus ille minusque impendio Auctoris operis probaretur*: &c. Fecit hoc quidem Eusebius, quod Vallarsius dicit, sed non

in

(*) Vide eumdem pag. 79., 168., 169., & demum 326. edit. Paris.

in hoc putidissimo *Exordio*: at ibidem nec Cainan istum recensuit, & vii, LXX. calculum, ut erat in ejus ævi emendatioribus libris, summa fide expressit, & reliquis duobus potiorem habuit. sed de his alias. Nunc institutam comparationem peragamus. Celebris quæstio dicitur Tillemontio Nota I. in Eusebii Vitam, quam vlde, & ea in utramque partem multum agitata, qua disputatur, utrum in Chronico Eusebiano consules ordinarii olim appositi fuerint, nec ne. affirmavit primum Cuspinianus, negavit contra Pontacus: iterum Scaliger asseruit, sed alii rursus, & nuper Vallarsius, Scaligero refragati sunt: nec disputandi finis fuerit, nisi prius submoveatur offendiculum, in quod tum negantes, tum affirmantes misere ad hanc diem impegerunt. Nam qui affirmant, sumunt sibi ex illo *Exordio libri* argumentum, in speciem certum & evidens; sed iis quæ in Chronico habentur, nullo modo respondere valent: contra, qui negant, habent ex ipso Chronico unde suam sententiam egregie tueri possint, sed argumentum ex *Exordio libri* petitum, quantumvis moliantur, eludere satis nequeunt. Explodatur itaque aliquando *Exordium* illud, male feriati hominis figmentum, quod tamdiu eruditis omnibus imposuit, & statim discussa caligine liquebit, Fastos consulares insertos numquam fuisse in illud Chronicum; sed tantum, adscriptum spatium Consulum, ut constaret quoto tempore rem Romanam consules administraverint. Cetera quæ habentur in eo *Exordio* iis opposita & contraria quæ traduntur in Chronico, brevitatis caussa omittam fusius exponere: nam quæ potissima inter utrumque occurrit discrepantia, in annis nempe a diluvio ad Abraham recensendis, jam supra num. 10. & 11. non perfunctorie expensa a nobis est, & infra rursus erit penitus excutienda. reliquas minoris momenti indicasse Pontaci verbis suffecerit, ut lector per se, si velit, exactam comparationem instituere possit.

15. Quod restat in proposito examine quærendum postremo loco, est hujusmodi: Num Prolegomena illa scopo & instituo Eusebii respondeant, atque conveniant? versatur autem quæstionis cardo potissimum circa partem illam, quæ *Series Regum* dicitur: nam quod spectat ad primam partem, in qua Eusebius compendiose res a mundo condito ad Abrahamum usque recensuisse vulgo creditur, fateri oportet, eam saltem ne minimo quidem cum detrimento aut incommodo omitti potuisse: quandoquidem ipse in Prologo jam indicaverat, se instituere velle comparationem Historiæ sacræ cum profana, profanam autem initium capere a Nino, qui ex ipsius sententia esset Abrahami contemporaneus. Hæc, inquam, in Prologo: quare nulla caussa erat, cur præmitteret compendium Historiæ jam inde ab initio mundi: præcipue cum eam quoque partem, quantum sat erat, complesset in eodem Prologo, cum annos ab Adam ad diluvium & a diluvio ad Abrahamum, ex sacris Scripturis, breviter notasset. Quoniam igitur de *Serie Regum* agendum hoc loco est, quam itidem in plerisque libris manu exaratis desiderari ex Pontaco jam didicimus, videamus quod de illa ferendum sit judicium. Ipsam ego nihil aliud esse censeo (quidquid alii dixerint) quam indicem Chronici: inde nimirum incipit, unde illud, & quæcumque habet, in Chronico fere omnia habentur: exempli gratia, regum Sicyoniorum catalogus non incipit ab Agyaleo primo rege, sed ab Europe, de quo initio Chronici: & quoniam ibidem Regum Ægyptiorum decimasexta Dynastia cum Abrahami ætate componitur, in hac quoque Regum serie, omissis superioribus, quas tamen singillatim enumerasse Eusebium in libro qui intercidit, ex

Gregorio Syncello constat, initium fit ab eadem Dynastia XVI.: tum, quia in Chronico Hebræorum series incipit ab Abraham, & hujus anni centum, usque ad ortum Isaaci; tum Isaaci anni sexaginta, usque ad nativitatem Jacobi, & sic deinceps, computantur: ita in hac *Serie* Abrahæ anni C. ἁπλῶς tribuuntur, LX. Isaaco, &c. Ex quibus omnibus, ut dixi, hanc *Regum Seriem* non aliud esse arguo, quam indicem quemdam ipsius Chronici, & eum non a Hieronymo, sed multis post illum sæculis compactum; cujus quoque rei hæc indicia sunt: quod nemo antiquorum de illa *Serie* loquatur: (nam quæ in novissima editione ex Syncello græca fragmenta eidem apponuntur, ex ipsius Syncelli collatione facile cognosci poterit, ea nihil prorsus ad rem facere): tum, quod in ipsis seriebus ordinandis temporum ratio non semper habita fuerit, ut cum Hebræorum & Ægyptiorum series ultimo fere in loco recensentur, quæ primas sibi sedes jure vindicassent: denique, quod in plerisque, iisque antiquioribus, libris MSS. non leguntur, & in paucis illis qui habent, quædam in fine addantur, quæ minime ad Eusebium aut Hieronymum referri possunt: quas additiones ex Parmensi quodam MS. edidit Vallarsius colum. 84., & alias fere similes Pontacus, quem vide colum. 43. edit. Veronen. Verum, dicis caussa, concedamus *Seriem* illam ab ipso Eusebio, aut Hieronymo ad nos pervenisse: quæri adhuc possit, num ea ipsa sit quam Eusebius in Prologo se collegisse scribit, ut *materiam futuro operi*, seu Chronico construendo, sibimet suppeditaret. Id sane Vallarsius constanter affirmat, sed quam ab omni veri specie abhorreat, mox videbimus.

16. Eusebius ipse, ut vidimus, Prologi in Chronicum initio satis declarat, quæ sibi fuerit scribendi de Temporibus caussa: nempe, quum legisset scripta eorum qui antea in eodem argumento versati fuerant, Clementis præsertim, Tatiani & Africani, cognoscere ipse voluit recte ne, an secus, rationes suas subduxissent, præcipue autem num id verum esset, in quo ipsos comperiebat summo inter se consensu convenire, Moysem nimirum Inacho æqualem fuisse. Ad eum finem duo sibi necessario præstanda esse vidit: primum, ut sacram Historiam totam, itidemque profanam, ex suis quamque fontibus ad sua usque tempora derivaret, ac per partes singulas seorsum explicaret ac stabiliret: quod sane non nisi magno cum labore & studio, tum in colligendis, tum in comparandis inter se & excutiendis antiquorum sententiis, fieri poterat: secundum, ut utramque Historiam, sacram dico & profanam, sic probe jam enucleatam & expensam, per annos expansos simul componeret & in unum quasi corpus compaginaret: ut eo pacto appareret demum, quæ vel in eadem tempora convenirent, vel ætate posteriora aut anteriora essent. Porro his duabus Operis sui partibus duos etiam libros destinavit: hoc enim secundum in Chronico videmus ab eo præstitum, primum illud in alio seorsum libro se præstitisse ipse profitetur. Audiamus rursus, quibus ipse verbis mentem suam & utriusque a se scripti libri argumentum exponat, non, ut antea, Hieronymi interpretationi insistentes, sed græco textui, unde apertior Eusebii sententia erui poterit. Et quoniam græcum illud Fragmentum satis concinne & eleganter interpretatus est Scaliger in Animadv. in lat. Chron. pag. 11., & quidem eo consilio, ut Hieronymianæ versioni suam opponeret, eam nos transcribemus, ut Goari potius versio cum ea comparata, quam sit multis locis vitiosa, deprehendatur. sed & Scaligeri ipsius interpretationem, ubi opus fuerit, in Notis nostris castigabimus.

INITIUM PROLOGI EUSEBII IN CHRONICUM

Ex Georgio Syncello, pag. 65. & seq. ed. Parif.

Ὡσαύτως (†) Εὐσέβιος ἐν τῷ προοιμίῳ τοῦ Κανόνος ὧδέπως γράφων συμμαρτυρεῖ.

Μωϋσέα γένος Ἑβραῖον, (a) προφητῶν ἁπάντων πρῶτον, ἀμφὶ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν (b), λέγω δὲ τοῦ Χριστοῦ, ἀμφί τε τῆς τῶν ἐθνῶν δι' αὐτοῦ θεογνωσίας χρησμοὺς, καὶ λόγια θεῖα (c) γραφῇ παραδεδωκότα (d), τοῖς χρόνοις ἀκμάσαι (e) κατὰ Ἴναχον, εἰρήκασιν ἄνδρες ἐν παιδεύσει γνώριμοι, Κλήμης, Ἀφρικανὸς, Τατιανὸς, τοῦ καθ' ἡμᾶς λόγου, τῶν ἐκ περιτομῆς Ἰώσηπος καὶ Ἰοῦστος, ἰδίως ἕκαστος τὴν ἀπόδειξιν ἐκ παλαιᾶς ὑποσχὼν (f) ἱστορίας· Ἴναχον δὲ τῶν Ἰλιακῶν ἔστησαν ἑπτακοσίοις

Eodem modo Eusebius in Proœmio Canonis ita scribens contestificatur.

Mosem genere Hebræum, qui prophetarum omnium primus, de Salvatore nostro, de Christo inquam (1), & de ea quam Gentes per eum adeptæ sunt, Dei cognitione (2), vaticinia & oracula divina scripto tradidit, temporibus æqualem Inacho prodiderunt viri eruditione celebres, nostri quidem instituti, Clemens, Africanus, Tatianus; ex circumcisione vero Josephus & Justus, suis quisque ex antiqua historia præbitis argumentis: Inachum vero septingentis annis Iliaca antecessisse statue-

Rr 2

(†) Hæc Syncellus præfatur: idem pag. 63. μαρτυρῶν καὶ αὐτὸς ἐν τῷ τοῦ Κανόνος αὐτοῦ προλόγῳ, κ. τ. λ. *Quamvis ipse* (Eusebius) *testetur in Canonis sui Prologo*, &c.

(a) Ita legendum cum Scaligero, sicut infra de Abraham, Χαλδαῖον μὲν τὸ γένος. Goarus, quem Vallarsius sequitur per omnia, Ἑβραίων; at in margine per conjecturam, κατὰ γένος Ἑβραῖον.

(b) Τοῦ σωτῆρος ἡμῶν edidit Scaliger, pro quibus Goarus τοῖς πρὸ ἐξ ἡμῶν, quæ sententiam aut nullam aut obstrusissimam reddunt: sed, quod sequitur λέγω δὲ τοῦ Χριστοῦ, & Hieronymi versio, *ante adventum Domini Salvatoris*, innuunt hoc loco vel σωτῆρος, vel κυρίου ἡμῶν esse legendum. Duo MSS. Regii, quos cum Goari editione diligenter contulit Antonius Pouget monachus San-Germanensis, & ex quibus in sequentibus Notis non paucas emendationes producemus, nihil tamen habuisse videntur hoc in loco a Goari editione diversum: nihilo tamen secius textum depravatum ad Scaligeri lectionem restituendum conjicio.

(c) Θεῖα est apud Scaligerum, & quidem ex MS. Regio, ex quo Goari quoque editio expressa: in hujus tamen textu θεῖα legitur, repugnante ejusdem interpretatione, quæ est: *quo ad divina verba quæ scriptis tradita*.

(d) Παραδεδωκότα: ita Scaliger, & recte: nam mendose in MSS., & apud Goarum παραδεδωκότας: confer ipsius Goari interpretationem superiori Nota descriptam, & videbis eam nobiscum facere.

(e) Ἀκμάσαι, uterque MS., & Scaliger: ἀκμάσαι Goarus, & Vallarsius.

(f) Scaliger ὑπόσχοντες.

(1) *De Christo inquam*, sic infra *Homero inquam*: quod tamen minus latine dictum: Vid. Gerhardum Joannem Vossium in libro de vitiis Latini sermonis, & Vorstium de Latinit. merito suspecta.

(2) Melius, meo judicio: *& de ea quam Gentes per eum*, scilicet Christum, *adeptæ erant Dei cognitione*.

Digitized by Google

tuerunt. Ex Philosophis autem, quisquis ille fuit apparatus illius adversus nos molitor, in quarto operis, quod in nos incassum elaboravit, ante tempora Semiramidis Mosem fuisse dicit. Atqui illa annis CL. ante Inachum Assyriis imperavit: ut consequens sit Mosem ex hujus sententia Troicis temporibus antiquiorem fuisse annis DCCCL. Ego autem, qui nihil prius habeo veritate, rem accuratius investigare decrevi: atque eo consilio in priore opere materias mihi quasdam comparandi studio, temporum argumenta diversa (1) conquisivi, regna nimirum Chaldæorum, Assyriorum, Medorum, Persarum, Lydorum, Hebræorum, Ægyptiorum, Atheniensium, Argivorum, Sicyoniorum, Lacedæmoniorum, Corinthiorum, Thessalorum, Macedonum, Latinorum, qui postea Romani sunt cognominati: quæ simul fiunt XV. regna. In præsenti quidem opere (2) temporibus in unum collatis, annorum

κοσίοις ἔτεσιν (a) πρεσβεύειν. Ἑλληνικῶν δὲ φιλοσόφων, ὅς τίς ποτε ἦν ἐκεῖνος (b) ἀνὴρ, ὁ τὴν καθ' ἡμῶν συσκευὴν προβεβλημένος (c), ἐν τῇ δ' τῆς εἰς μάτην αὐτῷ (d) πονηθείσης καθ' ἡμῶν ὑποθέσεως, πρὸ τῶν Σεμιράμεως χρόνων τὸν Μωσέα γενέσθαι (e) φησί· Βασιλεύει δὲ Ἀσσυρίων (f) ἡ Σεμίραμις πρόσθεν ἔτεσι ν' πρὸς τοῖς ρ'· ὥστε εἶναι κατὰ τοῦτον τῶν Τρωϊκῶν Μωσέα πρεσβύτερον ν' καὶ ω' ἔτεσιν. Ἐγὼ δὲ περὶ πολλοῦ τὸν ἀληθῆ λόγον τιμώμενος (g), καὶ τὸ ἀκριβὲς ἀνιχνεῦσαι διὰ σπουδῆς προυθέμην· ἔνθεν ὁρμηθεὶς ἐν μὲν τῇ πρὸ ταύτης συντάξει (h) ὕλας ἐκπορίζων ἐμαυτῷ, χρόνων ἀναγραφὰς συνελεξάμην παντοίας, βασιλείας τε Χαλδαίων, Ἀσσυρίων, Μήδων, Περσῶν, Λυδῶν, Ἑβραίων, Αἰγυπτίων, Ἀθηναίων, Ἀργείων, Σικυωνίων, Λακεδαιμονίων, Κορινθίων, Θετταλῶν, Μακεδόνων (i), Λατίνων, οἷς ὕστερον γέγονεν ἐπίκλην ὄνομα Ῥωμαῖοι (ὁμοῦ γίνονται ιε')· ἐν δὲ τῷ παρόντι (k) ἐπὶ τὸ αὐτὸ τοὺς χρόνους συναγαγὼν, καὶ

(a) Ἔτεσιν est ex 2. MS. (qui est in Reg. Biblioth. sub num. 3058.) & huic quidem loco omnino necessarium.

(b) Ἐκεῖνος desideratur apud Goarum, at est in utroque MS., & apud Scaligerum.

(c) Idem Eusebius Præp. Euang. lib. X. cap. IX. de eodem Porphyrio, ὁ τὴν καθ' ἡμῶν συσκευὴν ὑπερβάλλῃ μίσους προβεβλημένος.

(d) Αὐτῷ est apud Scal., deest in Goar. & Vallar. ed.: apud hunc deest etiam paullo ante τῆς εἰς. Porro in utroque MS. habetur αὐτὸν, sed legendum αὐτῷ.

(e) Pro γενέσθαι Scal. habet γεγονέναι.

(f) Goar. addit καὶ: καὶ Ἀσσυρίων: sed non est in MSS. aut apud Scalig.

(g) Τιμώμενος: ita MSS. & Scal., non τιμησάμενος, ut apud Goar. & Vallar.

(h) Συντάξει. Ita Regius alter MS., & ita jam pridem edidit Scaliger. Goarus ex primo MS. προτάξει, quam lectionem jam rejecimus hujus Dissertat. num. 3., pag. 294.

(i) Μακεδόνων. Ita MS. alter, non Μακεδονίων, ut in editis.

(k) Ἐν δὲ τῷ παρόντι. Idem valet ac ἐπὶ τοῦ παρόντος, quod alibi Eusebio dictum, ut cap. IX. lib. X. Præp. Euang. & Hist. Eccl. lib. I. cap. I. Sane cum præcedat & sequatur vox συντάξει, ad eam minime referri τῷ παρόντι potest. Hæc notare placuit, ut Scaligeri & Goari interpretationem castigarem. uterque enim vertit *in præsenti opere*, cum dicere debuissent, ut S. Hieronymus, *in præsenti autem* tantum, aut *hoc autem tempore*.

(1) Non satis expressit Scaliger vim vocum χρόνων ἀναγραφὰς παντοίας, *temporum enumerationes*, seu *descriptiones omnimodas*, *regnaque* &c.

(2) Melius: *In præsens autem*, scilicet tempus. Vid. Not. græco textui appositam.

καὶ ἀντιπαραθεὶς ἐκ παραλλήλου τὸν (a) παρ' ἑκάστῳ ἔθνει τῶν ἐτῶν ἀριθμὸν, χρονικοῦ κανόνος σύνταξιν ἐποιησάμην· εὑρὼν τε (b) παρ' Ἑβραίοις διαφόρους τῶν χρόνων ἀποδόσεις, τὴν μὲν πλεονάζουσαν, τὴν δὲ ἐλλείπουσαν (c), οὐ τὴν ἐμαυτῷ κεχρησμένην, λέγω δὲ τὴν πλήθουσαν, ἥρμοσα, τὴν δὲ ἐνδέουσαν μετῆλθον· πλὴν ἀλλὰ καὶ οὕτω κατὰ μὲν (d) Ἴναχον, ὃν πρῶτον Ἕλληνες Ἄργους βασιλεῦσαι φασὶν, τῶν (e) Ἑβραίων προπάτορα Ἰσραὴλ γενόμενον εὗρον (f), ἐξ οὗ τὸ δωδεκάφυλον τοῦ Ἰουδαίων ἔθνους (g) τῆς τοῦ Ἰσραὴλ ἐπωνυμίας ἠξιώθη· κατὰ δὲ (h) τὴν Σεμίραμιν τὸν Ἀβραὰμ, Χαλδαῖον μὲν τὸ γένος, ἄλλως δὲ ἄνδρα θεοφιλῆ καὶ πρῶτον τῶν παρ' Ἑβραίοις προφητῶν εἶναι πεπιστευμένον· Μωσέα δὲ, φιλαληθῶς εἰπεῖν, τούτων μὲν νεώτερον, τῶν δὲ παρ' Ἕλλησι ἀρχαιολογουμένων ἁπάντων πρεσβύτερον, Ὁμή-

norum uniuscujusque gentis numeris invicem ex adverso inter se oppositis Chronici Canonis opus confeci. Quum autem apud Hebræos diversas temporum observassem editiones (1), illam quidem redundantem, hanc vero deficientem (2), *non eam qua alias usus sum, redundantem intelligo, adoptavi, sed aliam deficientem* sequutus sum. Nihilominus & sic quoque Hebræorum progenitorem Israelem, a quo Judaicæ gentis duodecim tribus Israelis nomine censentur, Inacho, quem primum Argis regnasse Græci prodiderunt, tempore æqualem fuisse reperi: Semiramidis vero temporibus Abraham vixisse, hominem quidem natione Chaldæum, sed tamen Deo acceptissimum, qui primus propheta apud Hebræos (3) fuisse creditur: Mosem autem, ut verum fatear, infra horum tempora

(a) Τὸν habet I. Regius MS. & Scal.; Goar. & Vallars. mendose τῶν.

(b) Εὑρὼν τε. Ita uterque MS. & Scaliger: Goar. & Vallar. ἱερῶν δὲ, minus bene.

(c) Ἐλλείπουσαν. Hæc & sequentia usque ad μετῆλθον, supplentur ex MS. a., quæ sane ex primo excidisse videntur propter ejusdem fere vocis repetitionem: quod librariis, ut sæpissime alias contigit, fraudi fuit. Scaliger primum, tum Goarus ad sarciendam aliquo modo sententiam, ταύτην suppleverant, quæ in neutro MS. est: itaque Vallarsius acute vidit & notavit, hoc loco textum græcum *aliquot imminutum verbis, mancumque*. Nunc autem restituto textu multis obviam itur difficultatibus, quæ ex eo pendebant: tum Eusebius vindicatur a παραλογισμῷ, quod illi impegerunt Scaliger & alii: sed de his infra.

(d) MS. secundus non agnoscit μὲν, sed retinere placuit, quia paullo post respondet ipsi δὲ: κατὰ δὲ τὴν Σεμίραμιν.

(e) Φασὶν, τῶν Ἑβραίων. Ita uterque MS.: at editi φασὶ, τὸν Ἑβρ.

(f) Εὗρον habet uterque codex MS. & Scaliger: Goar. & Vallar. ἱερῶν, male.

(g) Τοῦ Ἰουδαίων ἔθνους. Goar. edidit τοῦ δὲ Ἰουδ., sed δὲ non agnoscunt MSS., nec habet Scaliger.

(h) Κατὰ δὲ, ex utroque MS. & Scalig.: nam mendose apud Goar. μετὰ δὲ, qui alio errore conjecit legendum postea τῆς Σεμιράμεως. Vallar. in margine κατὰ apposuit.

(1) Melius, puto, *collectiones, summas*.

(2) Quæ vides diversa characteris forma expressa, a me addita sunt ad lectionem a. MS. græci. Vid. Notas in eum locum.

(3) Sic in Chronico ad annum Abrahæ: *Primo omnium Prophetarum Abrahæ* &c., & tamen initio hujus Procemii Moses dicitur *prophetarum omnium primus*, quod tamen non ad tempus fortasse referri debeat, sed quod ita dictus fuerit κατ' ἐξοχήν.

pora exſtitiſſe, antiquiorem tamen omnibus priſcæ Græcorum memoriæ, Homero inquam, Heſiodo, ipſiſque Trojanis temporibus, Caſtoribus, Æſculapio, Libero patre, omnibus Heroibus, Mercurio & Apolline, reliquiſque Græcorum Diis, myſteriis & initiis, atque adeo ipſis Jovis geſtis, quæ a Græcis memorantur: quorum omnium hiſtoriam infra ætatem Cecropis fuiſſe Græci tradiderunt. Hoc autem examen temporum Moſem ſæculo Cecropis fuiſſe adſtruit, qui primus, circiter CCCL. annis ante Trojana tempora, in Attica regnaſſe memoratur.

Ὁμήρου λέγω καὶ Ἡσιόδου, καὶ αὐτῶν γε τῶν Τρωϊκῶν, καὶ ἔτι Διοσκούρων (a), Ἀσκληπιοῦ (b), Διονύσου, Ἡρώων τε πάντων, Ἑρμοῦ τε καὶ Ἀπόλλωνος, τῶν τε λοιπῶν παρ' Ἕλλησι θεῶν, μυστηρίων τε καὶ τελετῶν, Δίος τε αὐτοῦ πράξεων τῶν παρ' Ἕλλησι μνημονευμένων· τούτων γὰρ ἁπάντων τὴν ἱστορίαν νεωτέραν τῆς Κέκροπος ἡλικίας παῖδες Ἑλλήνων παραδεδώκασι (c). Μωϋσέα δὲ ἡ παροῦσα συνεξέτασις (d) τῶν χρόνων γενέσθαι κατὰ Κέκροπα τὸν διφυῆ, ὃν πρῶτον φασὶ τῆς Ἀττικῆς βασιλεῦσαι, συνίστησι, πρὸ τῶν Ἰλιακῶν ἀμφὶ τὰ τν' ἔτη.

17 Ex hoc itaque inſigni fragmento apparet, quo animo Opus illud de Temporibus ſcribere ſit aggreſſus Euſebius; nimirum, ut antiquiorum ſententias expenderet, & totam præteritorum temporum hiſtoriam ad novos calculos revocaret: apparet, ipſi propoſitum fuiſſe undecumque colligere *χρόνων ἀναγραφὰς παντοίας*, *enumerationes temporum quaſcumque*, & regna celebriorum gentium: nimirum ut his temporum & regnorum deſcriptionibus ad trutinam revocatis, exploſiſque minus certis & certioribus conſtabilitis, materiam ſibi pararet alteri libro contexendo, in quo quæ jam probaſſet in primo, quæ vera & conſentanea ſibimet comperiſſet, ſimul componeret & contexeret. Quis itaque non intelligit, quam amplum & multiplex fuerit prioris illius libri argumentum? quis eum intelligat, adhuc dubitet, quin Euſebius argumentum illud & potuerit & voluerit erudite & copioſe pertractare, quum ſatis conſtet eum opulenta lautaque librorum ſupellectili fuiſſe inſtructum, eumdemque in legendo & excerpendo aſſiduum? quis denique, cum hæc omnia probe noverit, in animum inducat Euſebium nihil aliud fere exhibuiſſe in primo libro, quam ſimplicem ac nudum regum catalogum, nullo producto ſcriptore, unde aut ea regum nomina hauſiſſet, aut regis cujuſque annos? præcipue cum non ipſe primus eam ſpartam adornandam nactus eſſet, ſed poſt clariſſimos & eruditiſſimos ſcriptores, atque adeo ſæpius coram ipſorum rationes, novam ipſe editurus eſſet Chronographiam. Nec opponas eumdem in Chronico rationem ſubinde & auctoritatem ſuis dictis adjungere. ſecit id quidem, ſed raro atque obiter: in pleriſque autem facere omiſit, quod

(a) Διοσκούρων ex MS. 2., alii Διοσκόρων.

(b) Ἀσκληπιοῦ, ambo MSS. & Scaliger, non Ἀσκληπίου, ut apud Goarum.

(c) Παραδεδώκασι, ex 2. MS., nam apud Goarum legitur mendoſe παραδιδώκασιν, apud Scalig. παραδεδώκασιν.

(d) Scaliger edidit ἐξέτασις pro συνεξέτασις: ſed recte obſervavit Vallarſius ἐξέτασιν *minus bene Euſebii propoſitum ad mentem referre: &,* συνεξέτασιν *proprie eſſe, per comparationem inquirere* …

quod de ipsis, puto, ex instituto egisset suo loco, id est in primo libro. Neque tamen id modo contendo, Eusebium præ ceteris qui in eodem jam argumento versati fuerant, ad veritatem propius accessisse, & de temporum doctrina optime fuisse meritum: aut, cum aliorum errores corrigere sibi arrogavit, ipsum alicubi non cæspitasse. non id modo agimus, quod alterius & abstrusioris quæstionis est: sed tantum asserimus, eum librum quo hæc Eusebius persequutus est, eruditione varia & pretiosa, undecumque collecta, fuisse refertum, adeoque dolendum maxime esse, quod ad nos usque integer non pervenerit. Periit, scilicet, liber ille Eusebii, non ita tamen, ut nullæ reliquiæ & rudera uspiam supersint, ex quibus ejus molem & pretium quasi ex ungue leonem adhuc conjicere ac probe dignoscere possimus: quod ex eo libro clarius apparebit, quo Fragmenta illa a nobis jam collecta aliquando edituri sumus. Quod autem *Regum series* illa, quæ ante latinum Chronicum habetur, ea ipsa materia fuerit, quam Eusebius sibimet suppeditaverat ad Chronici compositionem, non dicam asserere, sed vel cogitare (etiam si aliunde non haberemus, quo manifeste refelli possit) adeo per se absurdum ineptumque videri debet, quam quod maxime. Sed quoniam mentio iterum incidit hujus *Regum seriei*, opportunum fuerit, præter ea quæ de ea supra diximus, hoc etiam notare, in ea nullam Chaldæorum regum institui enumerationem. quid ita, quæso? non ne in allato Proœmio Eusebius se primo loco regnum Chaldæorum recensuisse testatur? etiam. Sed quoniam regnum illud ex ejusdem calculis Abrahami tempora præcessit, neque in Chronico ei locus fuit, neque in illa regum serie comparet, quam indicem quemdam, atque elenchum Chronici esse diximus. Præterea non ne idem Eusebius ibidem commemorat Thessalorum regnum inter ea quæ priori libro digesserat? at ne hujus quidem meminit *series Regum*: ratio in promtu est. in Chronico Thessalorum regum seriem texere omisit Eusebius, contentus aliquid de Thessalo & Æmone attingere: idcirco nec in Chronici indice illo haberi potuerunt. Itaque ex quindecim regnorum catalogis, quos prior liber exhibebat, tredecim tantum in ea serie quam habemus, continentur, nec ii omnes integri, ut supra observavimus: adeo ut necesse sit fateri eam plane diversam rem esse a primo illo Eusebii libro.

18. Sed ut ea de quibus fusius disputavimus, brevi omnia sermone complectamur & paucis contrahamus, pro certo habeatur in decretorio illo textu Prologi, circa quem hucusque versati sumus, indicari priorem quemdam librum de Temporibus ab Eusebio scriptum, eumque tum omnino distinctum a Chronico, tum ab iis longissime dissitum, quæ Chronico adsuta in quibusdam MSS. & in editis habentur: hæc autem adsumenta, primum alieno omnino loco collocari, cum inter Prologum & ipsum Chronicum inseruntur: secundo non habuisse interpretem Hieronymum; præterea, non legi in antiquioribus libris, nec ab ullo idoneo scriptore laudari; demum, ineptissima esse & indigna prorsus quæ Eusebio ipsi adscribantur, postremo instituto ejus minime consentanea: quum ex Eusebio ipso & ex recta ratiocinatione argumentum & materiem primi de quo agimus libri, probe intellexerimus ejusmodi fuisse, cui usquequaque respondeat opinio, quam de ipso viri docti post Scaligerum jampridem imbiberant animo. Sed hæc hactenus. Quod autem ad Severum attinet, in cujus gratiam hæc primum suscepta disputatio fuit, non est cur opinemur eum, ex Scaligeri sententia, præ manibus habuisse priorem illum

ſum Euſebii librum, quem a Hieronymo minime latinum factum vidimus, aut ſaltem, ex Vallarſii placitis, priorem illam partem Chronici, quam nec Euſebius ſcripſit: ſed ille unum Chronicum cum præfixo Prologo habere potuit, idque proinde unice reſpexit, quoties *Chronicorum* meminit.

Reliqua hujus Diſſertationis in aliud tempus & Opus reſervantur.

IN

Digitized by Google

IN SULPICIUM SEVERUM

DISSERTATIO III.

Chronici Eusebio-Hieronymiani codices MSS. & Edd., approbantibus etiam eruditissimis nostræ & superioris ætatis Scriptoribus, Christi mortem anno Tiberii XVIII., *& Olymp. CCII. tertio mendose affigunt, quam tamen Eusebium & S. Hieronymum anno proxime sequenti alligasse nunc primum demonstratur. Ea occasione Eusebii in recensendis annis Olymp. & Imperatorum methodus illustratur, & aliorum de his sententiæ refelluntur. Tum de Phlegonte Olympiadum collectore, deque Solis eclipsi in morte Domini, quæ ab eo memorata perhibetur. Nonnulla postremo de anno quo Christus natus, ex ejusdem Eusebii rationibus.*

Ertia hæc Dissertatio ex duabus præcedentibus quasi dependet, artaque cum iisdem affinitate conjungitur: demonstrandum enim est modo quod tum in prima, pag. 280, tum in secunda, pag. 302 & seq., in antecessum & obiter asserui. est autem hujusmodi. In omnibus, quod sciam, Eusebio-Hieronymiani Chronici codicibus Edd. & MSS., idque ab antiquissimis jam usque temporibus, Jesu Christi mors refertur ad annum Tiberii Imp. & Herodis Tetrarchæ XVIII., qui respondet anno ab Abraham nato, IIM. XLVII., & Olympiadis CCII. anno III.; ibique hæc leguntur: *Jesus Christus filius Dei, secundum prophetias quæ de ipso fuerant prælocutæ, ad passionem venit anno Tiberii XVIII.*, &c. Nos vero Christi mortem ad annum sequentem ex Eusebio & Hieronymo referendam, atque adeo legendum *anno Tiberii XVIIII.* contendimus, probandumque in nobis recipimus, refragrantibus licet doctissimis viris Pontaco, Scaligero, Goaro, Petavio, Pagio, Vallarsio & aliis: cum quibus proinde nobis res erit, non sane vitilitigandi gratia, sed studio veritatis indagandæ illustrandæque in hac maxime insigni temporis epocha. Agitur quidem, ut vides erudite Lector, de unius anni discrimine, sed ex eo rite constituto magnæ provenire possunt utilitates tum ad Sulpicii Severi ipsiusque Eusebii Chronologiam constabiliendam, tum ad totius Eusebiani Chronici dispositionem atque methodum probe dignoscendam. itaque *in tenui labor, at tenuis non gloria*.

2. Quæ Eusebium (nam de S. Hieronymo ejus interprete postea dicemus) anno Tiberii XIX. Christi passionem ac mortem affixisse, evincunt argumenta, nec obscura sane nec pauca sunt. Ac primum illud, quod colligitur ex ipso Eusebii græco textu, quem nobis serva-

vit Syncellus: in eo nimirum legitur, aut legendum est, ἔτους ιθ' τῆς Τιβερίου βασιλείας, *anno XIX. imperii Tiberii*. Sane eum locum referens Scaliger, edidit ἔτους ιθ', ut habetur ejus græci Chronici lib. I. pag. 77. lin. 2, quamquam ipsi, ut videbimus, persuasum esset legendum ιη', seu XVIII: uti etiam in editione Goari habetur, qui tamen in Notis se eum numerum refixisse monet, ut græca ad latinos codices reformaret. Placet ejusmet verba afferre — Ἐπὶ τὸ πάθος πρόεισι ἔτους ιθ') *Numerum mutavi in ιη', Eusebii mentem eam esse arbitratus, qui succedentis paginæ littera D. scribit:* μετὰ τὸ ιε' ἔτος Τιβερίου τριετῆ χρόνον τῆς διδασκαλίας αὐτοῦ (Χριστοῦ) διαγενέσθαι: post Tiberii annum decimum quintum prædicationis Christi triennale spatium perdurasse: *quare octavum & decimum Tiberii non superasse Christum Eusebio græce loquenti ipse dialecto latina Hieronymi studio donatus sibimet attestatur; anno Tiberii* 18. Ad passionem venit anno 18. *Eam lectionem tuetur & certiorem probat Pontacus, & Anastasii Vaticani (quæ de Regio potest esse sententia) auctoritate in contrarium relata, librarium qui 19 vice 18 substituerit, erroris postulat*. Hæc ille, ut mutationem a se inductam tueretur; quæ fere ad verbum Vallarsius describit & probat in Notis ad Chronicum col. 648, Nota *C*: itaque a me singillatim diluenda sunt. Illud itaque primum constat Regium codicem Syncelli habere ἔτους ιθ', seu *anno XIX.*: & quamvis ejus tantum meminerit Goarus, oportet tamen ut eodem pacto legerit in aliis codd., qui eam Syncelliani Chronici partem exhibent quæ a Pompeii Magni temporibus ad finem usque protenditur, & de quibus idem in Præfatione agit circa finem: neque enim omisisset commemorare, si quam in ipsis reperisset variantem lectionem suo scopo inservientem. Secundo ex dictis colligitur, eam Regii codicis lectionem confirmari etiam Anastasii Bibliothecarii interpretatione: sed quoniam Goarus Pontacum producit in testimonium contra ipsum Anastasium, hujus quoque afferenda est auctoritas. Et Pontacus quidem de eo hæc habet: *Anastasius Bibliothecarius in sua Chronologia, quam ex Georgii Monachi* (Syncellum intellige) *& Theophanis Chronographiis græcis succincte excerpsit & transtulit, & quam olim legimus in Vaticana, cuique simile exemplar apud nos est, dum refert ista ex nostro Auctore, sic scribit*: Eusebii Pamphili de hoc ipso (*de Christi passione*): Iesus Christus Filius Dei & Dominus noster secundum prophetias quæ de ipso sunt, ad passionem properat an. XVIIII. (*forsan error librarii pro* 18, *in quo omnes libri conveniunt*) imperii Tiberii. cetera omitto. Equidem in eo venia dignus est Pontacus, quod mendosum esse in Anastasii MSS. numerum illum suspicatus sit, qui Syncelli Chronicum non vidisset, & contra in latinis Eusebii codicibus annum XVIII. Tiberii constanter scriptum legeret. Eum tamen Anastasii locum sanum esse confirmat ejusdem editio a Fabrotto curata, quæque inserta est in Hist. Byzant. corpus. in ea siquidem non per compendiarias notas, sed diserte scriptum legitur, *anno nonodecimo imperii Tiberii*. Quid plura? eodem pacto in Anastasio legit olim Landulphus Sagax, seu quisquis *Historiam*, ut dicitur, *Miscellam* continuavit post Paullum Diaconum, pleraque ex Anastasio describens, ipsisque Paulli additamentis nonnulla ex eodem infarciens: qualia sunt illa, quæ attexuit Paulli Diaconi verbis ex Orosio descriptis, in quibus agitur de Solis eclipsi quæ moriente Domino Jesu Christo facta est: *Quamquam*, inquit, *nonodecimo anno Tiberii hæc facta referuntur*: post quæ statim recitat Phlegontis ab Eusebio laudati testimonium ex ejusdem Anastasii interpretatione. sed locum integrum

infra

infra dabimus num. 10. Ex his itaque evincitur, perperam & temere a Goaro inductam mutationem illam in Eusebii textum apud Syncellum, quæ Anastasii ætate fere æqualis testimonio fulcitur: quod etiam antiqui satis scriptoris auctoritate a mendi suspicione vindicatur.

3. At opponi possit, quæ hactenus dicta sunt, id unum evincere, in antiquissimis Syncelli codicibus, qualem nactus est Anastasius, qui scripsit circa an. DCCCLXXII., lectum fuisse, Christum passum anno XIX. Tiberii: non propterea tamen sequi, eam esse sinceram & germanam Eusebii lectionem. nam potuit jam tum irrepsisse error ille, ut pro ιε scriberetur ιθ. Fateor id fieri potuisse, sed nego constanter factum: nam ei lectioni confirmandæ accedunt Auctoris Chronici Paschalis, & Syncelli ipsius suffragia, quorum uterque eum Eusebii vestigiis fere insistat, Christi quoque passionem anno XIX. Tiberii affixit (1). Vide Chron. Pasch. pag. 221. ed. Par., & pag. 227 circa finem, ubi hæc habentur ad imitationem Eusebii, sed aliquanto viciata. Ἰησοῦς Χριστός, ὁ τοῦ θεοῦ υἱός . . . . καὶ τὰς περὶ ἑαυτοῦ (lege ex Eusebio, κατὰ τὰς περὶ αὐτοῦ) προφητείας, ἐπὶ τὸ πάθος παρῄει (apud Sycellum legitur προήει) τῷ ιθʹ ἔτει τῆς Τιβερίου μοναρχίας. quæ sic verto: *Jesus Christus Dei Filius . . . . juxta prophetias quæ de eo editæ erant, ad passionem venit anno XIX. imperii Tiberii*. Syncellus ipse pag. 320. ed. Par. prope finem, habet de hoc ipso argumento, κατὰ τὸ ιθʹ ἔτος Τιβερίου Καίσαρος, *anno XIX. Tiberii Cæsaris*. Quid? quod Sycellus idem pag. 326. observat, Eusebium ab Adam condito ad ortum Abrahæ collegisse ἔτη ,γρπδʹ, seu *IIIMCLXXXIV.*: *rursusque*, sequitur, *ab Abrahæ nativitate ad Crucem salutarem & ad vivificantem Resurrectionem collegit annos IIMXLVIII.*: καὶ ἀπὸ τῆς γεννήσεως Ἀβραὰμ ἕως τοῦ σωτηρίου σταυροῦ καὶ τῆς ζωοποιοῦ ἀναστάσεως βμηʹ ἔτη συνάξει: postremo annos ab Adam ad Christum passum, juxta eumdem Eusebium, omnes VM.CCXXXII. numerat: κατὰ δὲ Εὐσέβιον ,εσλβʹ. Atqui annus ille ab O. C. & ab Abraham nato, juxta eumdem Eusebium, concurrit cum anno Tiberii & Herodis XIX.: ergo nullus est ambigendi locus, quin idem Eusebius Christi passionem & mortem huic anno in Chronico affixerit, non vero præcedenti, ut in latinis codicibus. Sane annum ab Abraham nato IIM.XLVIII., seu ab O. C. VM.CCXXXII., concurrere cum Tiberii an. XIX., ex ipso latino Chronico manifeste colligitur, quum ibidem annus ejusdem Tiberii XV. computetur ab Abraham IIMXLIV.: *Ab Abraam & regno Nini & Semiramidis, anni MMXLIV.*

4. Verum, antequam progrediamur, modo producti ex Syncello textus legitimus sensus vindicandus nobis est a prava Scaligeri interpretatione, eademque occasione aliæ atque aliæ ejus alucinationes & pugnantes inter se sententiæ detegendæ sunt. Primum ille græci Chronici lib. I. pag. 76. lin. ult. (nam in ejusdem græci Chr. lib. II. alia prorsus exhibet) hæc ex Cedreno excerpta pro Eusebianis nobis præfidenter obtrudit. Τῷ ιεʹ ἔτει Τιβερίου βαπτίζεται ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστός, καὶ ἐν τῷ ιηʹ τὸ σωτήριον ὑπέστη πάθος: quæ latine valent: *Anno Tiberii XV. baptizatur Dominus noster Jesus Christus, & anno XVIII. salutarem subiit passionem*.

Tum

(1) His accensendus etiam videretur Eustathius, ex testimonio Usserii, ita in Chron. ad an. Chr. XXXIII. scribentis: *Phlegontis verba ad annum Tiberii XIX.* (*ut notat Eustathius Antiochenus in Hexaemeron*) *& Olympiadis CCII. quartum*; &c. Sed id in Eustathii Opusculo frustra requiras. Fortassis laudaverit ille Eustathium pro Joanne Philopono, qui ejusdem fere argumenti, sc. *de creatione Mundi*, septem libros scripsit, in iisque Christi passionem, & eclipsin a Phlegonte memoratam anno Tiberii XIX. affixit. Sed de Philopono infra erit dicendi locus.

Tum in Animadv. ad Chron. Ist. pag. 185., in ea verba latini Chronici, *ad passionem venit anno Tiberii XVIII.*, eumdem Cedreni locum integrum producit, rursusque Eusebio proprium facit, ita scribens: *Cedrenus 161. 46.* φησὶ δὲ Εὐσέβιος, ὅτι τῷ ιε΄ ἔτει (excidit heic vox Τιβερίου) βαπτίζεται ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς, (συνῳδὰ τῷ εὐαγγελίῳ) καὶ ἐν τῷ ιη΄ τὸ σωτήριον ὑπέστη πάθος ἐν ἔτει τοῦ κόσμου ,ϛφλθ΄ *Recte omnia. hæc enim ita scripsit Eusebius. Sed illum fuisse annum mundi ,ϛφλθ΄ secundum Eusebium, falsum. Est enim ille annus a Cedreno notatus secundum periodum Julianam Constantinopolitanam*, &c. Sane quod numerum illum ex Cedreno esse asserit, verissimum est: quod vero cetera omnia, se potissimum illud, ἐν τῷ ιη΄, seu *anno Tiberii XVIII.*, Eusebio adscribit, omnino fallitur. Nam ab Eusebio sunt tantum illa, quibus τῷ ιε΄ ἔτει Τιβερίου, seu *XV. Tiberii anno* Christus baptizatus asseritur: itaque locus ille, expuncta parenthesi, ita latine vertendus fuerit: *Eusebius autem dicit Dominum nostrum J. Ch. anno XV. Tiberii baptizatum fuisse, consentiente Evangelio; salutarem vero passionem subivit anno XVIII., qui fuit Mundi VMDXXXIX.*: non, ut a Scaligero acceptus fuit, & a Xylandro, pag. 196. Ed. Par., interpretatus: *Tradit Eusebius anno Tiberii XV. Christum baptizatum: quod cum Evangelio congruit: passumque anno Tiberii XVIII., Mundi IↃↃIↃXXXIX.* Porro numerum ιη΄ non esse ab Eusebio, miror cur non viderit Scaliger, qui in eodem græci Chron. lib. I. statim Cedreni verbis subdidit insigne & germanum illud Eusebii apud Syncellum fragmentum, de quo nos initio diximus, quique rursus græci Chron. lib. II. pag. 264. quædam ex Chron. Paschali inseruit, itidem a nobis paullo ante commemorata, in quibus habetur, ἐπὶ τὸ πάθος παρῆν τῷ ιθ΄ ἔτει τῆς Τιβερίου μοναρχίας, *ad passionem venit anno XIX. imperii Tiberii*. Quod tamen satis mirari non possum, idem in eadem Nota refert & probat Syncelli verba aliquot ex iis quæ numero superiori a nobis fuerunt producta, quæque, ut vidimus, eumdem numerum ιθ΄ egregie confirmant; eaque tamen ille in alium sensum detorquet. Sed, ut ejus insistamus vestigiis, quid de periodo C Politana a Cedreno expressa tradat, prius videamus. *Est enim*, inquit, *ille annus a Cedreno notatus secundum periodum Julianam C Politanam, in qua primus annus Christi a Kalend. Septembris est 5509., & præterea si passio incidit in annum 5539., ut ipse vult, est secundum opinionem eorum, qui censent Christum triginta annorum natum eodem anno & baptizatum & passum, duobus Geminis Coss.: in quibus Augustinus lib. XVIII. cap. LIV. de Civit., & Tertullianus, & alii*. At Cedrenus diserte, nec semel, tradit Christum natum anno VMDVI., baptizatum vero anno XXXVI. ejus sæculi, & passum an. XXXIX., quæ omnia contraria sunt dictis Scaligeri. Sequitur idem: *Sed secundum ratiocinationes Eusebii Christus passus est anno Mundi 4233* (apparet notam 4 mendosam esse, ac restituendum 5) *Georgius Syncellus*: ἔστι δὲ πάντα ἐξ Ἀδὰμ (μέχρι τῆς ἀναστάσεως), ,ϛφλγ΄. κατὰ δὲ Εὐσέβιον, ,ϛσλβ΄, ὅπερ ἀλλότριον πάντη τῆς ἀποστολικῆς παραδόσεως. *Redit deinde ad turbas suas* (Sycellus scilicet), *& sua commovet sacra de omissione τοῦ δευτέρου Καϊνὰν, quod ad nauseam oggerere solet*. Hic Syncelli locus a Scaligero producitur, ut adstruat Eusebium non eo anno a mundo condito, quo Cedrenus, Christi mortem alligasse. Recte id quidem. Sed, quæres, cur qui a Syncello dicitur annus ,ϛσλβ΄, seu VMCCXXXII., a Scaligero dicatur *annus Mundi 5233.?* Postea scies anni unius ad Syncelli summam adjecti caussam. Interim noveris neutrum ex his numeris cum Tiberii XVIII., secundum Eusebium, concurrere, sed illum a Syncello positum cum anno

no XIX., hunc a Scaligero inductum eum XX. ejusdem Tiberii convenire. pergamus autem ipsum audire. *Sed Eusebius hic hallucinatus est de anno passionis, & quidem pueriliter. Nam ipsemet fatetur Dominum passum anno quarto Olympiadis CCII., quod verissimum est.* Vin' scire, ubi hæc Eusebius? Ubi refert Phlegontis testimonium: *Quarto autem anno CCII. Olympiadis*, &c. Rursus Scaliger: *Atqui annus ille* (scilicet, quartus CCII. Olymp.) *inivit a diebus æstivis præsentis numeri IIMXLVIII.* (scilicet, numeri Eusebiani ab Abrahæ ortu ducti, qui convenit cum an. ab O. C. juxta eumdem Eusebium VM.CCXXXII., nec non cum Tiberii XIX.), *Christus vero passus est in Nisan. Ergo in Nisan hujus numeri passus, tribus mensibus circiter ante initium anni quarti propositæ Olympiadis CCII., contra hypothesin. Eadem hallucinatio in transitu Xerxis, quem conjicit in annum quartum Olymp. LXXIV. Passus est igitur Dominus anno sequenti Juliano, sive numero MMXLIX., mense decimo anni quarti propositæ Olympiadis CCII., tertia Aprilis, feria sexta, cyclo Solis XIV., aureo numero XV.* Non nostrum est singula persequi, maxime quæ propositæ quæstioni extranea sunt. Vide tamen quæ de Xerxis transitu anno IV. Olimpiad. LXXIV., ex Lydiato refert Vallarsius ad eum locum. Neque id nunc contendo, utrum verum sit nec ne, annum IV. Olymp. CCII. inivisse æstate anni Abrahamitici IIMXLVIII., quoniam de his infra dicendum erit. Id unum in præsentiarum statuo, *hallucinationem, & quidem puerilem*, quam Eusebio Scaliger affingit, in eo unice sitam esse ex ipsius mente Scaligeri (quam sane non est assequutus Vallarsius, quantum colligitur ex iis quæ Nota C, col. 648. Chronici scripsit) quod Christus passus ab eo statuatur, ex Syncelli testimonio, anno ab O. C. VMCCXXXII., qui concurrit cum anno ab Abrahamo IIMXLVIII., & Tiberii XIX.; namque id factum sequenti anno pro certo habet. At, inquies, nonne Scaliger jam dixit, *secundum ratiocinationes Eusebii Christum passum anno mundi* 5233? Ita sane (nisi mavis mendum etiam irrepsisse in ultimam notam, ut sit, pro 4233, legendum 5232), idque rursus postea, ut videbimus, affirmat, licet perperam: quare immerito illum in eo accusasse apparet. sed pergamus ejus verba ad examen revocare. *Cedrenus* (sequitur) *hæc verba Eusebii repetens*, ιθ', *non* ιη ἔτους *tam adversus sententiam Eusebii legit, quam suam, qui aliter pronuntiavit ex Eusebio. Sed oportet omnes codices falsos esse biennio.* Hæc sane primo intuitu admodum obscura sunt, & interprete egent. Noveris itaque in Cedreno, pag. 174. ed. Par., hæc haberi: τῷ δὲ ιθ' ἔτει Τιβερίου Καίσαρος ὁ κύριος ἐπὶ τὸ πάθος παρῆν· ἔτος τοῦτο ,εφλθ'; &c. quæ Xylander ita vertit in latinum: *Decimonono Tiberii anno Christus supplicio se se subdidit, anno mundi VM.DXXXIX.*; tum pag. 188, ὅτι ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς, κατὰ τὰς περὶ αὐτοῦ προφητείας, ἐπὶ τὸ πάθος προῆλθεν ἔτους ιθ' τῆς Τιβερίου βασιλείας, &c. Ad hæc itaque loca adlusit Scaliger, cum scripsit quæ paullo ante ex eo recitavimus, eum incusans quod posuerit ιθ' pro ιη contra sententiam & Eusebii & sui ipsius. Equidem ille in hoc secundo textu Eusebii ipsiusmet verba descripsit, licet aliquot intermixtis assumentis, ut ex comparatione textus Eusebiani apud Syncellum cum ea integra Cedreni pericope liquet: unde etiam Syncelliani textus sinceritas & germana lectio magis confirmatur. In primo vero textu, ubi Cedrenus ex propria sententia loquitur, mendose scriptum ιθ' pro ιη videtur: nam Christi mora ibidem, ut alias, collocatur in annum ab O. C. VMDXXXIX. juxta peculiarem Cedreno compu-

tum,

tum, de quo paullo ante. præterea idem Cedrenus pag. 190. Christum passum rursus scribit, τῷ ιή ἔτει, *anno XVIII.* regni Tiberii, ut nulla dubitandi ratio sit, quin ita ipse senserit; non in eo tamen sequutus Eusebium, cujus verba cum retulit, ιθ' posuit. Quod addit Scaliger, *omnes codices falsos esse biennio*; si quidem de Cedreni loquitur textibus, qui annum Tiberii XVIII. concurrere faciunt cum Christi passione; sequeretur, ut Cedrenus in illis non expresserit Eusebii mentem, quod est tamen contrarium iis quæ initio Notæ dixerat, atque etiam ut immerito Cedrenus arguatur, cum error potius refundendus esset in ejus codices postea vitiatos: sin vero de Eusebii ipsius latinis codicibus Scaliger loquitur, in quibus nimirum Christi mors alligatur anno XVIII. Tiberii, si quidem hi mendosi sunt & falsi biennio, cur Eusebius ipse alucinatus dicitur, & quidem anno uno? Sed operæ pretium est animadvertere, unde illum errorem biennii in omnibus codicibus arguat. *Nam, sequitur, ut Georgius ait* (est vero hic is ipse Syncelli locus quem paullo antea produxerat) *Eusebius ab Adam ad passionem putat annos 5232, ergo passus anno mundi 5233. Deductis* 3184 (quot nimirum anni secundum Eusebium numerantur ab O. C. ad Abrahæ ortum) *superest numerus Eusebianus* (seu qui in Chronico ab ipso Abrahæ natali perpetua serie ducitur) *MMXLIX., anno XX. Herodis Tetrarchæ: qui profecto verus est annus passionis*. Vides Scaligeri inconstantem animum & desultoriam criticen. ex eodem textu, primum arguit Eusebium anno uno aberrasse, tum ejus codices biennio vitiatos deprehendit; demum ejus sententiam de vero anno mortis Christi colligit. Colligit autem? nequaquam. nam quod a Syncello de annis inceptis vere & ex Eusebii mente dictum fuit, ipse perperam de annis exactis intelligit, ac proinde annum unum ultra Eusebii rationes de suo addit. Quod itaque tradidit Syncellus, Eusebium collegisse annos ab O. C. VMCCXXXII., & ab Abrahamo IIMXLVIII., verissimum est: nam utraque summa incidit in annum Tiberii XIX., qui, ut ex græco Eusebii textu apparet (quem tamen, licet, ut diximus, græci Chron. lib. I. Scaliger inseruerit, in hac tamen tota quæstione ne obiter quidem attigit), est juxta Eusebium verus annus passionis, non XVIII., quem perperam præferunt latini codices. Sed Scaliger habet nescio quod aliud argumentum, quo suam sententiam stabiliat: en ipsum. *Ideo Epiphanius recte pag. 27.* ἐν δὲ τῷ εἰκοστῷ ἔτει τοῦ Ἡρώδου, τοῦ Τετράρχου καλουμένου, γίνεται τὸ σωτήριον πάθος. *Mendosi procul dubio sunt omnes codices scripti & editi*. Præclarum vero argumentum! quasi Epiphanius Eusebium in his lauder, aut sequatur; quem constat multo aliter ac Eusebium hæc putasse, utpote qui biennium tantum solidum prædicationi Euangelii præstituerit, tum adversus Hæresin Alogorum, quæ est LI., tum in Anacephalæosi, ex qua sunt supra laudata verba: adeo ut ex hujus Patris mente & sententia ibidem apertissime expressa, octavodecimo anno Herodis baptizatus promulgare salutarem doctrinam Christus aggressus sit; & XIX. Herodis, secundus fuerit annus ejus prædicationis; XX. vero, quo Dominus est passus & mortuus. quum contra Eusebius statuat, XV. anno Herodis & Tiberii Christum baptizatum, & post annum illum integro adhuc triennio prædicasse: de quo fusius agendum est modo. est enim hoc argumentum aliud, quo annus σαυρώσιμος juxta eumdem Eusebium cum anno Tiberii XIX. concurrere debere in Chronico demonstratur.

5. Hæc nimirum habentur in eodem Chronico de tempore quod Euan-

Digitized by Google

Euangelii promulgationi Christus impendit: *Argumentum autem hujus rei, quod Salvator isto anno* (puta, XIX Tiberii) *passus sit, Euangelium præbet Joannis, in quo scribitur, post decimum quintum annum Tiberii Cæsaris tribus annis Dominum prædicasse*. Sane qui ita scripsit, non anno Tiberii XVIII. Christi passionem affixit: nam biennium tantum, aut aliquanto amplius, non certe anni tres, aut, ut est in græco apud Syncellum, *τριετῆ χρόνον*, *triennii spatium* intercessisset. Atqui Goarus, ut vidimus, his ipsis verbis abusus est, ut contrariam stabiliret sententiam, vel quod ipsum annum XV. Tiberii in eo triennio comprehendi, vel quod annos inceptos, non absolutos indicari putaverit. Utrumque tamen facile ea una ratione evertitur, quod aliunde satis constet Eusebium laxiori quam triennii exacti spatio prædicationis Dominicæ curriculum circumscripsisse: adeo ut fateri necesse sit ipsum, cum tres annos seu triennium dixit, integrum triennium & eo amplius computasse. Ipso sane XV. Tiberii anno cepisse Christum Euangelio proseminando navare operam, aperte indicat tum in Prologo latino his verbis: *quintodecimo Tiberii anno prædicare est orsus*, quibus respondent græca, quæ habentur Præp. Euang. lib. X. cap. IX.; tum in ipso Chronico ad annum XV. Tiberii, ubi hæc apposita habentur: *Ipse quoque Dominus Jesus Christus hinc* (pro *debinc*) *in populos salutarem viam annuntiat*. Sed initium illud Euangelicæ prædicationis non ab initio, sed a fine potius ejus anni ducendum est, ut colligitur ex ejusdem Eusebii verbis ad annum II. Vespasiani: *Colligitur*, inquit, *omne tempus in secundum annum Vespasiani, & novissimam eversionem Jerosolymarum, a quintodecimo Tiberii Cæsaris anno & ab exordio Euangelicæ prædicationis, XLII.* Annus ille II. Vespasiani est Abrahami IIM.LXXXVI. a quo numero si demas annos XLII., reliqui erunt IIM.XLIV., qui numerus respondet anno Tiberii XV.: ergo initium prædicationis circa finem ejus anni ab Eusebio collocatur. Scio Pontacum annis illis XLII. voluisse comprehensum XV. Tiberii, & exclusum secundum Vesp., atque adeo initium prædicationis ducendum ab initio anni Tiberii XV.: sed falsus est, ut apparet ex illis supputationibus quæ sequuntur. sequitur autem: *A captivitate autem quam ab Antiocho perpessi sunt, anni CCXXXIX.*, qui numerus suadet ipsum terminum, annum sc. Vespas. II. includi: id ne fieret, Pontacus rescribi voluit CCXXXVIII, sed repugnantibus plerisque MSS. & Edd. libris. Præterea cum ad an. XV. Tiberii, qui est ab Abrahamo nato IIM.XLIV., numerentur anni DXLVIII. a secundo Darii anno, sub quo rursum templum fuerat ædificatum, & anni MLX. a prima templi ædificatione sub Salomone, heic autem a II. Darii computentur an. DXC., & MCII. a prima ædificatione, apparet ipsum annum II. Vespasiani annumeratum fuisse. Quanto vero tempore in universum Christus prædicaverir juxta Eusebium, docet nos S. Hieronymus Comm. in Danielem, in proxime superiori Dissert. pag. 303 laudatus, his verbis: *qui tribus annis & sex mensibus juxta Euangelistam Joannem prædicavit*. quibus omnino consona sunt Eusebii verba in Demonst. Euang. lib. VIII., quibus prædicationi Dominicæ *τρία καὶ ἥμισυ ἔτη*, *tres annos cum dimidio*, diserte, nec semel, tribuit. præterea Hist. Ecc. lib. I. cap. X. quatuor annos, non tamen integros, computat: de quo mox dicemus. Potuit itaque circa exitum anni XV. Tiberii Euangelium promulgasse Christus Dominus; adhuc tamen supersunt tres anni integri, atque eo amplius, ut ad Pascha usque anni XIX. ejusdem Tiberii Christi

Digitized by Google

sti passio juxta Eusebium protrahi possit ac debeat. Sed quæritur, quodnam sit argumentum quod ad id demonstrandum ex Euangelio Joannis ducitur tum in Hieronymi verbis, tum potissimum in Chronici textu paullo supra recitato? Pontacus in Notis ad hunc locum: *Mirum quid per hæc intelligat auctor, cum nil tale inveniatur, nisi dicas cum eruditissimo Baronio ipsum habuisse aliud exemplar, vel quia idipsum colligit ex eo quod Joannes constituat quatuor Paschata post baptismum Christi*. Locus Baronii a Pontaco laudatus habetur ad an. Chr. XXXIV. num. 146., alias 151, ubi citatis verbis Eusebii, testimonio Joannis Euangelistæ suam sententiam confirmantis, hæc subdit: *Hæc ille, non (ut puto) ex verbis Ioannis, nisi aliud a communi nactus sit exemplar ejus Euangelii, sed tot Pascatibus a Ioanne commemoratis* (1). Sane græca Eusebii verba mitiorem sensum reddunt: nam quod in Hieronymi versione dicitur, *in quo scriptum est*, ille habet, ἔτι ..... μαρτυρεῖ, *quæ ..... testimonio est*, &c. Ceterum ad Paschata confugit & Scaliger, qui ea quinque fuisse comminiscitur: de quo postea agendum erit. Melius fortasse Vallarsius itidem in Notis ad ea verba Chronici: *Quo id pacto excudat ex Joannis Euangelio Eusebius, ex ipsomet disces lib. I. Hist. Eccl. cap.* 10. *Alludit inter cetera cap. XI. vers.* 51, *& XVIII.* 13, *quibus locis Caiphas dicitur* Pontifex anni illius, *quo passus est Christus. Scaliger nodos in scirpo quærit*.

6. Argumentum itaque quo in Historia Ecclesiastica utitur Eusebius, ut Dominicæ prædicationis tempus definiat, quodque in ipso Chronico videtur innuere; quamvis omnino falsum sit (uti Baronius ad an. Christi XXXI. num. 8, & Scaliger, in Prolegomenis præcipue ad Chron. Euseb., nec non Valesius in Notis, aliique monuerunt) aperte tamen declarat Eusebii mentem de qua nos quærimus, quod spectat ad tempus a Christo prædicando Euangelio impensum. integrum proinde locum ex ejusdem Valesii interpretatione heic apponam. *Horum temporibus, cum Tiberius quidem quintumdecimum imperii annum ageret, ut scribit Euangelista, Pilatus vero procurationis Judææ quartum, Herode, Lysania ac Philippo tetrarchis reliquam Judæam obtinentibus, Servator ac Dominus noster Jesus Christus anno ætatis circiter tricesimo ad Joannis lavacrum venit: tuncque primum Euangelium prædicare instituit. Refert porro divina Scriptura* (2) *totum prædicationis suæ tempus sub Anna & Caipha Pontificibus illum exegisse: id scilicet significans, temporis spatio quo illi Sacerdotium administrarunt, universam Christi prædicationem terminatam fuisse. Cum ergo ab Anna*

(1) Apollinaris Laodicenus ex Euangelio Joannis tria Paschata, & duos tantum prædicationis annos exculpsit; ita scribens apud S Hieronymum, Comm. in Daniel. IX. *Tricesimo enim juxta Euangelistam Lucam anno ætatis suæ cœpit in carne Dominus Euangelium prædicare, & juxta Joannem Euangelistam per tria Paschata duos postea implevit annos*: ipso nimirum tricesimo Christi anno computato. alii tamen aliter.

(2) Respexit hæc scribens Eusebius ad Luc. III. 2. ἐπ' ἀρχιερέων Ἄννα καὶ Καϊάφα, quæ tamen perperam intellexit, quum iis significari putavit Christum prædicasse primum Anna pontifice, dein ad pontificatum usque Caiphæ. nam & agitur ibi de initio prædicationis Joannis, non Christi: & anno Tiberii XV. jam pontifex erat Caiphas, ea dignitate auctus a Valerio Grato Pilati decessore circa annum Tiberii XII., & summum sacerdotium toto tempore procurationis Pilati administravit. Quod vero Annas illi jungatur tum in Euangeliis, tum Act. IV. 6, id factum, quod & Pontifex antea fuerit, & maxima adhuc auctoritate apud suos polleret, quasi quidam perpetuus pontifex. Vide tamen de his fusius disputantem Valesium & alios.

Digitized by Google

næ pontificatu exorsus ad Caiphæ pontificatum (1) *docere perstiterit, vix hoc temporis intervallo quadriennium integrum continetur. Quippe quum jam inde ab illis quibus dixi temporibus* (2) *aboliti prope essent ritus legesque sacrorum, simul Sacerdotium perpetuum & hæreditarium esse desierat: nec quæ ad cultum Dei pertinent, rite agebantur* (3). *Sed a præsidibus Romanis alii subinde atque alii Sacerdotes constituti, non plus quam anni spatio munus illud gerebant. Certe Josephus ab Anna ad Caipham quatuor continuo ordine Sacerdotes fuisse in dicto Antiquitatum libro* (4) *narrat his verbis*: Valerius Gratus, cum Annæ sacerdotium ademisset, Ismaelem Baphi filium in ejus locum promovit. quo non multo post remoto, Eleazarum supradicti Annæ filium sacerdotem designavit. interjecto deinceps anni spatio, cum huic honorem abrogasset, Simoni Camithi filio Sacerdotium tradidit. qui eo munere non ultra annum perfunctus, mox Josephum, cui etiam Caiphæ nomen fuit, successorem accepit. *Proinde universum prædicationis Dominicæ tempus non totos quatuor annos complecti manifestum est, quorum spatio totidem Sacerdotes ab Anna usque ad promotionem Caiphæ annuum singuli Sacerdotium administrarunt. Itaque illo anno quo salutaris Christi passio contigit, divinum Euangelii volumen* (5) *recte Caipham pontificem adnotavit. ex cujus etiam Euangelii auctoritate temporis spatium quo Christus prædicavit, cum observatione nostra convenire ostenditur*. Hactenus Eusebius. Statuit itaque anno XV. Tiberii Annam; XVI. Ismaelem; XVII. Eleazarum; XVIII. Simonem; demum XIX. Caipham pontificalem Infulam gestasse: quod disertis verbis tradidit etiam Auctor Chron. Pasch., Eusebium certe sequutus. hæc ejus verba sunt, pag. 222. Ed. Par., interprete Carolo *du Fresne, D. du Cange*: *Salutaris quidem prædicationis munus a Christo cœptum Anna pontificatum obtinente, Christum vero crucifixum sub Caipha, docent sacra Euangelia. Josephus vero, lib. XVIII. Antiq. Judaic., scribit tres pontifices post Annam fuisse, Ismaelem Baphi filium, Eleazarum Anna-*

(1) In græco texto est, μέχρι δὲ τῆς ἀρχῆς τοῦ Καϊάφα, quæ Rufinus melius vertit, *usque ad initium Caiphæ*, quidquid Valesius opponat: nam & infra habetur, ἀπὸ τοῦ Ἄννα καὶ ἐπὶ τὴν τοῦ Καϊάφα κατάστασιν, *ab Anna usque ad promotionem Caiphæ*, & rationes Eusebii requirunt, ut initium tantum Sacerdotii Caiphæ attendatur. Auctor Chron. Alex., infra laudandus, habet, ἐκ τῆς ἀρχῆς τῆς τοῦ Καϊάφα ἀρχιερωσύνης, *ex initio pontificatus Caiphæ*: unde liquet eumdem ἀρχὴν apud Eusebium pro *initio* accepisse.

(2) Rursus Rufinus melius, *jam per illud tempus*: græca sunt, ἤδη πως ..... ἐξ ἐκείνου, *jam ex illo tempore*.

(3) Quum hæc & superiora ita sit interpretatus Valesius, & quidem, ut mihi videtur, recte; nescio cur eum græcum textum exhibeat & probet, qui ab ea interpretatione dissidet, rejiciat autem illam quæ germana lectio est: hanc nimirum, λέλυτο μὲν ἡ διὰ βίου καὶ ἐκ προγόνων διαδοχή· οὔτε τὰ τῆς τοῦ θεοῦ θεραπείας προσηκόντως ἦν· Facile crederem typographi culpa id factum contra Valesii mentem & interpretationem, nisi ipse in Notis huic conjecturæ apertissime refragaretur. Verum non hac tantum vice peccatum in eo genere est a doctissimo illo viro.

(4) Nimirum lib. XVIII. Antiq. cap. IV., quo tamen loco, quod ea ipsis verbis ab Eusebio productis liquet, sermo est de rebus quæ sub Valerio Grato Pilati prædecessore contigerunt; statimque sequitur: *His ita gestis Gratus Romam repetit, in Judæa exactis annis undecim: cui deinde Pontius Pilatus successor missus est*. Insignis proinde Eusebii alucinatio hæc fuit: quamvis ille non ea tantum de caussa reprehendendus sit, sed etiam propterea quod ex Josepho eliciat Sacerdotes tunc temporis singulos anni spatio perdurasse: nam de Eleazaro & Simone id quidem apparet, non de ceteris. nam Ismael paullo post inaugurationem in ordinem redactus dicitur, Annæ & Caiphæ ad plures annos permansit Pontificatus.

(5) Joannem, ut dictum est, respicit, cap. XI. 49. & 53. & XVIII. 13.

Annani filium, & Simonem Camathi filium, post hos autem Caipham pontificatum obtinuisse. singulorum porro unius anni fuit pontificatus. Unde liquet tribus annis integris Ismaelis, Eleazari ac Simonis, Euangelium de regno cælesti prædicasse Salvatorem, & diebus aliquot ex initio pontificatus Caiphæ. Quæ cum ita sint ex Eusebii mente, hic Christum passum voluit anno XIX. Tiberii, non autem XVIII., ut latini codices præferunt.

7. Objiciat fortasse aliquis, hanc Eusebii sententiam defendi non posse, quin dicatur vel Christum quinque post susceptum baptismum Paschata celebrasse, vel eumdem baptizatum non fuisse postridie nonas Januarias, qua die a primis usque Ecclesiæ temporibus ejus mysterii memoria recoli creditur. utrumque autem absurdum videri, nec temere Eusebio adscribendum. Equidem non id nos agimus, ut Eusebium ab errore vindicemus, ejusque Chronologiam adstruamus, sed tantummodo ut ejusdem, quæcumque demum ea sit, sententiam declaremus & illustremus. Quamvis autem idem non expresserit, qua anni tempestate Christum baptizatum, & quot post baptismum Paschata ab eo celebrata statueret, conjectura tamen id assequi fortasse licebit. Quod primum de quinque Paschatibus objicitur, video eam sententiam a Scaligero, non tamen Eusebio, sed sibimet propriam, adstrui, Animadv. in Chron. lat. pag. 186 col. 1, his verbis, in quibus nec semel, nec leviter lapsus est. *Sane verum est, ex Euangelio secundum Joannem* (scilicet, commentatur in ea verba Chronici Eusebiani, *Argumentum autem hujus rei*, &c., de quibus nos supra num. 5), *in quo tempora certius designantur, quam in tribus Euangelistis antecedentibus, a baptismo Christi ad ejus resurrectionem, quatuor tantum Paschata diserte expressa esse; quæ faciunt tres annos absolutos. nam in tribus intervallis quatuor termini opus sunt. termini sunt Paschata: intervallum, triennium. Sed a XV. anno Tiberii ad crucifixionem, sunt anni IV. XV. annus Tiberii incipit ex a. d. XIV. Kal. Septemb. numeri Eusebiani MMXLIV., Appio Junio Syllano, P. Silio Nerva Coss. Annus vero XIX. Tiberianus, in quo ἡ σταύρωσις contigit, ex a. d. XIV.* (Kal.) *Septemb. numeri Eusebiani MMXLVIII. Furio Camillo, Cn. Domitio Ænobarbo Coss. Habes hic solidum quadriennium. Crucifixus est autem Dominus numero sequenti MMXLIX., Servio Sulpicio Galba, L. Corn. Sulla Coss. Quare in quatuor annis solidis quinque sunt Paschata. nam quatuor intervalla habent quinque terminos. Quod si tres tantum anni interfuerunt a baptismo ad resurrectionem, ut Eusebius opinatur, ergo Christus non fuit baptizatus anno XV. Tiberii, sed XVI. adversus auctoritatem Euangelistæ. nam de die crucifixionis non sinunt dubitare duo characteres cælestes, cyclus solis XIV., & aureus numerus XV. ut enim XIV. dies Nisan incideret in feriam sextam, hoc aliquot annis, retro & post, non potuit fieri, nisi cyclo solis XIV., luna XV. Hæc autem convenerunt numero MMXLIX.* (ita legendum, non MMXLV.) *: ergo eo numero crucifixus. Hæc cum ita sint, omnino quinque Paschata fuerunt a baptismo ad resurrectionem. Sed* (objicietur) *quatuor tantum Paschatum vestigia exstant in Euangelio secundum Joannem. Hoc verum est. Unde eruemus illud, quod deest numero? Nos conati sumus aliquid* (nempe in lib. VI. de Emend. Temp.) *Qui verisimiliora quam nos attulerit, is vicerit. Nam profecto hic locus est, ubi desudare possint præstantia ingenia. Sunt quidam harum rerum imperiti, qui putant nos delirare de quinque Paschatibus; sed arquatis omnia lutea videntur.* Hæc nos non eo in medium attulimus, ut singula statim refellamus. Obiter itaque monemus, quæ spectant ad quinque Paschata, a Scaligero tum heic, tum lib. VI. de Emend. Temp. tradi-

ta, incertis partim, partim falsis prorsus innixa esse argumentis; quorum primum est, quod ex Euangelio ducit, ut Christum baptizatum statuat anno XV. Tiberii. Lucas enim denotavit tempus quo Joannes cœpit prædicare & baptizare, non quo ipsum Christum baptizavit; quod sane non eo ipso anno factum omnino probabile est. sed neque constat, unde Tiberiani imperii initium, aut ex quo cardine, seu mense, anni caput duceret Euangelista. Alterum est, quod statuit lunam XIV., seu plenilunium mensis Nisan anno Abrahami MMXLIX. incidisse in sextam feriam, idque *aliquot annis, retro & post, non potuisse fieri*, adeoque ei anno Christi passionem omnino esse alligandam. nam contra *duo illi cæle- stes characteres, cyclus solis XIV., & aureus numerus XV.* conveniunt reipsa cum anno Abrahami IIMXLVIII, vernis saltem mensibus: atque adeo eo anno, non sequenti, plenilunium mensis primi, seu Nisan, incidit in feriam sextam. Cedo, inquies, caussam cur ita esse debeat, tum quæ occasio fuerit Scaligero errandi in re tanti momenti? Dicam nunc paucis, quod fusius opportuniori loco demonstrabo. Extra controversiam est, cyclum solis XIV., & aureum numerum XV. congruere cum anno ab U. condita DCCLXXXVI. & periodi Julianæ 4746., eoque ipso anno circa solstitium æstivum inivisse Olymp. CCIII., & a die XIX. Augusti cœpisse annum XX. Tiberii. sequitur itaque ut vernis mensibus ejus anni in cursu adhuc esset annus IV. Olym. CCII. & Tiberii XIX.: quibus in Chronico respondet annus ab Abrahamo IIMXLVIII.: ergo eo anno Abrahami, qui IV. Olymp. CCII. & Tiberii XIX., luna XIV. mensis Nisan incidit in sextam feriam. Scaliger autem, qui id contigisse anno proxime sequenti voluit, non una ratione peccavit: nam primum annos imperii Tiberii perperam in Chronico distributos affirmavit ab Eusebio, ita ut qui primus ibidem ponitur, cuique respondet annus secundus Olymp. CXCVIII., & an. MMXXX. ab Abrahamo, si Scaligerum audiamus, ad imperium Augusti spectet usque ad a. d. XIV. Kalend. Septemb., a qua die demum cœpisse statuit imperium Tiberii (confer quæ ipse notavit in Animadv. pag. 181, in ea verba *Atellæ in Campania*, itemque eadem pag. & seq. ad verba, *MMXXX. Tiberius*): quæ ratio est, cur supra dixerit, *XV. annum Tiberii incipere ex a. d. XIV. Kal. Septemb. numeri Eusebiani MMXLIV., & annum* ejusdem *Tiberii XIX., ex a.d. XIV. Kal. Septemb. numeri Eusebiani MMXLVIII.*: cum ex Eusebii mente totus annus XV. Tiberii respondeat numero IIMXLIV., & XIX. numero IIMXLVIII., ut in decursu Dissertationis hujus manifesto evincam. Secundo autem idem Scaliger (hancque potissimam & primariam ei aberrandi caussam fuisse pro certo habeo) in eo falsus est, quod annos Olympiadum in Chronico appositos, ab ejus in quo reipsa inibant circa solstitium æstivum, anni civilis capite per anticipationem numerari cœptos sibi falso persuaserit. Huc spectant quæ num. 4. ex eodem retulimus, & in aliud tempus discutienda remisimus. sunt autem hujusmodi: *Sed Eusebius hallucinatus est de anno passionis, & quidem pueriliter. Nam ipsemet fatetur Dominum passum anno quarto Olymp. CCII., quod verissimum est. Atqui annus ille inivit a diebus æstivis præsentis numeri IIMXLVIII., Christus vero passus est in Nisan. Ergo in Nisan hujus numeri passus, tribus mensibus circiter ante initium anni quarti propositæ Olymp. CCII., contra hypothesin.* Sed quum falsum sit, ut videbimus, annum IV. Olymp. CCII. inivisse tantum a diebus æstivis numeri IIMXLVIII., cui in Chronico alligatur, cuique reipsa fere per omnia respondet; non Eusebius alucinatus

natus est, sed ipse Scaliger in Eusebianarum Olympiadum dispositione perperam intelligenda. Qui autem semel eam imbiberit animo de Eusebianis Olymp. opinionem, omnem pervertat necesse est Chronici illius seriem Chronologicam, quæ ex annis Olymp. potissimum pendet: ex. gr. primus Tiberii annus, qui copulatur cum anno II. Olymp. CXCVIII. & cum numero IIMXXX., non tam erit Tiberii annus primus, quam ultimus Augusti, & sic deinceps. Sed de his infra, quum contra Petavium in eumdem scopulum impingentem agemus.

8. Sed ut ad ea quæ Eusebium proprie spectant, veniamus; primum hic numquam dixit, *tres tantum annos interfuisse a baptismo ad resurrectionem*, quin potius, ut jam vidimus, fere quatuor computavit: quo tamen intervallo non nisi quatuor Paschata comprehendi palam est. Itaque quum numero Abrahamitico IIMXLVIII. & anno Tiberii XIX. adfixerit Christi passionem & resurrectionem, quatuor illa Paschata respondent in Chronico anno Tiberii XVI. & tribus sequentibus, uti etiam in Chronico Paschali digesta habentur. Utrum vero idem Eusebius Christum baptizatum mense Januario, an vero alia anni tempestate statuerit, non ita liquet. Baronius quidem ad an. Chr. XXXI. num. 18. refert, *id factum esse sexta Januarii, ex communi & antiqua traditione Eusebium Pamphili ad Marinum scribentem testari*, citans in margine *haberi illius fragmenta in editione Christopbor. post histor. Evagrii*. Mihi tamen accidit quod Tillemontio (1): nempe ut fragmentum illud Eusebii ad Marinum videre non potuerim. Habentur equidem fragmenta aliquot sub Eusebii nomine ad Marinum in Quæstionibus Anastasii, quorum memini in Differt. *de Chronicis Eusebii*, Part. III. §. IV. pag. 327. & seq. nec non in Append. II. pag. 422.: sed in illis, quantum memoria teneo, nihil de eo argumento habetur. ceterum in quodam fragmento falso Eusebio adscripto, quod habetur in Quæst. Anast. ex editione Herveti, & in Append. Chron. Pasch. num. V. (de quibus itidem egi in laudata Append. & in §. V. Part. III. Diff. *de Chronicis Euseb.*) habetur Christum baptizatum *mense Ianuario*, quem locum fortasse respexit Baronius. Magis itaque probabile fit, Eusebium baptismum Christi vernis aut æstivis mensibus aptasse: nam cum eodem anno & initium prædicationis Joannis & Christi baptismum collocaverit, inter utrumque tamen non paucos menses intercessisse debuit statuere. Ceterum argumentum petitum ab Ecclesiæ antiquissimo ritu, quo memoriam baptismi ejus postridie Nonas Januarias celebrare consuevit, non magis, puto, valere debet contra Eusebium, quam contra S. Epiphanium, qui Christum mense Novembri baptizatum diserte tradidit, & illos qui nostrá etiam ætate Magorum adorationem, ac primum a Christo patratum miraculum in Cana Galilææ, ad aliud anni tempus referunt; quorum tamen omnium memoria eadem die recolitur. Sane hiemalis illa tempestas, quamvis sub mitissimo cælo, minus idonea videri possit, qua Præcursor Domini non ipsum tantum, sed & undecumque confluentem turbam aquis Jordanis immergeret. neque enim multum juvat ad hanc difficultatem elevandam commemorare (quod fecit eruditus P. Monelia O. P., in Differt. *de Annis I. Ch.*, pag. 64.) ut Josephus initio Vitæ suæ, seu mavis in calce Operis Antiq., referat se annos XVI. natum imitandum sibi pro-

(1) Tillem. Not. XVI. in Vitam J.Ch., qua in Nota adstruit Christum baptizatum fuisse die 6 Januar. *Baronius cite la même chose d'une lettre d'Eusebe de Cesarée a Marin, que je n'ay pû encore voir.*

proposuisse Banum quemdam, qui in solitudine asperius vitæ genus professus, soleret crebris nocte ac die lavacris frigidis ad castitatem tuendam uti. Sed ut de diverticulo redeamus in viam, si ex Eusebii sententia, uti qnidem videtur, referendus sit Christi baptismus ad vernum aut æstivum tempus, omnia in ejusdem systemate secum ipsa perbelle concordabunt. Nam post baptismum & jejunium per dies quadraginta peractum in publicum prodire cœperit, discipulosque sibi adjungere, ac incumbere prædicationi reliquo ejus & sequentis anni spatio ad primum usque pascha in Euangelio expressum: ita sane habebitur tempus annorum trium & mensium sex, quibus Euangelium promulgaverit, & habebuntur quatuor omnino paschata in eodem intervallo ab ipso celebrata.

9. Verum enimvero, quod potissimum & manifestissime evincit exemplaria Chronici latina, in quibus Christi passio respondet anno Tiberii XVIII., esse vitiosa, est testimonium Phlegontis in confirmationem suæ sententiæ ab Eusebio productum. Nam cum Phlegon quidam scriptor gentilis eclipsin quamdam portentosam contigisse narraverit anno IV. Olymp. CCII., qui ex Eusebii sententia respondet anno Tiberii XIX., hic autem minime dubitaverit quin ea eclipsis in ipsa Christi morte facta fuerit; omnino oportet, ut eodem anno IV. ejus Olymp., & Tiberii XIX., affixerit mortem Christi. Hoc profecto argumentum adeo obvium & manifestum videtur, ut nihil ei opponi possit: etenim qui secus sentiunt, (utar ipsis ferme Petavii verbis ex lib. XII. de Doctr. Temp. cap. XXI., quæ eidem singillatim Petavio refellendo infra opportuna erunt) *dicant, quid in Eusebio judicii fuisse sentiant, si cum apud Phlegontem observasset horribilem solis eclipsin anno IV. Olympiadis CCII. contigisse, & eam esse vellet, quæ moriente Christo contra naturæ ordinem apparuisset, atque idipsum ethnici illius auctoritate suaderet; si hanc, inquam, non anno illi quo iste scripserat, sed alteri tribuisset, satin' sanum illum arbitrentur? quamobrem ne tantum stuporis* Eusebio Cæsariensi *affingatur*, omnino *fateri necesse est*, ejusdem latinos codices *a librariis fuisse corruptos*. a librariis, inquam, non a Hieronymo interprete: ne quam ab illo stupiditatis notam amolimur, in hunc sanctissimum æque ac doctissimum Patrem refundamus. præcipue cum ipse suæ interpretationis idoneus assertor sit in supra indicato ex Comm. in Danielem testimonio: in quo nimirum affirmat, in Eusebii Chronico a se in latinam linguam translato tres annos & menses sex Christi prædicationi assignatos fuisse: quod sane temporia intervallum cum vulgata lectione non convenit. Sed de Hieronymo rursus infra.

10. Nunc ipsum tandem Eusebii græcum textum, quo de his disputat & Phlegonten laudat, producamus cum Hieronymi versione: tum alteram latinam versionem textus Phlegontis ab Anastasio curatam, & ex eo a Landulpho Sagaci Historiæ *Miscellæ*, ut supra num. 2. diximus, insertam: neque enim Jo. Meursio (1) assentimur, qui quod habetur in ea Historia ex Phlegonte, a Paullo Diacono latine ex Eusebio expressum putavit: *Ex Eusebio autem*, inquit, *transtulit Paulus Diaconus Hist. Miscell. lib VII.* &c.: nam neque ex græca lingua vertisse Paullum aliqua constat, & textus Miscellæ idem omnino est cum Anastasiano.

Euse-

(1) Meursius in Fragm. quoddam Phlegontis *de Olympiis*, Nota prima. Habetur Tom. IX. Ant. Græc. a Jacobo Gronovio collectarum.

Digitized by Google

Eusebii textus ex Syncello, *pag. 324 & seq. ed. Par.*	*S. Hieronymi Interpretatio.*
Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς, ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, ὁ κύριος ἡμῶν, κατὰ τὰς περὶ αὐτοῦ προφητείας ἐπὶ τὸ πάθος προῄει ἔτους ιθ΄ (a) τῆς Τιβερίου βασιλείας· καθ᾽ ὃν καιρὸν καὶ ἐν ἄλλοις μὲν Ἑλληνικοῖς ὑπομνήμασιν εὕρομεν ἱστορούμενα κατὰ λέξιν ταῦτα· Ὁ Ἥλιος ἐξέλιπε· Βιθυνία ἐσείσθη· Νικαίας τὰ πολλὰ ἔπεσεν· ἃ καὶ συνᾴδει τοῖς περὶ τὸ πάθος τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν συμβεβηκόσι· Γράφει δὲ καὶ Φλέγων, ὁ τὰς Ὀλυμπιάδας συναγαγὼν, περὶ τῶν αὐτῶν (b) ἐν τῷ ιγ΄, ῥήμασιν αὐτοῖς τάδε· Τῷ δ᾽ ἔτει (c) τῆς σβ΄ Ὀλυμπιάδος ἐγένετο ἔκλειψις ἡλίου μεγίστη τῶν ἐγνωσμένων (d) πρότερον· καὶ νὺξ ὥρᾳ ἕκτῃ τῆς ἡμέρας ἐγένετο, ὥστε καὶ ἀστέρας ἐν οὐρανῷ φανῆναι· σεισμός τε μέγας κατὰ Βιθυ-	JEsus Christus filius Dei (e) secundum prophetias quæ de eo fuerant prælocutæ, ad passionem venit anno Tiberii XVIII., quo tempore etiam in aliis Ethnicorum commentariis hæc ad verbum scripta reperimus: *Solis facta defectio: Bithynia terræmotu concussa, & in urbe Nicena* (f) *ædes plurimæ corruerunt*. quæ omnia his congruunt quæ in passione Salvatoris acciderunt (g). Scribit vero super his & Phlegon (h), qui Olympiadarum egregius supputator est, in XIII. libro ita dicens: *Quarto autem anno CCII. Olympiade magna & excellens inter omnes quæ ante eam acciderant, defectio solis est facta. dies hora sexta ita* (i) *in tenebrosam noctem ver-*

(a) ἔτους ιθ΄) Quamvis Goarus in editione Syncelli expresserit ιη΄, ipse tamen, ut supra diximus, in MSS. legit ιθ΄, ut ante eum edidit etiam Scaliger. Ita etiam legit Auctor Chron. Pasch. pag. 217, & Cedrenus pag. 188, quibus locis uterque Eusebium descripsit. In Hieronymi contra interpretatione, ne quid sine MSS. auctoritate mutaremus, reliquimus *anno Tiberii XVIII.*, quamvis minime dubitaremus legendum esse XVIIII.

(b) Scaliger ediderat γράφει δὲ καὶ λέγει ὁ τὰς Ὀλυμπιάδας ..... περὶ τῶν αὐτῶν: sed Goarus ex MSS. Barber. & Perez. emendavit γράφει δὲ καὶ Φλέγων; lacunam vero supplevit, sumens ex Chron. Pasch. pag. 219 vocem συναγαγών: nam & a Photio vocatur Phlegontis Opus Ὀλυμπιονικῶν καὶ χρονικῶν συναγωγή.

(c) Τῷ δ᾽ ἔτει) Legendum videtur τῷ δὲ δ᾽ ἔτει: nam sic habetur in Chron. Pasch. pag. 219. & 221, quibus in locis testimonium Phlegontis producitur: sic apud Hieronymum, *Quarto autem anno*, & in Anastasii versione, *Porro quarto anno*: sane etiam apud Photium, Biblioth. Cod. XCVI., quum excerpta quædam ex Olympiade CXCVII. exhibeantur, τῷ δὲ τετάρτῳ ἔτει legitur. τετάρτῳ diserte habet etiam Chron. Pasch. pag. 219.

(d) τῶν ἐγνωσμένων) Apud Scaligerum tantum legitur, τῶν ἐγνωσμένων.

(e) *filius Dei*) Omittit hæc Scaliger, Lat. Chr. lib. II., & paullo post pro *prælocutæ* habet *prolocutæ*. in Pontacena vero edit. infra post *solis facta defectio*, additur *& tenebræ super universam terram*.

(f) *& in urbe Nicena*) Scalig. *& in urbe Nicæa*, quam lectionem in MSS. aliquot vidit & Pontacus.

(g) *acciderunt*) Scalig. *acciderant*, & ita aliquot MSS. a Pontaco laudati.

(h) *Phlegon*) Scalig. *Phlego*, quod & Pontacus in codicibus nonnullis MSS. & Edd. legit. Hieronymus sane in lib. Tradit. in Gen., ad cap. X. habet quarto casu *Phlegonte*.

(i) *est facta. dies h. s. ita*) Scalig. non agnoscit *est* nec *ita*, in ceteris convenit. At Pontacus non paucos laudat MSS.

versus, ut stellæ in cælo visæ sint. terræque motus in Bithynia Nicenæ urbis (a) *multas ædes subvertit*. Hæc supradictus vir. Argumentum autem hujus rei, quod Salvator isto anno passus sit, Euangelium præbet Joannis, in quo scribitur (b) post decimum quintum annum Tiberii Cæsaris tribus annis Dominum prædicasse. Josephus etiam, vernaculus Judæorum scriptor (c), circa hæc tempora die Pentecostes Sacerdotes primum commotiones locorum & quosdam sonitus sensisse testatur. deinde ex adyto templi repentinam subito erupisse vocem dicentium: *Transmigremus ex his sedibus*. Scribit autem memoratus (d) vir,

quod

Βιθυνίαν (e) τὰ πόλλα Νικαίας κατεστρέψατο. Καὶ ταῦτα μὲν ὁ δηλωθεὶς ἀνήρ. Τεκμήριον δ' ἂν γένοιτο τοῦ κατὰ τόδε τὸ ἔτος πεπονθέναι τὸν Σωτῆρα ἡ τοῦ Κυρίου (f) κατὰ Ἰωάννην εὐαγγελίου μαρτυρία, ἥτις μετὰ τὸ ιέ ἔτος Τιβερίου τριετῆ χρόνον τῆς διδασκαλίας αὐτοῦ διαγενέσθαι μαρτυρεῖ. Κατὰ τοὺς αὐτοὺς (g) δὲ χρόνους καὶ Ἰώσηπος ἱστορεῖ ἐν ἡμέρᾳ Πεντηκοστῆς, κινήσεως καὶ κτύπου οἱ ἱερεῖς (h) ἀντιλαμβάνεσθαι πρῶτον, ἔπειτα φωνῆς ἀθρόας ἔνδοθεν ἀκοῦσαι, ἀπὸ τοῦ ἐσωτάτου ἱεροῦ, αὐτοῖς ῥήμασιν εἰπούσης· μεταβαίνωμεν ἐντεῦθεν. Καὶ ἄλλο δέ τι (i) ὁ αὐτὸς ἀναγράφει Ἰώσηπος· ὡς Πιλάτου τοῦ ἡγεμόνος κατὰ τὸν

αὐτὸς

MSS. libros, in quibus habetur *diei hora sexta*, quæ quidem magis respondent græcis, ὥρα ἕκτη τῆς ἡμέρας. quod tamen ille addit, *sed sensus utrobique est integer*, non probo: nam ea lectio ceteris, & præcipue verbo *versus*, non congruit.

(a) *Nicenæ urbis*) Rursus Scaliger, *Nicææ urbis*.

(b) *in quo scribitur*) Græca, ἥτις μαρτυρεῖ, *quod testimonio est*.

(c) *vernaculus Judæorum scriptor*) Hæc in Græco non habentur, at a Hieronymo addita fuerunt ad imitationem Tertulliani: *Judæus Josipus antiquitatum Judaicarum vernaculus vindex*. Idem Hier. in epist. ad Marcellam, scripta nomine Paullæ & Eustochii: *denique etiam Josephum, qui vernaculus est scriptor Judæorum, asserere, illo tempore quo crucifixus est Dominus, ex adytis templi Virtutum cælestium erupisse voces dicentium: Transmigremus ex his sedibus*. Vides etiam Hieronymum Eusebii auctoritate ductum tempori quo Christus est mortuus, aptasse quod multis post annis contigit: idipsum & in ep. XVIII. quæ est ad Damasum, num. 9. & alibi fecit. in Comment. tamen in Isaiæ cap. LXVI. ad tempus proximum excidio templi ex Josephi mente hæc rejicit.

(d) *memoratus vir*) Scal. *supradictus vir*.

(e) κατὰ Βιθυνίαν) Apud Scalig., ac in Chron. Pasch. utroque in loco, tum apud Cedrenum pag. 188, ubi Phlegontis verba recitantur, additur γενόμενος, quam vocem agnoscit & Anastas.

(f) ἡ τοῦ Κυρίου, &c.) Apud. Scalig. ἡ (τοῦ κυρίου) ἐν τῷ κατὰ Ἰωάννην εὐαγγελίῳ μαρτυρία: sed neutra lectio placet; nam genuina & latinæ versioni conformior hæc est, ἡ τοῦ κατὰ Ἰωάννην εὐαγγελίου μαρτυρία, quam exhibet Cedrenus pag. 189.

(g) Κατὰ τοὺς αὐτοὺς, &c.) Scaliger variis locis carpit, nec immerito, Eusebium, quod hæc referat ad tempus proximum morti Christi, quæ multo post facta ipse alibi agnovit. vide ejus Histor. Eccl. lib. III. cap. 8. In Euangel. tamen Demonst. lib. octavo in eumdem fere errorem incidit.

(h) οἱ ἱερεῖς) Ratio postulat, ut cum Scaligero legamus quarto casu, ἱερέας.

(i) Καὶ ἄλλο δέ τι) Apud Scalig. καὶ ἄλλοθι, quam Goarus lectionem corruptam esse vult. Ceterum Scaliger in Animadv., & Valesius in Notis ad cap. VI. lib. II. H. E., ubi eadem habentur, reprehendunt Eusebium, qui hæc ad tempora proxime post passionem Christi referat, quæ multo ante, & in ipso fere Pilati in Judæam adventu, facta fuerant.

αὐτὸν χρόνον Καίσαρος τὰς εἰκόνας νύκτωρ εἰς τὸ ἱερὸν, ἅπερ οὐκ ἦν θέμις, ἀναθέντος, μεγίςου θορύβου (a) *καὶ ςάσεως ἀρχὴν ἐμβεβληκότος Ἰουδαίοις· ἔνθεν ἐπιςήσεις πόσαι τὸ Ἰουδαίων ἔθνος διεδέξαντο συμφοραί·*

quod eodem anno (b) Pilatus præses secreto noctis imagines Cæsaris in templo statuerit (c), & hæc prima (d) seditionis & turbarum Judæis caussa exstiterit. Ex hoc loco (e) considerandum, quantæ deinceps calamitates Judæorum gentem oppresserint.

Interpretatio Anastasii Bibliothecarii, ex Syncello.
Eusebii Pamphili de hoc ipso (sc. de Christi passione.)

JEsus Christus filius Dei, & Dominus noster, secundum prophetias quæ de ipso sunt, ad passionem properat anno nonodecimo imperii Tiberii, secundum quod tempus, sicut etiam in aliis gentilium reperitur historiis, per singulas dictiones quæ acta sunt enarrabimus. Nam sol defecit: Bithynia mota est: plurima Nicenæ urbis ceciderunt; quæ omnia concurrunt his quæ cir-

Historiæ Miscellæ lib. VII., ex Paullo Orosio & Anastasio.

D*Einde anno ejusdem* (Tiberii) *septimodecimo* (f), *cum Dominus Jesus Christus voluntarie quidem se tradidit passioni, sed impie a Judæis apprehensus & patibulo suffixus est, maximo terræmotu per Orbem facto, saxa in montibus scissa, maximarumque urbium plurimæ partes plus solita concussione ciderunt. Eadem quoque die a sexta hora diei usque in horam nonam sol in totum obscuratus,*

(a) *μεγίςου θορύβου*) Apud Scalig. *μεγίςου τε θορύβου*.

(b) *eodem anno*) Non ita Eusebius, sed *circa illud tempus*.

(c) *statuerit*) Pontacus & Vallarsius ea quibusdam MSS. oon nulla heic inserunt, quæ vel ipsis judicibus intrusa fueruot: quare nos ea prorsus explosimus.

(d) *καὶ hæc prima . . . . . . exstiterit*) Scalig. *Hæc prima . . . . . exstitit*: sed alia lectio magis respoodet græco teatui.

(e) *Ex hoc loco*) Hæc & sequentia in latinis codicibus inverso ordine collocantur post factam mentionem Jacobi primi Jerosolymorum episcopi, quæ tamen cohærere debent superioribus. ceterum græca verba ambigua sunt: *ἔνθεν ἐπιςήσεις*, *Hinc scire poteris*, &c., scilicet vel ex jam dictis, vel ex Josephi scriptis.

(f) *Deinde anno ejusdem septimodecimo*) Hæc & sequentia Italico, ut ajunt, charactere expressa Paullus Diaconus ad verbum descripsit ex Orosii Hist. lib. VII. cap. 5.; hic autem præ oculis habuisse videtur, ut sæpe alias, Eusebii latinum Chronicum. quare mirari quis poterit, quinam pro *anno octavodecimo*, iam inde ab ætate Paulli Diaconi, omnes codices, uno demto quem laudat Havercampus in Notis ad eumdem Orosium, præferant anno XVII. Sed præstat ipsam Havercampi Notam heic apponere. — Deinde anno ejusdem XVII. (io teatu Orosii est *decimo septimo*) *Numerum hunc reliquimus, quamvis non sine caussa Eusebium sequuntur plures, qui passionem Christi in Tiberii annum XVIII. confert. Annus XVIII. invenitur in Lugd. Batav. quarto*. Hæc ille. Ne quid tamen dissimulem, antiquæ aliquot Orosii Edd. pro XVII. habeot XV., ut Veneta an. 1483., eodemque pacto Orosii verba fuisse a Mariana & a Paullo Middelburgensi citata lego. Sed de his infra erit opportunior dicendi locus.

ratus, tætraque nox fubito obducta eft terris, & ,ficut dictum eft,
Impiaque æternam timuerunt
fæcula noctem (*a*).
Ufque adeo autem neque lunam lumini folis, neque nubes obftitiffe manifeftum eft, ut quartam decimam eo die lunam, tota cæli regione interjecta, longiffime a confpectu folis abfuiffe, & ftellas tunc diurnis horis, vel potius in illa horrenda nocte, toto cælo fulfiffe referatur: quod non folum fanctorum Euangeliorum fides, fed etiam aliquanti Græcorum libri atteftantur. Quamquam nonodecimo anno Tiberii hæc facta referantur. Scribens inter cæteros autem & Phlegon, qui Olympiadas fuper ipfis enumerat, in tertiodecimo fermone eifdem verbis afferit hæc: Porro quarto anno ducentefimæ fecundæ Olympiadis facta eft defectio Solis maxima, & nox hora fexta diei facta eft, ita ut etiam ftellæ in cælo apparerent: terræ motus etiam magnus in Bithynia factus plurimam Nicææ partem urbis fubvertit.

ca paffionem Salvatoris noftri evenerunt. Scribens autem & Phlego, qui Olympiadas fuper his enumerat, in decimo tertio fermone eifdem verbis afferit hæc: Porro quarto anno ducentefimæ fecundæ Olympiadis facta eft defectio folis maxima, & nox hora fexta diei facta eft, ita ut etiam ftellæ in cælo parerent. terræ motus etiam magnus in Bithynia factus plurima Nicææ fubvertit.

11. Nunc igitur ad argumentum ex hoc Phlegontis apud Eufebium teftimonio petitum redeundum eft, ut ab omnibus quibus validiffimum hoc noftræ fententiæ fundamentum infirmari a doctis viris folet, objectis ftrenue vindicetur. Quod itaque ei opponi poffit, atque aliquam, neque enim diffimulabo (veritatis speciem præfeferat, hoc primum eft:) nimirum, rationes Eufebii juxta quidem vulgatam latini Chronici lectionem cum Phlegontis rationibus probe concordaturas, fi ponamus diverfa plane inter fe ratione Olympiades ab his Scriptoribus fuiffe numeratas: ex. gr., quartum Olymp. CCII. annum putaverit Eufebius civilem illum annum, quo poft folftitium æftivum (ea enim anni tempeftate agebantur certamina Olympica) inibat Olympias CCIII.: alter vero, nempe Phlegon, annum proxime præcedentem, in cujus nimirum æftivo folftitio reipfa initium capiebat idem annus IV. Olymp. CCII: ita enim qui huic erat annus quartus, illi fuerit tertius. Hanc aut fere fimilem folutionem innuit Baronius ad an. Chrifti XXXIV. num. 196. alias 151., his verbis. *Unum eft tamen quod his obftare videtur, nempe Phlegontis auctoritas, dum ait anno quarto Olympiadis ducentefimæ fecundæ factum effe illud præter naturæ ordinem folis deliquium: cumque Olympiaci anni numerari incipiant a folftitio æftivo circa finem menfis Junii; quartus annus dictæ Olympiadis, inchoatus dicto anno decimo octavo Tiberii Imperatoris, in decimum nonum ejufdem producitur, adeo ut ea defectio folis non fit facta hoc anno decimo octavo, fed fequenti decimo nono. Haud enim putamus hæc prætеriiffe*

(a) Hæc Virgilius I. Georg. verf. 467. de fole obfcurato poft mortem Julii Cæfaris.

teriisse Eusebium, qui ad verbum testimonium Phlegontis recitat, exacteque Olympiades supputat, & tamen secundum ejusdem sententiam passum ponit Dominum anno decimo octavo ejusdem Imperatoris Tiberii, eumdemque baptizatum tradit ejusdem anno decimo quinto, quarto anno Olympiadis ducentesimæ primæ; ut videas ipsum interpretatum esse Phlegontem, ut quod dicit accidisse illam solis eclipsin anno quarto Olympiadis ducentesimæ secundæ, accipiendum sit de anno Romano, quo dictus annus quartus ipso Tiberii anno decimo octavo inchoatur, &c.. Hæc ibi: sed sequenti numero aliam proponit conjecturam, quam heic minime prætereundam censeo, ut appareat quam torserit ingenia doctissimorum Scriptorum locus ille latini Chronici, quem nos mendosum hac Dissertatione tandem demonstrare operæ pretium duximus. Sequitur itaque Baronius numero 197., alias 152. *Opinati etiam sumus aliquando, cum ab Eusebio ponatur Christi passio Olympiadis illius anno tertio, rursumque se id ex sententia Phlegontis facere profiteatur; omnino in notam numeri errorem irrepsisse: nam cum ille tradat, anno quarto ejus Olympiadis illam eclipsin accidisse, & ipse nihilominus ponat anno tertio, manifestus error apparet: sicque quod dicit anno quarto illud contigisse deliquium, restituendum sit anno tertio, prout ab eodem Eusebio sub eadem nota numeri ponitur, atque scriptis confirmatur: longe enim verisimilius est in numeri notam errorem irrepsisse, quam tam egregium, & quem unicum habemus Olympiadum supputatorem, quasi imperitissimum; una eademque sententia (quod vix nisi amens quispiam, vel certe infans, qui adhuc numerare nesciat, facere posset) contraria prorsus scripsisse, dum profitetur se sequi Phlegontem, & anni spatio ab illo mox discrepat. Sed hæc legentium linquantur arbitrio. At magis placet, quod superius, dictum est, Phlegontem, cum non scribat quoto anni mense illa eclipsis acciderit, sic dixisse anno quarto ejus Olympiadis contigisse, quod sub dictis consulibus, eo anno decimo octavo Tiberii, dictus annus quartus incipiat. Sic enim consuevisse majores ab anni exordio ipsum integrum denominare, multis exemplis esset facile demonstrare. Sed de his hactenus.* Ex his liquet, ut primum Baronius suspicatus sit errorem cubare in numeris (quamquam ille legendum *anno tertio* pro *anno quarto* minime opinatus esset, si scisset omnes constanter græcos & latinos codices præferre *anno quarto*) ea perspicua ratione ductus, quod omnino videretur absurdum, Eusebium *una eademque sententia contraria prorsus scribere, & dum profitetur se sequi Phlegontem, anni spatio ab eo discrepare*. Prævaluit tamen apud ejus animum, Phlegontem cum Eusebio conciliari aliquo pacto posse, nimirum si ponatur *annum quartum* a Phlegonte προληπτικῶς a Kalendis Januariis fuisse repetitum: quod tamen infra omnino contrarium instituto hujus scriptoris apparebit. Eamdem etiam institit viam Pontacus, Baronium certe sequutus, cum in ea verba: *quarto autem anno CCII. Olympiadis*, hæc adnotavit. *Porro videbatur tam hic, quam in præfatione* (1) *legendum* tertio, *non* quarto, *cum juxta auctorem annus* 18 *Tiberii & Passio Christi concurrat cum* 3 *Olymp.* 202. *Nihilominus cum libri sint consentientes in voce* quarto, *nihil muto; sed relinquo judicium erudito lectori, quomodo ista Phlegontis possint conciliari cum Eusebio .....: nisi dicas Christum esse mortuum anno illo quarto Olympiadis* 202, *non quod ille annus quartus numeretur inter annos vitæ Christi, sed quia obiit anno eo civili & Romano, seu Consulum, qui incipit a Calend. Januarii, & in cujus æstatem incidit initium anni* 4 *Olymp.* 202. *Frequens est*

(1) Frustra requiras in tota Eusebii latina Præfatione Chronici, quod Pontacus heic ex ea repetit. Indicabo tamen paullo infra, quid præ oculis habuerit.

Digitized by Google

est enim apud auctorem, & alios veteres, ut ita confundant annos Consulum cum annis Olympiadum. Hæc Pontacus, hæsitabundus & opinantis in modum, quæ tamen ipsa per se ruent, postquam exposuerimus rationem qua tum Eusebius tum Phlegon annos Olympiadicos computarunt. Illud nunc dixisse sit satis, quod vidit & Baronius: omnino absurdum esse de Eusebio ita judicare, ut ille eodem in loco duobus inter se discordantibus modis Olymp. annos usurpaverit, atque adeo idem annus primum ex sententia propria dictus ab eo fuerit *tertius*, & statim, ex Phlegontis scilicet mente, *quartus*. Etenim, si aliqua intercessisset in eo anno designando inter ipsum & Phlegontem discrepantia, id ille monere debuisset, ne lector incautus & minus exercitatus offenderetur ab apparenti illa annorum discordia, & ne in suspicionem ipse caderet Phlegontis temere in confirmationem suæ sententiæ a se producti. Quid? quod idem Eusebius in Præpar. Euang. & in Chronici Prologo componit annum Tiberii XV. cum anno IV. Olymp. CCI., cui & in Chronico affigitur: ex quo sequitur, ut & annus IV. Olymp. CCII. respondere debeat ex ipsiusmet sententia anno Tiberii XIX., cui itidem in Chronico affigitur. ergo hoc anno Christum passum ipse voluit, (quod præter cetera argumenta ex allato jam Phlegontis testimonio liquet) non antem præcedenti, qui est tertius ejusdem Olymp., & Tiberii XVIII.. Τιβερίου δὲ, inquit Eusebius, τὸ πεντεκαιδέκατον τῆς Ρωμαίων βασιλείας κατὰ τὸ τέταρτον τῆς σα (2) Ὀλυμπιάδος συμπίπτει: *Tiberii autem Imperatoris Romanorum decimusquintus annus incurrit in quartum Olymp. CCI.* Græcum hunc textum ex lib. X. Præp. Euang. produco, quoniam in Prologo, ex Hieronymi versione, non exprimitur *annus quartus* ejus Olymp., qui tamen satis colligitur ex contextu: nam summa annorum DXLVIII, a secundo Darii ad XV. Tiberii, ibidem ut & in Chronico, ducitur ab initio Olymp. LXV: quare desinere quoque debet in annum IV. Olymp. CCI.: nam intervallum illud Olympiadum CXXXVII. annos complet DXLVIII. Porro Præp. Euangel. textum a Pontaco indicatum puto, quum scripsit, *videri tam hic*, sc. in Chronico, *quam in Præfatione legendum* tertio, *non* quarto. laudat enim ille non semel, in Notis ad Prologum, *Eusebium lib.* 10. *de Præp. cap.* 3; *ubi*, inquit ille, *repetit pæne hæc ipsa:* laudat autem ex interpretatione Georgii Trapezuntii, in qua capite III. habentur, quæ in græco textu cap. IX.: scilicet, *Tiberii autem quintusdecimus ducentesimæ ac primæ Olympiadis quartus invenitur.*

12. Non multum absimilia iis quæ Baronius & Pontacus, sed majori securitate proponit Petavius lib. IX. de Doct. Temp. cap. I. his verbis: *Age Eusebianum Chronicum exploremus. Neque enim parvi alioqui refert, scire quemadmodum cum communibus ac nostris Eusebiani calculi conciliandi sint: qua in re plerosque non leviter hallucinatos esse novimus.* & post pauca: *De Eusebio itaque primum illud valde probabile est, annorum caput non aliunde ipsum, quam ab autumno circiter deducere; a quo & Antiochenorum & Alexandrinorum tempora proficiscuntur. Hoc vero uno vel altero exemplo colligimus. Christus Dominus mense primo verno citra controversiam passus est, ante Olympiadicum solstitium mensibus circiter tribus. Hunc annum Olympiadis CCII, quartum putat Eusebianum Chronicum ex Hieronymi fide. idem porro & Abrahami* 1047, *& Tiberii* 18 *ponitur. Olympias vero CCII ad* Tibe-

(1) Ita legendum: non τῆς σγ', *ducentesima tertia*, ut in editione G. L. Vigeri. Vide Trapezuntii interpretationem: tum ratio ipsa id plane evincit.

Tiberii 16, Abrabami vero 1045 *adſcribitur. Cum igitur tertius annus ab eo cui Olympias affixa eſt, quo & paſſus eſt Chriſtus, quartus ſit Olympiadis ex Euſebii ſententia: hinc apparet initium anni civilis Euſebiani ſumendum in anno illo qui præcedit eum ad quem Olympias applicatur; ut annus, exempli cauſſa, primus Olympiadis CCII. cœperit anno Abrabami* 1044, *Tiberii exeunte decimoquinto, atque ita deinceps.* Idem rurſus cap. XLVI. ejuſdem libri. *Euſebius Olympiadem primam confert in annum ſecundum Æſchyli Athenienſium Archontis, quem judicem interpretatur Hieronymus. annus iſte porro ad Abrabami MCCXL applicatur. verum ab anno ſequente, nempe MCCXLI., primum annum orditur Olympiadis primæ. Natalem Chriſti conjicit idem in annum Abrabami MMXV., ad quem adſcriptus eſt annus III. Olympiadis CXCIV.. Sed jam alibi demonſtratum eſt, Euſebium annos civiles ordiri ab autumno, unde Græcorum, hoc eſt Syro-Macedonum anni procedunt: proindeque Olympiadicos agones in finem anni cadere. Quod ex anno Dominicæ Paſſionis evidentiſſime colligitur: quem cum Euſebius ex Phlegonte notet quartum eſſe Olympiadis CCII., ad eum tamen, annum dumtaxat tertium Olympiadis appoſuit. videlicet quod labente affectoque majori jam ex parte civili anno agones Olympici committerentur. Ideo ab eo anno qui adſcriptam Olympiadem proxime præcedit, annorum inchoanda ſupputatio eſt.* Similia habet lib. X. cap. LXX. & ſeq., atque alibi ſæpius, tum in Ration. temp. Par. II. lib. I. cap. IX. Adeo nimirum veram certamque habuit Petavius eam quam nos hactenus impugnavimus larini Chronici lectionem & recenſionem, ut illa potiſſimum ad totius Euſebiani Operis rationes eruendas & ſtabiliendas quaſi validiſſimo fundamento ſit uſus. Sed antequam eum refutare aggredior, ipſius ratiocinium enucleatius explicandum videtur. eſt autem, ni fallor, hujuſmodi. Jeſus Chriſtus *ex Euſebii ſententia*, & *ex Phlegonte* paſſus eſt anno quarto Olymp. CCII., ſcilicet anno illo Romano more accepto, quo circa ſolſtitium æſtivum initurus erat annus quartus ejus Olymp., & nihilominus in Chronici ſerie idem annus computatur tertius: cur ita? nempe, quia in Chronici ſerie Olympiades ab anno præcedenti illum ad quem ſunt appoſitæ, ducendæ ſunt: quum contra a Phlegonte affigantur προκαταρκτικοῖς ei anno civili Romano, in cujus tandem æſtivo ſolſtitio reipſa inibant. Inde vero, & ex alio argumento quod paullo infra expendemus, demum colligit Euſebium in tota Chronici ſerie anni caput non a Januario menſe, ut apud Romanos, ſed ab autumno præcedenti deduxiſſe ex more Syro-Macedonum. Hæc, ſi quidem Petavii mens eſt, uti quidem eſſe videtur, primum non probat, ſed ſupponit id quod præcipue probare intendit; Euſebium ſcilicet annum ab autumno duxiſſe. Quid enim? non potuit a Januario annum ordiri, & nihilo tamen ſecius unamquamque Olympiadem a præcedentis anni ſolſtitio æſtivo traductam accommodare ſequenti anno civili? Neque tamen propterea negaverim Euſebium annum cœpiſſe ab autumno, quin potius id non obſcuris indiciis ſubinde confirmare eſt animus: id tantum contendo, quod ille ex allato exemplo *evidentiſſime colligi* afferit, quamvis vulgaris Chronici lectio germana eſſet, tamen vix leviſſima conjectura poſſe conjici. Eſto tamen, ut Euſebius civilis anni caput & Olympiades ipſas ab autumno præcedenti deduxerit; cur itaque ſtatim Phlegontem diverſam, ut ponitur, ſequutum rationem produxit in teſtimonium, quaſi omnino ſibi ſuffragaretur? Poſtremo aliam quam quæ a Petavio creditur, Phlegon inivit in annis Olympiadum recenſendis rationem, ut ſtatim demon-

monſtraturi ſumus, eaque fere convenit cum illa quam Euſebius in Chronico expreſſit. Itaque ruit funditus Petavii hypotheſis falſæ illi Euſebiani Chronici lectioni & collocationi ſuperſtructa, neque alia conciliandi Euſebii cum Phlegonte via ſupereſt, quam ut Chriſti mors ad annum Tiberii XIX. & Olymp. CCII. quartum collocetur.

13. Phlegontem annos Olympiadum cum anno civili Romano ita conciliaſſe, ut ab ea Olympiade quæ æſtate initura erat, per anticipationem totum illum annum nuncupaverit, quod quidem ex Petavii ſequitur hypotheſi, cum paullo ante negaverim; nunc cur negaverim, eſt mihi declarandum. Phlegonti propoſitum fuit Olympiacorum certaminum hiſtoriam primario ac ſingillatim conſcribere, adeo ut Photius in eo reprehendat *intempeſtivam* φιλοπονίαν καὶ φιλοτιμίαν, *induſtriam & diligentiam circa Olympiadas & nomina certaminum* (τῶν ἀγωνισμάτων, ſed ſorte legendum ἀγωνισάντων, *eorum qui certaverunt*) *in ipſis*; ſecundario autem & carptim, quæ ſingulis Olympiadicis annis per orbem terrarum acciderunt memoratu maxime digna, recenſere atque operi ſuo inſerere. Debuit itaque non per Romanos a Januario menſe, aut per aliarum gentium civiles annos, ſed per Olympiadicos, ab æſtivo ſolſtitio incipientes & in ſequenti itidem æſtivo ſolſtitio deſinentes, hiſtoriam ſuam contexere, uti ſane, ut videbimus, contexuit. De eo itaque, deque ejus Opere Scriptores antiqui hæc habent: Euſebius, Φλέγων ὁ τὰς Ὀλυμπιάδας συναγαγών, *Phlegon qui Olympiadas collegit*, ſeu, ut eſt interpretatus S. Hieronymus, *Phlegon qui Olympiadarum egregius ſupputator eſt*: Suidas in Φλέγων, ἔγραψεν Ὀλυμπιάδας ἐν βιβλίοις ιϛ΄· ἔστι δὲ μέχρι τῆς σκθ΄ Ὀλυμπιάδος τὰ πραχθέντα πανταχοῦ: *ſcripſit Olympiadas libris XVI., ideſt quæ ubique geſta ſunt uſque ad Olympiadem CCXXIX.* Sed Photius cod. XCVII. de his fuſius: nam primum indicat titulum operis fuiſſe, Ὀλυμπιονικῶν καὶ χρονικῶν συναγωγή, *Olympionicarum*, ſeu de iis qui in Olympiacis certaminibus vicerunt, *& Chronicorum collectio* (hinc factum puto, ut alii *Olympiadas*, alii, ut Origenes in Matth. Tract. XXIX., & XXXV. & lib. II. contra Celſum, *Chronicorum* libros vocent): tum ſequitur Photius de eo ita ſcribere: *Incipit autem Collectionem*, τῆς συναγωγῆς, *a prima Olympiade* ..:..., *pervenit autem, ut ipſe ait, uſque ad tempora Adriani. Ego vero legi uſque ad CLXXVII. Olympiadem, in qua vicit*: cetera. pergit enim enumerare ejus CLXXVII. Olympiadis Olympionicas ſingulos, denique tranſit ad ea perſtringenda quæ ſingulis ejus Olymp. annis geſta fuiſſe per orbem terrarum a Phlegonte referebantur: quem locum inſtituto noſtro maxime opportunum (1) nos ex græco textu edito a Daniele Hœſchelio, Auguſtæ Vindel. an. 1601., latine redditum damus.

Excerpta a Photio ex Phlegontis Olympiade CLXXVII.

Lucullus autem Amiſum obſidebat: Et, Muræna cum duabus legionibus ad obſidionem relicto, ipſe cum tribus aliis progreſſus eſt ad Cabira, ubi hibernabat (ſupple, *Mitbridates.*): *Et, Adrianum juſſit pugnare cum Mitbridate, quo prælio victor evaſit: Et, cum Romæ terræ motus factus eſſet, magna ejus pars diruta eſt: & alia plurima in hac collecta ſunt Olympiade.*

Et,

(1) Tillem. in Adriano Imper. §. xvIII. de Phlegonte agens. *On voit, par la 177. Olympiade que Photius nous a conſervée, de quelle maniere cet ouvrage eſtoit compoſé, & qu'il eclairciroit extrémement l'hiſtoire, s'il eſtoit venu juſque à nous.*

Et, tertio ejus (Olympiadis) *anno censa sunt Romanorum millia decem ac nongenta* (1): *Et, Sinatruci Parthorum rege defuncto successit Phraates, cognomento Theos. Et, Phaedro Epicureo successit Patron* (2). *Et, Virgilius Maro poeta natus est hoc anno, idibus Octobris.*

Anno vero quarto (Olympiadis) *Tigranes & Mithridates, cum coegissent peditum XL millia, equitum XXX., eosdemque Italorum more instruxissent*, sive ordinassent, *pugnarunt cum Lucullo. Et, vicit Lucullus. Et, quinque mille ex Tigranis militibus caesi sunt, sed alii majori numero capti, praeter reliquam turbam promiscuam. Et, Capitolium Romae Catulus dedicavit. Et, Metellus ad Cretense bellum profectus cum legionibus tribus, appulit ad eam insulam: cumque praelio* commisso *vicisset Laosthenem, imperator salutatus est. Et, Cretenses moenibus se tueri coegit. Et, Athenodorus pirata cum Delios captivos abduxisset, Deorum* (*ita dictorum*) *simulacra destruxit. Cujus vero Triarius urbis ruinas restaurans, Delum muro cinxit. Ad hanc igitur usque Olympiadem legi libros quinque:* &c.

Hæc ex Photio de Phlegontis opere delibare visum est, ut manifeste appareat in eo Chronico per Olympiadicos, non autem *Latios digesta per annos* tempora resque gestas fuisse: id quod unicuique liquido apparebit, qui singula aut potiora conferat cum iis quæ a diligentissimis nostræ & superioris ætatis Chronographis per illud tempus facta referuntur. Ego tamen ad neminem alium provoco quam ad Petavii ipsius Chronicum, ex quo constat liber XIII. de Doct. Temp.: in quo tamen observare oportet annos Olympiadum a præcedente Januario ad sequentis Decembris exitum numerari, sex fere mensibus antequam reipsa inirent, totidemque antequam desineret. Porro Olympias CLXXVII. inivit æstivo solstitio ejus anni, qui numeratur septuagesimus secundus ante communem Christi æram, ejusque Olymp. annus quartus desiit in æstate anni ante Chr. LXVIII. Apud Petavium itaque ad annum ante Chr. LXXII., sed desinentem, ponitur: *Lucullus Amisum & Eupatoriam obsidet*, & recte: nam illæ duæ urbes eodem tempore & ante finem ejus anni a Lucullo obsidione clausæ fuerunt. ad sequentem vero annum Luculli de Mithridate victoria recensetur: *Lucullus contra Mithridatem parum prospere equestri prælio pugnavit. mox tamen devicit, & territum in Armeniam ad Tigranem fugere compulit*. At Phlegon tum Amisi obsidionem tum Luculli victoriam eodem anno comprehendit, quia utrumque gestum fuit currente anno primo Olymp. CLXXVII. Idem Petavius ad an. ante Chr. LXX. notat: *Hoc anno censura restituta*, &c.: tum, *Virgilius bis Coss.* (sc. Pompejo & Crasso) *nascitur, idibus Octobris*. quæ duo referuntur a Phlegonte ad annum tertium Olymp. Denique Petavius ad an. ante Chr. LXIX. refert Mithridatem & Tigranem a Lucullo profligatos, ad annum vero sequentem, qui ipsi est Olymp. CLXXVIII. primus: *Bellum Creticum hoc anno gestum a Metello Proconsule*, quæ tamen ad eumdem annum Olympiadicum, quartum nimirum Olymp. CLXXVII. referuntur a Phlegonte, & quidem recte. Ex his itaque (quoniam in istis excerpta Photii ex Phlegonte ac Petavii Chronicum conveniunt, ut easdem res gestas attingant, quamvis non semel discordent

(1) At Livii Epit. lib. XCVIII. *Censa sunt civium capita CCCCL millia*.

(2) Vid. Cicer. in Epist. Famil. lib. XIII. epist. 1.

Digitized by Google

dent in annis Olymp.) prorsus liquet Phlegontem annos Olympiadum non accommodasse civili Romanorum anno, ut quidem ipse Petavius fecit, & factum itidem a Phlegonte persuasum habuit. Si quis tamen rem diligentius expendere velit, adeat Usserii Chronicum, quod uberius res persequitur, atque apud ipsum reperiet omnia fere a Phlegonte tradita, ad normam anni Olympiadici suis quæque locis disposita (1). Demum ex dictis id sequitur, eclipsin illam solis a Phlegonte teste Eusebio anno *quarto* Olymp. CCII. affixam, non posse ad verum tempus ejus anni retrahi, quo adhuc in cursu esset annus *tertius* ejus Olympiadis. Sed de ea quam Eusebius tenuit, Olympiadum computandarum methodo, nunc est agendum.

13. Quoniam Eusebio in Chronico propositum erat, ut multiplices omnium regnorum & regum epochas inter se compararet, & ad aliquam certam & communem normam exigeret, cujusmodi sane est civilis anni cursus, eumdem ex Orientalium & popularium suorum more ab autumno, seu a Kalendis Octobris duxit, ut Petavius ipse, tum Pagius aliique agnoverunt. Itaque in Olympiadicis annis cum civilibus comparandis eam institit viam, quæ ipsi commodior erat, & a vero ipsorum initio minus recedebat. nam cum Olympici agones, ut sæpius diximus, circa æstivum solstitium agerentur, maluit initium uniuscujusque Olymp. tribus circiter mensibus postponere, quam mensibus fere novem prævertere: atque ita annum primum Olymp. I. non affixit anno secundo Æschyli Archontis, licet eo anno primum agonem ab Iphito actum fuisse sciverit & notaverit, sed affixit anno tertio ejusdem Æschyli, atque ita deinceps: adeo ut ab exacta Olympiadicorum annorum ratione, quamque Phlegon tenuit, recesserit Eusebius in tribus tantum æstivis mensibus, seu a solstitio æstivo ad Octobris initium. Sequitur itaque, ut hic Christi mortem, quæ vernis mensibus contigit, ei ipsi anno Olymp. aptare debuerit, quo Phlegon deliquium illud solis accidisse narravit, quod ille eodem anno & tempore quo Christus est passus, contigisse pro certo habuit, nempe IV. Olym. CCII. Hanc proinde in toto Chronico methodum observare oportet, ut anni Olymp. ibidem in seriem digesti, trimestri tantum spatio serius procedere noscantur, quam reipsa inierunt. Recte itaque, ex. gr., Virgilii Maronis ortum affixit Eusebius anno tertio Olymp. CLXXVII, quo & a Phlegonte relatum vidimus: nam quum Virgilius natus sit Idibus Novembris, ejus anni Olymp. mense quinto labente, quumque Eusebius jam inde ab Octobri ineunte civilem annum auspicaretur, qui a nato Abrahamo erat ipsi MCMXLVII., huic anno quod Novembri mense gestum erat, aptare debuit, licet consules sub quibus Virgilius natus est, processissent currente anno secundo ejus Olymp. Porro ex Eusebio recensuit Virgilii ortum (ne quis Hieronymo interpreti totam illam pericopen tribuat) auctor. Chron. Pasch., qui tamen per errorem anno III. præcedentis Olymp. adfixit, his verbis, Βεργίλιος ἐγεννήθη, quæ ipsissima forte erunt Eusebii verba: nam quæ præ-

(1) Moneo tamen in edit. Chron. Usser. Veronensi, ad ann. ante æram Chr. LXXI. mendose haberi: *Olympiadis CLXXVII. instante anno primo, vere, Murena ad Amisi obsidionem continuandam ..... relicto, Lucullum ...... contra Mithridatem profectum*. Legendum enim, ut in editionibus transalpinis, *anno primo, instante vere*: idque conforme est textui Appiani in Bello Mithridatico, ubi legitur ἀρχομένου δὲ ἦρος, *instante autem vere*.

præterea in Chronico Eusebii latino habentur, a S. Hieronymo addita puto ex illius Vita a Donato perscripta. Recte etiam eadem de caussa Augusti mors ab Eusebio copulatur cum anno primo Olymp. CXCVIII., non secundo: nam quamvis Augustus obierit die XIX. mensis Augusti, cum jam cœperat annus secundus ejus Olymp., ille tamen qui Olympiadicum annum ad civilem accommodatum computaret ab autumno sequenti, mortem illam ad ejus civilis anni finem pertinentem cum elapso jam Olymp. illius anno primo jungere debuit. Comperias tamen in Chronico illo evolvendo non semel Eusebium suas fefellisse rationes, nempe ut ad annum quempiam Olympiadicum ea referat, quæ juxta ipsius methodum ad sequentem fuissent referenda: sed id accidit præter ejus intentionem & primarium propositum. quemadmodum nonnulla etiam in præcedentem annum retulit. Itaque censum illum quem Augustus Romæ proxime ante mortem egit, apud Eusebium collocatum videas in quartum Olymp. CXCVII. annum: ad quem locum notavit Vallarsius, *Actum sequenti anno: siquidem numeres a Kalendis Januariis, quod tamen minime Eusebius facit*. sed nihil heic juvat, Eusebium aliunde, scilicet ab Octobri, anni caput duxisse, sed id longius nosa vero census illius tempore abducit, quem satis constat actum fuisse iisdem quibus Augustus excessit, consulibus. Sed, ut afferamus exemplum huic plane contrarium, Julii Cæsaris mortem Eusebius anno I. Olymp. CLXXXIV. consignat, quam quarto præcedentis Olymp. juxta suam methodum consignare debuisset. nam cum Cæsar occisus fuerit Idibus Martiis anni illius Romani, in cujus æstate inibat Olympias illa CLXXXIV.; qui Olympiadicos annos ab autumno sequenti ipsorum verum initium incoharet, quartum Olymp. CLXXXIII. annum Cæsaris neci adsignare debuisset. Verum in his & aliis hujusmodi vitium non in Olympiadum annis cubat, sed in prava collocatione rei gestæ in alium quam par erat Olympiadicum annum: nam illud perpetuum & immotum manet, ut Auctor voluerit annos ipsos Olymp. non anticipare, sed ad autumnum proxime sequentem rejicere. Corrigendus itaque Pagius, qui in Apparatu num. LXX. scribit: *A currenti pariter anno Juliano* (est is annus ab Urbe Condita DCCX. & Julianus II.) *Eusebius in Chronico Augusti annos deduxit, ut recte a Baronio observatum. Quare Scaliger in Animad. Eusebianis ad num.* 1988., *& Petavius laudatus, ab anno Juliano tertio, sequenti scilicet, Eusebium Augusti initium putasse male autumarunt. Eusebius itaque primum Augusti annum a mense Octobris anni Juliani* 2. *cum anno civili Syrorum, & maxime Cæsariensium auspicatus est, etiam juxta editionem Chronici a Scaligero curatam, ab anno nempe Abrahami* 1974, *quemadmodum in Augusti morte & alibi declarabo, ut vulgaris error tandem profligetur*. Atqui annus ab U. C. DCCX. & Julianus II., respondet anno IV. Olymp. CLXXXIII., & demum a mensibus æstivis, anno I. Olymp. sequentis. quare cum Eusebius Cæsaris cædem affixerit anno I. hujus Olymp., eaque idibus Martiis patrata fuerit, nullomodo congruere potest cum anno ab U. C. DCCX., & Juliano II.; multoque minus Augusti initium, si repetatur a num. MCMLXXIV., cui primus Augusti Cæsaris annus in Chronico affigitur: nam cum ei numero respondeat annus II. Olymp. CLXXXIV., isque ex Eusebii methodo a Kalendis demum Octobris ductus, jam tum pæne desierat annus ab U. C. DCC.XI. & Julianus III. Sed de his rursus infra.

15. Verum enimvero exemplo ex anno emortuali Julii Cæsaris ducto potissimum uti placuit ad declarandum Eusebiani Chronici erro-

errorem, quoniam eodem, sed perperam, usus est etiam Petavius cap. I. lib. IX., proxime post verba ex eo supra num. 12. allata, ad periodum Julianam cum annis Eusebianis comparandam. *Sic*, inquit, *anno Abraami 1973 Julius Cæsar occisus est, quem ad annum primus Olymp. CLXXXIV. appositus est. Est hic annus ante communem æram quadragesimus quartus, per. Julianæ 4670., quo anno agon Olympicus centesimus octuagesimus quartus circa solstitium commissus est. Proinde annum primum Olympiadicum putat Eusebius ab autumno qui solstitium illud antecessit. Quamobrem annus primus Iphiti, cujus Olympias ad annum 1241. adscribitur, iniit anno ipso 1240. cui subjicitur, Æschyli videlicet Archontis anno secundo.* Hoc nimirum alterum exemplum est, quod ibidem in confirmationem observationis a se factæ de annis Eusebianis ab autumno incipientibus, producit, post primum illud ex anno quo Christus est passus, petitum. Verum neque id Petavii proposito quidquam inservit, quinimmo, siquid valet, contrarium plane adstruit eis quæ priori argumento probare voluit. Non inservit, inquam, Petavii proposito: nam quod ex eo jure riteque posset argui, id demum esset, Eusebium Olympiadicos annos per aliquot menses anticipasse, ut eos cum anno civili sibi proprio compararet. utrum vero idem annum ab autumno aut a Januario mense ordiretur, adhuc remaneret incertum: nam ad propositum de cæde Julii Cæsaris exemplum, undecumque annum civilem auspiceris, sive ab Octobri præcedenti, sive a Januario, perinde est, eum ea Idibus Martiis acciderit. Addidi, hoc argumento contrarium plane adstrui eis quæ adstruere voluit priori argumento ducto ex anno Christi σωτηρίου. nam cum in illo id sibi expediendum proposuisset, cur qui in Chronico numeratur annus tertius Olymp., tamen quartus ex Phlegonte dictus ab Eusebio statim fuerit; id quod volebat, effecit, aut se effecisse putavit ea ratione quam jam declaravimus: nimirum, quia Eusebius in Chronici serie anni Olympiadici initium accommodaverit proxime sequenti autumno, unde annum ipse ordiebatur: quod sane ita se habere nos quoque, sed aliis & certioribus argumentis, demonstravimus. At contra, quidnam aliud hoc altero argumento demum statui potest, nisi annos Olympiadum in Chronico expressos ab autumno præcedenti ipsos agones Olympicos ab Eusebio repetitos fuisse προληπτικῶς? Et, quod satis mirari nequeo, eodem quo hæc ille tradit tempore, præ oculis habet lectoribusque suis proponit initium Olympiadum in Chronico signatum, ex quo manifestissime elucet, annos omnes Olympiadum ab Eusebio serius aliquanto quam reipsa inierant, recenseri, non prius: nam si prius, annum primum Olymp. I. non cum tertio Æschyli Archontis, sed eum secundo comparasset. Pergit tamen Petavius ex anno potissimum quo Cæsar in Chronico periisse dicitur, arguere & stabilire certam constantemque, ut ipse putat, methodum, qua quilibet Abrahami annus in Chronico expressus ad periodum Julianam exigi & revocari possit; ita scribens. *Jam vero si de anno per. Jul. 4669., quo Abraami 1973 ab autumno cœpit, deducantur anni 1973.; primus Abraami cadet in autumnum anni per. Jul. 2697.: unde ex methodo perpetua, additis 2696. ad annos Eusebianos, habebis ineuntem annum Abraami. Hac ratione primus Christi annus Eusebianus inchoatur ab autumno anni per. Jul. 4711.: adjectis videlicet 2696. ad 2015.. ad quem annum primus Christi annus adnotatur in editione Pontaci. cetera ad eumdem modum tractabis. Nihil hac methodo ad certam Eusebianorum annorum rationem, atque illius errores agnoscendos expeditius est.* Prorsus

huic methodo quadrant quæ a Luctetio lib. IV. verf. 516. & feqq. dicuntur:

Denique ut in fabrica, fi prava eft regula prima,
Normaque fi fallax rectis regionibus exit,
Et libella aliqua fi ex parte claudicat hilum;
Omnia mendofe fieri atque obftipa neceffum eft,
Prava, cubantia, prona, fupina atque abfona tecta:
Jam ruere ut quædam videantur velle, ruantque,
Prodita judiciis fallacibus omnia primis.

Diximus fupra Eufebium, dum Cæfaris mortem anno primo Olymp. CLXXXIV. appofuit, id ab eo factum per errorem, ut fæpe alias: nam juxta inftitutum fuum collocare eam debuiffet in annum IV. Olymp. præcedentis, quo anno reipfa contigit. At Petavius qui hunc Eufebii errorem non animadvertit, compofuit annum Abrahami MCMLXXIII. qui in Chronico refpondet dicto anno I. Olymp., cum anno per. Jul. 4670. cui anno Julii Cæfaris mors congruit. deinde, quoniam certum habuit, annum illum I. Olymp. CLXXXIV. ductum fuiffe ab autumno præcedenti, initium ejufdem anni repetivit ab an. per. Jul. 4669., quo reipfa in æftivo folftitio cœpit annus IV. Olymp. CLXXXIII., non I. fequentis: atque ita demum effecit, ut Cæfaris mors in Chronico non male collocata videretur. Methodus itaque a Petavio tum in Doctrina temporum, tum in Rationario Par. II. lib. I. cap. IX. tradita & inculcata, perpetuo laborat anni integri παραχρονισμῷ, qui ex duobus memoratis paralogifmis confequitur: nam annus Abrahami MCMLXXIII. cum anno I. Olymp. CLXXXIV. ab Eufebio comparatus, ducendus et erat ab autumno an. per. Jul. 4670, & ad autumnum fequentis anni protendendus; ex quo fequeretur ut primus Abrahami inchoandus effet ab autumno an. per. Jul. 3698.: unde ex methodo perpetua, additis 2697. ad annos Eufebianos, habuiffet ineuntem annum Abrahami. Hoc pacto primus Tiberii annus, qui in Chronico refpondet II. Olymp. CIIC. & Abrahami MMXXX., cœperit ab autumno an. per. Jul. 4727., & ejufdem Tiberii XVIII., qui eft III. Olymp. CCII. & Abrahami MMXLVII., cœperit ab autumno per. Jul. 4744., cum annus ille III. Olymp. reipfa iniverit in folftitio æftivo ejufdem anni, & ad fequentis ufque æftatis folftitium perduraverit. quo fane intervallo fi Chrifti mors, ut in latino Chronico habetur, contigiffet, nullo pacto ab Eufebio ex Phlegontis teftimonio anno IV. ejus Olymp. aptari potuiffet: idque multo minus, fi, ut Petavius, ad conciliandam Cæfaris mortem cum anno I. Olymp. CLXXXIV., commentus eft, Eufebius annos Olympiadum putaffet ab autumno qui verum ipfarum initium antecedit. nam tunc annus ifte tertius, *fecundus* potius fuiffet dicendus, ut revera ab ipfo Petavio in decurfu Operis, mutata tacite fententia, dicitur, ut infra videbimus. Interea non omittam commemorare quæ fcribit idem in Ration. Temp., loco paullo ante laudato, quo nimirum declarare nititur, eadem fere qua fupra ratione, methodum annorum Eufebiani Chronici, & uti ad Julianam periodum accommodari debeant. Vidit nimirum tandem eam methodum non valere ad folvendum nodum qui in anno Paffionis Chrifti in latino Chronico occurrit: ad ea autem quæ cap. I. Lib. IX. de D. T. differuerat, lectorem nihilofecius amandat, ubi tamen, ut & cap. XLVI., ejufdem methodi ope fe nullo negotio quæftionem illam expediffe putaverat. *Contra hæc*, inquit, *objici nonnulla poffent*

possunt ex iis quæ ad annum Passionis in Eusebiano Chronico notantur, de quibus ea consule, quæ in 9. de Doct. Temp. cap. 1. *disseruimus. Non enim diutius hærere in tricis istis operæ pretium ducimus.* Opportunius sane fuisset citasse librum XII. & capita præsertim XII. & XXI., quibus tamen nodum illum non solvit, sed cæcidit.

16. Quæstionis intricatissimæ expediendæ studium compellit me, ut hæc atque alia rursum contra ejusdem Petavii, aliorumque clarissimorum virorum sententiam fusius prosequar, ut aliquando Eusebiani Chronici dispositio, & in annis tum Olympiadum tum Imperatorum Romanorum recensendis ratio in præclaro lumine collocetur, & ab omnibus quibus ad hanc diem involuta fuit ambagibus, eximatur: *neque enim*, Petavio ipso judice, *parvi refert, scire quemadmodum cum communibus ac nostris Eusebiani calculi conciliandi sint: qua in re plerosque* (in quibus sane Scaliger, tum Petavius ipse, & Pagius sunt annumerandi) *allucinatos esse novimus*. Hoc autem sedulo præstare nostrarum potissimum partium esse ducimus, qui præter institutam de anno mortis J. Christi disputationem, novam Eusebio-Hieronymiani Chronici editionem molimur, ut in edita nuper *de Chronicis Eusebii* Dissertatione, Part. III. §. VII. & seqq. polliciti sumus. Certum itaque esse debet & constans, quod tamen paullo infra rursus confirmabitur, mortem Julii Cæsaris anno serius quam debuit, ab Eusebio recensitam fuisse: nam quod Petavius paullo supra dixit: *Est hic annus ante communem æram quadragesimus quartus, Periodi Julianæ* 4670., *quo anno agon Olympicus centesimus septuagesimus quartus circa solstitium commissus est*, designavit quidem verum annum, quo Cæsar periit, non tamen eum qui ex Chronico eruitur. Quamquam, ut semel id moneam, minus probare soleam Petavii, Pagii & aliorum rationem, qui de Eusebianis calculis disputantes, eos plerumque expendunt & comparant cum iis æris, sive epochis, quas idem neque usurpavit neque novit, quales sunt anni periodi Julianæ, æræ Dionysianæ, &c.: quo fit ut lectoribus sibique ipsis non semel fraudi sint. Etenim qui recta & planiori via incedere velit, oportet ut iisdem insistat vestigiis quæ ipse primum fixit, eisque eum metiatur regulis, quas sibimet præfinivit: ut sunt anni ab Abrahamo ducti, tum anni Olympiadum, &c.; modo ut recte observet unde annum auspicari ipse soleat. Nos sane hactenus tenuimus & in posterum tenebimus perpetuo hoc institutum: & quoties opus fuerit aliorum qui secus egerunt, dicta referre, ad hanc tamen normam eos exigemus, ac subinde corrigemus, quoties lapsos esse comperiemus, ob hanc nimirum methodum ab iisdem neglectam. Sed, ut interim ad primariam nostram quæstionem revertamur, quæ vertebatur circa difficultatem quæ nascitur ex latini Chronici codicibus Christum passum anno III. Olymp. CCII. referentibus, quum contra Phlegontis testimonio annus ejus Olymp. quartus designetur; Petavius, qui, ut vidimus, cum Eusebii locum de Julii Cæsaris anno emortuali in confirmationem suæ sententiæ & conciliationis produxit, sibimet non constare cœperat, in processu Operis magis magisque se se involvit contradictione, aliamque prorsus ab illa quam semel ingressus fuerat, insistit viam. Ejus verba afferamus ex cap., & lib. XII., quæ non pauca præstabunt nobis ejus primum cum Pagio, tam Pagii ipsius refellendi argumenta. quum itaque dixisset Petavius, Patres vetustissimos tradere Christum passum anno Tiberii XV., addit: *posteriores, anno fere Tiberii XVIII., Epiphanium & Eusebium sequuti. Sed*

in horum explicanda sententia minus attente plerosque versari video, qui Imperatoris illius annos more Romano ab eo die quo imperium iniit, computandos existimant: quod non ita est. Etenim a populari civitatum suarum exordio Patres illi annos incboabant, nimirum ab autumno antecedente æstatem illam, qua Augustus excessit. Anno ab Urbe condita DCCLXXXIV., Juliano LXXVI., Augusti (mensis die) XIX. cœpit annus XVIII. Tiberii, anno tertio Olympiadis CCII., cyclo Lunæ XIII. Græci Patres, ut Eusebius & Epiphanius, annum Tiberii XVIII. putare incipiunt ab autumno anni Juliani LXXV: De Eusebio supra id ostensum est aliquot exemplis; & res ipsa persuadet non aliud exordium anni ab eo sumtum, quam Antiochenum & Syro-Macedonicum, ab Octobri. fuit enim Cæsareæ, quæ Palæstinæ in Syria metropolis erat, episcopus. Qui annos Christi ad Eusebianum Chronicum adnotarunt, ad XVIII. Tiberii & Olympiadis CCII. tertium, quo passus ibidem Christus ponitur, annum Christi XXXII. adscripserunt. Ita quidem in editione Scaligeri, secus in Pontacena, quæ præfert annum XXXIII. Itaque Pagius impugnans Petavium, ita scribit ad an. Chr. XXXII. num. IV. *Tertio non advertit Petavius errorem, qui cubat in anno Incarnationis XXXII. in editione Scaligeriana adnotato, annumque Abrahami* 2047. *cum quo passionem Christi Eusebius connectit, concurrere cum anno Incarnationis XXXIII. ab Octobri pariter cœpto*, &c. At Petavius vidit quidem discrepantiam illam inter Pontacenam & Scaligerianam editionem, sed hanc potiorem habuit, ut ex cap. XLIII. lib. XI. colligitur: ubi etiam recte monet eum Pontaco annos Christi neque ab Eusebio, neque a Hieronymo, neque ab alio quoquam vetustiore ad Chronicum adjunctos fuisse. Sequitur Petavius. *Quare cum uno ante communem Natalem anno ortum Christi collocarit Eusebius, tertio anno Olympiadis CXCIV.; annus ille XXXII., æræ vulgaris est XXXI., periodi Julianæ* 4744. *, quo a Kalendis Januarii ad solstitium in cursu fuit annus secundus Olympiadis CCII., a solstitio vero, annus tertius, Coss. Tiberio V. & Sejano. Hic est annus ille, quo mortuum esse Christum pluribus docet ac probat Epiphanius Hæref. LI., quem cum Tiberii dicat esse decimum octavum, apparet ipsum ab autumno antecedente, itidem ut Eusebium, annorum Tiberianorum initia capere; ac revera ex amborum sententia passum esse Christum anno XVII. currente Tiberii, Olympiadis CCII. anno secundo. Eadem & ceterorum Patrum opinio fuit, qui Eusebio auctore, decimo octavo Tiberii anno mortuum affirmarunt esse Dominum. nam πραγματικῶς octavum decimum annum appellarunt, qui Romanis decimus septimus putabatur.* Vides, erudite Lector, ut hic perstet affirmare, Christi mortem ab Eusebio (nam de Epiphanio & aliis Patribus non est hujus loci disputare, præcipue cum a Pagio scriptum fuerit contra Petavium, ad an. Chr. XXXII. num. IV. *A quo mense Epiphanius Imperatorum annos incboarit, immo quo anno Christum passum crediderit, nullus, quod viderim, hactenus divinare potuit*) affixam fuisse anno Tiberii XVIII.; neque tamen, ut antea, eum annum Tiberii cum tertio & quarto Olymp. CCII. conciliat, sed cum secundo & tertio. Verum de his infra, quum de Phlegontis testimonio sermo resumetur. pensanda interim ea sunt in quibus arguit plerosque, quod in Eusebii, ex quo ceteri Græci Patres pendent, *explicanda sententia minus attente versati* fuerint. Itaque potissimum observandum esse monet, Eusebium cœpisse numerare annos Tiberii *ab autumno antecedente æstatem illam, qua Augustus excessit*, non vero a die quo imperium inivit. Sed cur non potius ab autumno sequuto Augusti mortem? Sane

ne

ne is mos Eusebii perpetuus esse videtur & constans, ut *annos Imperatorum ab anno Abrabami, qui sequitur prædecessoris obitum, inciperet*, ut contra Petavium observat Pagius, ad annum Christi XXXII., num IV., addens ipsum *lib. XI. de Doct. Temp. cap.* 41. *id Eusebio ac S. Hieronymo familiare fuisse, recte scripsisse*. Verba Petavii, cap. XLIII. ejus libri, hæc sunt: *Verum, quoniam Eusebius & Hieronymus Principum annos ita describere solent, uti singulorum initia non ab eo anno quo primum inaugurati sunt, quique sæpius incboatus est, sed a sequentis exordio sumant*; *atque exempli caussa Valentis primus annus non ab eo procedat, quo Jovianus est mortuus, sed a sequenti: ideo*, &c. Hæc nimirum constans & perpetua Eusebii ratio, a qua sane non recessit in recensendis Tiberii annis: nam, *cum*, ut Pagius subdit, *secundum Eusebium Tiberius anno Abrabami* 2052. *quem cum anno XXIII. Tiberii conjungit, mortuus fuerit, si imperii ejus initium anno Abrabami* 2029, *quo Augusti mors ab Eusebio consignatur, cœptum fuisset ex ejusdem Eusebii sententia, non annos viginti tres Tiberio, sed viginti quatuor attribueret*. Sed ut magis appareat error Petavii, recolat Lector, quæ num. 14: diximus de anno quo Augusti mortem collocavit Eusebius: eam nimirum anno primo Olympiadis CXCVIII. adfixit, licet ille annus reipsa jam ab aliquot mensibus esset elapsus. porro idem Tiberii annum primum copulavit cum anno secundo ejusdem Olymp.: quomodo itaque dici potuit a Petavio Tiberii imperium in Chronico *incboatum ab autumno antecedente æstatem illam, qua Augustus excessit?* Nihil sane dici potuit absurdius. Sin autem quæras hujus tanti erroris originem, habes eam supra ab ipso Petavio indicatam iis verbis, quibus de Julii Cæsaris anno emortuali agens, perperam statuit *annum primum Olympiadicum putare Eusebium ab autumno, qui solstitium illud antecessit*: nam cum ad annum primum Tiberii appositum videret annum secundum Olymp., sibi persuasit annum illum per anticipationem duci ab autumno præcedenti solstitium quo inivit annus ille secundus; ita ut qui dicitur secundus, esset revera, saltem ex majori anni parte, tantum primus. itaque conclusit, primum Tiberii annum inchoari in Chronico ab autumno antecedente æstatem illam qua Augustus excessit, cum contra inchoatum fuerit ab autumno sequente. Eo falso principio innixæ reliquæ Petavii assertiones, ipsæ per se ruunt: ut, quod ait, annum Tiberii XVIII. in Chronico incipere ab autumno anni III. ejus Olymp.: ac proinde nulla ratione conciliari potest annus ille Tiberii cum anno II. Olymp. CCII., quod tamen probare hoc loco propositum Petavio fuit, sicuti nec cum IV., ut antea voluit. Recole quæ num. 12. ex eo attulimus.

17. Sed quoniam de annis imperii Tiberii instituta disputatio est, ut magis appareat rectam rationem in iis recensendis ab Eusebio initam fuisse, repetenda sunt nobis, quæ num. 14. de Cæsaris & Augusti emortuali anno, unde ista dependent, notavimus. Nimirum Cæsaris mors in Chronico collocatur anno I. Olymp. CLXXXIV., sed, ut diximus, anno serius quam reipsa contigerit. Rursus ibidem Augusto anni LVI. cum sex mensibus assignantur, cum tamen imperaverit annis LVII. ac sex fere mensibus, si statim a cæde Cæsaris, ut ille fecit, incipias numerare. Porro sex illi menses ab Idibus Martiis, quibus Cæsar periit, ad Septembrem medium perveniunt, ac prope ad Eusebiani anni exitum: itaque anno demum II. ejus Olymp. affigitur annus I. Augusti, qui tamen reipsa esset secundus, isque ante sex fere menses inceptus, atque ita deinceps alii ad usque LVI. & ultimum, qui revera LVII. fuisset

Digitized by Google

fuiſſet dicendus. Apparet itaque primo annos Auguſti luxatos eſſe in Chronico ob Cæſaris mortem anno ſerius quam par fuit, collocatam, ita tamen ut illius mors recte ex Euſebiana methodo, de qua ſupra, concurrat cum an. I. Olymp. CXCVIII.; nam annus qui initio deeſt, compenſatur in fine, dum integer itidem annus regni ejus omittitur. Apparet ſecundo, ut annus II. ejus Olymp. ibidem jure dicatur annus I. Tiberii, utpote qui a Kalendis Octobris ejus anni Juliani cœperit, in quo reipſa a. d. XIV. Kalend. Septembris obiit Auguſtus: atque adeo, ut ceteri etiam anni imperii Tiberii apud Euſebium numerentur a proxime ſequuto autumno, ſerius quidem quam reipſa inibant, ſed tantum, quantum intervalli intereſt inter diem XIV. Kalend. Septembris, & Kalendas Octobris, unde anni caput Euſebius ducit. Hæc cum ita ſint, quæ ſecus tradita a Scaligero, Petavio, Pagio fuerunt, refutanda rurſus ſunt. Et de Scaligeri quidem ſententia jam egimus num. 7., quæ ejuſmodi eſt, ut qui primus Tiberii annus dicitur in Chronico, & reſpondet anno II. Olymp. CXCVIII., & Abrahami MMXXX., ad imperium Auguſti ab eo referatur uſque ad diem XIV. Kalend. Septembris: ita enim ipſe ſcribit in Animadv. in Chron. lat., pag. 181 extrema, in illud -- *MMXXX. Tiberius*) *Recte quidem hinc incipit primus annus Tiberii, XIV. Kalend. Septemb., ſed inde unde deſinit Auguſtus. Ergo idem numerus, & ultimus Auguſti, & primus Tiberii debuit eſſe, non autem ex uno momento, quod inter obitum Auguſti & initium Tiberii intercedit, duo anni faciendi. Hoc ideo moneo, quod non ſolum hic, ſed & in omnium regum fere initiis idem ab Euſebio factum Lector notare poſſit: quod, ut alibi monui, Euſebio peccandi ſæpe anſam dedit.* Sed nihil magis abhorret ab Euſebii rationibus, hoc potiſſimum in loco, quo Auguſti mors ab eo diſertis verbis anno ſuperiori & numero Abrahami MMXXIX. adſigitur, & quidem, ut diximus, ad exactæ Chronologiæ normam. Petavius & Pagius in eamdem omnino abiere ſententiam: etenim ille lib. XI. de D. T. cap. VI. hæc habet de anno emortuali Auguſti: *Euſebius in Chronico ad annum Auguſti LVI., Abraami MMXXIX., Olympiadis CXCVIII. primum, Solis defectionem contigiſſe memorat, quando mortuus eſt Auguſtus ..... At Euſebius uno anno Auguſti antevertit obitum. Siquidem adjectis ex methodo ad Euſebianum numerum annis* 2696. *conſiet annus periodi Julianæ* 4725., *quo cœpit annus Abraami MMXXIX. Proinde anno* 4726. *mortuus erit Auguſtus. obiit autem anno* 4727. Methodus, de qua heic Petavius, ea eſt quam ipſe initio libri IX., ad annos Euſebianos cum periodo Juliana conciliandos, ſtabilire conatus eſt ex annis quibus tum Chriſtus in latino Chronico, tum Cæſar mortui referuntur. quæ duo tamen exempla cum, aliud alia de cauſſa, vitioſa ſint, claudicet omnino neceſſe eſt, quam iiſdem ſuperſtruxit methodum: claudicet autem, quod anno uno deficiat, qui nimirum tum in anno illo emortuali Cæſaris, tum in Chriſti paſſione, anno XVIII. Tiberii, & Olymp. CCII. tertio perperam affixa, deſideratur. Sed a Petavio ad Pagium veniamus, qui in Critica Baron. ad annum Urbis DCCLXVII., & Olymp. CXCVIII. ſecundum, quem componit cum an. Chr. XIV., hæc habet num. VI. in margine: *Auguſti mors male ab Euſebio conſignata*, tum in textu: *Euſebius in Chronico Auguſti mortem anno præcedenti perperam conſignat. eam enim cum anno Abrahami* 2029. *connectit, qui Abrahami annus Kalendis Octobris anni Chriſti duodecimi inchoatur. quare cum Auguſtus die decimanona menſis Auguſti vita functus fuerit, mors ea ſecundum Euſebii ſententiam* ad

Digitized by Google

ad annum præcedentem pertinet: quæ cum sit falsissima, trium sequentium Imperatorum Chronologia in Chronico Eusebiano depravata. Sed falsus ipse est Pagius, qui non vidit Eusebium secum facere: nam anno ab U. C. DCCLXVII., cui ab omnibus affigitur Augusti mors & Tiberii initium, annus I. Olymp. CXCVIII. in cursu fuit usque ad solstitium æstivum, a quo demum iniit annus secundus. Itaque quem Pagius dicit προληπτικῶς annum secundum, Eusebius usque ad Augusti mortem, immo usque ad Kalendas Octobris primum nuncupavit, & ideo cum Augusti anno postremo comparavit; ab iisdem vero Kalendis secundum Olympiadis, ac Tiberii primum auspicatus est: quæ temporis notæ cum numero Abrahami MMXXX. prorsus conveniunt. Sed Pagius vel in ipso Apparatu in hunc scopulum offenderat, ubi cum num. LXVII. retulisset ex Josepho, Augustum regnasse *annis quinquaginta septem, sex mensibus, & diebus duobus amplius*, hæc de Eusebio addit: *Josephum sequitur Eusebius in Historia lib. I. cap. 9. ubi tradit, imperasse Augustum* septem & quinquaginta annis, *ubi menses & dies numerum illum excedentes negligit. Ex quo liquet, correxisse Eusebium in Historia quod in Chronico scripserat, Augustum nempe imperasse annis quinquaginta sex, mensibus sex, nisi in Historia annos incompletos pro completis usurparit; quod non existimo. Nam in Chronico Augusti mortem cum anno Eræ Dionysianæ decimo tertio per errorem copulat, quem cum Petavius aliique viri doctissimi non observarint, in Chronico Eusebii explicando non semel hallucinati sunt. quem errorem Eusebium in Historia correxisse, ob idque scripsisse, regnasse Augustum septem & quinquaginta annis existimo.* Vides rursus Eusebio in Augusti morte consignanda affictum errorem, qui tamen cum ex eo pendere dicatur, quod illam *cum anno Eræ Dionysianæ decimo tertio* copulaverit, Eusebio ea tribuuntur, quæ ipse neque dixit umquam, nec cogitavit. Quid enim ad Eusebium æra Dionysiana? Rectius dixisset Pagius ex propria sententia, Eusebium anno citius quam par erat, Augusti mortem consignasse in in Chronico, eo quod annum integrum, eumque postremum ejus imperii omiserit. Sane, cum persuasum Pagio fuerit, ab Eusebio recte consignatum Augusti initium, id quod supra num. 14. refutavimus, ex eo sequebatur, ut male, & citius quam par erat, ejus exitum notaverit, cum reipsa annum integrum omiserit ejus imperii. quod si, ut nos jam ostendimus, agnovisset, Cæsaris cædem & Augusti initium anno serius in Chronico collocatum, vidisset etiam ex anno illo in Augusti imperio decurtato, id commodi obvenisse, ut ejus mors tandem ad Chronologiæ leges adamussim responderet.

18. Sed quoniam a Pagio in laudatis verbis præterea dicitur, Eusebium, quod in Chronico de annis Augusti perperam scripserat, emendasse demum in Historia, videamus nunc quale illud, quantique momenti sit. Prius tamen, quid in eamdem sententiam, multoque apertius & confidentius inculcet ad an. Chr. XXXII. num. IV., in medium afferam. *Eusebius*, inquit, *in Chronico existimavit Christum anno Tiberii XVIII., Eræ vero Christianæ XXXI.*, (rursus heic *Eram Christianam*, seu Dionysianam Eusebio obtrudit) *passum esse; licet is Tiberii annus secundum veram de initio Tiberii sententiam, decimus tantum septimus esset, ut ipsemet Eusebius in Historia sua tandem agnovit. Ibi enim Augusto annos quinquaginta septem tribuit, cumque anno Eræ Dionysianæ XIV.* (en, chorda semper oberrat eadem) *mortuum supponit: Aliter itaque in Chronico, aliterque in Historia Eusebius de anno Christi emortuali loquitur; ideoque priorem*

senten-

sententiam, quæ Augustum anno Eræ Christianæ XIII. demortuum censebat, tamquam falsam rejicit. Sed videamus etiam, quid in Historia scripserit Eusebius, cujus hæc verba sunt, κατὰ πόδα latine reddita: *Idem vero* (Josephus) *in XVIII. Antiqnitatum anno duodecimo principatus Tiberii* (*hunc autem imperium suscepisse, cum Augustus septem supra quinquaginta annos imperasset*) *Pontium Pilatum procurationem Judææ accepisse auctor est.* Porro quæ ratio apparet, ut Eusebium in annis Augusti recensendis mutasse sententiam credamus? nam primum Josephi sententiam refert, non propriam: secundo ita refert, ut tamen omiserit *sex menses, & dies duos*, quos ille præterea addidit: adeo ut eumdem in suam potius sententiam trahere voluisse appareat, quam quod ipse in Chronico posuerat, emendare. Postremo in ipso Historiæ capite argumentum suppetit, quo Eusebium in priori sententia perstitisse ostendi possit: nimirum quum ea ratione arguit Acta quædam Pilati suppositititia fuisse, quod Christum passum perhiberent Tiberio Augusto IV. Consule, qui consulatus, inquit, *incidit in septimum ejus imperii annum*, ὃ γέγονεν ἔτους ἑβδόμου τῆς βασιλείας αὐτοῦ. Nam Tiberius Augustus IV. cos. fuit eo anno, quo ad solstitium usque æstivum in cursu fuit annus IV. Olymp. CXCIX., cui etiam anno in Chronico affigitur septimus imperii Tiberii annus; adeo ut, dum ea scriberet, Chronicum præ oculis habuisse videatur. Ceterum Eusebium non usquequaque sequutum Josephi, quas ipse tamen in Historia retulit, sententias, vel ex eo liquet, quod, quum hoc eodem capite semel & iterum dixerit, anno XII. Tiberii Pilatum Judææ Procuratorem factum, tamen non in Chronico tantum id in annum Tiberii XIII. rejecerit, sed & in proxime sequenti Historiæ capite quartum Pilati annum cum Tiberii XV. alligavit. Quæ cum ita sint, quisque facile per se videt, funditus ruere, tum quod Pagius tradidit de mutata & correcta ab Eusebio sententia in annis Augusti computandis, tum quæcumque huic fundamento superædificavit: quale est, quod supralaudato loco post pauca subdit, contra Petavium disputans. *Denique Patres, qui Christum anno Tiberii XVIII. crucifixum scripsere, nullo modo proleptice annum XVIII. Tiberii eum appellarunt, qui secundum Romanos decimus tantum septimus erat* (ita nimirum Petavius a nobis supra num. 16. productus, & refutatus). *Sed aliqui Eusebii in Chronico errorem sequuti* (nempe quem in annis Tiberii ipse sibi visus est deprehendisse, ob Augusti mortem uno antequam contigisse putabat, anno colleceitam) *Passionem Christi anno Eræ nostræ XXXI. alligarunt* (annus *Eræ nostræ*, sive Dionysianæ XXXI., concurrit cum anno secundo Olymp. CCII. usque ad æstatem, & cum XVII. Tiberii ad usque diem XIV. Kal. Sept. Recole quæ supra ex Pagio retulimus, scilicet: *Eusebium in Chronico existimasse Christum anno Tiberii XVIII., Eræ vero Christianæ XXXI. passum esse, licet is Tiberii annus secundum veram de initio Imperii Tiberiani sententiam, decimus tantum septimus ejus esset*, &c.: ex hac enim falsa suppositione pendent reliqua); *alii rectam Chronologiam amplexantes, annum decimum octavum Tiberii cum anno Eræ Christianæ XXXII. copularunt, eoque Christum passum scripsere. quam sententiam ipsemet Eusebius in Historia lib. 1. cap. 10., & lib. 10. de Demonst. amplexus est; cum iis locis scripserit, prædicationis Dominicæ tempus tres annos cum dimidio complexum esse. Unde cum anno XV. Tiberii Christum baptizatum Eusebius scribat, anno nempe Eræ vulgaris XXIX., manifestum est, quatuor cum Paschata in hac secunda opinione Christo attribuisse, licet in priori tria illi tantum assignaverit.*

uerit.

Digitized by Google

verit. In morte itaque Christi consignanda Eusebius varius est, & inconstans. Non vacat singillatim demonstrare, quam multa & magna errata cubent in his verbis, illo fere unico & falso argumento innixa, quod ex Eusebii Hist. lib. I. cap. IX. deduxit: nam quod præterea ex Hist. lib. I. cap. X. & ex Demonst. Euang. ducit in prioris confirmationem, nihil eum juvat: quod enim in his locis scripsit ille de tempore Euangelicæ prædicationis, est omnino conforme iis quæ in Chronico tradidit, ut supra a nobis demonstratum est. Præterea cum Eusebius volumen Demonstrat. Euang. multo ante quam Chronicum & Historiam ediderit, ut a nobis dictum est in Dissertat. *de duobus libris Chronicis Eusebii*, part. II. §. V. pag. 153; oporteret, ut bis sententiam mutasset Eusebius, & quod in Demonst. primum scripserat, repudiasset in Chronico, rursusque probasset in Historia. Sequitur autem ex dictis, ut Eusebius sibimet perpetuo constans fuerit tum in annis Augusti & Tiberii, tum in morte Christi consignanda.

19. Verum, quoniam satis, ut puto, constabilita a me sunt quæ de Eusebiana, in annis Olympiadum & Imperatorum in Chronico digerendis, methodo in superioribus tradidi, ex quibus omnibus id demum sequitur, ut in Christi morte consignanda Eusebius nulla ratione cum Phlegontis a se producti testimonio conciliari & componi possit, nisi illa in annum Tiberii XIX., & Olymp. CCII. quartum rejiciatur; restant nunc proponenda & excutienda, quæ ad eludendum ex Phlegontis eclipsi ductum argumentum a Petavio & Pagio excogitata fuerunt. Et ut a Petavio exordiamur, hic in verbis ex cap. XII. lib. XII. jam recitatis sibi quasi aditum aperuit ad ea tradenda, quæ demum cap. XXI. ejusdem libri de Phlegontis testimonio docet, Keplerum, ut postea videbimus, sequutus. Sane vidimus eum cap. illo XII. id agere, ut qui annus tertius Olymp. CCII. & Tiberii decimus octavus dicitur in Chronico, fuisse velit secundum Olymp., & Tiberii XVII.. Nunc quo hæc spectent, ex capite XXI. cognoscemus, quod inscripsit, *De solis admirabili deliquio, quod Passionis tempore accidit.* Nimirum objicit sibi primum eclipsin illam in annum IV. Olymp. CCII. incurrere: *Hanc enim anno quarto Olympiadis illius animadversam ex eo colligunt, quod id Phlegon Adriani libertus, & Olympiadum computator egregius scriptum reliquerit. cujus verba ex lib. XIII. primum Africanus; tum Eusebius ex eo descripserit in Chronico*, &c.. tum fatetur, *si anno quarto* ejus Olymp. *labente passus est Christus, necesse est, id anno æræ Christianæ XXXIII. contigisse*, quæ nimirum, ut nos persuasum habemus, vera sententia est. Videamus demum quibus eam machinis oppugnet. *Atqui*, inquit, *iidem illi Christiani Scriptores veteres, qui defectionem solis Christo patiente conspectam a Phlegonte atque Thallo Chronologis memoriæ proditam asseverant, Christum Dominum anno secundo vel tertio Olympiadis CCII. passum esse sentiunt. Sic Africanus lib. V. τῶν χρονογραφιῶν apud Eusebium lib. VIII. de Demonstr. & apud Hieronymum in cap. IX. Danielis. Quin & Eusebius ipse Chronico II., ubi Phlegontis verba producit, passionem ejusdem non anno IV. Olympiadis affixit, sed tertio; cui & annum Tiberii XVIII. apposuit.* Sed cum hunc annum statim, *ex methodo annorum Eusebii*, initio lib. IX. a se perperam stabilita, comparet cum anno *per. Julianæ* 4743, *quo ab autumno cœpit annus tertius Olympiadis CCII., perseveravitque usque ad autumnum anni per. Julianæ* 4744, *quo annus quartus init*; apparet ex Petavii sententia *annum tertium* apud Eusebium, reipsa secundum esse. Sed, quæ-

res, cur itaque in Phlegontis testimonio *anno quarto* legitur? Mox videbimus: nunc id videamus, ut Petavius pergat urgere argumentum ex Africani (de quo nos postea dicemus) & ex Eusebii, Hieronymique auctoritate petitum, hoc pacto: *Nunc illud respondeant velim, qui Phlegontis testimonio nos oppugnant, ecquid Africanum, Eusebium, Hieronymum, Phlegontis libros legisse putent? quod quia de Africano saltem negare non possunt; dicant porro quid in illis judicii fuisse censeant, si eum apud Phlegontem observassent horribilem solis eclipsin anno IV. Olympiadis CCII. contigisse, & eam esse vellent, quæ moriente Christo contra naturæ ordinem apparuisset; atque idipsum ethnici illius auctoritate suaderent; si hanc, inquam, non anno illi, quo iste scripserat, sed alteri tribuissent, satin' sanos illos arbitrentur? Quamobrem, ne tantum stuporis antiquis illis Patribus affingamus, propemodum fateri necesse est* (huc demum evadit tota hæc Petavii verborum circuitio) *Africani verba a librariis fuisse corrupta. cum enim scripsisset τῷ δευτέρῳ ἔτει τῆς σβ' Ὀλυμπιάδος, aut certe τῷ δ... ἔτει, extrita numerali notula, anagnostes Hieronymi τῷ δ' legit; hoc est* quarto. hisque in Notula quadam marginali postea addidit: *Philoponus lib. II. de Cosmop. cap. XXI. ita legit, ut nos.* Hoc nimirum pacto inter se conciliare sibi visus est Petavius Phlegontem & Africanum, tum cum utroque Eusebium, quibus etiam in confirmationem adjunxit postea Philoponum. Equidem si vera esset conjectura de vitiata in Phlegontis textu nota numerali, ita ut pro *quarto*, legendum esset *secundo* anno Olymp. CCII., conveniret omnino cum Africano, nec ab eis discordaret Eusebius, si vera itidem esset hujus ratio in annis Olymp. in Chronico ab autumno præcedenti deducendis, ut ille voluit. Itaque postremo concludit, Epiphanii etiam adjuncto calculo, his verbis: *Quare Epiphanii, aliorumque sententia, quæ Christum passum asserit anno II. Olympiadis CCII., Phlegontis testimonio consentanea magis est, quam ceterorum. Præsertim si anno Juliano LXXVI, periodi Julianæ 4744., id accidisse dicatur, quo secundus annus Olympiadis CCII. ab autumno superiore cœptus ex usu Syro-Macedonum & Græcorum Orientalium in cursu fuit.* Hæc tamen tanto apparatu & molimine a Petavio constituta, ea una ratione evertuntur, aut saltem admodum infirmantur, quæ apparet ex ipso græco Phlegontis & Eusebii textu a nobis num. 10. producto: neque enim in anagnosten Hieronymi refundi potest culpa vitiatæ notæ numeralis, quam græcus textus Eusebii apud Syncellum, immo etiam in Chronico Paschali egregie & constanter tuetur: ut omittam antiquam latinam ejus versionem ab Anastasio Bibliothecario curatam, quæ itidem præfert *quarto anno ducentesimæ secundæ Olympiadis*. Sed quoniam ex Petavii verbis locus adhuc superesset dubitandi, num Africanus apud Phlegontem legerit pro anno δ' seu *quarto*, *δευτέρου secundo*, eaque lectio a Philopono etiam agnita & asserta fuerit, de utroque fuse nobis erit disputandum. Sed prius, quid ad hæc Petvio reponat Pagius, & quid de eclipsi Phlegontis ipse statuat, videamus: una enim eademque opera utrumque refutabimus.

20. Agit de his fuse Pagius ad annum Chr. XXXII. num. XI. & tribus proxime sequentibus, cujus vestigiis insistemus, ut quoties cæspitaverit, Lectorem moneamus. *Restat hic explicanda*, inquit ille num. XI., *eclipsis, de qua in Annalibus num. CXX. — Tertullianus, Julius Africanus, Augustinus & Hieronymus, quos certum est Christum duobus Geminis Coss. passum existimasse, eam eclipsim Phlegontis auctoritate suadent, argumento manifesto eos Passionem eo anno consignasse, quo Phlegon illud solis deliquium.*

liquium. *Si enim Passionem altero*, *quam Phlegon eclipsim*, *collocassent anno*, *non mortem Christi miraculosam*, *quod intendebant*, *Gentibus persuasissent*, *sed seipsos ludibrio exposuissent*. Hæc prima sententia præteriri non potest sine aliqua castigatione: nam verum quidem est laudatos Patres de solis deliquio Christo patiente viso loquutos, sed falsum eos omnes aut saltem plerosque eam *auctoritate Phlegontis* confirmasse. Etiam Petavius cap. XXI. lib. XII. scripserat: *Hanc* (a Phlegonte memoratam eclipsin) *esse illam ipsam*, *quæ sub Christi mortem accidit*, *Patres omnes antiqui velut uno ore pronuntiarunt*. sed eo nomine reprehenditur a Tillemontio (1), qui uni ex Patribus S. Hieronymo dum Chronicum interpretaretur, & paucis aliis Ecclesiasticis scriptoribus Phlegontem nominatum observat in hac quæstione: inter quos sane neque Tertullianus, qui ad *archiva* (2) tantum Romanorum appellat, neque Augustinus, postremo, ut videbimus, neque Africanus sunt annumerandi. Sed ad Pagium redeamus. *Præterea*, inquit, *Julius Africanus seculo post Phlegontem vixit*, *hujusque opus de Olympiadibus libris 16*, *ut docet Suidas*, *comprehensum videre potuit*. *cum enim Phlegon Hadriano imperante*, *& Africanus Heliogabali tempore floruerit*, *vix mihi persuadere possum*, *nobilissimum illud Opus jam Africani ætate periisse* (id vero non conjectura tantum, sed certa ratione colligere potuisset ex Scriptoribus multo recentioribus, qui tamen ex eo opere nonnulla excerpserunt; id quod demum agnoscit num. XIV.). *Ex quo & sequitur*, *majorem huic quam reliquis*, *qui neque Opus illud viderunt*, *neque ita proximi Phlegonti vixerunt*, *fidem adhibendam esse*. (Hæc nimirum eo spectant, ut fidem elevent Eusebio scribenti eclipsin illam a Phlegonte anno IV. Olymp. CCII. adfixam fuisse.) *Africanus autem in Fragmento a Syncello pag 323 relato*, *ait Eclipsim a Phlegonte memoratam accidisse anno II. Olympiadis CCII.*, *quod etiam habet lib. 5.* τῶν χρονογρεφῶν *apud Eusebium lib. 8. de Demonstratione*, *& apud Hieronymum in cap. 9. Danielis*· Habetur quidem in laudatis duobus locis, qui reipsa unus sunt & ex uno eodemque textu ducti, Africanum Christi mortem collocasse in annum II. Olymp. CCII., sed nusquam illic dicitur *eclipsim a Phlegonte memoratam accidisse anno* illo. Sequitur Pagius: *Annus secundus Olympiadis CCII. anno æræ Christianæ XXX. exorditur*. *Unde Keplerus & Petavius*, *qui mortem Christi in annum XXXI. conferunt*, *Africanum sibi ce-*

cinisse

(1) Tillem. Nota XXXV. in J. Ch. Vitam. *Mais le P. Petau se sert d'une expression un peu forte*, *quand il dit que tous les anciens Peres ont prononcé unanimement*, *que l'éclipse marquée par Phlegon est ce qui arriva à la mort de nôtre Seigneur*. *Car je pense que tous ces Peres se réduisent à S. Jerôme qui traduit Eusebe*: *& si par les Peres il entend les auteurs Ecclesiastiques*, *celà ne s'étendra peutêtre pas à plus de quatre ou cinq*.

(2) Tertull. in Apolog. cap. XXI. *Eodem momento dies*, *medium orbem signante sole*, *subducta est*. *Deliquium utique putaverunt*, *qui id quoque super Christo prædicatum* (forte, *prædictum*) *non scierunt*. *&* *tamen eum mundi casum relatum in Archivis vestris habetis*. Tillemont. Not. XXXV. in J. Ch. Vitam non dissentit, quin his verbis Phlegontem indicaverit Tertullianus: *Tertullien*, inquit, *peut marquer le passage de Phlegon*, *lors qu'il renvoye les payens à leurs archives*. Annales coram Præside citavit etiam Lucianus Antiochenus Presbyter & martyr, apud Ruf. lib. IX. H. E. cap. VI., his verbis: *Requirite in Annalibus vestris*, *invenietis temporibus Pilati*, *Christo patiente*, *fugato sole interruptum tenebris diem*. Sed ex his locis nihil certi elici potest: neque enim Phlegon solus de ea eclipsi loquutus est, aut a Christianis unus Phlegon in testimonium contra Gentiles productus. Præterea etsi neminem ipse Tertullianus legisset, qui ejus deliquii meminisset, potuit tamen sibi persuadere, id alicubi haberi *in Archivis* scriptum, & ad posterorum memoriam propagatum.

einisse credunt; ille epistola XIV., hic lib. 12 de Doct. Temp. cap. 21. Sed uterque opinione falsus est: nam Africanus communes Olympiades integro biennio antevertit, primamque exorditur anno periodi Græco-Romanæ 4716, licet Olympias communis anno ejusdem periodi 4718 auspicetur. Quæ hic & infra tradit Pagius de Africani Olympiadum supputandarum ratione, falsa prorsus censeo: video enim eumdem sæpius communi more, & ex antiquorum calculo Olympiades recensere. unum ejus locum proferam ex lib. III., quod apud Eusebium habetur Præp. Euang. lib. & cap. X. *Cyrus Persicum regnum obtinuit, cum Olympias ageretur quinquagesima quinta*, ᾧ ἔτει Ὀλυμπιὰς ἦχθη νε, *uti ex Diodori Bibliotheca, Thalli & Castoris, nec non Polybii & Phlegontis historiis auferre licet* (ita Vigerus vertit; sed melius, *noscere, deprehendere licet*, ἔστιν εὑρεῖν) *aliisque præterea, qui Olympiadum seriem texuerunt: omnibus enim in eo tempore definiendo convenit. Cyrus igitur anno imperii sui primo, qui Olympiadis quinquagesimæ quintæ primus item annus erat*, &c. Itaque si alicubi secus putasse videtur ille, non eo factum est, quod initium Olympiadum biennio præverterit, sed quod nonnulla serius fortasse quam par erat, gesta scripserit: uti cum apud Syncell. pag. 308, quem locum in confirmationem producit Pagius, *dicit*, capta Alexandria *inchoatam fuisse CLXXXVIII. Olympiadem, licet anno Periodi Græco-Romanæ 5466, quo exeunte Augusto ea civitas capta, curreret tantum annus tertius Olympiadis CLXXXVII., si secundum communem opinionem supputatio fiat*. Nam eo ipso loco primum statuit *Alexandria capta primum Ægypti ducem Augustalem Cornelium Gallum missum fuisse*, tum Ægyptiaci regni finem cum anno IV. Olymp. CLXXXVII. componit; postremo subdit *post Alexandriam captam cœpisse Olympiadem CLXXXVIII.*: adeo ut anni forte unius μεταχρονισμὸς esse videatur, non biennii, ut ex postremo loco colligit Pagius, qui tamen ex eo concludit: *Quare Olympias Africana, sic enim in posterum id Olympiadis genus vocandum, biennio communem antevertit; adeoque annus secundus Olympiadis CCII., quo eclipsis a Phlegonte memorata ab Africano contigisse dicitur, non cum anno Christi XXXI., ut Keplerus & Petavius putarunt; sed cum anno ejusdem Eræ XXIX. conjungendus, quamcumque supputationem Phlegon sequutus fuerit: Africanum enim Olympiadem ab eo expressam modo sibi solito numerasse non dubitandum.*

21. Omittam quæ num. XII. addit Pagius de hoc modo peculiari Olympiadas putandi, quem confirmare conatur alio argumento ducto ex verbis cujusdam Chronici Anonymi latini, quod habetur in Antiq. Lect. Canisii: nam hæc minus ad nos spectant, & satis, ut puto, ex dictis refelluntur. Itaque persequamur quæ demum num XIII. disputat de Olympiadibus mendose expressis in Eusebio & in Africano. *Sed gravis*, inquit, *adhuc circa Olympiadis Phlegonteæ annum difficultas restat. Africanus enim apud Syncellum pag.* 308 (sed hic locus per errorem citatur loco illius qui pag. 323 exstat) *modo dicit, eclypsim accidisse anno II. Olympiadis CCII., modo anno IV. ejusdem Olympiadis.* Heic Pagium fefellit latina Goari interpretatio, quæ primum habet *Olympiadis* 202 *annum* 2, secundo *Olympiadis* 202 *anno* 4: quum tamen in græco textu utrobique legatur Ὀλυμπιάδος σβ' ἔτος δεύτερον, etiam apud Scaligerum, qui eumdem Africani locum refert in græcis Excerptis pag. 77. Atqui videbimus mox ex eo crasso errore totam Pagii pendere conjecturam. Sequitur ille: *In Chronico etiam Eusebii ad annum Abrahami*

2047

2047 *legitur*; Phlegon Olympiadum egregius supputator in 13 libro dicit: Quarto autem anno CCII. Olympiadis magna & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderant, defectio solis facta, *&c. Immo ipse Eusebius in eo Chronico eam non anno II. aut IV. ejusdem Olympiadis, sed III. illigavit, sicuti & Christi passionem. Ad hanc difficultatem Keplerus & Petavius laudati respondent, locum illum Chronici Eusebiani (Fragmentum enim Africani apud Syncellum non legerant, aut ad difficultatem animum non adverterant) corruptum esse, & loco* τῷ δευτέρῳ ἔτει τῆς σβ' Ὀλυμπιάδος, *uti scripserat Eusebius, Anagnostem Hieronymi legisse* τῷ δ', *hoc est* anno IV., *licet scriptum esset* anno II. *Verum*, pergit Pagius, *mendum non in anno, sed in Olympiade cubat* (contendit enim, ut videbimus, legendum esse in Africani textu, *anno IV. Olymp. CCI.*): *Africanus enim, ut in re gravissima ab omnibus intelligeretur, utramque Olympiades supputandi rationem usurpavit; cumque annus tunc quartus ducentesimæ primæ Olympiadis communis curreret, eam etiam numerationem amplexus est, scripsitque* σα' Ὀλυμπιάδος, *non vero* σβ' Ὀλυμπιάδος, *idest* anno quarto *Olympiadis ducentesimæ* primæ, *non vero Olympiadis ducentesimæ* secundæ. Hæc, ut dixi, omnia pendent ex mendosa Goari interpretatione, quare ne refutatione quidem indigent. Ceterum quisque per se videre potest, quam absonum sit arbitrari Africanum, quum veram Olympiadum computandi rationem nosset, uti maluisse alia sibi peculiari & vitiosa, prætereaque utramque uno eodemque loco usurpasse, nullo de ea re lectori indicio dato. certe non id eo inservisset, ut *in re gravissima ab omnibus intelligeretur*, sed ut sibimet ipse contradicere putaretur. Sed neque majoris momenti est, quod subdit: *Quod ex eo patet, quod in Fragmento apud Syncellum pag.* 324 *idem Africanus habet:* Anni ab Adam condito ad Christi adventum & ejus resurrectionem 5531 colliguntur. a qua temporis epocha ad Olympiadem CCL. anni CXCII. intercurrunt. *Is annus mundi 5531 secundum Alexandrinos, quos sequitur Africanus, absolvitur mense Martio anni Eræ vulgaris XXIX, quo & Passionem Christi Africanus consignat. Olympias ducentesima quinquagesima incipit anno Eræ Dionysianæ CCXXI, qui annus est Olympiadicus DCCCCXCVII., annus vero quartus Olympiadis CCI. est annus Olympiadicus DCCCIV.. unde si DCCCIII.* (leg. *DCCCIV.*) *addas annos illos CXCII. pervenies ad Olympiadem CCL. Numerat itaque ibidem Africanus Olympiades modo communi & ordinario; aliter non anni CXCII., sed CXCIV. a passione Christi ad Olympiadem CCL. fluxissent. Et quod ita intelligendus sit Africanus, liquet ex iis, quæ habet Syncellus pag.* 212, *ubi ait, ducentesimam quinquagesimam Olympiadem incidere in consulatum* Grati Severiani & Seleuci consulum creatorum, ad vulgarem annum mundi 5723, ut auctor est Africanus, qui Antonini Augusti fuit tertius. *Ubi vides Africanum initium Olympiadis CCL. anno Christi Dionysiano CCXXI. Grati & Seleuci consulatu notato consignare, sicuti opinio communis solet. quod si Africanus modo sibi proprio de ea Olympiade loqueretur, eamdem biennio antea exordiri scriberet. Sic Africanus modo dicit Christum passum anno Tiberii XV., modo anno XVI. ejusdem Imperatoris, ut annum mortis ejus magis manifestaret, ut jam dixi.* Non vacat quidem singula ad trutinam revocare, sed quæ potiora sunt tantum. Itaque ut ille confirmet quod jam dixerat, Africanum scilicet Christum passum statuisse anno IV. Olymp. CCI., ab ea Olympiade ad CCL. computat annos illos CXCII., quot sane sunt excluso utroque termino.

no. sed iisdem terminis connumeratis (1) eadem annorum summa colligitur etiam ab anno II. Olymp. CCII.: quem sane numerum, ut vidimus, unice posuit Africanus, quique egregie respondet anno XVI. Tiberii, quem itidem unice passioni Christi affixit ille tum apud Syncellum, tum lib. VIII. Præp. Euang. Eusebii, licet S. Hieronymus, eum locum interpretatus, posuerit XV., forte quod notas *ι* & *ς* confuderit, quarum prior *quinque*, posterior *sex* designat, sive alia quapiam de caussa.

22. Postquam vero Pagius ea qua diximus ratione suam sententiam satis constabilisse putavit, demum num. XIV. ostendere nititur, annum Olymp. quo eclipsis illa Phlegontea contigit, in Eusebio & aliis esse corruptum. sic itaque scribit: *Patet itaque Africanum, dum de eclipsi Phlegontea loquitur, scribere eam anno II. Olympiadis CCII., accidisse, utque rem magis explicaret, scripsisse postea eam contigisse anno IV. Olympiadis CCI. qui juxta communem supputationem cum anno Christi XXIX. concurrit; progressuque temporis erratum esse a librariis, & loco Olympiadis CCI. scriptum fuisse CCII., ac errorem illum vel ab Eusebio, vel ab Hieronymo derivatum fuisse in Chronicum Eusebianum, indeque in alios auctores* (2). Equidem si error esset in eis Chronici Eusebiani verbis, non ille S. Hieronymo, sed Eusebio omnino esset adscribendus. nam primum Hieronymus quædam quidem addidit, in Romana præsertim historia, sed non eam sibi licentiam usurpavit, ut ab auctoris sententia discederet, maxime in re tanti momenti, quæ totum Eusebii systema turbaret, & susdeque verteret: secundo, in Græco itidem Eusebii & Phlegontis textu apud Syncellum & alios, omnino legitur, ut in latinis Hieronymi & Anastasii versionibus, *anno quarto Olympiadis CCII.*: & quod magis valet, ex græcis ipsis verbis apparet eumdem Eusebium anno illi affixisse Christi mortem. Quid igitur? instabit quispiam: Africanus vulgatam, ut tu contendis, Olympiadum computandarum rationem secutus, passionem tamen Christi, atque adeo eclipsin Phlegontis aptavit anno II. Olympiadis CCII.; Eusebius contra anno IV. ejusdem Olympiadis: sequetur itaque, ut in eo ab alterutro peccatum sit: atqui ratio suadet, ut cum Petavio & Pagio potiorem fidem habeamus Africano, qui proxime post Phlegontem vixit, & ex quo forte, ut alia multa, ita Phlegontis quoque locus ab Eusebio descriptus fuerit. Quod enim paullo supra a te obiter dictum fuit, Africanum non usum Phlegontis auctoritate ad eclipsis illius portentosæ veritatem confirmandam, palam evincitur esse falsum ex ipsius verbis apud Syncellum pag. 322., quæ hujusmodi sunt, interprete Goaro: *Sane luna toto orbe radiante, ab hora diei 6. ad 9. usque integram solis eclipsim Tiberio Cæsare imperante contigisse narrat Phlegon; eam utique de qua nobis sermo*. Eja igitur ad difficilis hujus nodi solutionem tandem veniamus, idque eo audentiori animo, quod in hac quæstione prævivit, ac facem quasi prætulit nobis Tillemontius in erudita Nota, quam de solis deliquio in Christi morte viso attexuit Vitæ Jesu Chr., ex

(1) Scaliger in Animadv. pag. 234. contendit annum I. Olymp. CCL. illis Africani verbis comprehendi: sed non video qua ratione id certo statui possit, nisi hac una quæ ducitur ex an. II. Olymp. CCII., quo Christum passum statuit Africanus. At idem Scaliger in Notis ad Græc. Eusebii pag. 426., sibimet manifeste contradicit, & contrariam tuetur sententiam.

(2) Schelstrat. Antiq. Eccl. Diss. I. cap. IV. num. 10. in Pagii sententiam concedit, ejusque adeo verba transcribit.

ex qua ad verbum seorsum transcribemus (1) quæ huc spectant, ne eumdem sua laude fraudemus. Nostra itaque & Tillemontii sententia est, laudata verba in Africani textum intrusa fuisse, quum primum ab aliquo imperito in margine apposita fuerint. primum hujus conjecturæ argumentum esto, quod locus ille non concordat cum Phlegontis testimonio ad verbum laudato ab Eusebio & aliis post Eusebium: quin immo contrarium prorsus statuit iis quæ ex Phlegonte producit Origenes. Hic enim quum de Phlegontea illa eclipsi non semel verba faciat, tamen Tract. XXXV. (2) in Matthæum negat illum *significasse in luna plena* illam esse factam, quod e diametro opponitur verbis apud Syncellum

i t

(1) Tillem. Not. XXXV. in V. J. Chr. *George le Syncelle en citant un passage d'Africain auteur Chrétien du troisieme siecle, y fait entrer l'autorité de Phlegon, & lui fait dire*, pag. 322. d., *qu'il y eut sous Tibere une éclipse totale du soleil depuis midi jusqu'à trois heures dans la pleine lune. Mais aprés la maniere dont Eusebe, S. Jerome, Philopone, & la Chronique d'Alexandrie citent ce passage, & sur tout aprés ce qu'en dit Origene, il est visible que ce que nous y lisons dans le Syncelle, ne s'y lisoit point de leurs tems. Le même passage d'Africain est dans la Chronique d'Eusebe par Scaliger*, pag. 77., *& on y lit quelque chose de ce qui est dans le Syncelle, mais non la pleine lune, ni même le nom de Phlegon. Je n'aurois pas de peine à croire que la ressemblance d'* ἔκλειψις, *&* ἔκλειψιν *a fait sauter de l'un à l'autre dans cette édition. Mais il y a aussi bien de l'apparence que dans l'un & l'autre endroit, il faut lire tout d'une faite* ἔκλειψις ἀπεσημάνθη· τίς δ' ἡ κατασκευή, &c., *& que ce qui est entre deux dans le Syncelle, & en partie aussi dans Scaliger, est une addition faite à la marge par quelque personne peu exacte, qu'on a ensuite mise dans le texte.*

(2) Origenes in Matth. Tract. XXXV. ex persona gentilium apponit sibi: *Pone quia extra consuetudinem facta est illa defectio solis in tempore non antiquo, sub principatu Romanorum, ita ut tenebræ fierent super omnem terram usque ad horam nonam; quomodo hoc factum tam mirabile nemo Græcorum, nemo Barbarorum factum conscripsit in tempore illo, maxime qui Chronica scripserunt, & notaverunt sicubi tale aliquid novum factum est aliquando, sed soli hoc scripserunt vestri auctores? Et Phlegon quidem in Chronicis suis scripsit, in principatu Tiberii Cæsaris factum, sed non significavit in luna plena hoc factum.* Itaque Cl. Carolus de la Rue novissimus editor Opp. Origenis, in Notis ad lib. II. *n.* 33. contra Celsum, monet *errare aut fallere Africanum qui apud Syncell. pag.* 322. *habet*, &c. *Sane*, pergit, πανσέληνον *non meminisse Phlegontem diserte testatur Origenes*, 35. *in Matth.* &c., quæ ad verbum sumsit ex Fabricio Bibl. Græ. libro VI. cap. 13. Not. m. Eadem de caussa J. Whistonus, qui editis Anglica lingua Opusculis contra Sykesium Phlegontis testimonium acriter tuetur, ut colligo ex Biblioth. Britan. Tom. III. par. I. art. IV., conjicit in Africani textum irrepsisse ἐν πανσελήνῳ. Ceterum Origenes, ut eluderet argumenti contrarii vim, mavult ibidem, tenebras illas in Christi morte visas non in universo Orbe, sed Judææ peculiares fuisse: in quo nonnullos etiam ex recentioribus, sed non satis cautos, consentientes habuit. Idem tamen in libris contra Celsum, quos *sexagenario major*, teste Eusebio H. E. lib. VI. c. p. 36. scripsit, Phlegontis testimonium acrius urget contra adversarios: hæc enim habet lib. II. num. 33. *De solis autem defectione quæ accidit sub Tiberio Cæsare, quo imperante Christum crucifixum esse constat, deque motibus quibus tunc terra succussa est, Phlegontem opinor in tertio decimo vel decimo quarto Chronicorum libro injecisse mentionem*: gr. ἀνέγραψε καὶ Φλέγων ἐν τῷ τρισκαιδεκάτῳ ἢ τῷ τεσσαρεσκαιδεκάτῳ οἶμαι τῶν χρονικῶν. quæ ita vertenda videntur: *scripsit & Phlegon in XIII., aut, ut puto, XIV. Chronicorum.* Confer alium locum ex num. 14. ejusdem libri, ubi agens de excidio Jerusalem a Christo prævisto & prænuntiato, habet: Φλέγων μέντοι ἐν τρισκαιδεκάτῳ, ἢ τεσσαρεσκαιδεκάτῳ (οἶμαι) τῶν χρονικῶν, &c. quæ ita latine expressa leguntur: *Verumtamen Phlegon in XIII., aut, ni fallor, XIV. Chronicorum*, &c. Non itaque dubitavit Origenes, quin Phlegon de his scripserit, sed quo potius libro, XIII. an vero XIV. Postremo idem Origenes, ibidem num. 59., rem habens cum Judæo quodam a Celso laudato, qui eclipsin in morte Christi factam negaret, concludit: *Figmentum etiam esse putat terræmotum & tenebras. Sed ad hæc jam pro viribus respondimus in superioribus, ubi diximus hos eventus a Phlegonte consignatos fuisse tempore quo passus est Christus.* Hæc ibi Origenes de Phlegontea eclipsi. ceterum meminit Phlegontis & Tract. XXIX. in Matth., sed alia occasione.

ἐν παρασκευῇ. Præterea ex toto orationis contextu apparet locum illum fuisse intrusum, utpote qui non cohæreat ceteris, at contra si omittatur, superiora cum sequentibus concinne respondeant & arte connectantur. Quid plura? Cedrenus, qui ex Syncello descripsit quæ de eo solis deliquio scripserat Africanus, non agnovit tamen, neque inseruit adsumentum illud, utpote quod nondum in textum irrepserat. Juvabit itaque totum locum heic apponere, ut legitur tum apud Syncellum tum apud Cedrenum, ut Lector nullo suo incommodo utrumque simul comparare possit, & alium ex alio, ubi opus erit, emendare; quod etiam nos in Notis præstabimus.

Africani locus ex Syncello pag. 322 ed. Paris.

Ἀφρικανοῦ, περὶ τῶν κατὰ τὸ σωτήριον πάθος καὶ τὴν ζωοποιὸν ἀνάστασιν.

TO' δὲ καθ' ἕκαστον τῶν πράξεων αὐτοῦ, καὶ θεραπειῶν σωμάτων καὶ ψυχῶν, καὶ τῶν τῆς γνώσεως ἀποκρύφων (a), ἀναστάσεώς τε τῆς ἐκ νεκρῶν, αὐταρκεστὰ (b) τοῖς πρὸ ἡμῶν μαθηταῖς τε καὶ ἀποστόλοις αὐτοῦ δεδήλωται (c). καθόλου (d) τοῦ κόσμου σκότος ἐπείγετο (e) φοβερώτατον· σεισμῷ δὲ αἱ πέτραι διεῤῥήγνυντο, καὶ τὰ πολλὰ τῆς Ιουδαίας (f) καὶ τῆς λοιπῆς γῆς κατεῤῥίφη. Τοῦτο τὸ σκότος ἔκλειψιν τοῦ ἡλίου Θάλλος ἀποκαλεῖ ἐν τρίτῃ τῶν Ἱστοριῶν, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, ἀλόγως. Ἑβραῖοι γὰρ ἄγουσι τὸ πάσχα κατὰ σελήνην

Idem Africani locus ex Cedreno pag. 189 ed. Par.

TAῦτα Φλέγων φησὶ (1)· καὶ Ἀφρικανὸς δὲ ἱστορεῖ κατ' αὐτὴν τὴν ἡμέραν τοῦ πάθους σκότος καθ' ὅλου τοῦ κόσμου φοβερώτατον γενέσθαι· σεισμῷ τε αἱ πέτραι διεῤῥήγνυντο, καὶ πολλὰ τῆς γῆς κατεῤῥίφη. Τοῦτο τὸ σκότος ἔκλειψιν ἡλίου οἱ Ιουδαῖοι καλοῦσιν (2), ἀλόγως, ὡς ἐμοὶ καὶ τῇ ἀληθείᾳ δοκεῖ. Ἑβραῖοι γὰρ ἄγουσι τὸ πάσχα κατὰ σελήνην· πρὸ δὲ τῆς μιᾶς τοῦ πάσχα τὰ περὶ τὸν σωτῆρα συνέβη· ἔκλειψις δὲ ἡλίου τῆς σελήνης αὐτὸν ὑπελθούσης γίνεται· ἀδύνατον δὲ ἐν ἄλλῳ χρόνῳ, πλὴν ἐν τῷ μεταξὺ νουμηνίας καὶ

(a) τῶν τῆς γνώσεως ἀ) Lege τῆς γνώσεως τῶν ἀ.

(b) αὐταρκεστὰ τοῖς) Scalig. pag. 77 hunc locum referens, legit heic αὐταρκέστως, omisso τοῖς. sed legendum fortasse erit αὐταρκέστατα τοῖς, in superlativo gradu, ut apud Xenophontem; ab αὐταρκῶς. *sufficienter*.

(c) δεδήλωται) Nonnulla heic deesse manifestum est. confer Cedrenum.

(d) καθόλου) Leg. καθ' ὅλου, ut apud Cedrenum, & in Scalig. ed.

(e) ἐπείγετο) Scal. ἐπεγίνετο, quæ lectio confirmatur a Cedr.

(f) τῆς Ιουδαίας) Scal. omisit τῆς, ut infra τοῦ ante ἡλίου.

(1) ταῦτα Φλέγων φησὶ) Nimirum Phlegontis textum ante produxerat, iisdem tamen quibus apud Eusebium verbis.

(2) Pro Thallo historico gentili obtrudit nobis Cedrenus, seu potius indoctus aliquis librarius, Judæos. Thallum bis laudat Africanus apud Euseb. Præp. Eu. lib. & cap. 10.

Digitized by Google

λήνην (a) ιδ΄. πρὸ δὲ μιᾶς τοῦ πάσχα τὰ περὶ τὸν σωτῆρα συμβαίνει (b). ἔκλειψις δὲ ἡλίου σελήνης ὑπελθούσης τὸν ἥλιον γίνεται. ἀδύνατον δὲ ἐν ἄλλῳ χρόνῳ, πλὴν ἐν τῷ μεταξὺ μιᾶς (c) καὶ τῆς πρὸ αὐτῆς, κατὰ τὴν σύνοδον, αὐτὴν ἀποβῆναι. Πῶς οὖν ἔκλειψις νομισθείη, κατὰ διάμετρον σχεδὸν ὑπαρχούσης τῆς σελήνης ἡλίῳ; ἔςω δὴ (d), συναρπαζέτω τοὺς πολλοὺς τὸ γεγενημένον, καὶ τὸ κοσμικὸν τέρας ἡλίου ἔκλειψις (e) ὑπονοείσθω ἔν τι κατὰ τὴν ὄψιν (f). Φλέγων ἱςορεῖ ἐπὶ Τιβερίου Καίσαρος ἐν πανσελήνῳ ἔκλειψιν ἡλίου γεγονέναι τελείαν ἀπὸ ὥρας ἕκτης μέχρις ἐννάτης (g)· δῆλον ὡς ταύτην. τίς δ᾽ ἡ (h) κοινωνία σεισμῷ καὶ ἐκλείψει, πέτραις ῥηγνυμέναις, καὶ ἀναςάσει νεκρῶν, τοσαύτη τε κινήσει κοσμικῇ; ἐν γοῦν τῷ μακρῷ χρόνῳ τοιοῦτόν τι (i) συμβὰν οὐ μνημονεύεται· ἀλλ᾽ ἦν σκότος θεοποίητον, διότι τὸν Κύριον συνέβη παθεῖν. καὶ ὁ λόγος αἱρεῖ ὅτι ἑβδομήκοντα ἑβδομάδες εἰς τοῦτον συναιροῦνται τὸν χρόνον ἐν τῷ Δανιὴλ. κ. τ. λ.

καὶ τῆς πρὸ αὐτῆς, κατὰ τὴν σύνοδον, αὐτὴν ἀποβῆναι. Πῶς οὖν ἔκλειψις νομισθείη, κατὰ διάμετρον σχεδὸν ὑπαρχούσης τῆς σελήνης ἡλίῳ; ἔςω δὲ συναρμόζον πολλοῖς τὸ γεγενημένον, καὶ κοσμικὸν τέρας ἡλίου ἔκλειψις ὑπονοείσθω ἔκ γε τῆς κατὰ τὴν ὄψιν πλάνης· τίς δὲ ἡ κοινωνία σεισμῷ καὶ ἐκλείψει, πέτραις τε ῥηγνυμέναις, καὶ ἀναςάσει νεκρῶν, τοσαύτῃ τε κινήσει κοσμικῇ; ἐν γοῦν τῷ μακρῷ χρόνῳ τοιοῦτόν τι συμβὰν οὐ μέμνηταί τις· ἀλλ᾽ ἦν σκότος θεοποίητον, διότι τῇδε τῇ ἡμέρᾳ τὸν Κύριον συνέβη παθεῖν· καὶ ὁ λόγος ἀληθέςατος (1) καὶ χρόνος τοῦ σωτηρίου πάθους παρὰ Ῥωμαίοις μᾶλλον σεσημείωται· ἐν γὰρ τῇ Γεμίνου ὑπατείᾳ πεπονθέναι αὐτὸν ἐσημειώσαντο, ἥτις γέγονεν ἐν τῷ α΄ τῆς σβ΄ Ὀλυμπιάδος· Τεκμήριον δ᾽ ἂν γένοιτο, κ. τ. λ.

Sequi-

(a) κατὰ σελήνην ιδ΄) Scal. κατὰ σελήνης ιδ΄, male. Apparet autem perperam omissum apud Cedrenum numerum ιδ΄.

(b) συμβαίνει) Omnino placet legere συνέβη, ut apud Cedren.

(c) μιᾶς) Lege cum Cedr. νουμηνίας. Infra Scal. σύνοδον αὐτῶν, male.

(d) ἔςω δὴ, συναρπ., Scal. ἔςω δὴ. συναρπ. Nec melior videtur Cedreni lectio, ἔςω δὲ συναρμόζον πολλοῖς.

(e) ἔκλειψις) Scal. in utraque ed. ἔκλειψιν ἡλίου γεγονέναι τελείαν, ut infra, omissis quæ in medio erant, librarii errore.

(f) ἔν τι κατὰ τὴν ὄψιν) Plenior & melior Cedreni lectio.

(g) μέχρις ἐννάτης) Scal. μέχρις α΄, mendose.

(h) τίς δ᾽ ἡ κ.) Apud Cedr. & Scal. τίς δὲ ἡ κ.

(i) τοιοῦτόν τι) Scal. τοιοῦτό τι.

(1) Hæc & sequentia addita fuisse a Cedreno, nemo sane dubitabit: præsertim cum annus Olympiadis discordet ab Africani rationibus. Sic quæ incipiunt a voce τεκμήριον, ex Eusebio esse constat.

Digitized by Google

Sequitur interpretatio Goari editoris Georgii Syncelli, nec non Xylandri editoris Georgii Cedreni.

Ex Africano: de iis quæ in salutari Christi passione & vivifica resurrectione contigerunt.

GEsta sane illius singula, corporum animarumque curationes, prædicationis (a) resurrectionisque a mortuis recondita quæque secreta, discipulis Apostolisque illius nobis antiquioribus satis innotuere. Horribiles tenebræ orbi universo incubuere: petræ terræ motu discissæ, pluraque (b) per Judæam & regiones reliquas ædes in solum dejectæ sunt. Tenebras hujusmodi solis defectum vocat Thallus Historiarum libro tertio, & me quidem judice, nullo fundamento. Hebræi quippe luna 14 Pascha celebrant. At certe Paschalem solemnitatem die præeunte quæ Passionem spectant a Salvatore tollerata fuere: solis vero defectus nonnisi luna solem subeunte cernitur. Verum cum non alio temporis momento præterquam eo quod lunæ veteris diem ultimum & renovandæ primum contingit, in ipso nimirum utriusque sideris congressu eclipsim ingruere observemus, qua ratione censebitur eclipsis sole oppositam lunæ cæli partem tenente? Esto tamen. rapiat (c) post se quos volet, & inter alia toti orbi manifesta

HÆc Phlegon. Africanus etiam narrat, quo die Christus est supplicio affectus, tenebras admodum terribiles per totum mundum obortas, terræ motu saxa dirupta, multumque terræ prostratum. Eas tenebras Judæi solis defectum appellant, absurde id quidem (meo judicio) & repugnante veritate. Nam secundum lunæ motum Hebræi Pascha instituunt. pridie autem Paschatis Christus in cruce supplicium passus est. Jam solis defectus non fit, nisi cum eum luna subit: neque potest nisi in novilunio, cum luminaria coeunt, aut proxime, evenire. Quomodo igitur istæ tenebræ defectus solis fuerint, cum eo tempore luna pæne e regione soli opposita fuerit? Sed esto tamen id, quod multis probatum fuit: errorémque visus secuti, tenebras toti mundo injectas defectum solis putemus. Quid interim rei est defectui solis cum terræ motu, saxorum fissione, mortuorum in vitam reditu, ac tanta mundi commotione? certe nemo quisquam tale aliquid tanto temporis decursu

(a) *prædicationis*) Hæc & sequentia ita interpretanda esse putamus: *tum secretorum notitia, atque resurrectio ex mortuis, ab iis qui ante nos fuerunt discipulis & Apostolis ejus satis superque manifestata fuerunt.*

(b) *pluraque*) Omnino mendum est pro *pluresque*.

(c) Ego sic totum hunc locum interpretor: *Esto tamen, ut rei gestæ speciem plerique ducantur, & hoc mundi totius portentum ex oculorum errore pro defectu solis habeatur.*

festa unum hoc solis deficientis ex oculorum judicio portentum numeretur. Sane luna toto orbe radiante ab hora diei 6 ad 9 usque, integram solis eclipsimTiberio Cæsare imperante contigisse narrat Phlegon; eam utique de qua nobis sermo. Verum enimvero quæ (a) *tanta est cum terræ motu & eclipsi, diruptis saxis & resurrectioni mortuorum tantæque creaturarum omnium perturbationi societas? Certe longa retro annorum serie simile quid nulla reperimus accidisse memoria. Erunt* (b) *itaque novum Dei opus illæ tenebræ ipso Domino patiente exortæ. Septuaginta vero hebdomades*, &c.

su evenisse commemoràvit. Enim vero tenebræ erant a Deo creatæ, quod ea die Dominus moreretur. hæc est verissimà ṟatio (1). Exactius etiam tempus salutaris istius supplicii a Romanis est annotatum: evenisse nimirum Gemino Consule. Fuit hoc, primo anno Olympiadis ducentesimæ secundæ. Atque argumentum ei rei est, &c.

(a) *Quænam est congruentia cum terræ motu & eclipsi? cum petris diruptis & resurrectione mortuorum, & cum tanta creaturarum omnium perturbatione?*

(b) Legendum puto, *erant*.

(1) Hæc conjungenda videntur eum sequentibus, & ita forte vertenda. *Et verissima recensio*, seu *ratio*, *tempusque* &c.: nisi malis verba, καὶ ὁ λόγος, ad Africani sententiam pertinere, ut apud Syncellum habetur, qusm tamen Cedrenus imperfectam reliquerit, ipse autem addiderit ἀληθέστατος δὲ χρόνος, &c.

23 Ex supra allatis itaque inditiis, & potissimum ex utriusque textus comparstlone manifesto, nt mihi quidem videtur, deprehenditur, aliena prorsus esse ab Africano, & supposititia quæ ex Phlegonte apud Syncellum referuntur, ac proinde nullius auctoritatis & momenti. Præterea quum Thallum ille reprehenderit, quod tenebrss in Christi morte obortss *eclipsin* dixerit, quoniam hæc nonnisi in plenilunio, subeunte nimirum luna solem, contingere potest (quæ tsmen, ut ab Huetio aliquot productis antiquorum exemplis demonstratur, Euang. Demon. Propos. III. num. IX., acuta msgis quam solida objectio est, & tamen etiam a Tertulliano his verbis subindicats: *deliquium putaverunt, qui id quoque super Christo prædicatum*, seu *prædictum*, *non sciverunt*); qui nam eodem orstionis contextu Isudsset Phlegontem, qui & *eclipsin* itidem, nt ille, & hsnc tamen luna e diametro soli opposita fsctam dixerit? quamquam non id dixit Phlegon, ut ex Origene diserte colligitur. Restat itaqne, ut Phlegontem Africanus non produxerit una cum Thallo prodigiosæ illius eclipseos testem; & ut Eusebius non ex Africano, sed ex ipsomet Phlegonte descripserit, & quidem, prout ipse affirmat, ad verbum, quæ hic de mirando illo solis deliquio litteris mandaverat; proinde sincerum & minime ambiguum Phlegontis de tenebris moriente Christo obortis testimoninm in unius Eusebii Chronico hsbeamus. Sed de hoc rursus paullo infra. nunc priusquam Africsnum dimittamus, nonnullis difficultatibus quæ ex jam dictis suboriri possent, obviam Ire præstat. Quæri itaque primum possit, si uterque, Thallus & Phlegon, de eodem solis deliquio mentio-

 nem

nem fecit, & vocavit eclipsin, cur Africanus, hoc omisso, in priorem tantum invectus est? nam Phlegontis quoque libros ab Africano fuisse lectos non probabile tantum est, sed omnino certum ex ejusdem verbis supra num. 21. recitatis. Si quis vero conjiciat id propterea factum, quod Thallus alio quam Phlegon anno, & eo quidem qui cum Africani rationibus magis conveniret, eclipsin illam contigisse scripserit; sequi videbitur, alterutrum errasse: itaque quæri rursus possit, uter in ea recensenda erraverit? Præterea utervis erraverit, ab errore certe aut mendacio vindicari vix poterit Eusebius, qui utrumque ejus rei testem produxit: ita enim passim, nec immerito, accipiuntur hæc ejus verba: *Quo tempore etiam in aliis ethnicorum commentariis hæc ad verbum scripta reperimus: Solis facta defectio: Bithynia terræ motu concussa, & in urbe Nicæa ædes plurimæ corruerunt*; ut ad Thallum (1) referenda esse credantur. Ego itaque, ut in re obscurissima, ita opinor: nimirum, & Thallum & Phlegontem de eodem solis deliquio, & utrumque recte loquutum, ita tamen ut hic expresse notaverit contigisse illud anno IV. Olymp. CCII., prior autem, qui & post Phlegontem fortasse scripserit, Olympiadem illam in universum tantummodo expresserit. Sane si ita se res habuit, apparet cur non licuerit Africano provocare ad Phlegontem, a cujus rationibus, ut vidimus, integro biennio discordabat; contra licuerit Thallum pro sua sententia interpretari: apparet etiam, cur Eusebius (qui passum Christum ipso anno IV. ejus Olymp. statuit, ut nos contendimus) utrumque Scriptorem sibimet consentaneum cum haberet, utrumque etiam jure potuerit testem producere, Phlegontem quidem anno ipso Olympiadis quo is rem gestam tradidit, apposito; Thallum vero indefinite totam illam Olympiadem designans his verbis: *Quo tempore*, &c.

24. Sed ut ad Eusebium revertamur, quum hic omnium primus Phlegontis testimonium ab Origene tantum indicatum, ex ejus libris excerpserit, & ab interitu quem illi tandem passi sunt, vindicaverit, magnam apud eruditos & Ecclesiasticæ historiæ studiosos viros gratiam inivit, a quibus passim is Phlegontis insignis textus ex hujus Chronico depromtus describitur, & ad constabiliendum Passionis Christi annum tamquam certissimum argumentum usurpatur, paucis admodum contradicentibus, qui de naturali aliqua eclipsi loquutum Phlegontem contendunt: quorum tamen præcipua objecta obiter refutabimus, postquam ea perstringemus momenta, quibus Phlegontis fides & auctoritas nobis maxime probatur. Ac primum animadvertere oportet, quod tamen & alii jam præstiterunt, hunc Scriptorem alia præterea de Christo deque Judæorum rebus Chronico suo inseruisse, adeo ut minime mirum sit, si & tenebras Christo moriente obortas adnotaverit. Huc spectat Origenis duplex textus supra in Notis pag. 359 indicatus, quorum prior ex Tract. XXIX. in Matth. ita se habet: *Si autem oportet & de temporibus aliquid dicere, dicimus quoniam in Chronicis Phlegontis cujusdam dicitur (si tamen debemus & hunc quasi vera dicentem de templo susci-*

(1) Thallum numquam expresse nominavit, quod sciam, Eusebius, quod tamen fecerunt præter Africanum, de quo supra, S. Justinus Cohortat. ad Gent., & Theophil. ad Autolyc. lib. 1. ex Græcis, ex Latinis Tertullianus in Apolog., Minutius Felix in Octavio, & Lactant. Div. Inst. lib. I. capp. 13. & 23.

Digitized by Google

suscipere) quoniam circa quadragesimum annum a quinto decimo anno Tiberii Cæsaris facta est destructio Jerusalem & templi quod fuit in ea. Hunc vero locum minime prætereo quin diluam difficultatem quam nobis creat (1): nam a XV. Tiberii anno ad Hierosolymam captam anni duo & quadraginta numerandi sunt, ut ab Eusebio factum est in Chronico loco supra num. 5. a nobis indicato, & ante eum a Clemente Alexandrino lib. I. Strom., & ab Origene lib. 4. contra Celsum. Clementis verba sunt: *ἀφ' οὗ δὲ ἔπαθεν (κύριος) ἕως τῆς κατασκαφῆς Ἱερουσαλήμ, γίνονται ἔτη μβ', μῆνες γ': ex quo autem passus est Dominus usque ad subversionem Jerusalem, anni sunt XLII., menses tres:* Origenis autem: *τεσσαράκοντα γὰρ ἔτη καὶ δύο οἶμαι, ἀφ' οὗ ἐσταύρωσαν τὸν Ἰησοῦν, γεγονέναι ἐπὶ τὴν Ἱεροσολύμων καθαίρεσιν: quadraginta enim & duos annos ab eo tempore quo crucifixerunt Jesum usque ad destructionem Jerusalem intercessisse existimo:* quibus verbis etsi annus Tiberii XV. expressus non habeatur, aliunde tamen constat hos Scriptores eo anno imperii Tiberii passum Christum credidisse, postquam anno circiter uno prædicasset. Hinc vero fortasse sumenda est propositæ difficultatis solutio: nimirum, cum Phlegon a Christo passo ad eversionem Hierosolymorum computasset annos quadraginta, uti computavit etiam Euseb. H. E. lib. III. cap. 7., id Origenes ita ex proprio sensu interpretatus est, quasi idem Phlegon Christum passum tradiderit anno XV. Tiberii. Præterea exploratum est, Origenis Tractatus in Matthæum, quos latine tantum habemus, ab interprete interpolatos fuisse: adeo ut suspicari jure quis possit, hoc etiam loco ejus sententiam non satis accurate expressam ab eo fuisse: præterquamquod illud *circa quadragesimum annum* dictum videri possit pro *quadragesimo secundo*, qua ratione XV. Tiberii annus recte positus fuerit. Sed ad alterum & maxime insignem Origenis de Phlegonte locum transeamus, qui quidem, ut supra innuimus, habetur lib. II. contra Celsum, num. 14, his verbis expressus: *Φλέγων μέντοι ἐν τρισκαιδεκάτῳ ἢ τεσσαρεσκαιδεκάτῳ (οἶμαι) τῶν χρονικῶν, καὶ τὴν περί τινων μελλόντων πρόγνωσιν ἔδωκε τῷ Χριστῷ, συγχυθεὶς ἐν τοῖς περὶ Πέτρου ὡς περὶ τοῦ Ἰησοῦ (2), καὶ ἐμαρτύρησεν, ὅτι κατὰ εἰρημένα ὑπ' αὐτοῦ τὰ λεγόμενα ἀπήντησε. πλὴν κἀκεῖνος καὶ διὰ τῶν κατὰ τὴν πρόγνωσιν ἄκων ὡσπερεὶ οὐ κενὸν θειοτέρας δυνάμεως ἀπεφήνατο τὸν ἐν τοῖς πατράσι τῶν δογμάτων λόγον:* quæ ita latine reddita habentur: *Verumtamen Phlegon in XIII., aut, ni fallor, in XIV. Chronicorum, verum quarumdam futurarum præscientiam Christo tribuit, quamvis erret in nomine, Petrum pro Jesu appellans; testaturque accidisse quæ prædixerat* (seu potius, *testaturque quæ dicta sunt accidisse juxta ea quæ ipse prædixerat*): *qua re probat vel invitus sermonem quem ab auctoribus nostræ doctrinæ accepimus, non fuisse divina virtute vacuum.* Agit eo loco Origenes de excidio Jerusalem a Christo prævisio & prænuntiato, quare argui potest Phlegontem loquutum de Christi prædictionibus ad eamdem rem spe-

ctanti-

(2) Huetius in Not. ad Origen. Homil. XIV. in Hieremiam: *Minime autem stare potest Phlegontis Tralliani sententia, quem in Olympiadibus, sive Chronicis, scripsisse refert Origenes a XV. Tiberii anno ad Hierosolymæ ἅλωσιν quadraginta annos intercessisse.* In margine autem citatur, *Orig. Tract. 29. in Matth.*

(1) Legendum videtur, inverso verborum ordine: *συγχυθεὶς ἐν τοῖς περὶ τοῦ Ἰησοῦ ὡς περὶ (τοῦ) Πέτρου.*

ſtantibus (1): dolendum itaque nobis eſt ejus libros ætatem non tuliſſe, ex quibus tam præclara pro religione noſtra teſtimonia peti poſſent. Ceterum ad Phlegontem etiam referenda videntur, quæ Euſebius H. E. lib. II. cap. 7. tradit (2) de funeſto Pontii Pilati exitu, ex fide videlicet Græcorum Scriptorum, *qui Olympiadum ſeriem & quæ quibusque temporibus geſta ſunt, conſcripſere*, quoſque in Chronico, eamdem rem narrans, vocat *Romanorum Hiſtoricos*, ſeu ut eſt apud Syncellum, οἱ τὰ Ῥωμαίων συγγραψάμενοι. Pauca hæc Phlegontis fragmenta caſu veluti quodam ab interitu vindicata, eumdem produnt non incurioſum nec indiligentem in recenſendis rebus ad Judæos & Chriſtianos pertinentibus: quare multo magis retuliſſe eum par fuit eclipſin illam portentoſam, terræque motum, quæ duo eodem tempore non in Judæa tantum, ſed in remotis etiam regionibus animadverſa fuerunt. Quod autem eadem eclipſis notetur a Phlegonte, quæ ab Euangeliſtis, hæc potiſſimum evincunt: primum quod eo anno IV. Olymp. CCII. contigerit ut plenilunium menſis Niſam, atque adeo Paſcha, incideret in ſextam feriam: 2. quod eadem diei hora acciderit utraque eclipſis, ſexta nimirum: 3. quod ingens terræ motus utramque eclipſin ſit ſubſequutus: poſtremo, quod nulla anno illo quarto Olymp. CCII., quin immo nec ſecundo aut tertio, naturalis eclipſis fieri potuerit. Quam vero hæc valeant, quiſquis ſapit, ſacile dijudicare poteſt.

25. Verum enimvero qui Phlegontis teſtimonium oppugnare conantur, anno primo ejuſdem Olympiadis naturalem eclipſin accidiſſe obſervant, eamque ab ipſo deſignatam volunt: fruſtra tamen eo trahere moliuntur ejus verba, ut ex jam dictis ac mox dicendis patebit. Sane tradit Jo. Albertus Fabricius, de Phlegonte agens Biblioth. Gr. lib. IV. cap. XIII. num. IV., *Chronologicis quibuſdam difficultatibus permotos viros quoſdam doctiſſimos de alia eclipſi loqui Phlegontem exiſtimaſſe, ut præter Keplerum in Eclogis Chronicis, G. Jo. Voſſius II. 10. Harmoniæ Euangelicæ & noviſſime Sam. Baſnagius ad A.C. XXIX. 30. ſeq. & XXXIII. n. 118:* hos tamen non vacat ſingillatim refellere, tum quia id ab allis jam præſtitum fuit (adnotante ibidem eodem Fabritio, Nota n.: *Keplerum impugnat Huetius in Demonſtrat. Euangel. pag. 49; Voſſium amicus noſter Jo. Frickius, Diſſ. de tenebris tempore ſalutiferæ paſſionis Orbi ſuperfuſis. Lipſ.* 1692. &c. Sed Huetius non Keplerum tantum, ſed & Gerardum Voſſium laudato loco impugnat), tum potiſſimum quia omnes conten-

(1) Non poſſum probare Cl. Ed. *de la Rue* ὑπέχειν, qui hæc adnotaverit: *At Chriſtum dicit futura præſciviſſe: an quia excidium Hieroſolymitanum, aliaſque iſtius generis calamitates prædixit? cum iſtius libri ſint deperditi, hoc eſſet divinare.*

(2) Scalig. Animadv. pag. 181 ad num. MMLV. productis Euſebii verbis, hæc ipſe addit: *Ubi ſine dubio intelligit Phlegontem Hadriani Aug. libertum. Quæ Euſebii verba fere tota convertit Hieronymus cap. III. Habacuc:* Legimus in his qui de mirabilibus confecerunt volumina, & qui Olympiadas Græciæ ad noſtram uſque memoriam produxerunt, exponentes quid in ſingulis annis novi acciderit in mundo. *Vide numerum MMXLVII. ubi de Phlegonte agitur, & eadem verba Hieronymi a nobis producuntur.* Hieronymum quidem Phlegontem laudaſſe ſuadet, quod hic quoque περὶ θαυμασίων, ſeu *de mirabilibus* ſcripſerit: ſed cum addat *ad noſtram uſque memoriam*, de juniore aliquo Scriptore videtur intelligendus. nec veriſimile eſt Hieronymum Euſebii verba reddiſſe, præcipue quod agat ille de re omnino diverſa. Ceterum Phlegontem Euſebio laudatum conſentit etiam Tillem., de Judæorum excidio agens, §. X. *Euſebe dit que ceux qui ont écrit l'Hiſtoire Romaine par Olympiades, ce qu'il faut apparemment entendre de Phlegonte affranchi de l'Empereur Adrien, rapportent, que Pilate*, &c.

Digitized by Google

tentione & sollercia longe superasse mihi videtur, qui omnium postremus in eadem se palæstra exercuit, Sykesius quidam Anglus, scriptis vernacula ipsius lingua editisque Londini anno MDCCXXXII. & seqq. de hoc argumento quibusdam Opusculis (1). Porro eo spectasse apparet Sykesium, ut cum Keplero Phlegonteam eclipsin an. I. Olymp. CCII. affigeret: quod ut efficeret, expendit primum singillatim Patrum loca, in quibus agitur de ea eclipsi, concluditque demum non convenire inter ipsos nec in assignando anno quo facta sit, nec in aliis ejusdem adjunctis: sed quam id ab eo immerito affirmatum fuerit, videamus. Initium ducit ab Africano, ejusdemque locum integrum referens, ut apud Syncellum legitur, nonnullas in rem suam Observationes adjicit: quæ tamen omnia funditus ruunt, postquam a nobis demonstratum est, Africanum ne meminisse quidem in hac tota quæstione Phlegontis, sed a librariis fuisse intrusam quæ ad eumdem refertur sententiam. Transit secundo ad Origenem, ejusque urget locum ex Comm. in Matthæum, de quo itidem a nobis actum est obiter supra in Not. 2 ad pag. 359 (2): quaquam ipse quoque postea agnoverit Commentarium illud a latino Interprete male habitum, vitiatumque fuisse; Origenem autem in libris contra Celsum, de quorum sinceritate nemo umquam dubitavit, contraria prorsus adstruere, ac plurimum Phlegonti deferre. Succedit tertio loco Eusebius, quem tamen juxta vulgarem errorem putat eclipsin illam Christique mortem consignasse anno Tiberii XVIII.: hujus vero fidem elevare nititur tum ex Origenis in Matthæum loco, tum ex nonnullis ipsius Eusebii alucinationibus, quæ in eadem fere παρέργως occurrunt, quasque non ipsi suo loco indicavimus. Sed (ut de Origene jam dicta omittamus) satis superque se se tuetur Phlegontis testimonium ab Eusebio ad verbum descriptum, & sua peculiari temporis nota obsignatum. Ab Eusebio transit ille ad Hieronymum ejus interpretem, hujusque aliquot carpit errores, illum potissimum, quo Phlegontis eclipsin, atque adeo Christi mortem aptat anno III. Olymp., cum tamen in Phlegontis textu idem expresserit annum quartum: verum crassum adeo errorem non Hieronymo, sed ejus potius exscriptoribus imputandum censemus, de quo paullo infra. Omnium tandem postremus producitur Joannes Philoponus, a quo Phlegontis testimonium ita laudari asserit Sykesius, ut anno II. ejus Olymp. eclipsin consignaverit, quod factum etiam a Petavio supra num. 19 notavimus. Sed si Philoponus aliquando habet Β pro Δ, seu *secundo* anno pro *quarto*, alibi tamen nec semel, idque consentanee ceteris ejus rationibus præfert Δ: adeo ut mendum irrepsisse in ejus textum minime ambigendum sit, quod jam ab Huetio, Tillemontio, Fabricio & aliis observatum fuit.

Sed

(1) Vid. Biblioth. Britann. Gallice scriptam, Tom. 1. par. 1. art. 4. & Tom. 5. pag. 75.

(2) Origenem, & qui ejus sententiam memoria nostra propugnavit, Jacobum Hyacinth. Serry ex Ord. Præd. egregie confutavit Iosephus Averanius Lect. VI. & seqq de Christi passione, quem legisse non pigebit. Huetius etiam notavit in eo falsum Origenem, *qui quod apud Lucam, pro eo quod vulgo legitur*, καὶ σκότος ἐγένετο ἐφ' ὅλην τὴν γῆν ἕως ὥρας ἐννάτης, καὶ ἐσκοτίσθη ὁ ἥλιος: Et tenebræ factæ sunt in universam terram, usque in horam nonam, & obscuratus est sol; *exemplaria nonnulla habuerint*, καὶ σκότος ἐγένετο ἐφ' ὅλην τὴν γῆν, ἕως ὥρας ἐννάτης, ἐκλείποντος τοῦ ἡλίου: & tenebræ factæ sunt in universam terram, usque in horam nonam, deficiente sole; *supposita hæc opinatur ab Hæreticis ad depravationem sententiæ, ut reprehensionibus obnoxia essent Evangelia. Utcumque enim scripserit Lucas, eadem exsurget sententia; ab omni reprehensione tuta.* Hæc Huetius.

Sed de Philopono postea singillatim dicemus: nunc ut Sykesium pone sequamur (seu potius quam in Biblioth. Britan. T. III. part. I. art. IV. habemus ejus Opusculorum synopsin) postquam statuit Phlegontis auctoritatem ambiguam esse ac nullius momenti, eo quod minime inter se conveniant antiqui Scriptores qui recensitæ ab eodem eclipseos meminerunt; probare nititur haud esse verisimile illum de tenebris in Christi morte obortis esse loquutum: namque de naturali & communi eclipsi Phlegontem esse intelligendum eidem persuadent, 1. Vox ipsa ἔκλειψις, quæ apud Scriptores omnes veram & naturalem eclipsin designare soleat. verum præter illa quæ in contrarium producta ab Huetio fuerunt contra Vossium exempla, sufficiat monere Phlegontem non astronomum fuisse, adeoque ex vulgi opinione & oculorum judicio illam pro communi eclipsi habere potuisse, quæ tamen præter omnes naturæ leges accidisset: 2. Quod Phlegon non indicaverit eclipsin illam in plenilunio factam. verum ne in interlunio quidem factam asseruit, potuitque ille ut astronomiæ imperitus, id minime animadvertisse. præterea cum floruerit idem centum circiter post Christum passum annis, ejus eclipsis portentosæ memoriam ex aliorum scriptis haurire debuit, qui sane nec diem qua contigit notaverint, nec alias ejus insolitas circumstantias: itaque quod de ea scriptum ipse invenit, diligenter notare muneris sui esse duxit, ommittens, quod proprium erat astronomi, quærere utrum eo anno solis eclipsis contingere potuerit, nec ne. 3. Eclipsis & terræmotus juxta Phlegontem in Bithynia potissimum animadversa fuerunt, quum tamen tenebræ illæ prodigiosæ Judææ peculiares fuerint: 4. Idem Phlegon scribit stellas interdiu apparuisse, quum tenebræ Christo moriente obortæ a nubibus, seu aere condensato, originem habuerint; qua ratione ne stellæ quidem apparere debuissent. hæc duo argumenta ex Origenis in Matthæum sententia pendent, quam tamen supra refutavimus: 5. & postremo, Quod Keplerus observarit an. I. Olymp. CCII. die XXV. Novembris, (1) duabus circiter ante meridiem horis, visam reipsa in Asia eclipsin plenam, atque adeo conjecerit ille a Phlegonte primum scriptum τῷ δ' ἔτει indefinite, unde postea factum sit τῷ δ' δ' ἔτει. Sed quoniam Græcorum Scriptorum consuetudo fert, ut annum ipsum cujusque Olympiadis singillatim exprimant, mavult Sykesius, primum lectum fuisse A, hoc est *anno primo*, sed postea ejus loco irrepsisse Δ, hoc est *quarto*. Afferam quæ huic argumento reggerat Jo. Whistonus, qui, ut alibi diximus, Synesii sententiam refutavit: 1. Quum in Phlegontis textu ab Eusebio & aliis producto constanter habeatur *anno quarto* (idque consentanee ejusdem Eusebii, & ut videbimus, Philoponi quoque rationibus) non est cur temere, & contra ipsorum fidem *anno primo* legendum comminiscamur: 2. Phlegontem eo loco non esse loquutum de eclipsi quæ primo anno ejus Olymp. accidit, quoniam hæc juxta Kepleri calculos mane cœperat, & tribus ante meridiem horis ad summum apicem, seu totalem, ut vocant, immersio-

(1) Ita quidem præfert Biblioth. Britan. At Huetius carpit Keplerum, quod *memoratam illam a Phlegonte solis eclipsin in annum secundum rejecit Olymp. CCII., diem vero Novembris mensis vicesimum quartum*. Vides nos concordare neque in die, neque in anno. Sane quod ad annum spectat, Pagius quoque, loco supra a nobis num. 26. citato, cum Huetio consentit. Quibus Kepleri liber est præ manibus, litem hanc dirimeodam relinquimus.

mersionem jam pervenerat, quum contra eclipsis Phlegontea cœperit circa meridiem. Porro huic respondit primum Syxesius, Phlegontem in eo aliquot horarum spatio aberrare potuisse: deinde autem insignibus quibusdam Mathematicis in consilium adhibitis, comperit ejus anni eclipseos integram immersionem Hierosolymis & Memphi (1) fuisse conspicuam paullo post meridiem. Sed Whistonus aliud inde ducit argumentum, ut eam aliam esse statuat ab eclipsi Phlegontis: nempe, si linea centralis eclipseos anni I. Olymp. CCII. per urbes Hierosolymorum & Mempheos transibat, non potuit Nicææ in Bithynia, quæ urbs decem fere gradibus latitudinis ab ea linea distat, plena eclipsis videri, ita ut stellæ apparerent. quamquam, ut quod res est, libere dicam, Phlegon Bithyniæ & Nicææ meminit quidem quum de terræmotu loquitur, non item quum de eclipsi: adeo ut in medio relinquat, utrum ibidem, an vero alibi stellæ sint visæ. Sed his minutioribus quæstiunculis omissis, nisi prius, qnod caput est, demonstretur Phlegontem anno I., non IV. ejus Olymp. eclipsin adsixisse, frustra conjecturis & quibusdam quasi divinationibus ejus textus sollicitabitur.

26. Accedit autem jam dictis non leve momentum ex auctoritate Joannis Philoponi sæculi VII. scriptoris, de quo tandem nobis est agendum: Hunc quorumdam (2) opinio est, Phlegontem ipsum præ manibus habuisse, non autem ex Eusebio aut alio quopiam hausisse, quæ de Phlegontea eclipsi refert: quin immo Gerhardus Joannes Vossius affirmare non est veritus, eum aliis quam apud Eusebium verbis testimonium illud conceptum legisse: ad Vossium enim referenda puto, potius quam ad Huetium, quæ leguntur apud hunc, ejusdem Vossii sententiam refellentem: *Philoponus quoque, libro secundo de mundi creatione, Phlegontis testimonium longe aliis conceptum verbis repræsentat ac Eusebius*. τούτου τοῦ σκότους, *inquit*, μᾶλλον δὲ τῆς νυκτὸς ταύτης καὶ Φλέγων ἐν ταῖς Ὀλυμπιάσιν ἐμνήσθη· λέγει γὰρ ὅτι δευτέρῳ (*lege* τετάρτῳ, *ut legit ipse Philoponus pagina sequente*) ἔτει τῆς διακοσιοστῆς δευτέρας Ὀλυμπιάδος ἐγένετο ἡλίου ἔκλειψις οὐκ ἐγνωσμένη πρότερον: Harum tenebrarum, vel hujus potius noctis meminit & Phlegon in Olympiadibus: ait enim anno quarto ducentesimæ secundæ Olympiadis contigisse eclipsin solis, cujusmodi nulla ante cognita est. *quæ nequis apud ipsum Philoponum mendosa putes, subjicit*: ὅτι δὲ τῆς ἐν τῷ καιρῷ τοῦ δεσπότου Χριστοῦ γενομένης τοῦ ἡλίου ἐκλείψεως, καὶ οὐχ ἑτέρας ἐμνήσθη καὶ Φλέγων, πρῶτον μὲν ἐκ τοῦ λέγειν μὴ ἐγνῶσθαι τὴν τοιαύτην ἔκλειψιν τοῖς πρότερον χρόνοις, ἐστὶ δῆλον: Meminisse autem Phlegontem ejus eclipseos, quæ contigit

(1) Quoniam Mempheos mentio incidit, non abs re erit monere obiter, nos nullam in hac tota quæstione rationem habuisse Dionysii Areopagitæ, qui in Epist. VII. quæ est ad Polycarpum, mira narrat de eclipsi Christo moriente a se & ab Apollophane Sophista Heliopoli Ægypti observata: nempe, *tunc ambo juxta Heliopolim præsentes simul & adstantes, mirabili ratione soli lunam cuincidere cernebamus (neque tamen tempus conjunctionis erat) ipsamque rursus sub horam nonam vespertinam diametro soli opposito supernaturaliter constitui*, &c. Nobis enim cum doctis viris persuasum est, epistolas illas potissimum, sed & ceteraque sub nomine Areopagitæ feruntur, scripta, pseudo-epigrapha & apocrypha esse.

(2) Tillem. extrema Nota XXXV. in J. Ch. Vitam hæc de Philopono habet: *Ce Pere a eu raison de ne pas citer Philopone* (de Petavio loquitur, quem tamen supra vidimus in Notula quadam Philoponum pro se testem produxisse) *quoiqu'on y lise la deuxième année: car peu de lignes après on y lit deux fois* la quatrieme: *& le raisonement que Philopone fait sur celà, montre que c'est effectivement ainsi qu'il a voulu mettre: ce qui est une grande preuve qu'il faut lire de même dans Phlegon. car Philopone paroît parler sur l'original, & non sur le passage cité par Eusebe ou par quelqu'autre*. In margine citatur *Philop. l. 2. cap. 21. p. 88. & 87.*

git cum Christus Dominus de cruce penderet, & non alterius, liquet primum ex eo quod ait superioribus cognitam non esse eclipsin hujusmodi. *quæ si germana Phlegontis lectio est, eclipsin quidem vocaverit solis defectum hunc, sed cui eclipsi nunquam similis contigerit*. Quam heic sive Vossius, sive mavis Huetius, notat discrepantiam (1), in eo unice sita est, ut quod apud Eusebium habetur μεγίστη τῶν ἐγνωσμένων πρότερον, a Philopono lectum videatur μεὶ, sive οὐκ, ἐγνωσμένων πρότερον. quod librariorum ne oscitantia factum fuerit, vocem μεγίστη truncantium, an vero Philoponi memoriter Phlegontis textum recitantis lapsu, incertum omnino est: Sed neque hinc satis argui potest a Philopono Phlegontem ipsum lectum fuisse: utrum autem id ex toto ipsius contextu colligatur, eorum sit judicium, quibus ejus Commentarii in Hexaëmeron, seu *in Mosaicam Mundi creationem* editio unica & rarissima, a Balthasare Corderio Viennæ in Austria an. MDCXXX. curata, in promtu est: nobis enim non licuit esse tam beatis, ut illam, licet sollicite conquisitam non Veronæ tantum sed & in proximis urbibus, uspiam inveniremus: propositum autem animo habebamus, colligere omnia quæ ad Phlegontem, & ad eclipsin ab eo recensitam a Philopono eo in opere (2) traduntur, ut omnibus mature expensis, quod tandem certum aut maxime probabile ex iis exculpi posset, dijudicaremus. Nunc quoniam fontem ipsum adire non licet, rivulos consectari, indeque aliquantulum sitim nostram explere interim curabimus, quoad alicunde Philoponi textum impetremus. Quod itaque observatione maxime dignum ab aliis, præter jam allata, de Philopono notatum comperio, est, Phlegonteam eclipsin ab ipso adfigi anno imperii Tiberii XIX. (3); imperii autem Tiberii initium, ex eodem Phlegonte, anno II. Olymp. CXCVIII. (4): quod si revera ita se habet, omnino constare videtur Joannem Philoponum hæc

(1) Sykesius, si fides est Biblioth. Britann. Tom. III. pag. 204 & seq., ita ex Philopono Phlegontis verba refert, ut nulla appareat discrepantia: *il y eut la plus grand Eclipse de soleil qu' on eut vuë*: eadem fere iterum & tertio repetuntur.

(2) Fabricius Biblioth. Græc. lib. V. cap. 38. de Philopono agens, notat ab eo laudari Phlegontem ἐν ταῖς Ὀλυμπιάσιν pagg. 88. 89. 90. 217. 269. Idem lib. IV. cap. 23. tradit de Phlegontea hac eclipsi agere Philoponum lib. II. 21. & III. 9. in Hexaëm.

(3) Joannes Malala Chronograph. lib. X. Phlegontem inducit hanc eclipsin anno Tiberii XVIII. consignantem: *περὶ οὗ σκότους συνεγράψατο ὁ σοφώτατος Φλέγων ὁ Ἀθηναῖος, οἷς τὴν ἰδίαν αὐτοῦ συγγραφὴν ταῦτα. Τῷ ὀκτωκαιδεκάτῳ ἔτει τῆς βασιλείας Τιβερίου Καίσαρος ἐγένετο ἔκλειψις ἡλίου μεγίστη πλεῖον τῶν ἐγνωσμένων πρότερον· καὶ νὺξ ὑπῆρχεν ὥρᾳ ἕκτῃ τῆς ἡμέρας, ὥστε καὶ τοὺς ἀστέρας φαίνεσθαι: Harum autem tenebrarum in scriptis suis meminit sapientissimus Phlegon Atheniensis, hisce verbis:* Anno regni Tiberii Cæsaris decimo octavo, eclipsis solis erat maxima, qualem priora secula videre nullam. Hora enim diei sexta nox erat tanta, ut etiam stellæ apparerent. Hæc ex Malala: sed opportune adnotavit Edmundus Chilmeadus (ad illa πλεῖον τῶν ἐγνωσμένων πρότερον) *πλεῖον hoc loco redundat. Ceterum ipsa Phlegontis verba non producit Auctor noster, quæ tamen habes apud Eusebium Chronici lib. 1. Cum tamen alii Phlegontem hunc Trallianum appellent, unde noster Atheniensis dictus est? Phlegontem enim illum, qui Hadriani libertus erat, qui Olympionica & Chronica scripsit, hoc loco intelligere eum, non est quod dubitemus.* Ceterum quam sæpe in Auctoribus laudandis, & in ipsa Historia caespitet Malala, satis compertum est.

(4) Biblioth. Britan. Tom. III. pag. 208 & seq. *Eusebe, qui cite les propres paroles de Phlegon, lui fait dire τῷ Δ. ἔτει, la quatriéme année. S. Jerome allégue les mêmes termes, & il ne se trompe qu' en ce qu' il croit que cette* quatriéme année *coincidoit avec l' année 18 de Tibere: dans la Chronique d' Alexandrie les mêmes mots,* la quatriéme année, *sont repetés deux fois. Philoponus à la verité dans un endroit met au lieu d' un Δ. un B., c' est à dire la seconde année; mais il est facile de s' appercevoir que c' est ou une méprise dans Philoponus, ou une faute des Copistes, puisqu' il*

Digitized by Google

hæc non ab Eusebii Chronico, sed ab ipso Phlegonte hausisse; quamvis etiam Eusebius in his consentiat eum utroque, si, ut a nobis est factum, emendetur ex græcis libris error qui in latinos ejus codices irrepserat. Horum tamen quæ de Philopono tradidi, fides sit penes auctores: neque enim quidquam de re minus comperta pronuntiare ausim. Ex dictis tamen satis colligi potest, quam præpropere & temere de hoc Scriptore judicaverit Pagius, quum vix paucis ejusdem verbis apud Huerium, puta, aut alium quempiam lectis hæc scripsit ad annum Ch. XXXII. num. XIV. *Quoad Joannem Philoponum, qui lib. 2. de Mundi creatione ait:* Harum tenebrarum meminit & Phlegon in Olympiadibus: ait enim anno secundo ducentesimæ (supple, *secundæ*) Olympiadis contigisse eclipsin solis, cujusmodi nulla cognita est; *nihil certi ex eo deduci potest, non solum quia is Auctor non antiquus, cum Justino juniore imperante floruerit, sed etiam quod pagina sequenti dicat*, anno quarto. *Porro* Olympicorum & Chronicorum Collectio *edita a Phlegonte Tralliano adhuc exstabat nono Ecclesiæ sæculo, quo Photius in sua Bibliotheca cod. XCVII. se quinque illius libros legisse asseris, ex qua & aliqua decerpsit. Incertum tamen an XVI. libri, quibus ea Collectio constabat, Philoponi ætate adhuc omnes superessent.* Sane si nono sæculo Photius nactus est codicem, in quo quinque priores libri perscripti habebantur, cur dubitemus quin etiam reliqui in aliis forte codicibus adhuc superstites essent, ne dum Philoponi ætate, qui ineunte septimo sæculo floruit? Neque quidquam valet, quod hic *auctor non antiquus* sit, puta ut Africanus & Eusebius: nam si, ut admodum probabile videtur, præ manibus habuit Phlegontis codicem, certo scire potuit quoto is anno & cujus Olymp. illam eclipsin referret. Omitto ut Pagius *annum secundum* legere maluerit, quamvis ex Huetio & aliis scire posset veram lectionem esse *quarto*.

27. Itaque ut quæ de Phlegontea eclipsi pluribus disseruimus, aliquando concludamus, non ea inservit tantum emendando latino Chronico, in quo affigitur perperam anno Tiberii XVIII., sed etiam constabiliendo ipso anno Christi pro nobis in crucem acti: qua ratione a doctissimis & Chronologiæ peritissimis viris passim usurpatur. Duos tantum ex his commemorabo, Jacobum Usserium & Henricum Dodvvelum, ipsorumque productis sententiis huic disputationi coronidem imponam. Usserius itaque in Chronico ad annum æræ Christ. XXXIII. quo & ipse Christum passum statuit, de Phlegontea eclipsi hæc inter extra habet: *Phlegontis verba, ad annum Tiberii XIX. (ut notat Eustathius Antiochenus* (1) *in Hexaëmeron) & Olympiadis CCII quartum (eumdem ipsum videlicet annum, in quo jam sumus) sunt hujusmodi:* Ἐγένετο ἔκλειψις, &c.: Dodvvelus autem Differt. 1. in Irenæum §. 46. *Passus est* (Dominus) *pro rationibus eclipsis, cujus meminit Phlegon* (2) *Trallianus* (*quæ nota*

il tache de prouver par ce même passage de Phlegon, que l'Eclipse dont il parle, aussi-bien que la mort de Jesus Christ arriva la 19 année de Tibere, qui coïncide avec la quatriéme, & non pas avec la seconde de la 202 Olympiade, & qu'il ajoute, Phlegon dit que Tibere commença à regner la seconde année de la 198 Olympiade: si donc nous comptons depuis le commencement du regne de Tibere jusqu'à la quatriéme année de la 202 Olympiade, nous trouverons à peu près 19 ans, sçavoir 3 de la 198 Olympiade, & 16 des 4 autres. On ne sçauroit croire que tous ces Auteurs ayent copié simplement Eusebe; Phlegon étoit un Auteur estimé & entre les mains de tout le monde.

(1) Supra monuimus, Eustathium Antiochenum pro Joanne Philopono Alexandrino per errorem heic laudari.

(2) In ora infima paginæ habetur, *Apud Philop. in Gen.*: Confer quæ de Philopono diximus paullo ante.

nota est mortis omnium certissima) *anno IV. Olympiad. CCII.,Tiberii XIX., Æræ vulg. XXXIII., Urb. cond. DCCLXXXVI.*: eadem fere habet & inculcat verba Differt. IX. de Cyclis, §. 39.

28. Reliquum modo est, ut de latino Eusebii Chronico dicamus, & quæramus utrum S. Hieronymo ejus interpreti adscribenda sit quæ in eo occurrit interpolatio, quamque vidimus supra insignibus aliquot Scriptoribus crucem fixisse, & in varios gravesque eosdem pertraxisse errores. Illud sane constat labem illam, undecumque demum orta sit, ab ipsa pæne Hieronymi ætate latino Chronico inhæsisse: nam MSS. codices, nemine excepto, omnes in ea exhibenda, quam vitiosam hactenus demonstravimus, lectione concordes reperti sunt: & quod magis urget, Scriptores nonnulli Hieronymo fere æquales eamdem agnovisse apparet. Non levia tamen sunt rationum momenta, quæ ab ipso Hieronymo culpam hanc amoliantur, quarum licet nonnullas obiter & sparsim in decursu hujus Dissertationis jam attigerimus, nunc tamen simul omnes complecti & recensere opportunum fuerit. Ac primum illud probe advertendum est animo, quod de se ipse scribit deque sua interpretatione Hieronymus in epistola ad Vincentium & Gallienum: *Sciendum etenim est*, inquit, *me & interpretis & scriptoris ex parte officio usum, quia & græca fidelissime expressi, & nonnulla quæ mihi intermissa videbantur, adjeci, in Romana præsertim historia, quam Eusebius hujus conditor libri non tam ignorasse, utpote eruditissimus, quam, ut græce scribens, parum suis necessariam perstrinxisse mihi videtur*. Si itaque *græca fidelissime expressit*, & nonnulla quidem se adjecisse ab Eusebio prætermissa *in Romana præsertim historia* (*quæ*, ut ipse ait, *de Tranquillo* (Svetonio) *& ceteris illustribus Historicis curiosissime excerpsi*) nihil tamen se mutasse aut correxisse commemorat; nec potuit nec debuit indicta caussa Christi passionem a sua sede removere, & ad præcedentem annum traducere. Præterea ex ejus Commentario in Danielem satis liquet, eumdem in ipsa Christi mortis epocha recedere nihil voluisse ab Eusebii placitis: nam quæ de tempore quod Christus proseminando Euangelio impendit, ab Eusebio in Præparationis Euangel. Opere tradita & a Hieronymo in eo Commentario perstricta fuerant, idem confirmat ex Chronico a se in latinam linguam transfuso: eadem porro in Præpar. Euang. tradidit Eusebius ac postea in Chronico, ut suo loco declaravimus: itaque ne Hieronymus quidem secus ab eo sensit aut scripsit. Denique quis sibi persuadeat Hieronymum adeo hebetem fuisse aut negligentem, ut Christi mortem anno illi affixerit, cui præter Eusebii textum, aperte etiam contradiceret Phlegontis testimonium, idque ad verbum ab eo latine expressum? neque tamen animadverterit eam quæ inde emergebat, apertissimam contradictionem? Huc accedit quod, quum idem in libro de Viris Illustribus, seu in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, quædam temporum intervalla a Christi passione repetat, Chronici certe vestigiis insistens a se jam latinitate donati, ea multo melius eidem Chronico conveniant, si anno Tiberii XIX. Christi mors affigatur, quam si præcedenti: quamquam Petavius lib. XII. de Doct. temp. cap. XII. eadem pro sua sententia interpretetur, quæ, ut vidimus, Christum passum statuit anno illo, cui reipsa respondet annus Tiberii XVII. & Olymp. CCII. secundus. Nam quum scripsisset: *Eadem & ceterorum Patrum opinio fuit, qui Eusebio auctore, decimo octavo Tiberii anno mortuum affirmarunt esse Dominum: nam* προλαπτικῶς *octavum decimum appellarunt, qui Romanis decimus septimus putabatur*, de quibus dictum est a nobis supra;

statim

statim addit: *Hunc nos annum Dominicæ Passioni ab Eusebio, Epiphanio, Hieronymo, aliisque auctoribus præfinitum, valde cum historia consentire in Epiphanianis Animadversionibus ostendimus. Exempli caussa Paullus Apostolus anno XXV. post passionem Domini, idest secundo Neronis anno, Romam vinctus mittitur, ut scribit Hieronymus in Catalogo, ex Eusebii Chronico.... Rursus idem Hieronymus auctor est, Petrum & Paullum Romæ pro Christo interfectos esse anno post passionem Domini tricesimo septimo, anno Neronis XIV.* &c.: quæ omnia fere ad verbum repetit in Ration. temp. Par II. lib. & cap. IV. Equidem si ab anno secundo & a decimo quarto Neronis numerare retrograde incipias in Chronico, invenies annum vicesimum quintum & tricesimum septimum concurrere cum Tiberii XIX., cui Christi passionem affixam dicimus, a quo nimirum numerandi initium duxisse oportet Hieronymum. Eodem pacto, quum in ejus libri cap. IX. scriptum sit Joannem Euangelistam *sexagesimo octavo post passionem Domini anno mortuum*, si in Chronico a Tiberii XIX. numeres ad Nervæ secundum, cui Joannis obitus affigitur, hunc ab illo sexagesimum octavum annum esse deprehendes. nec secus computare par est, quod ibidem cap. II. de S. Jacobo dicitur: *triginta itaque annos Jerosolymorum rexit Ecclesiam, idest usque ad septimum Neronis annum*: nam a Tiberii XIX. quo episcopus est ordinatus, ad ejusdem Tiberii XXIII. & ultimum, sunt anni quinque, quibus additi quatuor Caligulæ, Claudii XIV. & Neronis VII., erunt omnes anni XXX., licet non absoluti. At Petavius hæc fere exempla in suæ sententiæ confirmationem usurpans, licet ea ex Chronico, ubi nimirum singula adnotata habentur, a Hieronymo sumta viderit, tamen in iis interpretandis aliam prorsus quam quæ in Chronico, insistit viam, ac proinde contra Hieronymi atque Eusebii mentem interpretatur. *Primus*, inquit, *annus Neronis iniit anno Juliano XCIX., Urbis DCCCVII. ergo secundus Neronis cœpit anno Juliano centesimo. si igitur de* 100 *detrabas* 25, *supererit annus Julianus LXXVI. quo passio contigit, Dionysianus XXXI.* cetera ad eumdem modum. Sed vide quæso, erudite Lector, quantum discordet hæc Petavii ratio a rationibus Eusebianis. Annus ab U. C. DCCCVII., & Julianus XCIX. concurrit cum anno I. Olym. CCVIII. usque ad solstitium æstivum, & deinceps cum anno ejusdem Olymp. II. Verum cum Claudius Neronis præcessor obierit III. idus Octobris ejus anni, eodemque mense, currente jam, ut diximus, anno secundo Olymp. CCVIII. Nero regnare cœperit; Eusebius tamen primum annum Neronis componit cum anno III. ejus Olymp., ducto, ut alias, ab Octobri proxime secuto verum anni Olympiadici initium: neque id perperam ex ipsius methodo. Nam cum, ut supra num. 26, ipsis etiam productis Petavii & Pagii verbis, notavimus, Eusebius annos Imperatorum ab anno Abrahamitico, qui proxime sequitur prædecessoris obitum, incipere soleat; annum II. ejus Olymp. integrum Claudio assignavit, quoniam Octobri, qui mensis illi erat anni caput, jam excurrente Claudius diem extremum obiit. Porro ex dictis demum sequitur, ut IV. annus Olymp. CCVIII., idemque secundus Neronis, in Chronico expressus, inceperit anno Juliano centesimo primo circa autumnum, & ad autumnum itidem sequentia anni Juliani pervenerit. Et quoniam eodem anno IV. Olymp. refert Eusebius, *ut Festus in gubernatione* (Judææ) *successerit Felici, apud quem præsente Agrippa rege Paullus Apostolus religionis suæ rationem exponens, Romam vinctus mittitur;* sequitur ut nonnisi circa finem

nem ejus anni Eusebiani Paulus Romam missus fuerit, ac proinde ut solverit ex Palæstina anno Juliano CII. fere medio, cum jam inivisset, aut proxime initura esset Olympias CCIX.: quæ omnia concordant cum iis quæ de tempore ejus navigationis dicuntur in Actis Apost. cap. XXVII. Numera igitur ab anno IV. Olymp. CCII., quo verno tempore passus est Christus juxta Eusebii Chronicum, ad usque IV. itidem annum Olymp. CCVIII. prope exactum, invenies hunc ipsum esse a passione Domini annum vicesimum quintum, nec non Julianum CII., non autem, ut voluit Petavius, Julianum centesimum, sed nec centesimum primum, uti demum esse oporteret, si juxta latini Chronici codices Christi mors anno III. Olymp. CCII. & Tiberii XVIII. congrueret. Reliqua, si libet, ad eumdem modum expendito.

29. Hæc mihi occurrunt argumenta, quibus admodum probabile, ne dicam prorsus certum sit, Hieronymum in interpretando & ordinando illo Chronici loco nihil omnino discessisse ab Eusebii rationibus. quod si ita se res habet, reliquum erit, ut interpolatio illa postea irrepserit; scribarum ne oscitantia, an deliberato consilio, definire non ausim: nam utrumque probabili aliqua ratione adstrui posset. Quid? quod ipse Hieronymus prudenter prævidit monuitque utrumque passim in illo Chronico eventurum, cum scripsit in Præfatione: *Nec ignoro multos fore qui..... calumniabuntur tempora, convertent ordinem, res arguent, syllabas ventilabunt, &, quod accidere plerumque solet, negligentiam librariorum ad Auctores referent. quos cum possem meo jure repercutere, ut si displicet, non legant; malo breviter placatos dimittere, ut & græcorum fidem suo auctori* (Eusebio videlicet) *adsignent, & quæ nova inseruimus, de aliis probatissimis viris libata cognoscant*: quibus verbis rursus protestatur Eusebii textum summa fide a se latine redditum, adeo ut de eo nulla jam supersit dubitandi ratio. Unum est, de quo adhuc dubitari possit, nimirum num Hieronymus sequutus fuerit codicem græcum, qui eo loco depravatus esset? Sane alia fortasse exempla non deerunt, quæ hanc suspicionem fulciant: nam & Vallarsius in Præfat. Tom. VIII. pag. XIII. Scaligeri criminationes in Hieronymi interpretationem diluens, scribit: *Sed & alia caussa est, ob quam nobis excusari S. Interpres debet; nullus est enim Eusebianum exemplar alicubi inemendatum, ut manifesto indicio unius alteriusve loci constat: neque ei licuit pro temporis angustia facere librariæ diligentiæ periculum.* Accedit quod non latini tantum de quibus paullo infra, sed & græci aliquot sequioris tamen ætatis Scriptores passum Christum anno Tiberii XVIII. pronuntiant, quod ex Eusebiano Chronico mendoso hausisse videri possint. ex. gr. Joannes Malala Chronograph. lib. X. pag. ed. Oxon. 309 traditum morti Dominum scribit τῷ ὀκτωκαιδεκάτῳ ἔτει τῆς βασιλείας τοῦ αὐτοῦ Τιβερίου Καίσαρος, καὶ μηνὶ τῷ ζ', quæ Chilmeadus reddit: *Anno XVIII. & mense VII. imperantis Tiberii*; sed melius, *Anno XVIII. imperii Tiberii Cæsaris, mense vero septimo* ejus anni, ex Antiochenorum nimirum & Orientalium fere omnium more ab autumno seu Septembri mense deducti, quem & paullo infra *Martium* expresse nominat. Idem Malala pag. seq. eumdem annum *decimum octavum* Tiberii Phlegontis textui inseruit, ut supra in Not. pag. 370 monuimus. Eodem pacto Auctor Homiliæ in illud Evangelii: *Exiit edictum a Cæsare Augusto*, quæ sub nomine Chrysostomi circumfertur, semel & iterum dicit Christum ad passionem & crucem venisse *anno decimo octavo Tiberii*. Hæc tamen & alia quæ præterea addi fortasse possent,

exem-

Digitized by Google

exempla non tantum apud me valent, ut persuadeant hos auctores Chronicum potius Eusebii, quam alium quempiam græcum Chronographum in eo sequutos: nam & supra num. 4. vidimus, Cedrenum anno itidem Tiberii XVIII. Christi mortem adfigere, qui tamen dum Eusebii sententiam laudat, annum ejusdem Imperatoris XIX. exprimit. ut omittam Anastasium Bibliothecarium multo posteriorem Hieronymo, ipsosque adeo Syncelli codices qui adhuc exstant, germanam Eusebii lectionem exhibere.

30. Quod itaque nunc reliquum est, videamus quid in Eusebio-Hieronymiano Chronico legerint, aut legisse videantur Scriptores latini, qui proxime post Hieronymi interpretationem & deinceps floruerunt. Horum agmen ducit Sulpicius noster: & apud hunc quidem legitur Christum passum *anno regni* Herodis Tetrarchæ *octavo & decimo*, qui nimirum in Chronico concurrit eum anno itidem XVIII. Tiberii. Verum enimvero non levis suppetit ratio dubitandi, pro *octavo & decimo*, seu XVIII., legendum esse XVIIII., ut fusius disseruimus Dissert. I. pag. 280., ad quam Lectorem brevitatis studio amandamus. Paullo infra videbimus in MS. quodam Orosii ab Havereampo laudato, numerum XVII. mutatum fuisse in XVIII., ut cum Chronico Hieronymiano concordaret: qua ratione & apud Severum numerus XVIIII. transformari potuit in XVIII., atque exinde *octavo, & decimo* confingi. Sequitur Orosius, qui cum non secus ac Sulpicius multa mutuatus sit ex illo Chronico ad rationem temporum spectantia, videri etiam possit annum Christi emortualem indidem hausisse: habet autem Orosius lib. VII. cap. V. Christum se obtulisse passioni anno Tiberii *decimo septimo*, uti quidem præferunt editiones recentiores, & uti legitur etiam lib. VII. Hist. Miscellæ ex Eutropio & Orosio præcipue conflatæ. Huic lectioni confirmandæ accedit Gregorii Turonensis auctoritas, qui lib. I. H. F. cap. XXII. habet: *A captivitate vero Hierosolymæ & desolatione templi usque ad passionem Domini Nostri Jesu Christi, id est usque ad Tiberii septimum decimum annum, supputantur anni DCLXVIII.* Sane si hæc, uti quidem videtur, germana lectio est Orosii, Gregorii Turonensis & Historiæ Miscellæ, oportet fateri mirum in modum jam inde ab initio corruptam fœdatamque fuisse Hieronymianam Chronici versionem (1), adeo ut in nonnullis codicibus Christi mors, non uno tantum, sed duobus, antequam par fuerat, annis collocaretur: neque enim aliunde quam ex eo Chronico annum illum Christi passione memorandum habuisse Orosium conjicere possumus, qui ex eodem fonte alterum itidem insignem Christi nativitate annum duxerit, quum scripsit lib. VI. cap. 22. *Augusti Cæsaris, posteaquam imperare cœperat, emenso propemodum XLII. anno, natus est Christus.* Sed quoniam in Nota f pag. 337 obiter monui antiquas aliquot Orosii editiones pro XVII. habere XV., suspicari quis possit hanc potius sinceram esse lectionem: quare de ea nonnulla dicenda sunt. Ac primum mirari subit, Sigebertum Havercampum, qui Orosii textum ad MSS. aliquot codices & ad antiquas edd. exactum se se dare profitetur, nullam tam insignis variantis mentionem fecisse, sed neque, cujus Adnotationes ille propriis inseruit, Franciscum Fabricium Marco-

(1) Sane Pontacus ipse magnam eo turbationem deprehendit, ut ex ejus Adnot. scire licet. Chronici loco in MSS. varietatem & per-

Marcoduranum: ad hunc enim spectant pleraque ex iis quæ in laudata Nota retuli sub ipsius Havereampi nomine: nimirum, *Numerum hunc* (XVII.) *reliquimus, quamvis non sine caussa Eusebium sequuntur plures, qui passionem Christi in Tiberii annum XVIII. confert.* quibus demum Havereampus hæc subdidit: *Annus XVIII. invenitur in Lugd. Batav. quarto.* Verum non una tantum Veneta editio, quam ibidem nominavi, sed & aliæ duæ a me in Muselliana Bibliotheca repertæ (nimirum altera Veneta an. MID., & ambarum certe antiquior alia, sed sine nota (1) temporis & loci) summo consensu exhibent *anno XV.*, non autem XVII.: quæ sane editiones non ignotæ Havercampo fuerunt, nam de ipsis aliisque ejusdem fere ætatis agit in epistola ad Lectorem,

(1) Neque annum neque locum præfert hæc editio, in forma folii, ut reliquæ duæ, impressa; *Vicentiæ tamen prodiisse inter eruditos constat*, ut Havercampus monuit, qui pluribus disserit de ejusdem typographo *Hermanno Coloniensi*, cui cognomen *Levilapis*, sive germanice *Liechtenstein*. Huic debemus primam editionem Statutorum Veronensium, quæ in calce *accuratissime facta* dicitur *in urbe præclara Vicentiæ . . . non atramento, nec plumali calamo, neque stilo* (sic) *æreo. Sed artificiosa quadam mirabili adinventione imprimendi, seu caratherizandi* (sic). *Hoc opus sic effigiatum impressum est per Hermanum Levilapidem Coloniensem. anno Dni M. CCCCLXXV. die vero Mercurii. XX. mensis Decembris. in vigilia Sancti Thomæ Apostoli. AMEN.* Itaque ab eo tempore & deinceps hic complores libros impressit Vicentiæ potissimum, tum Venetiis, inter quos Orosium: quam sine editionem Fabricius, Biblioth. med. & inf. latin., eidem anno, sed ut puto perperam, assignat: *Vicentiæ 1475 per Hermanuum de Colonia.* Porro ut constet cui hanc editionem, & hic atque ex ipsa postea fere ad verbum expressas debeamus, apponam primum quæ e regione primæ paginæ habentur litteris Romanis seu majusculis:

Sciat velim, humanissime Lector, ÆNEAM VULPEM Vicentinum Priorem Sanctæ Crucis, adjutore Laurentio Brixiensi, Historias Paulli Orosii, quæ continentur hoc codice, quam accuratissime potuit, castigasse; cui non improbando sane labori si quid ex ingenio suo vel melius vel aptius addendum putabit, id honore ejus integro faciat, obsecro: quod est non ingrati animi officium.

In calce vero Voluminis hæc itidem leguntur de Ænea:

Bartholomæus Pajellus Eques Vicentinus
in P. Orosium.
Ut ipse titulus margine in primo docet,
Orosio mihi nomen est.
Librariorum quidquid erroris fuit,
Exemit ÆNEAS mihi:
Meque imprimendum tradidit non alteri,
Hermanne, quam tibi soli.
Hermanne nomen hujus artis & decus,
Tuæque laus Coloniæ.
Quod si situm Orbis, sique nostra ad tempora
Ab Orbis ipsa origine,
Quisquam tumultus, bellaque & cædes volit,
Cladesque nosse, me legat.

Hi perelegantes versiculi, suppresso tamen nomine Auctoris, habentur etiam in posterioribus Venetis an. 1483, & 1499; omissis quatuor illis qui ad typographum spectant: contra omnes habentur, sed interpolati, in editione quadam a Fabricio laudata his verbis: *Ab Hittorpiana quoque diversam puto Basilensem sine anni notatione fol. apud Leonhardum Basileensem ab ÆNEA quodam recensitam, cujus hallucinationes quasdam castigat Jo. Clericus parte 3. Artis Criticæ pag. 261. seq. testatus eam prodiisse diu ante finem Seculi XV. eamque habere se collatam a patruo suo Davide Clerico cum Manusc. Genevensi. Versus ad calcem Voluminis: Ut ipse titulus, &c.* ut supra: sed pro *Hermanne* ibi legitur *Leonharde*, & pro *Coloniæ*, *Basilea*. Sed quis demum Æneas ille Vicentinus fuerit, docet nos Jo. Baptista Pajarinus Vicentinus Historicus, qui eodem sæculo floruit, quique libro IV. Hist. a se latine scriptæ, sed ineditæ, hæc habet: *Tacendus quippe non est Baptista Vulpes, quem in Gymnasio Bononiensi Humanitatis studia legentem vidimus. A Pio postea S. P. Sanctæ Crucis Prior factus est in Vicentia, eique suum pristinum nomen impressit ÆNEAS. Is certe latinarum litterarum doctissimus fuit: de cetero vero vocatus est non Baptista, sed Æneas.* Porro idem Pajarinus hæc de Bartholomæo Pajello eodem lib. IV. *Pajella domus prætereunda quidem non est: in ea enim nostro tempore duo fulserunt lumina, Gujelmus & Bartholomæus Equites aurati, & Oratores insignes, qui cum quovis in omni genere dicendi certare possent.* Tum lib. VI. *Non minoris ingenii Bartholomæus Eques, ac Ludovici Equitis filius, cujus versus & Virgilio & Tibullo æquari possunt.* Ferunt in Biblioth. PP. Teatinorum Vicentiæ asservari in quodam MS. hujus Pajelli carmina, quæ sane typis vulgare operæ pretium foret.

Digitized by Google

rem, easdemque a se collatas asserit. Apparet itaque Orosii codices eo loco inter se discrepantes esse: mihi tamen illa potior videtur lectio quæ præfert *anno XVII.*, tum quia hæc occurrit in plerisque & iis emendatioribus editionibus, quales par est esse recentiores; tum quia eamdem Paullus Diaconus in Historiam Miscellam transfudit; tum vero potissimum quia fulcitur testimonio Gregorii Turonensis, qui vel Orosium vel ipsum potius Chronicum sequutus, eumdem exhibet numerum. Alia vero lectio vel eo nomine suspecta mihi fit, quod intrusa videatur ad Augustini & aliorum Latinorum Patrum mentem, qui passum Dominum statuebant duobus Geminis consulibus (1) & anno Tiberii XV.

31. Verum enimvero anno XVIII. Tiberii mortem Christi in plerisque latinis Chronici codicibus ab ipsa propemodum Hieronymi ætate fuisse affixam, persuadet ac prope evincit Prosperi Aquitani testimonium, qui in suo Chronico integro, juxta tamen codicem quem præ manibus habuit Bucherius, hæc disertis verbis tradidit, apud eumdem Bucherium cap. XII. Comment. in Canonem Paschalem Victorii: *Quidam ferunt anno octavo decimo Tiberii Jesum Christum passum: & argumentum ejus rei ex Evangelio assumunt Joannis* (observa ipsa fere Eusebii verba ex Hieronymi versione produci) *in quo post XV. Tiberii Cæsaris annum triennio Dominus prædicasse intelligatur. Sed quia usitatior traditio habet, Dominum nostrum XV. anno Tiberii Cæsaris duobus Geminis Coss. crucifixum; nos sine præjudicio alterius opinionis successionem sequentium consulum a supradictis consulibus ordiemur juxta hanc traditionem.* Lectionem hanc agnoscit quoque Labbeus in Auctario, Tom. I. Biblioth. novæ MSS. pag. 44., (2) & ex eo Jacob. Basnag. & novissimus editor Opp. S. Prosperi. Idem tamen Labbeus, qui primus edidit integrum Prosperi Chronicum in eadem Biblioth. nova MSS., aliam longe diversam, immo huic e diametro oppositam sententiam in textu dedit, quæ tamen ipsa in eo cum superiori conspirat, ut Christi mortem non in annum XIX. Tiberii, sed XVIII. juxta Hieronymi, ut videtur, Chronicum conjiciat: ita enim habet. *Quidam putant Dominum nostrum Jesum Christum XV. anno regni Tiberii Cæsaris, id est duobus Geminis Coss., crucifixum, quo anno secundum indubitabilem Lucæ Evangelistæ auctoritatem baptizatum eum esse manifestum est, & Evangelium regni cælorum prædicare cæpisse. Secundum vero Joannis Evangelium festivitati Paschæ Judæorum ter Dominum interfuisse agnoscimus, ut appareat tertium fuisse illud Pascha, quod verus Agnus suo sanguine consecravit: proinde consules quidem a manifestatione Domini, idest Rufino Gemino & Rubellio Gemino Coss. incboamus, sed tertios ab iis consules Domi-*

(1) Tacitus in V. Annal.: *Rubellio & Fusio Coss., quorum utrique Geminus cognomentum erat.* Hæc adnotare placuit, ne cui impostorom fiandi sit vox *Geminus*, uti fuit Viro doctissimo scribenti: *Erano Consoli in Roma Lucio Rebellio, e Cajo Rufo* (vides in prænominibus quoque mendum esse) *che per esser nati ad un parto, volgarmente eran chiamati i Gemelli*: pag. 106. Tom. XXII. Opusculorum Collect. Caloger., Venetiis 1740.

(2) Apud Labbeum nonnullæ occurrunt variantes sed minoris momenti, inter quas tamen hæc postremo loco admodum insignis habetur: *successiones sequentium consulum a suis consulatibus ordiemur, manente adnotatione temporum, qua cujusque imperium habuit.* Apparet *suis* mendose positum pro *supradictis*, idque ex compendiosa scribendi forma. Quæ sequuntur, spectant ad annos Imperatorum, quos ut antea, pergit postea Prosper indicare.

Dominicæ passioni adscribimus, sequentes quod auctoritas tradidit & ratio. Utramque hanc lectionem sinceram esse MSS. auctoritas suadet: quare sententiam in eo mutasse Prosperum dicendum est. neque enim assentior Basnagio, qui hanc alteram lectionem non ab ipso Prospero, sed *vel ab amanuensi, vel a critico quodam* profectam censet (1): quum tamen vel ipse ejus pericopes stilus se se Prosperianum satis prodat, & nihil minus quam interpolationem suboleat.

32. Sed non ita facile definiri possit, utra ex his duabus Prosperiani Chronici sententiis posterior, atque adeo germana sit, & auctoris mentem magis referat. Conjici sane posset Victorium Aquitanum in Prosperi Chronico legisse, Christum passum sub duobus Geminis; quum & ipse in Canone Pasch. hanc sequatur sententiam, & in Præfatione ad eumdem Canonem hæc habeat: *Passum autem Dominum nostrum Jesum Christum peractis V. CC. XXVIII. annis ab ortu mundi, eadem Chronicorum relatione monstratur: quod gestum incohante XXVIIII. anno non potest dubitari.* Annus ille ab Orbe condito ductus juxta Eusebianum Chronicum, in Tiberii XV. incidit: sed cum Eusebius tres saltem post annos Christi mortem consignaverit; reliquum esse videtur, ut Prosperi Chronicum seu *Chronica*, peculiariter designet in allatis verbis Victorius (2). Porro hic scribebat anno vulgaris æræ CCCCLVII., biennio tantum postquam Prosper Chronicum suum, quod ad annum usque CCCCLV. perduxit, absolverat. Quid igitur? dicemus hunc postea mutasse sententiam? Sane nulla alia præter hanc probabilis ratio afferri posse

(1) Jac. Basnagii hæc verba sunt, in Not. ad Chron. Prosp. Tom. I. Antiq. Lect. Canis. pag. 275: *Diversas oppositasque plane sententias circa mortem Christi exhibet unum idemque Prosperi Chronicon. At unde natum est tantum discrimen? Deinde quaenam tribuenda est Prospero mens? An Eusebii quæ genuina est, quamque præfert Editio Lubbrana, an ea quam in Codice MS. legisse Bucherium nemo diffitetur? Ego quidem Bucherio potius habendam fidem crediderim ea potissimum ratione, quod eamdem sententiam tueatur idem Prosper in altera Chronici parte. Ubi enim annos computat qui effluxerunt a XV. Tiberii anno & Passione Domini ad XIV. Consulatum Theodosii Maximi, eos numerat CCCCVI, ubi vides conjungi passionem Christi cum anno quintodecimo Tiberii. Deinde si annos recenseas ab illa passione, quintodecimo Tiberii anno facta, ad Theodosii consulatum XIV., reperies CCCCVI. Non sibi ipsi contradixit Prosper, sed aliquis medicam manum priori parti voluit afferre; cumque ægre pateretur, in diversa plane ab Eusebio & veritate Prosperum abire, hunc errorem emendavit. Correctorem fugit posterior locus. Igitur fuit genuinus Prosperi sensus, Christum passum esse anno quintodecimo Tiberii, Geminis Consulibus, & hoc ipsi impositum vel ab amanuensi, vel a critico quodam.* Locus a Basnagio ex secunda Chronici parte laudatus, est: *Colliguntur omnes anni usque ad Consulatum Theodosii XIV. & Maximi* (non *Theodosii Maximi*, ut in Basnagii Nota). *A XV. Tiberii anno & Passione Domini anni CCCCVI. Ab instauratione templi*, &c.: qui tamen in ejusdem Basnagii Editione non habetur, nisi in Notis. Sed de hac temporum collectione nos fusius infra. Ceterum etiam Anonymus auctor Observationum in Chronicum Prosperi, anno 1713. Amstelodami editarum (is est Joannes Vanderhaagen, ut a Vallarsio pag. xv. Præf. in Tom. VIII. S. Hieronymi, atque alibi dicitur; cujus habentur impressa Volum. V. Observationum in antiquos Scriptores de cyclis Paschalibus, &c.) eamdem quam Basnagius, & ex instituto propugnat sententiam variis in locis, sed potissimum a pag. 128 ad 135, partim quibusdam conjecturis persuasus, partim Victorii Aquitani innixus testimonio, de quo tamen nos infra.

(2) Eo etiam spectant verba Anonymi Auctoris *Epitomes temporum* &c., ex antiquiss. MS. Vaticano cum variantibus Prosperiani Chronici editis in Appar. ad Ann. Baronii & Pagii, Lucæ 1740. Hæc enim ibi leguntur pag. 129. *Prosperius Presbyter usque ad annum XV. Tiberii Cæsaris, idest duobus Geminis, quo Dominus noster Jesus Christus passus est, ann. V. CC XXVIII. expenit.*

posse videtur, cur juxta utramque sententiam a Geminis Coss. incipiat enumerationem consulum, nisi quia hæc primum illi arriserit opinio de Christo sub iis Coss. passo. Præterea iis rationum momentis alteram sententiam constabilivit, ut vix credibile videatur, ab ea postea ipsum discedere voluisse, ut priorem amplecteretur. Sed ut & conjecturas quæ in contrariam partem animum inclinant, proferamus: si Prosper post annum CCCCLVII. quo scribebat Victorius, aliquid mutasset in Chronico, illud etiam continuasset per aliquot annos: quod tamen non constat ab eo factum post annum CCCCLV., uti videtur non semel factum ante illum annum. Nam, ut primus observavit doctiss. Bucherius cap. XII. Comment. in Canonem Victorii, Prosper Chronicum suum tribus editionibus perfecisse videtur (1), quarum primam ad an. CCCCXXXIII. vulgaris æræ perduxerit, quandoquidem ad eum annum epochas summasque collegit (2), quod non nisi in operis fine fieri con-

(1) Bucherium in eo sequuntur Aubertus Miræus in Not. ad Gennadium, Carolus *le Cointe*, Ann. Franc. tom. I. ad an. 455., ceterique passim eruditi, in quibus etiam Editor Opp. S. Prosperi in Vita §. 22., & in prævia Admonit. ad Chron. Verum Auctor Observat. in Chron. Prosp., de quo supra, a pag. 21. ad 27. primam & secundam editionem (nam de tertia nullam ipse quæstionem movet) in dubium revocat, & ita revocat, ut de priori scribat pag. 19: *Ea quæ Bucherio prima dicitur, fundamento superstruitur non satis firmo. Nam ne dicam illam recapitulationem abesse a vulgato Prosperi Chronico ..... & tantum in editione Labbeana reperiri, potuit Prosper caussam habuisse, quare eam isthic loci insereret, licet ea in editione Labbeana non appareat. Notandum præterea in editione Panvinii, & Canisii atque Scaligeri ..... ad Consulatum Theodosii XIV. & Maximi hæc legi:* Maxima urbis regiæ pars septentrionalis per tres dies continuos incensa collapsaque est mense Augusto, *ubi habet caussam satis singularem.* Equidem non video, quid hoc ad recapitulationem illam. Contra aliam caussam satis singularem videre mihi videor, propter quam Prosper Chronicum ad an. CCCCXXXIII. perduxerit primum: nempe quia eo ipso anno, & fortassis etiam in eodem Opere, de cyclo Paschali LXXXIV. annorum egerit, quem multo ante in Romana Ecclesia usurpatum, circa hoc tempus a Prospero fuisse reformatum ejusdem Vanderhaagenii sententia est. Sane de eo cyclo fuse & erudite disputat ille, eumque contra Bucherium & Basnagium huic Prospero egregie asserit: tempus autem quo editus ab eo fuit, declarat pag. 216. hisce met verbis: *Certum est, cum jam ante annum Christi 444. editum ac receptum fuisse; immo jam, antequam Cyrilli cyclus XCV. annorum cum Prologo prodiret* (scilicet, quia in eo Prologo mentio non obscura fit cycli Latinorum, qualis a Prospero fuit emendatus. Porro cyclum Cyrilli alibi statuit idem auctor prodiisse circa an. Christi CCCCXXXVII., a quo nimirum ducit initium) *hunc Prosperi cyclum lucem vidisse non dubito...... Ætas etiam Prosperi hoc permittit, ut circa annum Christi 430. cyclum suum jam ediderit.* Datur itaque conjecturæ locus, eam quam cum Bucherio dicimus primam Chronici Prosperiani editionem, an. CCCCXXXIII. illigatam, una cum tractatu de cyclo, & hujus occasione fuisse factam: nemo enim non videt, quanta intercedat affinitas inter Chronicum & Cyclum. Quod vero spectat ad secundam Chronici editionem, hæc de ea idem Auctor ibidem: *Illa denique editio quæ Bucherio secunda appellatur, majorem speciem habet, & distinctius examinari meretur.* Sed, postea quam aliquot illi objecit difficultates (quarum tamen plerique aliam Bucherii sententiam oppugnant, qua statuebat hanc secundam editionem, æque ac primam, non ab Adamo deductam, sed a morte Valentis, in qua scilicet Hieronymus desierat) ita demum concludit pag. 25. ut nobiscum consentiat, aut saltem non admodum dissentiat. Sed vide Notam, quæ ab hac, tertia sequitur.

(2) Hæ sunt epochæ, seu collectiones annorum, de quibus in Not. pag. præc. Porro eas Pontacus in Notis ad Chron. Prosp. primus edidit ex Cod. MS, tum Labbeus, sed cum aliqua in numeris diversitate: puta apud Pontacum a diluvio usque ad Abraham numerantur anni CMXLII., qui numerus est Eusebianis calculis consentaneus, apud Labbeum autem ann. MLXXI., quod est omnino conforme sententiæ Prosperi, qui Cainan secundum agnovit: vide eumdem initio Chron. & ad ann. Tiberii XV. Sed de his rursus paullo infra.

conſuevit; ſecundam ad annum CCCCXLV. extenderit, ut vulgare ejus Chronicum Hieronymiano ſuperaddi ſolitum præfert: qua editione uſus videtur & Victor epiſcopus Tunnunenſis, ejus continuator, qui hæc initio habet: *A XVIII. conſulatu Theodoſii junioris Victor, epiſcopus Tunnunenſis Eccleſiæ Africanæ, hiſtoriam proſequitur, ubi Proſper reliquit. Igitur Theodoſio XVIII. & Albino Coſſ.* &c. Sed cum conſulatus hic incidat in annum æræ vulgaris CCCCXLIV., & Proſper anno præcedenti deſiiſſe indicetur, fuerit hæc fortaſſe alia editio biennio præcedens illam quæ in multis codd. ad Valentinianum VI. & Nonium Coſſ. protenditur. niſi mavis codicem, quo uſus eſt Victor, caſu aliquo fuiſſe biennio illo mutilatum (1). Poſtrema demum Proſperiani Chronici editio perducitur ad

(1) Joſeph. Antelmius Diſſert. VIII. pag. 175. ſcribit Victorem a Conſulatu XVIII. Theodoſii Junioris hiſtoriam perſequutum, *ubi Proſper reliquit: quod utique poſtremum ejus exemplar auctius non habuerit*: quæ verba tranſcripſit Editor S. Proſperi pag. 682. Auctor tamen Obſerv. in Chron. Proſperi ſupra laudatus, aliam prorſus, ut ſe hinc expediat, inſiſtit viam, qua etiam impugnare conatur Editionem illam Chronici Proſperi, quam ſecundam cum Bucherio diximus. Scribit itaque pag. 21. *Si Iſidoro Hiſpalenſi teſtanti fides habetur, certum eſt Victorem Tunnunenſem Chronicum ſuum exorſum fuiſſe ab initio mundi..... Quo poſito ſequitur, illud Victoris Chronicon quod Caniſius .... & Scaliger .... edidit .... eſſe tantum partem poſteriorem ex integro Victoris Chronico a librariis decerptam, & Proſpero per modum continuationis adjunctam.* Denique pag. 24. concludit: *His poſitis, nunc porro hac mea conjectura eſt, eumdem librarium, vel quiſquis ille fuerit, qui hanc poſteriorem partem ex integro Victoris Chronico decerpſit....., etiam a Proſperi Chronico, quale illud Hieronymo jam ſubjunctum erat, decem annos reſecuiſſe* (*duodecim* annos dicere debuit, quot ab initio Victoris ad exitum Chronici Proſperiani intercedunt: ſed *decem* tantum dixit, reſpiciens ad Valentinianum VI. & Nonium Coſſ., qui eſt ultimus conſulatus in ſecunda Proſperiani Chronici Editione: hæc tamen biennii inter initium Victoris & finem ejus editionis diſcrepantia conjecturam Auctoris, ni fallor, prorſus ſubvertit). *Suppono enim illam Chronici Proſperiani integri partem, quæ primitus Hieronymo per modum continuationis ſubjuncta fuit, ſe extendiſſe uſque ad conſulatum Valentiniani VIII. & Anthemii, quo Roma a Vandalis capta, & in quo revera deſiit Proſper.* Hæc ille, qui tamen pergit ingenue proponere quæ huic ſuæ conjecturæ opponi poſſint, & ex quibus ſe ægre expedit. Sed difficultatis cardo in eo verſatur, num Victor ediderit integrum Chronicum ab Orbe condito, an vero res ſecus ſe habeat, & Iſidorus qui ejus rei teſtis producitur, vel corrigendus, vel alio pacto ſit explicandus. Duos ille Iſidori textus in medium producit, quorum primus, ex libro de Script. Eccleſ. cap. xxv. ductus, aperte tradit, Victorem *a principio mundi uſque ad primum imperii Juſtini junioris annum brevem per conſules bellicarum Eccleſiaſticarumque rerum promulgaſſe hiſtoriam*. Sed Caniſius in Præfatione Victori præfixa hæc Iſidori verba interpretatus fuerat de collectione annorum ab Adamo, quæ in fine Victoris habetur: quam ſententiam amplectitur Jacobus Baſnagius in Præfat. ad Chron. Proſp. §. XIX; quum tamen idem Caniſius, in ſua Præfat. ſecunda in Proſp., ab ea ſibi recedendum duxerit, & Victori integrum Chronicon cum Iſidoro tribuerit. Potuit etiam Iſidorus præ manibus habere codicem Chronici integri Proſperiani, ſeu potius Hieronymo-Proſperiani cum adnexa Victoris appendice, atque adeo per errorem huic ultimo totum opus adſcribere. Ego tamen malim illud *a principio mundi*, ex quo tota hæc quæſtio pendet, ſuſpicari a librariis perperam intruſum fuiſſe: neque enim *brevis per conſules bellicarum Eccleſiaſticarumque rerum hiſtoria* potuit *a principio mundi* repeti. Sane idem Iſidorus cap. xxxi. ejuſdem libri, agens de Joanne Abbate Biclarenſi, qui Victoris filum ad ſua uſque tempora continuavit, hæc habet: *Addidit in libro Chronicorum ab anno primo Juſtini junioris .... valde utilem hiſtoriam*: ubi librum quidem Chronicorum laudat, neque tamen, ut par fuiſſet, Victori illum attribuit. Quid? quod idem Joannes Biclarenſis hæc initio præfatur, ex quibus apparet, quinam fuerit *liber Chronicorum*, de quo Iſidorus: nempe ex Chronicis Euſebii, tum ex Hieronymi, Proſperi, Victoriſque appendicibus contextus. *Poſt Euſebium*, inquit, *Cæſarienſis Eccleſiæ epiſcopum, Hieronymum toto orbe notum presbyterum, nec non & Proſperum virum religioſum, atque Victorem Tunnunenſis Eccleſiæ Africanæ epiſcopum, qui hiſtoriam omnium pene gentium ſumma brevitate & diligentia contexere viſi ſunt, &* uſque

ad annum usque CCCCLV., seu ad Romam a Genserico (1) captam, quam

usque ad nostram ætatem exaggeriem perduxerunt annorum, & quæ acta sunt in mundo, ad agnitionem nostram transmiserunt; nas, &c. Itaque, si Isidorus hæc legit, & librum ipsum Chronicorum versavit, non potuit de Victore peculiariter scribere, eum *a principio mundi* deduxisse historiam suam. His postremo adde, quæ Isidorus ipse tradit in altero textu, ex lib. VI. (uno V.) Originum cap. ult. ab Auctore Observationum in suæ sententiæ confirmationem productu, quæ tamen cum Biclarensia testimoniis fere concinunt, atque adeo nobis potius favent: *Quarum* (inquit, ætatum nempe mundi) *decursus per generationes & regna primus ex nostris Julius Africanus sub Imperatore Marco Aurelio Antonino simplici historia stilo elicuit. Deinde Eusebius episcopus Cæsariensis, atque sanctæ memoriæ Hieronymus presbyter Chronicorum Canonum multiplicem ediderunt historiam, regnis simul & temporibus ordinatam. Deinde alii atque alii: inter quos præcipue Victor Tunnunensis Ecclesiæ episcopus, recensitis priorum historiis, gesta sequentium ætatum usque ad consulatum Justini junioris Imperatoris explevit.* Viden', quid Isidorus teste præstiterit Victor? primum *priorum*, puta Eusebii, Hieronymi & Prosperi, *historias recensuit*, scilicet recognovit, perlegitque ordinatim, & fortassis etiam ordinavit ipse, ex integro Prosperi Chronico excerpens eam posteriorem partem, quæ continuando Chronico Eusebio-Hieronymiano inserviebat: deinde in eodem codice, qui postea *liber Chronicorum* dictus fuit, proprio marte *gesta sequentium ætatum explevit*. In his sane nihil est, quod Victori integrum Chronicum adserere cogat. Quin immo, his positis, evanescit aliud objectum, quod ducitur ex illis verbis, quæ initio Victoris leguntur, quæque non ab ipso Victore, sed ab illo qui ejus integrum Chronicum mutilasse ponitur, addita fuisse volunt. Nam si propositum Victori fuit, *recensitis* primum Chronicis Eusebii & Hieronymi cum Prosperi appendice, dehine *gesta sequentium ætatum* supplere, nihil prohibet, quin hæc initio apposuerit: *A xviii. Consulatu Theodosii*, &c. quæ vide supra, & ut a vocula *Igitur* prosequutus sit. Postremo confer illud, *recensitis priorum historiis*, cum gemino fere loco Victorii Aquitani in Prologo cycli Pasch., quem damus infra in Not. pag. seq.

(1) Vallarsius in Not. ult. in Chron. S. Prosperi agit de hac ultima additione decem annorum, & post factam mentionem Pontaci in Appar., tum Basnagii, & demum Vanderhaagenii, quos pro ejus germanitate disputasse ait, ita ipse pronuntiat: *Nobis nihilo secius adsuta videntur ab aliena manu, aut certe ad hanc partem argumenta potiora sunt: sed his immorari Notarum angustia non patitur.* Indicasset saltem Auctores, quorum ipse in hac quæstione *argumenta potiora* duxit, quando ipsa argumenta brevitatis caussa ne attigit quidem. Interim nobis discedere non licet ab auctoritate Victorii, Cassiodorii, Gennadii, & Marii Ecclesiæ Aventicensium, hodie *Lausannensis*, in Helvetia episcopi, qui sexto sæculo floruit, & Chronicum ab ann. CDLV. ubi Prosper desiit, usque ad ann. DLXXXI. continuavit: hi enim aliique post eos Prosperum ad Romam usque captam ab Genserico produxisse Chronicum diserte testantur. Quod autem de *stili discrepantia* obiter, & ex Labbei persona a Vallarsio objicitur, satis refellitur ex iis quæ de postrema pericope, quæ est de Paschate anni CDLV. ab Anselmio Diss. VIII. pag. 395, & seq. notata sunt: arguit enim ea genuina esse ex collatione cum epistola S. Leonis ad Marcianum Imp. de eadem quæstione data, quæque a Prospero ipso scripta fuerit, utpote qui Pontifici esset ab epistolis. Idem etiam Quesnelium ita scribentem producit: *ex hoc ultimo Prosperiani Chronici additamento, apparere pro sua sententia ipsum depugnasse.* His adde & Editorem Opp. S. Prosperi tum in prævia *Admonitione*, tum in Notis. Verum ut appareat, quam immerito Labbei testimonium contra additamentum illud Prosperiani Chronici allegetur, & e contrario Basnagius inter eos recenseatur, qui illud propugnaverint, placet utriusque de eo judicium αὐτολεξεὶ proponere, ut insignis Basnagii primum, tum eumdem ex parte sequuti Vallarsii alucinatio, ne incautis lectoribus imposterum fraudi sit, perspicua manifestaque fiat. Sed integer prius Vallarsii ipsius locus est oculis subjiciendus: *Hunc Prosperianum Chronica finem imponimus* (sc. *Valentiniano VI. & Nomio Coss.*, qui respondent an. Ch. CCCCXLV.) *quem & in aliis plerisque libris habet; tum MSS., ut in Parmensi, atque aliis quos Pontacus laudat; tum vulgatis, ut in Pontacana hac ipsa & Scaligeriana editionibus, itemque Canisiana vetere: nam quæ Basnagius præterea addidit, ea Labbeo accepit. cui tamen ab aliena manu ob stili discrepantiam suffecta videbantur. Continuant illa temporum ac rerum seriem per solidam exinde decennium, usque in consulatum Ardeburis & Maximi, & captam a Genserico Rege Vandalorum Romam: quibus præterea quædam de regibus Vandalorum, usque ad eorum interitum, adjiciuntur, omnia ad celebris exemplaris Augustani, quod & Ulricianum vocant, auctoritatem & fidem. Multa Pontacus ea de re in Apparatu, quem vid. sis,*

quam laudat & ſequitur Victorius, cujuſque Caſſiodorius, Gennadius aliique (1) meminerunt;

33. Quæ

videſis, *& quæ cum conferat*, *quæ poſtmodum Baſnagius*, *& nuper Vanderhaagen diſputat pro eorum germanitate in Obſervationibus ad Chronicum Proſperi a pag. 21, ad 24. Nobis nihilofecius adſuta videntur*, &c. Hæc nunc, Lector, compara cum iis quæ Labbeus ad calcem integri Chronici Proſperiani adnotavit. *In codice*, inquit, *quo uſus ſum*, *nonnulla etiam hac in parte* (nempe in ſecunda ejus Chronici parte, quæ inde incipit, ubi Hieronymianum deſinit) *occurrerunt diverſæ lectiones*, *ſed non tanti viſa ſunt momenti*, *ut nos vel tantillum heic remorari debeant. Pluſcula ex collatione Auguſtani Proſperi ab Henrico Caniſio editi ſedulis lectoribus poterant exhiberi. Verum quæ in eo codice Conſulatum Valentiniani VI. & Nonii ſequuntur*, *& ſtilo ipſo diſcrepant a Proſpero*, *& Urbem captam a Genſerico Vandalorum Rege excedunt*, *qui tamen finis Proſperi Aquitani Chronico*, *auctoribus Gennadio Maſſilienſi & Victore Tunnonenſi* (perperam Victorem Tunnunenſem in teſtimonium Labbeus producit, ut ex dictis & dicendis liquebit: ſed Victorium, ſeu Victorinum, Aquitanum laudare voluit, de quo ſupra) *præſcribi debet. Ipſa certe Chronici illius concluſio ex Auguſtana Bibliotheca membranis publicata*, *non pertinet ad Urbem captam a Genſerico*, *quam reſpexit Gennadius*, *ſed ad regni Vandalici excidium*, *quod multo poſt Gennadium accidit.* Viden', ut quæ Labbeus de additamentis in codice Auguſtano occurrentibus tradit, Vallarſius aptet ſupplemento illi, quod ad *Valentinianum VIII. & Anthemium Coſſ.*, ſeu ad an. CCCCLV. & Romam captam a Genſerico perveniens, primus Andreas *Du Cheſne*, tom. I. Hiſtor. Franc., tum Labbeus e membranis eruit, quodque germanum & ſincerum Proſperi fetum eſſe neuter dubitavit? Verum, ut quod res eſt, non diſſimulem, Vallarſiumque noſtrum aliqua ex parte, & quoad licet, excuſem, huic errandi occaſio Baſnagius fuit, qui cum integrum Proſperi Chronicum ad Romam uſque captam ſe dare profiteatur, ubi tamen ad *Valentinianum VI. & Nonium Coſſ.* pervenit, hæc adnotat: *Quæ ſequuntur deſunt apud Caniſium*, *ideo ex Labbeana editione adjici curavimus. Altera manu fuiſſe compoſita conjiciebat ipſe* Labbe, *ob nimiam ſtili diſcrepantiam. Et idem ſentiebat* de codice Auguſtano, *qui mox ſequetur ex Caniſio.* Hæc Baſnagius, qui ne integram quidem Labbei editionem dedit, ſed tantum ad *Opilionem V. C. Conſulem*, excluſive: quin etiam ad proxima præcedentia verba *promiſſa pace diſcederet*, hanc appoſuit notulam: *Reliqua apud Labbeum*, *ad finem Chronici Pithœani legi poterunt*, *a verbis* Synodus Calchedonenſis, *&c.*: in quo rurſus peccavit: neque enim omnia quæ in ſincero Proſperi ſupplemento apud Labbeum & alios leguntur, in Pithœano exemplari habentur: puta, quæ de Paſchate anni CCCCLV. Proſper diſputat. En his etiam liquet male Vallarſium accenſuiſſe Baſnagium inter propugnatores Proſperiani ſupplementi, quom illud ne ipſa oppugnaverit. Idem ſane & in prævia Admonit. num. XII., permotus auctoritate Victoris Tunnunenſis, qui Proſperum deſinere tradidit an. CCCCXLIV., eorum quæ præterea habentur in Edit. Labbei, in dubium revocat αὐθεντίαν. Confer nunc, ſi placet, quæ ad calcem codicis Auguſtani, ſeu Ulriciani, rurſuſque ea quæ ad calcem Chronici Pithœani, cum germana & integra Proſperi editione apud Labbeum & alios.

(1) Victorius ſcilicet Aquitanus in Prologo, quem ſcripſit biennio poſt tertiam Proſperiani Chronici editionem, ſeu anno CCCCLVII., hæc de ea habet: *Recenſitis igitur fidelibus hiſtoriis veterum, beati ſcilicet Euſebii. ... Chronicis Prologoque, ac perinde his quæ a ſanctæ memoriæ Hieronymo hiſdem Chronicis ſunt adjecta presbytero .... hiſque etiam quæ a ſancto & venerabili viro Proſpero uſque ad Conſulatum Valentiniani Auguſti VIII. & Anthemii conſtat fuiſſe ſuppleta; reperi a mundi exordio*, &c. Caſſiodorus de Inſt. Div. Lit. cap. 17. *Sanctus quoque Proſper Chronica ab Adam ad Genſerici tempora & urbis Romæ deprædationem perduxit.* Gennadius de Script. Eccleſ. cap. 84., quod eſt de Proſpero: *Multa compoſuiſſe dicitur*, *ex quibus ego Chronica nomine ejus prætitulata legi*, *continentia a primi hominis conditione*, *juxta divinarum Scripturarum fidem uſque ad obitum Valentiniani Auguſti & captivitatem urbis Romæ a Genſerico Vandalorum rege factam.* Chronicon Marii Aventicenſis, ſeu Lauſanenſis Epiſcopi, ex tom. 1. Hiſtor. Franc. Andreæ Ducheſnii, ita incipit: *Uſque hic Proſper*, *quæ ſequuntur Marius epiſcopus* (Hæc confer cum initio Victoris, de quo in Notis ſuperioribus: ſequitur) *Conſule ſupraſcripto* (puta *Anthemio*, qui fuit collega Valentiniani Auguſti, occiſi a Maximo tyranno XVI. Kal. April.) *levatus eſt Avitus Imperator in Gallias*, *& ingreſſus eſt Theodoritus cum Gothorum Arelato cum fratribus fuit in pace.* ſequitur: *Joanne & Varana*, &c., qui Coſs. in Faſtis ſignant annum Chriſt. æræ CCCCLVI. Poſtremo Hermannus Contractus, poſtquam Romam a Genſerico captam & expoliatam narravit, hæc ſubdidit: *Huc uſque Proſper Chronicum ſuum perduxit.*

Digitized by Google

93 Quæ cum ita sint, magis verisimile videtur, in alterutra demum ex his duabus posterioribus editione sequutum Prosperum quam secundo loco produximus lectionem Eusebiano Chronico magis congruentem: quum prius aliam fuisset amplexus ex *usitatiori*, ut ipse ait, *traditione* pendentem. Quin immo non probabile tantum, sed fere omnino certum mihi sit, Prosperum in prima Chronici compilatione Dominicam passionem affixisse consulatui Geminorum: non modo quia ea unica ratio fuisse videtur, ut dicebam, cur enumerationem consulum ab iisdem cœperit, sed etiam quod in omnibus ejus codicibus ad annum Tiberii XV., cui nempe primum affixerat Christi passionem, referantur hæc quæ ab Eusebio anno ejus Imp. XVIIII. aptata fuerant: scilicet, *Josephus circa hæc tempora die Pentecostes Sacerdotes Judæorum primum commotiones locorum templi, & quosdam sonitus sensisse testatur; deinde ex adyto erupisse vocem dicentium, Transmigremus ex his sedibus. Scribit idem Josephus, quod eodem anno Pilatus Præses secreto noctis imagines Cæsaris in templo statuerit:* quæ fere ad verbum respondent versioni Hieronymi, quam dedimus supra pag. 335. Accedunt præterea alia indicia: nam ubi legitur, *Incipit adnotatio consulum cum Historia*, in MSS. quorum variantes exhibuit Labbeus in Auctario, hæc insuper habebantur, *a Passione D. N. J. Christi* (1), quæ ideo omissa postea videntur a Prospero, quod

(1) Scilicet: *Incipit adnotatio Consulum a passione D. N. J. Christi cum Historia*. Eadem fere leguntur in ipso Chronici initio in Edit. Opp. S. Prosperi pag. 686: *Cum adnotatione consulum a morte Christi*, sed hæc duo postrema verba non habentur apud Labbeum & Basnagium. Auctor autem Observat. in Chron. Prosperi, quem contendat ab impostore quopiam corruptum & interpolatum fuisse hoc Chronicum tum aliis multis in locis, tum hoc ipso potissimum, de quo agimus, pag. 131. hæc habet contra eam lectionem, quæ Christum passum anno Tiberii XVIII. adstruit, quamque Prospero suppositam censet: *Præterea non animadvertit* (impostor) *Prosperum notare ad Consulatum* Sulpicii & Sylla, Ecclesiæ Hierosolymorum primum Episcopum ordinatum fuisse Jacobum, *uno itaque* (forte, *utique*) *anno ante illos consules, quos Prosperum passioni vult adscripsisse*. Sed ipse fallitur, nam *tertii* a Geminis *Consules* hi ipsi sunt, non qui eos proxime sequuntur *Priscus & Vitellius*, ad quos perperam asserit paullo ante, Prosperum, *si cum Eusebio sensisset, & tertios a duobus Geminis Consules passioni adscripsisset, referre ea debuisse*, quæ Eusebius ad an. Tiberii XVIII. adnotaverat. Antiquorum enim Scriptorum ut fere perpetuus mos fuit, ut utrumque terminum numerando comprehenderent, ut sexcentis exemplis, præcipue in diebus Kalend., Non., atque Id. computandis, liquet. Præterea licet Prosper annum Tiberii XV. conjunxerit cum Geminorum consulatu, non tamen illum cum hoc per omnia comparavit: sed annum illum Tiberii ex parte respondere voluit cum an. ab Abraham IIM. CCXXVIII. juxta Eusebianum computum, ex parte autem cum sequenti; consulatum autem Geminorum, seu Christi passionem omnino cum an. IIMCCXXIX. copulavit, ut & Victorius, supra a nobis pag. 371. allatus, fecit, quod & ipse Vanderhaagen alibi agnovit, quem vide pag. 145. & 152. & seqq.: ex quo fit, ut inter duas illas in Christi morte figenda sententias intercedat tantum biennii spatium: eaque ratione eluitur aliud ejusdem contra illum nescio quem impostorem objectum, quod ipsa, si quid valeret, contra Prosperum faceret. Hæc ejus verba sunt pag. 131. *Præterea dicit:* secundum Joannis Evangelium festivitati Paschæ Judæorum ter Dominum interfuisse cognoscimus, *nec animadvertens tria Paschata continere tantum spatium duorum annorum*. Atqui hoc tantum spatium Prosperi rationes exigunt, qui quum *Sulpitio & Sylla* Coss. retulerit, Jacobum Hierosolymis Episcopum creatum, Consules illos respondere putavit & voluit an. XVIII. Tiberii in Hieronymiano Chronico adnotato, quo etiam anno ea referuntur; atque adeo duos Geminos Consules cum XVI. Tiberii juxta Eusebium, saltem ex majori parte, copulavit. Neque vero bis repugnat, quod in alia sententia, seu lectione, Prosper scribit, Hieronymi Chronicum præ oculis habens: *Quidam ferunt anno XVIII. Tiberii Cæsaris Jesum Christum passum, & argumentum huic rei ex Evangelio assumunt Joannis, in quo post quintum decimum annum Tiberii Cæsaris triennio*

quod se ipse correxerit. Nec prætereundum est, eumdem ad annum Vespasiani secundum, componere XV. Tiberii cum *exordio Evangelicæ prædicationis*, quæ verba ex Hieronymi quidem interpretatione eum apparet esse mutuatum: sed ob eam forte caussam mutuatus fuerit, quia cum prius ab Eusebii sententia, hæsitabundus licet, discessisset, postea cum eodem prorsus senserit. quamvis non negem ea verba posse etiam aliam interpretationem admittere. Denique huic nostræ conjecturæ suffragatur etiam argumentum quod Basnagius pro sua sententia in medium attulit. Nam si Prosper, quum produxit Chronicum ad annum tantum CCCCXXXIII., ibidem collectionem illam annorum apposuit de qua supra in Notis; ex illa satis apparet, jam tum ei placuisse sententiam de Christo sub Geminis passo: quam tamen postea repudiaverit, atque adeo collectionem ipsam prorsus omiserit, quæ sane in plerisque MSS. desideratur. quamquam & Scaliger ad calcem Prosperi vulgati, seu ad annum Christi CDXLV., eamdem fere exhibeat, ita tamen ut ibidem cum XV. Tiberii anno conjungatur non *passio*, sed *prædicatio* D. N. J. Chr.; quam ipse tamen, & merito, in dubium revocat, & Prospero abjudicat.

34. Sed quæres, quæ caussa fuerit Prospero, ut in hac quæstione ab Eusebii, quem fere semper sequitur, sententia primum recederet, deinde autem, ut cum eodem in concordiam, saltem in speciem, & uti ab eo interpretabatur, rediret? Refert Basnagius in supra allata Nota, ex ea Prosperi lectione, quæ Christum sub Geminis passum fert, *duo conclusisse peritissimum Chronologum* Bucherium (1): I. *Prosperum qui Eusebii Chronicon breviabat, ejus sententiam qua passionem Christi cum Juliano 76. componebat, deseruisse, quod eam cycli sui rationibus contrariam animadverteret.* II. *non ausum esse Prosperum cyclum suum ad annum passionis promovere* (2), *cum perviderct cycli sui* 84. *annorum rationes cum passionis characteribus*,

Dominum prædicasse intelligitur. Nam *triennium* ibi inceptum, seu trium annorum civilium partem intellexisse eum oportet: alioquin Christi mors non ad XVIII. Tiberii annum, sed ad XIX. referenda fuisset: uti reipsa retulerat Eusebium, qui, ut supra vidimus, triennium integrum & ultra a baptismo Christi ad ejus Crucem computabat. Respondet itaque hoc triennium apud Prosperum *tribus Paschalibus*, & *tertiis a Geminis Consulibus*, de quibus supra.

(1) Agit de his Bucherius cap. VI. pag. 139. & seq., nec non cap. XII. pag. 213. & seq.: nos autem in proxima Nota agemus.

(2) Nimirum sub *Tiberio II. & Vitellio* Coss., quod est a duobus Geminis decimum septimum par consulum in vulgato Prospero, hæc habentur: *Initium cycli primi*; tum *Vetere & Nerviliano* Coss., qui sunt vicesimi a Geminis, rursus: *Paschalis cycli ratio ab his consulibus incipit per annos XXCIV., & ad eamdem legem revertens*. Bucherius, qui Prosperi integri Chronico nondum edito est usus, hunc secundum textum ita exhibet cap. VI. pag. 136. & 139.: *Incipit cyclus Paschalis, qui annis constat* 84., *& post annos* 84. *ad eamdem legem revertitur*: eumque ad annum Christi vulgarem XLVI. refert, non expressis tamen consulum nominibus, quibus in MS. adfigeretur: vide eumdem etiam pag. 14. in Not. 2. ad marginem. Alterius vero textus nusquam meminit, forte quia in ipsius MS. non exstaret. Norisius autem Diss. I. *ad Fast. Cons.*, editione Chronici Labbeana usus, observat: *Quod initium ejusdem cycli ab luxata consulum collegia non ab omnibus ab eodem consulatu deducebantur, ideo bis illinc exordium in eo Chronico recensetur, & quidem perperam utrobique*. Hæc ille & alia, quibus in sequentium cyclorum, quinto excepto, figendis cardinibus Prosperiani Chronici errores notat, qui tamen omnes non Prospero, sed librariorum in ejus Chronico describendo incuriæ adscribendi sunt: quamvis Vanderhaegenius, Observ. in Chron. Prosp. pag. 159., eam de *primi cycli in diversam ad diversos consules adnotationem non irrepsisse per incuriam librarii, sed a manu critica videri profectam* malit: quod rursus inculcat

Digitized by Google

Characteribus, in Euangelio majorumque traditione cognitis, non satis respondere:
Sed harum conclusionum alia aliam loco facile submovet & evertit,
ut per

inculcat pag. 175. Quod itaque nos supra ex Basnagii Nota, hic autem ex sententia Bucherii tradidit: scilicet, Prosperum *non ausum esse cyclum suum ad annum Passionis promovere*; minime probare possumus. Nam cum ille cycli tantum initia cum Fastis consulum, ut moris erat, collata in Chronico notaverit; consules autem non nisi a Geminis recensuerit; non potuit altius repetere cycli I. initium, atque adeo non prius ejus cycli meminisse, quam ad consules, post Geminos, decimos annos, qui quidem sunt in Prosperianis, tum in Victorianis Fastis ex Prospero descriptis, *Verinus*, seu *Veranius*, & *Gallus*, quibusque in emendatis Fastis respondent *Asiaticus* & *Silanus*. Hunc autem cum Bucherio pro certo habeo verum esse cardinem, cui Prosper affixerit initium cycli I., nempe annum qui respondet quadragesimo sexto Christ. æræ, & Juliano XCI.: quoniam idem initium cycli V. affixit *Antonio & Syagrio* Coss., seu an. Chr. CCCLXXXII. (in quo plane cum Anonymo Norisiano, & aliis antiquis monumentis concordat) rursusque *Theodosio XIV. & Maximo*, qui Coss. signant ann. Christi CCCCXXXIII., colligit a Passione & a Geminorum consulatu, annos CCCCVI.: in quo eidem assentitur Victorius, qui eo consulatu consignavit annum sui cycli a duobus Geminis deducti, quadringentesimum sextum, ut videre est apud Bucherium pag. 56. & seq.: subductis enim rationibus, elicitur initium cycli I. juxta Prosperum incidisse in consulatum Verini & Galli. cyclum autem primum ideo appellavit, quia primum illud erat caput periodi LXXXIV. annorum, quod quidem per consules ipsos indicare posset. Sed expendamus tandem, quod a Basnagio additur ex sententia Bucherii, & de quo hic fuse agit cap. XII. pag. 212. & seqq.: nimirum, *Prosperum pervidisse cycli sui 84. annorum rationes cum Passionis characteribus, ex Euangelio majorumque traditione cognitis, non satis respondere. Majorum traditio* fuit, saltem in Ecclesia Latina, eaque admodum antiqua & usitata, Christum passum sub Geminis Coss. VIII. Kal. April., cujus traditionis testes sunt (ut *Acta Pilati* omittam, de quibus Epiphan. ad Hær. I., quæ est Tessarescadecatitarum, §. 2.) Tertull. adver. Jud. cap. 8., S. Hippolytus in Canone Pasch., Auctor catalogi Roman. Pont. sub Liberio scripti, August. de Civ. Dei lib. XVIII. cap. 54., & fortasse alii Prospero antiquiores, uti etiam Victorius in Prologo, compluresque alii qui post Prosperum demum scripserunt (quamvis non desint qui in die Passionis definiendo non conveniant, ut Lactantius Inst. Div. lib. IV. cap. 10. scribens: *Ante diem decimum Kalendarum Aprilium Judæi Christum cruci affixerunt*, quo loco etiam nonnulli codices scripti & impressi præferunt, *ante diem septimum*. Idem tamen, seu quisquis auctor fuit libri *de Mortibus Persecut.*, cap. 2. habet *post diem decimum Kalendarum Aprilis*: quæ, si is liber Lactantii est, ut esse minime dubito, indicio sunt, utra lectio habenda sit germana in Institut. laudato loco. Denique Fasti sub nomine Idatii editi utramque sententiam ita in concordiam revocant: *Rufo & Rubelliano. His Coss. passus est Christus die X. Kal. Aprilis, & resurrexit VIII. Kal. easdem*). Hanc itaque traditionem præ oculis habuisse videtur Prosper, quum primum Geminis Coss. Christi Passionem affixit, quæ quidem juxta methodum cycli annorum LXXXIV. aliqua ratione defendi possit, quidquid contra Bucherius pag. 215. censeat: nam quo anno Gemini Coss. fuerunt, currente littera Dominicali B, sexta feria incidit in diem VIII. Kal. Aprilis. Cumque idem esset annus sexagesimus octavus ejus cycli, qui juxta Anonymum Norisianum in Kal. Jan. habebat lunam XXIII., proxima neomenia incidebat in diem nonam Januarii, & tertia ab ea neomenia (juxta leges ejusdem cycli) in diem itidem nonam Martii: proindeque luna XIV. Paschalis in diem XXII. Martii, & feriam tertiam: qua ratione Passio Christi in diem X. Kal. April. incidisset, & feriam quartam. Sed si eumdem cyclum ex emendatione Prosperi, ut a Vanderhagenio egregie illustratus fuit, consulamus, cum in eo Kalendis Jan. luna XXII. habeatur, luna XIV. Paschalis incidit in diem XXIII. Martii & feriam quartam: adeo ut Pascha Judæorum a feria quinta sequenti ad sextam facile trahi potuerit. Sed utrum hæc singillatim attenderit Prosper, incertum est: illud certum, consulatum Geminorum a sua sede avulsum, in proxime præcedentem annum ab eodem per errorem fuisse traductum: quo facto rationes omnes paullo ante propositas turbavit atque subvertit. Luxatum a Prospero & eum sequuto Victorio Geminorum consulatum plane constat ex annis illis, seu consulum paribus CCCCVI. quot uterque colligit ad Theodosium XIV. & Maximum Coss., qui respondent, ut dicebamus, anno Chr. CCCCXXXIII.: nam si de 433. demas 406., reliqui sunt 27. anni æræ vulgaris, atque adeo Gemini incident in annum ejus æræ 28.; quos tamen in comperto est, referendos esse ad annum 29. (nequidquam repugnante Viro doctissimo Francisco Blanchino, qui contendit in Fastis omissum fuisse par consulum, atque Geminos in annum præcedentem protrudendos esse). Itaque apud Prosperum Geminorum consulatus

ut per se quisque animadvertere potest. Ego itaque non aliam Prospero ab Eusebii rationibus discedendi caussam fuisse dixerim præter eam, quam ipse indicavit: *quia* nimirum *usitatior traditio*, præcipue apud Latinos, *habebat Dominum nostrum XV. anno Tiberii Cæsaris*, seu *duobus Geminis consulibus crucifixum*. Verum postea, cum observasset, ut in proxima Nota fusius tradidi, cum *traditione* illa nullo modo conciliari posse annum Cycli, cui Geminos consules perperam affixerat, quumque alia ex parte gravissima essent momenta pro Eusebii sententia; hanc tandem potiorem habuit, totamque illam pericopen correxit. Hæc sane modo conjectura nostra est, quoad aliunde certius aliquid nobis effulgeat: toti enim in eo sumus, ut Prosperiani Chronici MSS. codices alicunde nanciscamur, ad quos Labbei editionem exigere possimus, ut quid

non respondet, ut debuit, anno LXVIII. cycli, sed præcedenti: atqui annus ille LXVII. cycli Neomeniam Januarii, ac proinde etiam Martii mensis die vicesima juxta Anonymum Norisianum, vel vicesima prima juxta Prosperi emendationem, habuit (vide utriusque cycli diagramma apud Vanderhagenium, Observ. in Chron. Prosp. pag. 238. & 241.), ac proinde luna XIV. Paschalis incidit in diem secundum vel tertium Aprilis, & in feriam sextam vel sabbatum. Passus itaque fuisset Christus vel sabbato vel Dominica, quod omnino repugnat Evangelio, & mense Aprili contra supra indicatam traditionem. Hanc itaque quæ ex Geminorum consulatu cum anno cycli LXVII. ab se perperam comparato sequitur, gravissimam difficultatem, si postea Prosper, ut par est credere, satis attendit; omnino repudiare debuit primam illam suam de Christo sub iis consulibus passo sententiam, quam tamen jam tum non nisi hæsitanter proposuerat, seu *sine præjudicio alterius opinionis*: multoque id magis fecisset, si non ad cyclum illum, sed ad veras lunæ phases rem exegisset, de quibus non est heic nobis disputandi locus. Ceterum Basnagius, Not. 10 illud: *Paschalis cycli ratio* &c., merito carpit Prosperum, quod antiquissimum duxerit cycli annorum LXXXIV. usum apud Latinos, quodque ex more sæculi sui de præteritis judicaverit. Idem tamen Basnagius castigandus, qui ad *Antonium & Syagrium* Coss. hæc habet: *Diffidebat ipse Prosper calculo ætate sua recepto, animadvertens tamquam aliquod singulare, quod consulato XVIII. Theodosii & Albini*, Hoc anno Pascha IX. Kal. Majas celebratum est, &c.: & paullo infra: *Observat tanquam aliquid singulare*, hoc anno non erratum *fuisse circa* diem Paschatis: *quia fuerunt scilicet adhuc errores frequentissimi annis præteritis & cum nemo cyclum emendasset, intercalatione horarum & minutorum deficientium*, &c. Contra, haud ita pridem eum cyclum, ut jam diximus, emendaverat ipse Prosper, cujus rei testes sunt etiam Gennadius in cap. de *Victorio*, & Isidorus lib. IV. Orig. cap 17., quorum tamen testimonia de alio Prospero antiquiore accepit Basnagius, sequutus in eo Bucherium. Fidebat autem Prosper huic cyclo adeo, ut ad an. Chr. CCCCLV. erroris arguere palam calculos Alexandrinorum & Orientalium omnium in figendo ejus anni Paschate, minime dubitaverit. Postremo Basnagius in iis quæ notavit de Paschate anni CCCCXLIV., *Theodosio XVIII. & Albino* Coss., omnino se ignarum prodidit quæstionis, quæ agitata fuit inter Latinos & Orientales circa Pascha ejus anni. Scilicet volebant illi, ex cyclo LXXXIV. annorum a Prospero emendato, celebrandum esse Pascha VII. Kal. Aprilis: hi contra contendebant annum illum embolimæum esse, & ideo Pascha ad diem IX. Kal. Majar. protrahendum. Quid igitur S. Leo tunc Romanus Pontifex, & ipse Prosper? acquieverunt tandem Cyrilli Alexand., & Paschasini Lilybitani episcoporum sententiæ, quamvis terminum Paschalem XI. Kal. Majas a majoribus accepissent, & observassent antea: persuasi nimirum ratione ipsis a Paschasino suppeditata, quam & Prosper attingit, scribens: *Hoc anno Pascha Domini IX. Kal. Maii celebratum est: nec erratum est: quia inde* (for. *in die*) *XI. Kal. Majarum dies passionis fuit*: quæ respondent verbis Paschasini in epist. ad Leonem P.: *Nec id vobis aut novum, aut erraticum videatur: cum dies passionis XI. Kal. Majarum occurrat, a quo, sicut Græcis videtur, Pascha nomen accepit* (ita nimirum sensit Tertull. adv. Judæos, Cap. XI., Lactantius lib. IV. Div. Inst. & alii, a græco πάσχειν, *Pascha* ducentes); *licet hebræa lingua interpretes tradant, Pascha* transitum *dici*: &c. Nempe cum Latini recusarent eo tempore Pascha ultra diem vicesimam primam Aprilis extendere, suggessit Paschasinus, etiamsi Pascha resurrectionis vicesima tertia ejus mensis, seu IX. Kal. Majas celebraretur; Pascha tamen passionis ipsa die XXI. Aprilis peractum: idque ipsum expressum voluit Prosper, quo apud Latinos excusaret novam illam Paschatis post biduum protracti rationem.

quid de Prosperi germana lectione, deque mutationibus quæ in eo loco occurrunt, certi aliquid statuere possimus. Oppones, Victorium suadere, Prosperum vel in postrema Chronici editione perstitisse in priori de Christo sub Geminis passo sententia: quare correctionem illam ipsi omnino abjudicandam videri. Responderi possit, Victorio præ manibus esse potuisse codicem aliquem Chronici Prosperiani ex prima editione transcriptum, in quo nimirum quæ ille subinde, & ad Romam usque captam, postea continuaverat, suppletis, non tamen fuerit correctum quod de anno Christi σταυρωσίμῳ mutaverat: cujusmodi sane erat & codex quem Bucherius vidit. Sed ne hoc quidem opus est consugio: nam ex Victorii verbis a nobis supra allatis minime evincitur, Christi mortem a Prospero Geminis Coss. fuisse adfixam, sed tantum adfixisse ipsum Victorium. Nempe id unum hic adstruit, ex *eadem Chronicorum relatione* colligi Christum passum *peractis* V. *CCXXVIII. annis ab ortu mundi*: respiciens profecto ad annorum collectiones, quæ tum in Eusebiano tum in Prosperiano opere ad annum Tiberii XV. leguntur. Atqui si hæc de Eusebii Chronico dicta intelligantur, certum est in illo Christi mortem huic anno non adfigi, sed baptismum: ea tamen de Eusebiano potius Chronico, quam de Prosperiano esse intelligenda, suadet ac prope evincit ipsum *Chronicorum* vocabulum, quo Eusebii librum peculiariter indicare solet in eo Prologo §. VII.: quem locum non pigebit heic integrum referre. *Recensitis*, inquit, *fidelibus historiis veterum, beati scilicet Eusebii Cæsariensis Palæstinæ civitatis episcopi, viri imprimis eruditissimi atque doctissimi, Chronicis Prologoque, ac perinde his quæ a sanctæ memoriæ Hieronymo hisdem Chronicis sunt adjecta presbytero, per quem in latinum quoque probantur translata sermonem; hisque etiam quæ a sancto ac venerabili viro Prospero, usque ad consulatum Valentiniani Augusti VIII. & Anthemii constat fuisse suppleta; reperi a mundi principio usque ad diluvium* ĪI. *CC XLII. annos: item a diluvio usque ad nativitatem Abrahæ annos DCCCC.XLII. Natum autem Abraham XLII. anno regnante jam Nino, eadem monumenta testantur; a cujus etiam tempore gestarum rerum publici scriptores esse cœperunt. Quapropter vir venerabilis prædictus Eusebius Chronicorum abhinc exorsus est historiam, volens industriæ suæ fidem mundanorum quoque Annalium coætaneo relatu perpendi, & professæ veritatis etiam Gentilium litteras testes sciscitari, contentus præterita sæcula sacris voluminibus explicari: ætates tantum summatim retro-generationum ex Prologi textu patefaciens, & operis plenitudine* (al. *in operis plenitudinem*: sed leg. videtur, *in operis plenitudine*) *sub annorum recapitulatione pariter comprehendens. cujus tenorem vir venerabilis Prosper secutus, hisdem Chronicis hæc eadem* (sc. *præterita sæcula*, seu generationes singulorum Patriarcharum, ab Adamo ad Abrahamum) *egregia brevitate composuit* (al. *proposuit*, sed lege *præposuit*) *ut eorum initium a mundi inchoaretur exordio*. Cum itaque in hoc contextu occurrat quater vox *Chronicorum*, & ubique ad Eusebii librum indicandum usurpetur; oportet ut ad eumdem referantur etiam quæ paullo infra §. IX. sequuntur, *eadem Chronicorum relatione*: non ad Prosperum, ut voluit Auctor Observ. in Chr. Prosp. pag. 132., Victorii verba modo laudata ita commentatus: *certe non Chronicorum Eusebii, neque Chronicorum Hieronymi, sed Chronicorum Prosperi relatione*. Accedit, quod Prosper non eumdem annorum numerum ab O. C. ad Tiberii XV. collegit: nam diversam aliquanto ab Eusebiana in Patriarcharum generationibus recensendis computandi rationem inivit, ut colli-

 gitur

gitur ex initio ejus libri, ubi Cainan secundum (1) Salæ patrem, ab Eusebio præteritum, agnoscit cum CXXX. annis ejusdem ad natum usque

(1) Prosper in Chron. *Arphaxad autem cum esset annorum CXXXV. genuit Cainan; & Cainan cum esset annorum CXXX., genuit Salem*. Verum Auctor Observ. in Chron. Prosp. pag. 50. atque alibi sæpius, contendit Cainan hunc a critico quodam in Chronicum Prosperi intrusum, & omnes annorum summas, quæ ipsius annos complectuntur, vel vitiatas esse vel supposititias: *idque*, scribit ille ibidem, *ob has rationes: I. Vix mihi persuadere possum, Prosperum, qui Eusebium in omnibus, imprimis in Chronologicis presse sequitur, hic statim in limine ab eo voluisse recedere. Idque tacite, ne verbo quidem de hoc dissensu monens*. Hæc objicienti plura reponi possunt: ac 1. nusquam Prosperum dixisse, se in omnibus sequi Eusebium, neque hoc uno loco palam ab eo discessisse. quæ aliquando scripsit & sensit contra Eusebii mentem, de anno quo Christus est passus, meminisse sufficiat. 2. Quamvis agnoscamus Prosperum in omnibus fere consentire Eusebio, cujus nempe Chronicum, ab Abrahamo incipiens, compilandum susceperat; in eo tamen præcedenti intervallo peculiares & gravissimas caussas habuit, ob quas ab eo discordaret: scilicet, quia in antiqua latina Editione Geneseos recensebatur inter ceteros Patriarchas & Cainan Arphaxadi filius, ut testis est inter ceteros Augustinus lib. XVI. de C. D. cap. X., ubi etiam habet: *Fiunt itaque anni a diluvio usque ad Abraham mille septuaginta & duo, secundum vulgatam editionem, hoc est, Interpretum septuaginta*. Viden' ut etiam Augustinus Eusebium, quem alioquin sæpissime sequitur in illo Opere, in hoc tamen neglexerit, ne vulgatæ & apud omnes receptæ Editioni contrairet. quidni igitur idem licuerit Prospero Augustini discipulo? 3. Eusebius in Chronico, quod Hieronymus in latinum interpretatus est, non digessit singulas Patriarcharum qui Abrahamum præcesserant, generationes, sed earum tantum durationem obiter expresserat tum in Prologo, tum alicubi in Chronico: de quo fuse egimus in Dissert. *de Chron. Eusebii*. quin etiam in Prologo lectorem ad ipsum Geneseos librum amandaverat, ut ex eo sese plenius dignosceret: *Verum in curiositate*, inquit, *ne cesses: & cum divinam Scripturam diligenter evolveris, a nativitate Abrahæ usque ad totius Orbis diluvium invenies retrorsum annos DCCCCXLII.* &c. Quid igitur faceret Prosper, qui computatis singulis illis generationibus, centum & triginta, aut uno minus, annos amplius inveniret? A Geneseos textu discedere nefas duxit, ad quem appellaverat ipse Eusebius. 4. Quod postremo additur, *tacite* ab Eusebio discessisse Prosperum, non usquequaque verum est: nam ad an. XV. Tiberii indicatur hæc discrepantia. Porro pergit opponere Vanderhaagenius: *II. Mirum mihi videbatur, Prosperum colligere annos a diluvio & ab Adam, non usque ad nativitatem Abrahami, sed ulterius progrediendo, usque ad annum Abrahami 75., seu primum promissionis. Sed postquam deprehendi illam annorum collectionem satis imperite factam esse, eamque nisi hypothesi a mente Prosperi, & iis quæ in sequentibus dicit, alienæ; judicavi etiam a manu imperiti vel imprudentis critici profectam esse, & ab intrusione Cainani originem habere mihi videbatur. Vide quæ notamus infra* §. 27. Hia repono, 1. nullam esse caussam cur miremur, Prosperum annos ab Adam & a diluvio non ad Abrahami nativitatem, ut Eusebius, sed demum ad ejus LXXV. vitæ annum collegisse: apparet enim id ab eo factum, ut summas illas, seu epochas connecteret cum annis CCCCXXX. repromissionis Abraho eo ipso anno a Deo factæ: maxime quum Prosper nullam Nini & Semiramidis, aut aliorum regum, quos initio Chronici sui Eusebius comparaverat cum Abrahæ natali, mentionem instituerit. 2. quæ sequuntur, de collectione illa *satis imperite facta*, & de *hypothesi a mente Prosperi, & iis quæ in sequentibus dicit, aliena*, gratis asseruntur, nec probantur §. 27., ad quem provocat. Quod enim ibidem observat, pag. 57. *eum qui hanc collectionem annorum*, de qua supra, *instituit, annum promissionis primum cum anno vitæ Abrahami 75. componere*, vehementer fallitur: nam paullo post annum Abrahæ centesimum dicit *repromissionis vicesimum quintum*. evanescet autem omnis difficultas, si legas in Prospero: *Et inveniuntur ab anno LXXVI. Abraham* (non LXXV., ut in editis) *in quo est promissionis exordium, usque ad Moysen & egressum Hebrææ gentis ex Ægypto, anni CCCCXXX*. Postremo obiicit: *III. Prosper colligit cum Eusebio ab Adamo usque in XV. Tiberii annos 5228., ut testatur Victorius Aquitanus in præfatione ad Canonem suum Paschalem* §. 9., *& ipse Prosper in prima sua recapitulatione ad annum Tiberii XV., adeoque etiam cum Eusebio Cainanem excludit, & a diluvio usque ad Abrahami natales, annos 942. colligit. Vide quæ notamus infra* §. 40. Quod de Victorio scribit, jam in textu diluimus, ostendentes Victorium *Chronicorum* vocabulo Eusebii librum singillatim indicasse. Quod de Prosperi recapitulatione ad an. Tiberii XV. spectat, exhiberi quidem in illa annorum DCCCCXLII. summa a diluvio ad Abrahamum, sed ex sententia Eusebii, cui Prosper addit insuper annos CXXIX. Sed de his tum in textu, tum in sequenti Nota agimus.

Digitized by Google

usque Salem: atque adeo a diluvio ad primum annum promissionis annos computat MCXLVI. qui Eusebio sunt tantum M. & XVI. *Fiunt itaque*, scribit Prosper, *a diluvio usque ad primum annum promissionis, MCXLVI.* (ita legendum, non, ut in edd., MCLXVI.) *ab Adam vero anni MMMCCC.XXCVIII.*: cui computandi rationi prorsus convenit, quod ad Theodosii XIV. consulatum in edit. Labbei legitur: *A diluvio autem usque ad Abraham anni M.LXXI.*: nam si his addas annos LXXV., quot agebat Abraham, tum cum facta fuit ipsi a Deo promissio, prior illa summa conflatur. Sed quid hoc ipso, quem præ oculis habere debuit Victorius, Prosperi loco legatur, imprimis attendendum est. Ita nimirum fert editio Labbei: *A diluvio autem usque ad primum annum Abrahæ anni nongenti XLII. Eusebius vir disertissimus adnumeravit. Ab Adam vero usque ad diluvium, anni duo millia CCXLII. Sunt ergo omnes anni ab Adam usque in annum XV. Tiberii Cæsaris anni MMMMMCCCLX. aut CCXXVIII. Anni vero secundum Geneseos Scripturam, & Africani Historici supputationem amplius inveniuntur CXXIX.* Hunc locum referens in Diss. *de Chron. Eusebii* Part. I. §. IX., monui obiter pro *anni nongenti*, legendum *annos nongentos Eusebius v. d. adnumeravit*: nunc vero cum Auctore Observat. §. 40. pag. 117. observo verba illa: *Anni vero secundum Geneseos Scripturam*, & quæ sequuntur, *loco suo mota esse (per incuriam, ut videtur, librarii) & jungenda esse illis verbis*, Eusebius v. d. adnumeravit: neque enim eo loci commemorare debuit, quot annos a diluvio ad natum Abraham Eusebius recensuerit, omittere autem quot ipse putaret recensendos, præcipue quum eos in summa totali statim comprehendat: *Tum enim*, addit ille (1), *omnia cohærent, id quod deerat, suppletur, & illud ergo recte concludit.*

35. Itaque ut ad Victorium redeamus, cum Eusebianum tantum numerum annorum VCCXXVIII. recensuerit, Eusebianum Chronicum potius quam Prosperianum in eo secutum se prodit, minimeque adeo ex ejus verbis concludi potest, eumdem præ oculis habuisse Prosperi codicem,

(1) Idem tamen ibidem Prospero abjudicat, & critico nescio cui adscribit tum verba, *Eusebius vir disertissimus adnumeravit*, tum quæ his connectenda recte judicat, *Anni vero secundum Geneseos Scripturam*, &c.; sed ex præconcepta tantum opinione, & ut ajunt, sine tabulis & testibus; nam neque MS. ullum codicem pro se producit, & quem unicum testem laudat, Victorium, de Eusebio loquutum jam ostendimus. Addam hanc eamdem de Genesis Scriptura & Africani supputatione sententiam, ex Prosperi, ut ego puto, libro excerptam, a Freculfo Lexoviensi episcopo insertam fuisse Chron. Tom. I. lib. VI. capite 19., quo capite de Christi nativitate agens, & annorum instituens enumerationem, hæc habet inter cetera: *Ab Abraham & regno Nini & Semiramidis anni II. millia XI. A diluvio quippe anni II. millia DCCCCXXI., Ab Adam vero V. millia C.XXIX. Secundum Geneseos igitur Scripturam & Africanam supputationem, amplius inveniuntur anni CXXVIII.* Locus quidem non caret mendis: nam Eusebium sequi Auctor solet, & tamen ab ejus calculis aliquanto discordat: sed, quod caput est, hanc de *Genesis Scriptura & Africana supputatione* appendicem nulla peculiari sibi ratione addens, indicat eam se descripsisse aliunde, nempe, ut ego judico, ex Prospero: ergo jam tum Freculfi ætate, seu sæculo IX., legebatur in ipsius Chronico. Postremo, quod ætas illa a diluvio ad Abraham annis tantum CXXIX. excedere dicatur *secundum Geneseos Scripturam*, quum computato Cainan anni CXXX. accrescant; ratio est, quia Prosper Arfaxadi annum natalem copulavit cum anno secundo a diluvio, e contra Eusebius cum anno tertio. Hinc etiam factum, ut a diluvio ad Abraham computaverit annos mille & LXXI., qui Augustino in superiori Nota producto sunt *mille septuaginta & duo*. Quod autem addit, *& Africani Historici supputationem*, omnino falsus est. Africanus enim non agnovit Cainan illum, & a diluvio ad natum Abraham non nisi an. DCCCCXL. collegit, & biennium illud post diluvium, post quod demum Sem genuit Arphaxad, plane neglexit, ut ex Syncello liquet.

Digitized by Google

diem, quo Christus sub Geminis crucifixus poneretur. Sed ut de diverticulo tandem in viam redeamus, illud potissimum observatione dignum est in allatis Prosperi verbis, quod fortasse in caussa esse potuit, cur genuina Eusebiani textus lectio interpolata fuerit: nimirum, triennium promulgationi Euangelii ab Eusebio præstitutum, contra ipsius mentem (de quo diximus num. 5. & 6.) ita computari, ut in eo comprehendatur etiam annus Tiberii XV.: tum ex Joannis Euangelio tria tantum Paschata exsculpi, cum certum sit Eusebium, ut alios ommittam, quatuor omnino numerasse. Ambigi autem jure possit, utrum hæ duæ erroneæ interpretationes ex corrupto jam Chronici textu sequutæ sint, an potius eidem corruptioni obtrudendæ occasionem primitus suggesserint sive ipsi Prospero, seu mavis librario cuipiam, qui sibi satis in his prudens videretur.

36. Ceterum vix enumerari possint Scriptores, qui seu vestigiis Prosperi insistentes, seu mendoso Chronici textui inhærentes, salutarem Christi passionem anno Tiberii XVIII. constanter affixerunt: ita ex. gr., Jornandes, sive Jordanus, in lib. de Regn. success., Beda in lib. de Rat. temp., & alibi, Isidorus Hispalensis in Chronico, Freculfus Lexoviensis, Chron. Tom. II. lib. 1 cap. 5., Ado Viennensis, Regino Prumiensis episcopus, Lambertus Schafnaburgensis, Ricobaldus Ferrariensis, aliique sexcenti: uno verbo, Latini omnes Chronographi, paucis exceptis, qui antiquiorem de Christo passo sub Geminis Coss. sententiam sequi maluerunt. Unus est Anastasius Bibliothecarius, qui, ut vidimus, anno XIX. Tiberii Christi crucifixionem juxta Eusebium alligarit, & qui eum ad verbum descripsit in Historia Miscella, Landulfus Sagax: verum ea lectio non ex Hieronymi Chronico, sed ex græco apud Syncellum Eusebii textu, nova interpretatione latine expresso, manavit. Ceterum minime mirum esse debet, si semel corrupto fonte, Hieronymiano scilicet Chronico, eamdem quotquot ex eo derivati postea fuerunt rivuli, contraxerint labem. Quod autem ex eo Chronico Tiberii annum quo Christum passum perhibent, laudati Scriptores descripserint, tum aliis multis neque iis obscuris indiciis, tum potissimum ex eo apparet, quod inde etiam desumserint Augusti annum, quo natum perhibent eumdem Christum Dominum, atque adeo totius ejus vitæ seriem. Sed quoniam in his quoque non codicum vitio, sed computi Eusebiani ignoratione, non semel nec modicum ab ejus rationibus imprudentes dissentiunt, non inutile erit hoc loco inquirere, quid de anno Christi natali & de totius ejus in terris peregrinationis spatio statuerit Eusebius, quidque demum ex ejusdem verbis exsculpserint Latini Chronicorum consarcinatores. eadem autem opera & recentiorum Chronologorum in Eusebio interpretando παροράματα notabuntur.

37. Eusebius non in Chronici tantum serie, sed & in ejusdem Prologo, Christum Dei Filium natum statuit anno imperii Augusti XLII., quod rursus inculcat in Hist. Eccl. lib. I. cap. 5. Verum annus ille Augusti non usitata & accuratis quibusque Chronologis probata, sed Eusebio peculiari, minusque exacta ratione est accipiendus, si quidem ipsius sententiam eruere & stabilire velimus. Recolat itaque Lector, quod opportune supra demonstravimus, Scriptorem hunc Augusti imperium a Julii Cæsaris nece deductum, annis tantum LVI. sexque præterea mensibus perperam definisse, quod anni fere spatio esse protrahendum constat:

ſtat: tum initium Auguſti anno ſerius quam par erat, conſignaſſe, atque adeo annum illum ab eo omiſſum ſupplendum eſſe in ipſo imperii Auguſti initio. unde demum ſequitur, ut qui primus in Chronico ponitur, ex rectæ Chronologiæ legibus pro ſecundo ſit habendus, & qui XLII., reipſa fuerit XLIII. Hoc vero confirmatur ex annis Olympiadum, quibus in eodem Chronico reſpondent anni Auguſti. Annus, puta, XLII. reſpondet ibi tertio Olymp. CXCIV. (1), deducto a Kal. Octobris proxime ſequutis ſolſtitium æſtivum, quo annus quilibet Olympiadicus init (hanc enim methodum ab Euſebio in Olympiadibus conſignandis perpetuo ſervatam ſuo loco oſtendimus): atqui annus ille III. Olymp. CXCIV., juxta Euſebianam computandi rationem, fere per omnia concurrere deberet cum Auguſti XLIII.: ſiquidem Euſebius, ut a Pagio etiam obſervatum fuit ad ann. Chr. XIV. num. 6., annos Auguſti imperii ſecus *in univerſum*, *ac in particulari* numeravit. Quando enim de toto quo Auguſtus regnavit, tempore loquitur, initium ejus ſumit a morte Julii Cæſaris, numeratque annos LVI. & ſex menſes (quamvis nec apud Syncellum, nec apud Proſperum aut alios qui Euſebium ſequuntur, horum ſex menſium fiat mentio): quando vero Auguſti annos ſingillatim recenſet, omiſſis ſex illis menſibus, primum annum orditur ab Octobri proxime ſequuto Julii Cæſaris mortem: ab Octobri enim, quod ſæpius diximus, annum civilem cœpiſſe Euſebium in confeſſo eſt. Ex mente quoque Euſebii eſt interpretanda alia temporis nota, qua Hiſt. Eccl. lib. I. cap. 5. componit annum imperii Auguſti XLII., Chriſtique natalem cum *octavo & viceſimo a ſubacta Ægypto*, *& ab interitu Antonii & Cleopatræ*: nam cum in Chronico anno IV. Olymp. CLXXXVII., qui eſt Cleopatræ XXII. & ultimus, Octaviani autem Auguſti XV., affigatur Cleopatræ Antoniique interitus (2), Ptolemæorumque regni finis, itemque hæc adnotentur: *Quidam ab hoc loco primum annum Auguſti monarchiæ ſupputant*; apparet viceſimum octavum ab eo annum, utroque termino connumerato, eſſe debere Auguſti quadrageſimum ſecundum, & Olymp. CXCIV. tertium. Verumtamen cum regni & vitæ Cleopatræ finis contigerit Auguſto menſe & anno III. Olymp. CLXXXVII. currente, annus Cleopatræ ultimus ex Euſebii methodo concurrere deberet cum anno II. ejus Olymp., & a tertio demum ducenda fuiſſet æra Alexandrina, quam ceteroqui ſpectaſſe videtur Euſebius, συγχρονισμῷ tamen anni unius aberrans: rectius proinde putaſſe videntur Clemens Alex. I. Strom. & alii, qui Natalem Chriſti anno XLI. Auguſti, & XXVIII. a morte Cleopatræ affixerunt: de quibus vide quæ in Nota ſequenti obſervatione digna occurrunt (3). Ut ad

(1) Baronius in Appar. num. 102. contendit Euſebium collocaſſe natalem Chriſti annum e regione anni ſecundi ejus Olymp., errore autem librariorum fuiſſe tertio appoſitum. Sed annus II. ejus Olymp. reſpondet an. Auguſti XLI., neque poteſt ab hoc avelli, quin tota pervertatur ſuperiorum & ſequentium annorum ſeries. Neque argumentum Baronii id evincit, quod probare vult, ut ipſum excutienti liquebit.

(2) In Pontacena utique editione: nam in Scaliger. & aliis antiquioribus, Antonii & Cleopatræ mors conſignatur anno III. ejus Olymp., Ægyptii autem regni finis anno IV., cui etiam aptatur XXII. & ultimus Cleopatræ annus: quod manifeſtum errorem redolet.

(3) Irenæus lib. III. adv. Hær. *Natur eſt Dominus noſter circa primum & quadrageſimum annum Auguſti imperii*. Clemens Alex. lib. I. Strom. Ἐγεννήθη δὲ ὁ Κύριος ἡμῶν τῷ ὀγδόῳ καὶ εἰκοστῷ ἔτει, &c. *Natus eſt autem Dominus noſter XXVIII. anno*, Auguſti ſcilicet, & a capta Alexandria, ut ſolebant in Ægypto anni Auguſti numerari.

ad Eusebium redeamus (quoniam hic, ut dicebamus, annum orditur ab Octobri) seu, juxta Latinæ Ecclesiæ antiquissimam & ubique gentium nunc receptam traditionem, VIII. Kal. Jan., seu mavis VIII. Id. Jan., ut olim Orientalibus, & Ægyptiis potissimum, persuasum fuit, Christum natum putaverit; annus ille quo Christum natum perhibet, ex majori parte in Christi annorum serie nobis est computandus: nam novem fere ejus anni menses ad Christi annum primum spectant. qua ratione non male in Chronico ex editione Pontaci & Vallarsii, ut antiquiores omittam, ab ipso anno Christi natali, seu a numero Eusebiano MMXV. incipit series annorum a Christo nato, seorsum, seu in

ri. Hic etiam subdit quindecim annis sub Augusto vixisse Christum, adeo ut Augusto annos Imperii omnino XLIII. tribuerit, quot nimirum & in Canone Astronomico, seu Ægyptiis Astronomis usitato, ei tribuuntur. Hos sequuti videntur Tertullianus, & Hieronymus, quorum tamen textus placet producere & vindicare. Tertullianus cap. VIII. libri adv. Judæos, tempus nati Salvatoris nostri ita designat: *Cleopatra consregnavit Augusto annis tredecim, post Cleopatram Augustus alios annis XLIII.: nam omnes anni imperii Augusti fuerunt anni LVI. Videmus autem, quoniam quadragesimo & primo anno imperii Augusti, quo post mortem Cleopatræ imperavit, nascitur Christus*. Scaliger, Animadv. ad Eusebii Chron. p. 174., annum a Triumviratu quadragesimum primum cum vicesimo octavo a morte Cleopatræ confudisse Tertullianum censet, dicendumque ei fuisse, *anno XLI. Augusti, quo triumviratum constituit*. Sed hic se se ab omni erroris suspicione liberat, cum tribuit Augusti imperio annos in universum LVI., eumdemque post Christum natum regnasse adhuc annos XV. semel & iterum statuit. Dicendum itaque omnino est locum a librariis fuisse corruptum. Equidem nonnulli se mederi huic vulneri putant, si sequantur lectionem, quam exhibent Hieronymi Codd. in Comm. ad Dan. cap. IX., ibi enim legitur non *quo*, sed *qui post mortem Cleopatræ imperavit*. Sed hæc lectio interpolationem sapit, & illud, *qui post* &c., absque dubio heic inseritur, si Tertullianus vidit annum hunc esse numerandum a triumviratu, non a Cleopatræ exitu. Postremo veræ lectionis vestigia exhibet MS. liber Fuldensis in Notis Rigaltii productus: nam ex eo apparet, ubi paullo post rursus legitur *post mortem Cleopatræ*, supplendum esse numerum, *XX. & VIII.* Itaque & hoc loco legendum hoc, aut simili ferme pacto: *Videmus autem, quoniam quadragesimo & primo anno imperii Augusti, & XXVIII. quo post mortem Cleopatræ imperavit, nascitur Christus*. Restat objectio a Pamelio facta, qua statuit non posse Tertullianum ab errore vindicari, quia ad summam annorum quam colligit, requiritur, ut seorsim computaverit annos Cleopatræ XIII., & annos Augusti XLI.: sed omnino oportet, ut singulorum regum anni fuerint dedita opera a librariis vitiati, vel aliquis ex iis regibus cum suis annis fuerit omissus. Obiter alter Tertulliani locus qui paullo post sequitur, est corrigendus apud Hieronymum, nempe ubi legitur, *patitur Christus annos habens trigintatres quum pateretur*: legendum est enim, ut in Tertulliani codicibus *triginta*, ut & antiquiores Hieronymi editiones, & MSS. aliqui præferunt a Vallarsio laudati: qui tamen nedum locum non emendavit, sed etiam in Notis favet alteri lectioni, quæ pro *patitur*, habet *baptizatur*. Sane quum aperte dicat ille, Christum *quinto decimo anno imperii* Tiberii passum, nec non *Coss. Rubellio Gemino, & Fusio Gemino*, nullus est ambigendi locus, quin *tricesimo* anno, non autem *tricesimo tertio* salutarem ejus passionem alligarit. Utrique etiam emendationi nostræ constabiliendæ inservit Chronicum Hieronymianum, in quo ad annum Augusti XLI. hæc leguntur: *Tertullianus in eo libro quem contra Judæos scripsit, affirmat Christum XLI. anno Augusti natum, & XV. Tiberii esse passum*: quæ ab ipso Hieronymo inserta minime dubitamus. Hic certe Tertullianum potissimum præ oculis habens, scripsit Comm. in Isa. II. *Veteres revolvamus Historias, & inveniemus usque ad XXVIII. annum Cæsaris Augusti, cujus anno XLI. Christus natus est in Judæa, in toto orbe fuisse discordiam*: scilicet & hic annum Augusti XXVIII. post captam Alexandriam, XLI. a triumviratu numerat. Sed Scaliger pag. 176. Animadv., erroris Hieronymum incusat, quasi *manifestis idem principium anni XXVIII. & XLI. fecerit*. Quod falsum est: nam statim subdit, *orto domino omnia bella cessasse*. ergo annus XXVIII. idem ipsi erat ac XLI., proindeque uterque a diverso principio ductus. Si vero, ut putamus, hæc scribens, Tertulliani librum adv. Jud. præ oculis habuit Hieronymus, in eo legit utrumque numerum, & qui excidit a vulgatis codicibus, puta a Cleopatræ excessu XXVIII., &, qui adhuc superest, XLI. primum a triumviratu. Ita mutuo hi Patres lucem sibi fœnerantur.

Digitized by Google

in dextro margine apposita, quam tamen non ab Eusebio aut Hieronymo professam esse constat. perperam vero Scaliger eamdem ad latus sinistrum translatam, insertamque ceteris Eusebianis annorum seriebus, repetit ab anno sequenti, seu a numero MMXVI.: sed de his infra. Ponamus itaque, quod est verisimillimum, Christum ex mente Eusebii natum VIII. Idus Jan., sequitur ut natalis illius concurrat cum initio anni Juliani XLV., & DCCLIII. ab U. C. juxta Varronem, Cosso Cornelio Lentulo & Lucio Calpurnio Pisone Coss.: qui annus proxime præcedit primum vulgaris æræ Christianæ.

38. Hanc nos pro certo habemus veram & unicam esse Eusebianam epocham Dominicæ nativitatis, quam tamen minime sunt assequuti nedum antiquiores, qui pinguiori, ut ajunt, Minerva de temporibus scripserunt, sed plerique etiam ex recentioribus in Chronologicis quæstionibus exercitatissimi. Scaliger, ex. gr., in Animadv. ad Chron. Lat. pag. 174. (1) & seq., Orosium etiam, quasi fidum Eusebii interpretem, laudans, statuit hunc consignasse Christi natalem anno Urbis DCCLII., Augusti XLII., Augusto XIII. & Plautio Coss., anno demum Abrahami MMXVI.: in qua sententia duplex inest error, & quidem se se invicem oppugnans. Primus ex eo pendet, quod minime adverterit Scaliger annum Augusti XLII. juxta Eusebium, nobis esse debere annum ejusdem imperii XLIII., in quo sane non Scaliger tantum, sed plerique omnes decepti sunt: alter eidem Scaligero peculiaris, quod Christi natalem a numero Abrahami MMXV. ad sequentem, qui respondet in Chronico an. XLIII. Augusti, nobis autem est XLIV., traduxerit contra apertam ipsius Chronici attestationem. Oppugnare autem se se invicem has temporis notas manifesto liquet: nam numerus ille MMXVI. respondet anno quarto Olymp. CXCIV.: cum contra anno ab U. C. DCCLII., quo Augustus XIII. & Plautius consules fuerunt, quique usque ad Idus Martias (unde imperii Augusti initium Scaliger repetit) cum anno ejusdem Augusti XLII. concurrit; in cursu fuerit annus secundus ejus Olymp. Hæc sane quam absurda essent non vidit Petavius, acerrimus alioqui Scaligeri castigator, neque omnino ejus mentem est assecutus, quum ejusdem in Christi annis collocandis rationem laudaverit præ Pontacena, hæc lib. XI. de D. T. cap. 43. scribens: *Ad annum Abrahami MMXV., Olymp. CXCIV. tertium, Augusti XLII., quo natus est Dominus, primus apud Pontacum Christi ponitur annus. rectius in Scaligeriana cum sequenti conjungitur. siquidem æra Christi post eum annum quo natus est Christus, inchoatur.* Hoc postremum verum quidem est, si de æra vulgari sermo sit, quæ ideo ab anno sequente eum quo natus creditur Christus, incipit, quia natum Christum ponit VIII. Kal. Jan.: nam si ex Euse-

(1) Scalig. in Chron. Lat. pag. 156. refert, ut debuit, Christi nativitatem ad num. Abrahami MMXV. qui est ibidem conjunctus cum XLII. Augusti, sed in Animadv. eam jungit num. seq. hoc pacto: — MMXVI. Jesus Christus Filius Dei in Bethlehem Juda nascitur) *Ab Abraham ad natalem Christi Eusebius putat annos MMXV. .... Ergo natus numero MMXVI., ut antea, Augusto XIII., Plautio Coss. ..... Numerus MMXVI. est is annus, in cujus Nisan Herodes obiit. Omnis autem Ecclesia in partibus Orientis sæculo Eusebii, & antecedenti & sequenti, credidit Christum natum VIII. Eid. Januarii, Theophaniorum festo ..... Sed si Christus natus est Epiphania numeri MMXVI., inter natalem ejus & obitum Herodis, intervallum minus quam menses tres .... Natus igitur numero MMXV.* &c.: quibus adde quæ pag. 175. col. 2.

Eusebii mente collocetur eadem Christi nativitas VIII. Idus Jan., non erit cur ei ipsi natali anno apponi non possit etiam I. Christi annus. Hoc sane sibi voluit etiam Scaliger, qui quum persuasum haberet numero Abrahami MMXVI. Christum natum VIII. Id. Jan. juxta Eusebium, eidem etiam anno apposuit I. annum Christi; licet ipsi persuasum esset ex Herodis obitu, quem Paschati ejusdem numeri MMXVI. adfigit, verum Christi natalem respondere numero præcedenti, ut colligitur ex ejus verbis carptim a me in præcedenti Nota descriptis. Porro Petavius eodem loco hæc addit in confirmationem eorum quæ paullo ante produximus: *Ceterum Christi annos melius in Scaligeriano codice, quam in Pontaceno adnotatos esse, ex eo vincimus, quod æra Christi Eusebiana uno tantum anno communem ac Dionysianam antevertat. Nam uno dumtaxat anno Christi natalem anticipat; dum natum illum facit anno III. Olympiadis CXCIV., qui ex vulgaris æræ ratiociniis quarto natus esse debuit.* Hæc ibi; sed lib. seq. cap. 4. sibimet aperte contradicit, scribens: *Eusebius anno Abrahami 2015. Christi ortum imputans, duobus annis communem epocham antecedit. Nam cum ex perpetua methodo ad Eusebianos annos, 2696. addenda sint, ut annum Julianæ periodi consequamur, in quo annus Eusebianus incipit; adjectis annis 2696. ad 2015. consiunt 4711. Ita anno exeunte 4711. natus erit Christus, vel ineunte 4712., si quidem sexto Januarii natum fuisse velit.* Sed hoc loco Petavium fefellit, sibique repugnantem exhibuit *perpetua illa methodus* ab ipso excogitata, quam uno anno deficere suo loco ostendimus. Itaque fixum maneat, quod antea dixerat, *æram Christi Eusebianam* uno tantum anno communem ac Dionysianam antevertere, quod ex Olympiadum annis recte collegerat. Verum ex eo perperam infert, *Christi annos melius in Scaligeriano codice, quam in Pontaceno adnotatos esse*: nam sicuti in æra vulgari anno IV. Olymp. CXCIV. natus Christus ponitur, & eodem anno quarto currente primus Christi annus, a Kalendis tamen Januariis ad Romani anni normam, inchoatur; ita cum tertio anno, ejusdemque anni juxta Eusebium quarto ineunte mense, natus Christus fuerit, nihil prohibet, quin eidem anno tertio Olymp. annus Christi primus affigi possit. Præterea non heic agitur potissimum, quid facto opus sit, sed quid olim ab aliis factum fuerit: atqui in omnibus Chronici codicibus MSS. & Edd., qui quidem Christi annos appositos habent, ita constanter appositi fuerunt, ut is primus putaretur, quo & recensetur Christi ortus; scilicet millesimus decimus quintus ab Abraham: ergo non licuit Scaligero ab eo in sequentem annum traducere primum a nato Domino annum. Id adeo verum est, ut in Pontaci editione ad eum ipsum numerum MMXV., & ad ea verba: *Jesus Christus Filius Dei in Bethleem Judæ nascitur*, hæc ex paucis quibusdam codicibus a Pontaco descripta, sed jamdiu antea adscripta, legantur: *Quo anno cœpit Christianorum salus: qui & primus annus Christianæ salutis numeratur*. quæ licet, ut ipse in Notis agnovit, non sint ab Eusebio aut a Hieronymo, sed multo post inserta fuerint; declarant tamen, eumdem annum fuisse in Eusebii Chronico primum Christi numeratum constanter ante Scaligeri editionem, quam proinde immerito prætulit Pontacenæ Petavius, merito autem reprehendit Valesius, scribens in Adnot. ad cap. 5. lib. I. Hist. Eccl. *Itaque ex sententia Eusebii primus Christi annus concurrit cum anno 42. imperii Augusti. Sic certe in vetustissimis codicibus Eusebiani Chronici, Acutiano, Lipsii & Ortelii scriptum habetur, ut testatus est Miræus. Sic in antiquissima editione Mediolanensi*,

quam

quam nec Scaliger nec Pontacus viderant. Male in editione Scaligeri primus Christi annus componitur cum 43. Augusti contra fidem scriptorum codicum, adeoque contra ipsius Eusebii sententiam, &c. Eadem fere & in caput ultimum lib. VII. adnotat. Idem tamen cum Scaligero in reliquis concordat, nempe ut XLII. annum Augusti ab Eusebio expressum cum ejusdem Augusti XIII. consulatu conciliet: *Annus porro*, inquit, *primus Augusti juxta supputationem Eusebii is est quo Hirtius & Pansa consules fuerunt, proinde secundus & quadragesimus Augusti annus cadit in consulatum ejusdem Augusti tertium decimum*. Hirtius & Pansa consules quidem fuerunt anno proxime sequuto Julii Cæsaris mortem: at unde novit Valesius, *juxta supputationem Eusebii* primum Augusti annum cum iisdem consulibus convenire? non aliunde puto, quam ex græco apud Scaligerum textu, quem Valesius non advertit ab ipso Scaligero consarcinatum ex variis, qua græcis qua latinis, pannis; appositis etiam consulum fastis, quos Eusebius minime recensuit. Illud contra constat, par illud consulum iniisse magistratum currente adhuc an. primo Olymp. CLXXXIV., cui tamen anno Eusebius adfigit Cæsaris mortem: adeo ut juxta eumdem primus Augusti annus non concurrat, in Kal. Januariis, cum Hirtio & Pansa Coss., sed cum Lepido & Planco, qui in Fastis proxime sequuntur, atque adeo annus XLII. cum Lentuli & Pisonis consulatu, qui tamen deberent ex rectæ Chronologiæ norma respondere an. ejusdem Augusti XLIII. Sed hæc contra Valesium satis superque: ad Pagium veniamus. Hic tum in Diss. de Periodo Græco-Rom. num. 13. & alibi, præcipue num. 78., tum in Appar. num. 146., denique in Critica Annal., ad an. Chr. XIV. num 6. & alibi, duobus annis prævertit annum Christi natalem Eusebianum, eumdem affigens an. XLIII. Juliano, Urbis DCCLI., & Lentulo ac Messalino Coss: idque se colligere certo putat ex iis præcipue quæ circa finem lib. VII. Hist. Eccl. leguntur, quo loco *a nostri Servatoris ortu ad Ecclesiarum subversionem*, seu ad initium persecutionis Diocletiani, Eusebius *quinque ac trecentos annos* numerat (1): quem locum contra Scaligerum produxerat antea Valesius. Equidem is locus nonnullam nobis difficultatem parit: sed non debuit a Pagio tam longe peti argumentum ad Christi natalem annum eruendum, qui suis propriis characteribus ab Eusebio suo loco designatur: sed his ante prius perpensis & constabilitis, si minus locus ille responderet, vel negligendus, vel corrigendus fuerat. Sane primus ejus persecutionis annus, idemque Diocletiani XIX., concurrit ex sententia Chronologorum recentiorum cum anno Urbis MLVI., & cum secundo Olymp. CCLXX. currente usque ad solstitium æstivum: quærendum itaque Pagio fuerat, num eodem anno Olymp. Eusebius quoque adfixerit annum Diocletiani XIX., qui quidem in Chronico juxta editionem Pontaci & Vallarsii respondet anno IV. ejusdem Olymp., juxta Scaligerianam autem tertio: adeo ut appareat initium imperii Diocletiani, ceterosque ejus annos unius saltem anni spatio in eo Chronico fuisse postpositos. Placet quid de his scri-

(1) Pag. in Appar. num. 146. annos illos CCCV. ita accipit, ut *ultimum terminum inclusum* esse velit, scilicet ipsum annum persecutionis primum. At contrarium omnino suadet Eusebii liber VII. circa finem, & VIII. initio: nam in eo nihil habetur, quod ad historiam ejus persecutionis proprie spectet: in hoc vero capite I. quæ persecutionem præcesserunt, attingit: tum demum Eusebius historiæ filum a Diocletiani anno XIX. & ab Ecclesiarum subversione orditur, quam accidisse tradit mense Martio. His adde argumentum ex Chronico ductum, de quo in textu.

ſcripſerit Petavius lib. XI. D. T. cap. 34., referre: *Euſebius*, inquit, *uno anno tardius Diocletiani primordium collocat, ad annum primum Olymp. CCLXI.* (lege, CCLXVI.) *quum ad quartum Olympiadis CCLX* (leg. *CCLXV.*) *ponendum fuerit .... Ita quidem in edit. Scaligeri; at in Pontac. biennii metachroniſmus eſt*, &c. Hinc vero conjicere poſſumus, cur ab anno Chriſti natali, quem diximus cum anno ab U. C. DCCLIII. congruere, Euſebius in Hiſtoria numeraverit annos CCCV. ad initium perſecutionis Diocletiani, quæ erupit ante Paſcha anni ab U. C. MLVI., quum tamen hic ab illo ſit annus trecenteſimus quartus tantummodo.

39. Sed videamus, quid de eadem natalis Domini epocha antiqui poſt Hieronymum Latini ſcriptores ſenſerint & ſcripſerint. Hi fere omnes Euſebianum Chronicum ſequuntur & deſcribunt: itaque XLII. Auguſti anno Chriſtum natum paſſim in iiſdem legimus, Auguſtum autem LVI. annis omnino regnaſſe. Sed quod ille VIII. Idus Januarii, ſeu VIII. Kal. ejuſdem menſis & anni, factum voluit, ex Romano anni cardine & more in recolenda Chriſti nativitate interpretantes, ad anni exitum & ad diem VIII. Kal. Jan. proxime ſequentes tranſtulerunt, atque adeo anni fere intervallo ab Euſebii, quem ſe ſequi putabant, ſententia imprudentes diſceſſerunt. Ita nimirum omnium primus Oroſius lib. I. cap. I.: *A Nino autem, vel Abraham, uſque ad Cæſarem Auguſtum, ideſt uſque ad nativitatem Chriſti, quæ fuit anno imperii Cæſaris XLII. .....colliguntur anni duo millia XV.*: tum lib. VII. cap. 2. *Iſtius inquam Cæſaris* (Auguſti), *poſteaquam imperare cœpit, emenſo propemodum anno XLII. natus eſt Chriſtus ..... Natus eſt autem VIII. Kalendas Januarii, cum primum incrementa omnia anni venientis incipiunt*. Denique cap. 3. initio: *Igitur anno ab U. C. DCCLII. natus eſt Chriſtus*. Nimirum Oroſius ex Euſebii Chronico annum Auguſti, quo is natum perhibet Chriſtum, depromſit, ipſe autem eum annum cum DCCLII. Urbis comparavit, nec male, ſi quidem apud Euſebium anni Auguſti luxati non eſſent. præterea diem natalem circa finem ejus anni, ſive VIII. Kal. Jan., collocandum ex Latinæ Eccleſiæ more minime dubitavit. Oroſium excipiat Jornandes. Hic in lib. de Regn. ſucc. habet: *Regnavitque* (Auguſtus) *annos quinquaginta ſex. Sed imperii ejus ſecundo ac quadrageſimo anno Dominus Jeſus Chriſtus ex Spiritu Sancto ac Maria Virgine Deus verus ac homo verus naſci dignatus eſt, quatuordecim reſiduos annos poſt Domini adventum corporali præſentia, in pace regnans*, &c. En annos LVI. Auguſto adtributos, & ex his quadrageſimum ſecundum exeuntem Chriſti natali accommodatum, ut ab Oroſio. His magno numero & ſummo conſenſu concinunt plerique omnes ſequioris ævi Chronographi, ipſumque poſtremo Romanum Martyrologium, in quo ad diem VIII. Kal. Januar. hæc leguntur, quæ ex Euſebiano Chronico fere omnia primitus deſumta fuerunt, ſed ea ex antiquioribus Martyrologiis, ipſo Baronio teſte, in Romanum traducta: *Anno a creatione mundi ..... quinquies milleſimo centeſimo nonageſimo nono: a diluvio vero anno bis milleſimo nongenteſimo quinquageſimo ſeptimo: a nativitate Abrahæ anno bis milleſimo quintodecimo .... Olympiade centeſima nonageſima quarta, ab urbe Roma condita anno ſeptingenteſimo quinquageſimo ſecundo: anno imperii Octaviani Auguſti quadrageſimo ſecundo*, & quæ ibidem ſequuntur. Quod autem ex hac Latinorum Chronographorum interpretatione ſequatur, probe animadvertendum eſt. Sequitur nimirum Chriſtianam æram qua vulgo utimur, conformem eſſe Euſebiano Chronico, ſed eo ex illorum captu & interpretatione intellecto. Nam cum primus hujus æræ annus pute-

Digitized by Google

putetur ille qui cœpit a Kal. Jan. anni Juliani XLVI., & ab U. C. 754., quo consules fuerunt C. Julius Cæsar & L. Æmilius Paullus, quique concurrit cum Augusti imperii XLIV., & cum quarto Olymp. CXCIV. usque ad solstitium æstivum; hic idem annus esse comperitur ex iis quæ supra declaravimus, præsertim num. 37., is qui proxime sequitur illum, quo iidem Latini scriptores, Eusebii vestigiis insistentes, natum Christum volunt VIII. Kal. Jan. Neque tamen propterea contendimus æram illam ex Chronico Eusebii fuisse ductam, quam constat Dionysium Exiguum ex Ægyptiis Chronologis, seu Computistis, esse mutuatum. Neque etiam probare usquequaque possumus, quod Petavius (1), Pagius (2) & Janus (3) affirmant, nempe Dionysianæ æræ auctorem fuisse Panodorum, Ægyptium quidem Chronologum, & monachum, qui sub Theodosio Magno floruit, sed eum vix ex Syncello nobis notum: neque enim huic rei probandæ sufficere arbitror, quod annus ille quo idem natum Dominum statuit, quemque primum a Christo nato numeravit, ex majori saltem parte cum primo æræ nostræ concurrat: quod ultro concedimus. Sed de his non est modo disputandi locus, quæ peculiarem & prolixam sibi deposcerent Dissertationem: neminem enim adhuc legi, qui de hoc argumento accurate & ex instituto tractaverit.

40. Sed a Natali anno J. Christi ad ejus baptismum veniamus. Eusebius baptizatum Christum insinuat anno XV. Tiberii, & Olymp. CCI. quarto, quum & in Prologo & in Chronici serie eo ipso anno eumdem *prædicare orsum* tradat. Cum autem juxta Lucæ Euangelium, cap. III. 23., trigesimum fere annum ageret Christus quo tempore accessit ad baptismum, non repugnat Eusebii computus: nam si circa finem ejus anni ex more Syro-macedonum computati, seu verno aut æstivo tempore id factum voluerit Eusebius, ut supra num. 8. conjiciebamus, expleverit tunc Christus annos XXIX., ac menses fere sex: quot nimirum colliguntur a tertio anno Olymp. CXCIV., & ejus anni brumali tempore, ad exitum anni quarti Olymp. CCI. Porro Latini veteres Chronographi idem, quod Eusebius, prima fronte tradunt, sed re ipsa multum ab eo dissentiunt: nam his persuasum fuit Christum Dominum a Joanne aquis Jordanis tinctum VIII. Id. Jan. ejus anni XV. Tiberii, quo die Epiphaniorum festum celebratur: & cum iidem, ut diximus, Christum natum velint circa finem anni XLII. Augusti, seu VIII. Kal. Jan., atque adeo XIV. tantum annos imperii Augusti eidem reliquos faciant, totidemque Tiberii, sequitur ex eorumdem rationibus, ut a nativitate ad baptismum intercesserint tantum anni XXVIII., ac dies duodecim: quare non solum ab Eusebii computo, sed, quod caput est, a Lucæ etiam textu enormiter exorbitant. Vidit notavitque Petavius, Rat. temp. par. II. lib. IV. cap. I., hanc absurditatem, quam ipse ut declinaret, vel cum Dakerio aliisque Christi natalem antevertendum, vel Christum annos fere, juxta Lucam, triginta natum, non anno tamen Tiberii XV. baptizatum statuit. Equidem Joannis prædicatio ab eodem Luca, cap. III. 1., anno Tiberii XV. affixa fuit, neque tamen eidem anno Christi baptismum affigendum necessario

(1) Petav., in Auctar. lib. VIII. cap. 3.

(2) Pagius, in Dissert. de Period. Græco-Rom. §. 14.

(3) Jo. Guil. Janus in Præf. ad Dionysii librum de Ratione Festi Pasch. §. 12.

cessario est. Quæstio hæc, admodum sane difficilis, multum exercuit ingenia doctissimorum Interpretum & Chronologorum huius & duorum proxime elapsorum sæculorum, *& adhuc sub judice lis est* (1). Sed nos vulgarem antiquiorum sententiam, cuicuimodi est, exhibemus, non quibus & quam diversis modis eam corrigere studuerint recentiores.

41. Ex his tamen nonnulli sunt, qui exsuscitare & constabilire summo nisu aggressi antiquiorum quorumdam Patrum sententiam, qua Christus passus traditur sub duobus Geminis Coss. (vide quæ de ea habentur supra, præcipue pag. 385. in Not.) eo nomine Eusebium accusant, quod omnium primus contra eam quam ipsi veluti constantem, antiquissimam ac pæne Apostolicam traditionem venditant, a Geminorum consulatu Christi mortem amoverit, & ad Tiberii XVIII. annum traduxerit. Insignis est de hoc Cl. Schelestratii querela Tom. I. Antiq. Eccl. Diff. I. cap. IV. num. præsertim 7. Sed præterquam quod multa hic, nec facile ignoscenda, peccat eo ipso capite (2), non satis attendit

(1) Horat. in Arte Poet. v. 78.

(2) Proponit sibi eo cap. Schelestratius, ut Christum anno æræ Chr. XXIX., quo Gemini Coss. fuerunt, passum demonstret: est igitur totius ejus capitis σύσταсιν atque ἔλεγχον. Num. I. & duobus seqq. agit de duplici epocha imperii Tiberii, quarum priorem, ut alii multi, repetit a tempore quo Proconsulare gessit imperium, seu collega imperii factus est; quod statuit factum quarto anno ante obitum Augusti: quare concludit Lucam XV. annum Tiberii ab hac prima epocha ducere potuisse, & re ipsa duxisse. Demus ita esse: restat illi probandum, Patres qui sub Geminis Christum passum scripserunt, juxta hanc epocham annos Tiberii numerasse. Id demum aggreditur num. 4., Augustini potissimum auctoritatem producens, quem ait *duobus locis affirmare, ex Evangelio & actis Christi ostendi posse, quod duobus Geminis Coss. passus sit. Primus locus est lib. 18. de C. D. cap. 54., ubi expresse scribit, Apostolos suis sensibus probavisse, quod Christus duobus Geminis Coss. passus sit.* Sicut Apostoli, *inquit D. Augustinus*, suis etiam sensibus probaverunt. *Secundus locus est lib. 2. de doctr. Christ. cap. 28., ubi asserit*, id ex textu ipso actionum Christi *confirmari posse*. At hæc & quæ sequuntur insigni alucinatione laborant, quam productis utroque Augustini loco integro facile quisque deprehendet. Lib. XVIII. de C. D. cap. 54. hæc leguntur: *Mortuus est ergo Christus duobus Geminis consulibus, octavo Kalendas Aprilis. Resurrexit tertia die, sicut Apostoli suis etiam sensibus probaverunt.* En, quo referenda sint verba, *sicut Apostoli* &c.: non, ut ille voluit, ad præcedentia, in quibus Geminorum Coss. ex vulgata opinione mentio fit, sed ad *τὸ Resurrexit tertia die*. Equidem resurrexisse Christum tertia die, ut omittam testimonia ex Evangeliis ducta, testatur Petrus, Act. X. 40., testatur & Paulus Act. XIII. 30. & I. ad Cor. XV. 4.; quæ loca indicare voluit, ut puto, Augustinus iis verbis, *sicut Apostoli suis etiam sensibus probaverunt*: nisi mavis hanc subesse sententiam, suismet sensibus, oculis puta, auribus & tactu agnovisse eos Christum tertia die in vitam restitutum: quam tamen expositionem minus probo. Alter locus est cap. 28. lib. II. de Doct. Christ. Agit eo capite Augustinus de utilitate Historiæ *ad sanctos libros intelligendos, etiamsi præter Ecclesiam puerili eruditione discatur.* Nam (sequitur) *& per Olympiadas, & per consulum nomina multa sæpe quæruntur a nobis: & ignorantia consulatus quo natus est Dominus, & quo passus est, nonnullos coegit errare, ut putarent quadraginta sex annorum ætate passum esse Dominum, quia per tot annos ædificatum templum esse dictum est a Judæis, quod imaginem Dominici corporis habebat. Et annorum quidem triginta baptizatum esse retinemus auctoritate Evangelica: sed postea quot annos in hac vita egerit, quamquam textu ipso actionum ejus animadverti possit, tamen ne aliunde caligo dubitationis oriatur, de historia gentium collata cum Evangelio liquidius certiusque colligitur*, &c. In his nihil definit Augustinus de anno ac consulatu quo vel natus vel passus sit Dominus, aut de tempore quod ab ejus baptismo ad crucem intercesserit: eam tantum regulam sequendam tradit, ut historia profana cum Evangelica conferatur, quo possint ea liquidius certiusque statui. Sed ad Schelestratium redeamus, qui num. 5. & 6. enumerat Patres qui Geminis Coss. Christi passionem affixerunt, a Tertulliano incipiens, & in lib. adv. Jud. lectionem ductam ex Comm. Hier. in Dan. potiorem habet, quam nos supra in Not. pag. 392. rejecimus. A Tertulliano pergit ad Clementem Alex. & Julium Africanum, & alios, de quibus nos fusius in Dissert. contextu num. seq. agimus. Denique num. 7. ad Eusebium venit, quem dicit *primum fuisse qui omisso consulatu* (Geminorum)

Digitized by Google

tendit (nec quotquot cum eodem fentiunt) quis primus fub Geminis crucifixum Dominum dixerit, aut ex quo fonte manaverit, & fenfim invaluerit opinio illa: poftremo non animadvertit, quantum difcorde nt antiquorum rationes ab iis quas ipse ex illorum auctoritate defendit. Primus ex Patribus qui de Chrifti ætate fcripferit, eft S. Irenæus, vir *Apoftolicorum temporum vicinus*, ut eum Hieronymus appellat (1), *Polycarpi* fiquidem *difcipulus*, ut Polycarpus Joannis Apoftoli: quem etiam Epiphanius (2) prifcum Theologum, & Apoftolorum fucceflorem nominat, Tertullianus (3) vero *omnium doctrinarum curiofiffimum exploratorem*. Hic itaque Chrifti quidem nativitatem *circa primum & quadragefimum annum Augufti imperii* collocat lib. III. adv. Hæref., fed ejus mortem longe poft Geminorum confulatum refert lib. II., quibus locis tradit eum quadragenario majorem mortem fubiiffe. Hæc ejus verba funt cap. 22., alias 39. *Quia autem triginta annorum ætas prima indolis eft juvenis, & extenditur ufque ad quadragefimum annum, omnis quilibet confitebitur; a quadragefimo autem & quinquagefimo anno declinat jam in ætatem feniorem: quam habens Dominus nofter docebat, ficut Euangelium (4), & omnes Seniores teftantur, qui in Afia apud Joannem difcipulum Domini convenerunt, idipfum tradidiffe eis Joannem ..... Quidam autem eorum non folum Joannem, fed & alios Apoftolos viderunt, & hæc eadem ab ipfis audierunt, & teftantur de hujufmodi relatione*. Nondum itaque exftabat traditio de Chrifto paffo fub Geminis, feu anno vulgaris æræ XXIX., quum ea fcriberet Irenæus: quin potius exftabat traditio alia huic repugnans, nempe quæ Chriftum in ætatem feniorem declinaffe, feu maturioris ætatis fuiffe perhiberet: quæ fane traditio in hac quæftione magni debet effe apud quemlibet auctoritatis, licet eam Irenæus ex fuo ingenio nimis urferit, cum Joannis locum fupra indicatum ad verbum interpretatus, maturam Chrifti ætatem de qua traditio ferebatur, a quadragefimo ad quinquagefimum ufque annum extenderit.

42. Sed antequam ab Irenæo difcedamus, videndum eft, qua de cauffa illam de Chrifti annis difputationem inftituerit: nempe, ut Valentinianos feu Gnofticos refelleret, qui uno anno Euangelio profeminando eum vacaffe volebant. quos ita confutat cap. 38. alias, nunc 22.

Duode-

norum) *mortem Chrifti anno 18. Tiberii collocavit*. Atqui nemo ex Græcis antiquis Patribus ejus confulatus in hac quæftione rationem habuit, aut mentionem fecit. Addit paullo poft: *Eum in faftorum confularium notitia haud fatis accuratum reperiri: nam anno Tiberii decimo octavo Perfici & Vitellii confulatum pofuit, qui in annum ejufdem Imperatoris vigefimum juxta communem computandi modum, quem ipfe fequitur, conjiciendus erat*, & quæ fequuntur: in quibus tamen multimodis errat: I. quod confules, qui in Eufebii græco Chronicorum libro II. habentur, Eufebio tribuit, quum a Scaligero appofiti fint, ut ipfe fatetur in Not. ad græc. Eufeb. pag. 425. col. 2.: II. quod Perficum & Vitellium anno XVIII. Tiberii appofitos in eo Chronico dicat, non vicefimo. cum tamen e regione eorum confulum ibidem refpondeat annus Tiberii K, feu XX., decimo autem octavo, feu IH., appofiti fint Φούριος Καμίλλος, Γν. Δομίτιος, *Furius Camillus, Cn. Domitius*. Cetera quæ huic inani fundamento fuperftruit, inania & ipfa funt. Sed piget plura in eum dicere.

(1) S. Hieron. de Vir. III. cap. 35. Idem in epift. ad Theodoram, num. 1. *Irenæus vir Apoftolicorum temporum, & Papiæ, auditoris Euangelifta Joannis, difcipulus*. Demum Comm. in Ifa. cap. LXIV. *virum Apoftolicum* dicit.

(2) Epiph. Hær. XXIV. num. 8.

(3) Tertul. in Val. cap. 5.

(4) Refpiciebat Irenæus ad Joannis locum cap. VIII. v. 57. *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidifti?* quæ verba ita edifferit cap. 22., alias 40. *Hoc autem confequenter dicitur ei qui jam XL. annos exceffit, quinquagefimum autem annum nondum attigit, non tamen multum a quinquagefimo anno abfiftat*, &c.

Duodecimo autem mense dicunt eum passum, ut sit anno uno post baptismum prædicans, & ex propheta tentant hoc ipsum confirmare (scriptum est enim (1), Vocare annum Domini acceptum & diem retributionis*) vere cæcutientes*, &c. Sequenti autem cap. 39., seu 22. num. 3. ostendit, in Euangelio Joannis mentionem fieri trium Paschatum, tum subiicit: *Quoniam autem tria hæc Paschæ tempora non sunt unus annus, omnis quilibet confitebitur*, &c. In hunc tamen quem Irenæus Gnosticis exprobrat errorem, lapsus est Clemens Alexand., Tertullianus & alii, ex quibus tamen propagata est pedetentim de Christo anno XV. Tiberii, seu sub Geminis, passo sententia. Clemens, inquam, Alexandrinus Irenæo coævus, sed paullo junior, lib. I. Strom., postquam dixit Christum natum anno XXVIII. Augusti (nempe a capta Alexandria, ut alibi diximus: quod ipsum tamen unice arguit ex Euangelio Lucæ cap. III. 1. & 23., quibus locis & Joannis missio anno XV. Tiberii, & Christi baptismus ejus anno circiter tricesimo adfigitur) ita demum sequitur: Καὶ ὅτι ἐνιαυτὸν μόνον ἔδει αὐτὸν κηρύξαι, καὶ τοῦτο γέγραπται οὕτως· ἐνιαυτὸν δεκτὸν Κυρίου κηρύξαι ἀπέστειλέ με. Τοῦτο καὶ ὁ προφήτης εἶπε, καὶ τὸ Εὐαγγέλιον· πεντεκαιδεκάτῳ οὖν ἔτει Τιβερίου, καὶ πεντεκαιδεκάτῳ (2) Αὐγούστου οὕτω πληροῦνται τὰ τριάκοντα ἔτη ἕως ἔπαθεν: *Et quod uno anno oporteret ipsum prædicare, & hoc scriptum est hoc modo:* Annum acceptum Domini prædicare me misit. *Hoc tum Propheta dicit, tum Euangelium. Quindecim igitur annis Tiberii & quindecim Augusti, sic implentur triginta anni, donec est passus*. Ex his quilibet cognoscere potest, I. ut Clemens annum quo Christus natus, & quo baptizatus est, ex Lucæ indicatis locis unice eruerit: in quo quidem Eusebius ipse & antiqui omnes cum Clemente præterpropter conveniunt: adeo ut qui, ut eorum sententiam propugnent, ad duplex Tiberii initium, seu ad ejus proconsulare imperium confugiunt, non male fortasse ipsi rationes suas ineant, sed ab illorum prorsus mente & sententia discedant: II. ut Clemens ex Isaiæ loco, non secus ac Gnostici ab Irenæo refutati, perperam collegerit, uno anno Dominum prædicationi incubuisse, atque adeo circa finem anni decimi quinti Tiberii, aut, si mavis, anno sequenti in crucem actum, contra evidentem auctoritatem Euangelicæ historiæ. Porro ex Græcis Julius Africanus Clementis vestigiis institisse videtur, qui quidem Christum an. Tiberii XVI. (non XV., ut legitur in Comment. Hieronymi in Dan. cap. IX.) cruci affixum voluit, & an. ab O. C. 5531., quem natum ponit an. 5501. Sed in Clementis sententiam manibus pedibusque ivit Origenes (3) ejus discipulus, qui Tract. XXXV. in Matth., hæc habet ex antiqua interpretatione: *At illi statuerunt ei (agit nempe eo Tractatu de proditione Judæ) triginta stateres; tantam ei damnationem constituentes, quantos annos Salvator peregrinatus fuerat in hoc mundo..... triginta enim annorum baptizatus cœpit Euangelium prædicare.* his adde

(1) Isa. cap LXI. 2., quem locum ipse Christus, Luc. IV. 18. & seq., sibi appropriat. Citatus autem tum in Euangelio, tum ab Irenæo secundum versionem τῶν LXX. Adluditur autem in iis Isaiæ verbis ad annum Jobilæi, ut monent interpretes.

(2) Mendum subesse alii notarunt, qui legendum volebant πεντεκαιδέκατα τοῖς ἐπὶ Αὐγούστου. Mihi placeret legere: Πεντεκαιδέκατα αὐ el melius, ιε' οὖν ἔτη Τιβερίου καὶ ιε' Αὐγούστου· οὕτω, κ.τ.λ. *Igitur XV. anni Tiberii, & XV. anni Augusti, sic implentur*, &c.

(3) Idem Orig. in Jerem. Hom. XIV. anno XV. Tiberii mortuum Christum ponit: lib. vero IV. Periarchon cap. 5. eum tradit *anno & aliquot mensibus docuisse*. Idem Hom. 32. in Lucam Hieron. interprete: *Juxta simplicem*, inquit, *intelligentiam ajunt, uno anno Salvatorem in Judæa Euangelium prædicasse, & hoc esse quod dicitur*: Prædicare, &c.

Digitized by Google

adde quæ initio ejus Tractatus habentur: *Oportebat enim mensem esse definitum Paschæ; ego autem puto etiam annum, de quo & Propheta dicebat*, Prædicare annum Domini acceptum & diem salutarem. En rursus Isaiæ testimonium Christi prædicationis tempori designando nimis præcise aptatum; quum tamen Irenæus loco supra laudato recte monuerit: *Neque enim de die, quæ duodecim horarum habet spatium, dictum est in Propheta, nec de anno duodecim mensium habente mensuram. Quia enim prophetæ in parabolis & allegoriis, & non secundum sonum ipsarum dictionum, plurima dixerunt, & ipsi confitentur*. Dies *ergo* retributionis *dictus est, in qua retribuet Deus unicuique secundum opera sua: hoc est, judicium*. Annus *autem* Domini acceptabilis, *tempus hoc, in quo vocantur ab eo hi qui credunt ei, & acceptabiles fiunt Deo: hoc est, omne ab adventu ejus tempus usque ad consummationem*, &c. Sed & Hieronymus (1) Comm. in hunc locum, licet de tempore prædicationis, tamen de tempore indefinito Prophetæ verba intelligit: Annum *autem* acceptabilem *&* diem retributionis *omne prædicationis ejus, quo in carne versatus est, tempus intelligit: quod & Apostolus Paullus in primo Salvatoris interpretatur adventu dicens*: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis. Et ita fere interpretes omnes. Porro ex Latinis Patribus, qui eum Isaiæ locum laudaverint, ut ex eo colligerent uno anno prædicasse Dominum, unum novi Philastrium Brixianum, de Hær. cap. CVI.: quamvis ad illum respexisse videantur, quicumque seu tricesimo circiter ætatis, seu Tiberii XV. aut sequenti anno, seu demum sub Geminis Coss. Christum passum tradiderunt. eo certe omnes fundamento nituntur.

43. Sed Geminos Coss. neque Clemens Alexandrinus, neque Origenes, neque Africanus, aut alius quispiam ex Græcis antiquis Patribus, in hac quæstione nominarunt, sed omnium primus ex Latinis Tertullianus, in libro adv. Judæos, quem deinde magno consensu sequuti sunt Lactant. Div. Instit. lib. IV. cap. 10., & cap. 2. lib. de Mort. Persec., & alii quos supra recensui in Not. pag. 385. Porro Tertullianus Clementis Alex. vestigiis fere insistit, ut ostendimus pag. 392. in Not.; quare dum Geminos Coss. de suo addidit, nihil aliud sibi voluit, quam designare consules, quos respondere putavit anno Tiberii XV., quo Clemens Christum passum ex Isaiæ testimonio perperam collegerat. En paucis expressam originem & rationem ejus seu opinionis seu traditionis antiquæ, quæ ad Geminos Coss. refert annum Christi *σταυρώσιμον*. Videant itaque num recte faciant, qui eam sententiam nunc exsuscitare tantopere moliuntur, & cujus violatæ Eusebium incusant & reprehendunt, qui eo nomine potius laudari meretur & amari. Equidem quod de anno Christi natali sensit, omnium fere recentiorum calculis rejicitur: quod etiam sensit de anno & tempore quo Christus baptizatus fuerit, gravea patitur difficultates: sed in ejus morte anno XIX. Tiberii, & Olymp. CCII. quarto, affigenda, rem, ut ajunt, acu tetigisse, ex variis hujus Dissert. locis constare puto. Sed pergamus in instituta *χρονοτάξια*.

44. Itaque si a baptismo Christi & ab anno XV. Tiberii desinente, numeres tres annos & semis, quot Eusebius Euangelicæ prædicationi præstituit, & quot sibi vindicant quatuor Paschata in Euangelio Joannis

cx

(1) Quin immo Hieronymus Irenæi explicationem videtur, tacito nomine auctoris, perstringere, quum paullo ante scribat: *Si ergo ille completa est tempore prophetia, quomodo quidam ad consummationis referunt tempora, quæ dicuntur? nisi forte*, &c.

ex ipsius mente expressa, pervenies demum ad Pascha anni Olymp. CCII. quarti, & XIX. Tiberii, quo tempore crucem pro nobis subiens Christus Dominus expleverit annos XXXIII. ac tres fere menses. At juxta Latinos Chronographos, de quibus supra, quum hi ex Eusebii Latinis codicibus ultimum Christi Pascha, ejusque mortem anno XVIII. Tiberii affigant, sequitur ut a baptismo ad passionem annos tres ac fere menses totidem numerent, sed totius vitæ ejus spatium annis tantum XXXI., ac tribus præterea mensibus concludant. Ita nimirum omnium primus Sulpicius Severus, de quo vide quæ in Diss. I. hujus II. Tom. pag. 280. habentur: Ita Prosper Aquitanus juxta eam lectionem, quam posteriorem, atque adeo authenticam supra ostendimus: ita Jornandes, sive Jordanus, Isidorus Hispalensis, & alii, quos num. 36. recensui. In horum tamen computo subest aperta contradictio: nam & anno ætatis suæ tricesimo Christum baptizatum ex Lucæ auctoritate concedunt, & annos etiam XXXIII. explesse volunt, quum crucem subiit. Insignis est Ven. Bedæ locus ex lib. de Rat. temp. cap. 47. *Habet, ni fallor*, inquit, *Ecclesiæ fides*, *Dominum in carne paullo plus quam XXXIII. annis usque ad suæ tempora passionis vixisse: quia videlicet XXX. annorum fuerit baptizatus, sicut Evangelista Lucas testatur, & tres semis annos post baptisma prædicaverit*: qui tamen in Chron., & alibi, Christum natum statuit anno XLII. Octaviani (cui annos imperii LVI. tribuit) crucifixum autem XVIII. Tiberii: ex quibus sequi vidimus, ut annum tunc ageret tricesimum secundum; seu annos expleverit XXXI. cum mensibus tribus.

45. Sed finis aliquando imponendus est huic tertiæ in Sulpicii Severi Historiam Sacram Dissertationi, quæ ob nimiam prolixitatem destinatum aliis tribus locum præoccupavit, quas in eamdem jam pridem adumbraveramus. Quare post sequentem Appendicem ad Observationes extemplo transibimus, in quibus tamen omissarum etiam Dissertationum synopsin dabimus, vel, prout magis opportunum videbitur, eas Tomo tertio reservabimus.

APPENDIX, ad hujus Differt. num. 26.

QUoniam supra num. 26. Joannis Philoponi testimonium de eclipsi a Phlegonte memorata, non ex ipso ejus Opere nobis haurire licuit, sed aliorum fidem, semper nobis in hujusmodi rebus suspectam, sequi debuimus; postea autem contigit, ut opera humanissimi & φιλομαθοῦς P. Francisci a Puteo, Veronensis Patricii & Romani Oratorii Presbyteri, impetraremus ipsius Philoponi textus, quotquot ad Phlegontem spectant, eosdem heic Appendicis loco apponere placuit, primum, ut desiderio nostro fieret satis, quod jam tum conceperamus, ut *colligerem omnia quæ ad Phlegontem, & ad eclipsin ab eo recensitam spectantia a Philopono traduntur*: deinde etiam, ut quæ eo num. 26. scripta habentur, confirmentur partim, & partim corrigantur, utrumque autem præstabimus in Notulis Philoponi textui substratis. Hæc sane conjuncta iis, quæ in hac Differt. de celebri illa Phlegontea eclipsi disputavimus, nihil reliquum esse facient, quod in illud argumentum desiderari possit.

Ex

Digitized by Google

Ex *Joannis Philoponi*, *De Mundi creatione*, lib. II. cap. XXI., cum Versione Corderiana.

Τούτου δὲ σκότους (a), μᾶλλον δὲ τῆς νυκτὸς ταύτης, καὶ Φλέγων ἐν ταῖς Ὀλυμπιάσιν ἐμνήσθη. Λέγει γὰρ, ὅτι τῷ δευτέρῳ (b) ἔτει τῆς διακοσιοστῆς δευτέρας Ὀλυμπιάδος ἐγένετο ἡλίου ἔκλειψις μεγίστη (c) τῶν οὐκ ἐγνωσμένων πρότερον· καὶ νὺξ ὥρᾳ ἕκτῃ τῆς ἡμέρας ἐγένετο, ὥστε καὶ ἀστέρας ἐν οὐρανῷ φανῆναι. Ὅτι δὲ τῆς ἐν τῷ σταυρῷ τοῦ δεσπότου Χριστοῦ γενομένης τοῦ ἡλίου ἐκλείψεως, καὶ οὐχ ἑτέρας ἐμνήσθη καὶ Φλέγων, πρῶτον μὲν ἐκ τοῦ λέγειν μὴ ἐγνῶσθαι τὴν τοιαύτην ἔκλειψιν τοῖς πρότερον χρόνοις, ἐστὶ δῆλον. Εἷς γὰρ τρόπος ἐστὶν ἁπάσης ἐκλείψεως ἡλιακῆς φυσικός. Αἱ γὰρ συνήθεις τοῦ ἡλίου ἐκλείψεις ἐν μόνῳ συνόδῳ τῶν δύο φωστήρων γίγνονται· ἡ δὲ ἐπὶ τοῦ δεσπότου Χριστοῦ ἐν πανσελήνῳ γέγονεν, ὅπερ φυσικῶς γενέσθαι ἐστὶν ἀδύνατον. Καὶ ἐπὶ μὲν τῶν ἄλλων τοῦ ἡλίου ἐκλείψεων, εἰ καὶ ὅλος ἐκλόιποι ὁ ἥλιος,

Harum quoque tenebrarum, vel potius noctis hujus mentionem quoque fecit Phlegon in Olympiadis: ait enim, secundo anno ducentesimæ secundæ Olympiadis factam fuisse maximam Solis defectionem omnium quæ umquam prius innotuerant, & hora diei sexta noctem exstitisse, ita ut etiam stellæ in cælo apparerent. Quod autem Phlegon locutus sit de illo Solis deliquio, quod sub Christi Domini Crucem accidit, & non de aliquo alio, primum quidem inde manifestum est, quod dicat præcedentibus temporibus tale deliquium numquam fuisse cognitum. Unus enim dumtaxat modus naturalis est in omni defectu Solis: siquidem solitæ Solis defectiones tantum fiunt in concursu duorum luminarium. Illa vero in Christi Domini morte contigit in plenilunio, quod naturaliter fieri nequit. Et in aliis quidem

(a) Hæc prima Philoponi perioche est, quam supra num. 26. ex Huetio descripsimus, exceptis paucis aliquot varietatibus.

(b) Pro δευτέρῳ legendum τετάρτῳ, liquet ex sequentibus. Vide quæ eodem num. 26. de hac emendatione habentur. Sed quod Tillemontius a me ibidem in Not. productus scribit: *peu de lignes après ou y lit deux fois*, la quatrieme: ad latinam Corderii respexit versionem, in qua hæc infra habentur, quæ a græco textu absunt: *Eclipsim autem hanc contigisse anno quarto ducentesimæ secundæ Olympiadis*: quum tamen hoc loco habeat, *secundo anno*.

(c) Apud Huetium desideratur vox μεγίστη, tum in græco textu, tum in latina versione. Contra Corderius in sua versione, & merito, nullam rationem habuit negantis particulæ οὐκ, quæ sane huic sententiæ minime consentanea est: quare legendum, ut apud Eusebium, μεγίστη τῶν ἐγνωσμένων πρότερον. Neque obstat, quod statim Philoponus ex his Phlegontis verbis hanc exsculpat sententiam, μὴ ἐγνῶσθαι τὴν τοιαύτην ἔκλειψιν τοῖς πρότερον χρόνοις: nam id infert nimirum ex eo, quod ille *maximam eorum quæ prius innotuerant*, hanc eclipsim dixerat. Rata itaque minime habeantur quæ supra num. 26., Huetii lectionem sequuti, conjiciebamus; multoque minus Huetii ipsius, sive mavis Vossii argumentum, quo contendebat, Philoponum *Phlegontis testimonium longe aliis conceptum verbis repræsentare ac Eusebium*: quod falsissimum esse apparet ex hoc integro contextu.

dem Solis defectionibus, etsi Sol totus deliquium patiens, minima quadam temporis parte manserit obscurus, illico tamen simul purgari incipit: at tempore mortis Christi ab hora sexta usque ad nonam aer omnino mansit obscurus.

ἥλιος, ἀκαριαῖον χρόνου μέρος ἀφώτιστος μείνας, εὐθέως ἅμα καθαίρεσθαι ἄρχεται· ἐπὶ δὲ τοῦ δεσπότου Χριστοῦ ἀπὸ ἕκτης ὥρας ἕως ἐννάτης ἀφεγγὴς ὁ ἀὴρ ἔμεινε παντελῶς (d).

Quinimmo etiam ex historia Tiberii Cæsaris idem ostenditur. Ait enim Phlegon ipsum imperasse secundo anno centesimæ nonagesimæ octavæ Olympiadis, eclipsin autem hanc contigisse anno quarto ducentesimæ secundæ Olympiadis: ita ut si supputentur anni a principio imperii Tiberii usque ad quartum annum ducentesimæ secundæ Olympiadis, fere sint novemdecim anni: siquidem tres sunt Olympiadis centesimæ nonagesimæ octavæ, & sexdecim aliarum quatuor. Quod etiam Lucas in Euangeliis narravit: nam anno decimo quinto imperii Tiberii Cæsaris ait prædicationem Joannis Baptistæ contigisse, unde Salvatoris Euangelica prædicatio initium sumsit, quæ non omnino integros quattuor annos duravit, ut Eusebius libro I. Historiæ Ecclesiasticæ ex libro Antiquitatum Josephi id colligendo demonstravit. Cum enim inceperit sub Anna Pontifice, & post ipsum tres alii Pontifices exstiterint (erat autem

annuus

Καὶ ἀπ' αὐτῆς δὲ τῆς περὶ Τιβερίου Καίσαρος ἱςορίας δείκνυται. Βασιλεύειν μὲν γὰρ αὐτόν φησιν ὁ Φλέγων (e) τῷ δευτέρῳ ἔτει τῆς ἑκατοστῆς ἐννενηκοστῆς ὀγδόης Ὀλυμπιάδος, ὡς συνάγεσται ἀπὸ τῆς ἀρχῆς τοῦ βασιλεῦσαι Τιβέριον ἕως τοῦ τετάρτου ἔτους τῆς διακοσιοστῆς δευτέρας Ὀλυμπιάδος ἐγγύς που ἔτη δέκα καὶ ἐννέα· τρία μὲν τῆς ἑκατοστῆς ἐννενηκοστῆς ὀγδόης· τῶν δὲ ἄλλων τεσσάρων δέκα καὶ ἕξ. Τοῦτο δὲ καὶ Λουκᾶς ἐν τοῖς εὐαγγελίοις ἱστόρησε· τῷ γὰρ πεντεκαιδεκάτῳ ἔτει τῆς Τιβερίου βασιλείας φησὶ τὸ κήρυγμα Ἰωάννου τοῦ βαπτιστοῦ γεγονέναι, ἐξ οὗ τὴν ἀρχὴν τὸ τοῦ Σωτῆρος εἴληφε τὸ εὐαγγελικὸν (f). παρέτεινε δὲ οὐδ' εἰς ὅλους τέσσαρας ἐνιαυτούς, ὡς Εὐσέβιος ἐν τῷ πρώτῳ τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἱστορίας (g) ἔδειξεν, ἐκ τῆς ἀρχαιολογίας Ἰωσήπου τοῦτο συναγαγών. Ἀρξαμένων (h) γὰρ ἐπὶ Ἄννα τοῦ ἀρχιερέως, καὶ μετ' αὐτὸν τριῶν ἄλλων ἀρχιερέων γενομένων, (ἐνιαύσιος δὲ ὁ τῆς ἀρχιερωσύνης ἦν χρόνος) εἰς τὴν ἀρχὴν τοῦ μετ'

ἐκεί-

(d) Nimis urget Philoponus hoc argumentum, atque adeo vim infert Euangeliis, contendens in Christi morte aerem omnino cæcum, & densæ caligine obductum fuisse. Vide Josephi Averanii Lect. VIII. de Pass. Domini.

(e) Ex hoc potissimum loco argui potest Philopono Phlegontis libros præ manibus fuisse, neque, ut nonnemo putavit, Eusebium unice descriptum in iis quæ ex Phlegonte refert.

(f) Τὸ εὐαγγελικόν, sc. κήρυγμα. quæ vox aut excidit, aut ex præcedentibus est repetenda.

(g) De Eusebiano hoc loco fuse diximus hujus Dissert. num. 6. Ceterum Philoponus ipsa fere Eusebii verba transcribit.

(h) Pro ἀρξαμένων legendum omnino est ἀρξάμενον, ut referatur ad τὸ εὐαγγελικὸν κήρυγμα. confer Eusebium. Quid? quod ipsa Corderii interpretatio ita legendum esse, & ab eo lectum fuisse evincit.

ἐκείνους ἱερατεύσαντος Καϊάφα πέρας εἴληφε, σταυρωθέντος Χριστοῦ· Ἦν δὲ τὸ ἔτος ἐκεῖνο τῆς Τιβερίου Καίσαρος βασιλείας ἐννεακαιδέκατον, ἐν ᾧ ἡ σωτήριος τοῦ κόσμου γέγονε τοῦ Χριστοῦ σταύρωσις, καὶ ἡ ἐπ' αὐτῇ παράδοξος καὶ ἀσυνήθης τῇ φύσει ἔκλειψις ἡλιακή, τοῦτον γενομένη τὸν τρόπον, ὃν Ἀρεοπαγίτης ἔγραψε Διονύσιος (i) ἐν τῇ πρὸς Πολυκαρπὸν τὸν ἱεράρχην ἐπιστολῇ.

annuus Pontificatus) sub Caipha, qui post ipsos Pontificatum gessit, finem sumsit, Christo crucifixo. Erat autem annus ille imperii Tiberii Cæsaris decimus nonus, in quo salutaris illa Mundo Christi crucifixio contigit, una cum mirabili illo & naturæ insolito Solis deliquio, quod eo modo accidit, quemadmodum in epistola ad Polycarpum episcopum Dionysius Areopagita descripsit.

Ἵνα οὖν ἐπὶ τὸ ἐξ ἀρχῆς ἐπανέλθωμεν, εἰς σκότος (k) τὰς τρεῖς ὥρας ἐπὶ πᾶσαν γεγονέναι τὴν γῆν· ὁ δὲ τοῦ Χριστοῦ θάνατος περὶ τὴν ἐννάτην γέγονεν ὥραν, τουτέστιν τῆς ὀγδόης ἀνυομένης, καὶ τοῦ σκότους ἔτι ὄντος, ὅπερ δύσιν ἡλίου ἐκάλεσεν ὁ Ἀμῶς (l), καὶ ὁ Φλέγων νύκτα (m), ἐν ᾗ τὸ πνεῦμά τε παρέδωκεν ὁ Χριστός, καὶ τὰ ἐπὶ τούτῳ σημεῖα γέγονεν, ἃ διηγεῖται τὸ εὐαγγέλιον.

Ut igitur ad eas de quibus superius propositum fuit, tenebras redeamus, quæ tres horas per universam terram exstiterunt: mors autem Domini circa nonam horam contigerit, id est octava jam absoluta, tenebris etiamnum existentibus, quod Amos Solis occasum, Phlegon noctem appellavit, in qua Christus spiritum tradidit, ceteraque signa contigerunt, quæ narrat Euangelium.

Ejusdem, ex lib. III. cap. IX.

Διὸ ὑπὲρ φύσιν ἡ ἐπὶ τοῦ σταυροῦ τοῦ Σωτῆρος ἡλιακὴ γέγονεν ἔκλειψις, ἐν πανσελήνῳ γενομένη (ἧς καὶ Φλέγων ἐν ταῖς Ὀλυμπιάσιν μέμνηται, ὡς καὶ (n) ἐν τῷ πρὸ τούτου γεγράφαμεν, καὶ ὁ Ἀρεοπαγίτης διηγεῖται πῶς γέγονε Διονύσιος)· ἡ δὲ τῆς σελήνης ἔκλειψις πλησιφαοῦς αὐτῆς οὔσης γίνεται, τεσσαρεσκαιδεκάτην τοῦ ἰδίου μηνὸς

Quare supra naturam fuit eclipsis illa Solis, quæ contigit sub Crucem Salvatoris, plenilunio existente (cujus & Phlegon meminit in Olympiadibus suis, quemadmodum superius indicavimus, & Dionysius quoque Areopagita modum ejus, quo contigit, exponit) cum Lunæ eclipsis existat, quando ipsa luce plena est, & quar-

(i) De Pseudo-Dionysii epistola ad Polycarpum, vide quæ in Not. pag. 360.

(k) Textum hunc mendosum esse apparet, qui hoc pacto emendari possit: *τὸ σκότος . . . . γέγονε . . . . .*

(l) Amos Propheta, cap. VIII. vers. 9. *Occidet Sol in meridie*, &c. LXX. *δύσεται ὁ ἥλιος μεσημβρίας*. Quem locum de tenebris Christo moriente obortis multi interpretati sunt.

(m) Respexit ad hæc Phlegontis verba, supra ab eodem producta: Καὶ νὺξ ὥρᾳ ἕκτῃ τῆς ἡμέρας ἐγένετο.

(n) Ἐν τῷ πρὸ τούτου, scilicet *in præcedenti libro*, seu secundo. Corderius vertit, *quemadmodum superius indicavimus*. Parenthesis claudenda est post γεγράφαμεν.

quartumdecimum mensis proprii diem agit, tum Lunæ est affectus.

νὸς ἀγούσης, αὐτῆς τῆς σελήνης ὄσα πάθος.

Ejusdem, ex lib. V. cap. I.

Quin etiam Phlegon in centesima vigesima tertia Olympiade historiæ tradit, Lysimachi Macedonis corpus, cum per dies plurimos insepultum jaceret, a cane servatum esse, qui feras a cadavere arcebat, usquedum Thorax Larissæus accedens illud sepeliret.

Ἱστορεῖ δὲ καὶ Φλέγων ἐν τῇ ἑκατοστῇ εἰκοστῇ τετάρτῃ Ὀλυμπιάδι, Λυσιμάχου τοῦ Μακεδόνος (o) ἄταφον ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας τὸ σῶμα κείμενον, ὑπὸ κυνὸς φυλάττεσθαι, εἴργοντος τοῦ νεκροῦ τὰ θηρία μέχρις οὗ Θώραξ ὁ Λαρισσαῖος περιτυχὼν αὐτὸν ἔθαψε.

(o) Eadem fere scribit Appianus in Syriac. Κείμενον τὸ σῶμα τοῦ Λυσιμάχου κύων οἰκεῖος ἐς πολὺ ὑπερμαχῶν, ἀλύπαντον ἐξ ὀρνίθων καὶ θηρίων διεφύλασσε· μέχρι Θώραξ ὁ Φαρσάλιος εὑρὼν ἔθαψεν: *Extincti Lysimachi corpus canis domesticus diu protegens, alites ferasque arcuit, donec Thorax Pharsalius inventum sepeliit*. Ceterum corrigenda est Corderii interpretatio, qua id gestum dicitur *in centesima vigesima tertia* (pro *quarta*) *Olympiade*. Hic demum Philoponi locus omnem tollit dubitandi locum, quin Phlegontis librum legerit.

Porro monendus es, Humanissime Lector, pag. 324 lin. 23. delenda esse verba illa = *pag. 264. quædam ex Chron. Paschali inseruit*, & quæ sequuntur usque ad periodi finem (nam quæ ibidem laudantur ex pag. 264., non spectant ad II. librum Chronicorum Eusebii, sed ad Ἐπιτομὴν χρόνων, seu ad Collectanea ex Chron. Paschali), substituenda autem hæc esse = *pag. 202. argumentum idem totidem fere verbis repetit*. Eadem de caussa pag. 326. lin. 31., ubi legitur = *græci Chron. lib. I.*, addenda sunt = *& II.*; & pag. 334. Nota *a* post verba = *ut ante eum edidit etiam Scaliger*, addi possunt hæc = *tum primo, tum secundo Chron. libro*; denique pag. 335. Nota *f* post verba = *apud Scalig.*, adde = *lib. I. Chron.*, & in fine ejusdem Notæ hæc alia = *& Scalig. lib. II. Chron.* Postremo pag. 343. lin. 36. pro *Idibus Novembris*, lege *Idibus Octobris*, & *mense quarto*, pro *quinto*, & paullo infra = *quod eodem mense*, pro *quod Novembri mense*.

Digitized by Google

IN SULPICII SEVERI HISTORIAM SACRAM

OBSERVATIONES.

Pag. 1. *Carptim dicere aggreſſus ſum)* Joſeph *Waſſe*, qui anno 1710. Salluſtium edidit Cantabrigiæ tum ſuis tum aliorum Notis illuſtratum, in his ſæpius Sulpicii Severi textum vel corrigere vel explanare ſtuduit, ſed plerumque in rebus admodum minutis, nec ſemper probabilibus fultus conjecturis. Exemplo ſint, quæ in hunc locum commentatus eſt, ad Belli Catil. cap. IV. *Præterea,* inquit, *Sulpicius Severus importuna Salluſtii imitatione hoc verbo* (carptim) *improprie utitur pro* breviter. *Nam tametſi Gloſſæ reddant* carptim ἐξ ἐπιτομῆς δρεπτικός, *lege* δρεπτικῶς, & ἐν ἐπιτομῇ, *tamen hoc ſenſu apud idoneum auctorem ante Trajani tempora haud invenies. Sic ergo ille*: Res a mundi exordio, *&c.*, breviter conſtringere, & ad noſtram memoriam dicere aggreſſus ſum. *At ille hiſtoriam ſuam ſcripſit non* carptim, *ſed* ſtrictim, *perpetuo tenore & κεφαλαιωδῶς, ut res ipſa docet, & ipſemet infra teſtatur.* Hæc Waſſeus: ſed contra. I. ſi *carptim* Severo idem fuiſſet, quod *breviter*, ſeu *ſtrictim*, in ταυτολογίας vitium ſtatim initio lapſus eſſet, Salluſtianæ brevitatis alioquin æmulator: nam paullo ante dixerat, *breviter conſtringere*. II. Nihil vero prohibet, quin epitome quælibet perpetuo tenore & κεφαλαιωδῶς, & nihilominus *carptim* ſcribatur: nempe ſi non verborum tantum compendium, ſed & rerum delectus habeatur. utrumque autem præſtitit Severus. III. Poteſt etiam, & fortaſſe melius, tota illa Sulpicii ſententia in duas veluti partes diſtingui, quarum prior ad Sacræ Hiſtoriæ Epitomen ſit referenda, altera ad adnexam Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Appendicem, adeo ut verba *carptim dicere*, ad hanc Operis partem proprie ſpectent. nam palam eſt, non fuiſſe Auctori propoſitum univerſam quattuor priorum Eccleſiæ ſæculorum hiſtoriam, ſed potiora tantum ejus capita pertexere, quæ etiam paullo infra enumerat; *excidium* nempe *Hieroſolymæ*, *vexationeſque populi Chriſtiani*, & *mox pacis tempora*, &c.

Pag. 2. lin. 6. *ad diſtinguenda tempora, continuandamque ſeriem uſum hiſtoricis Ethnicis)* Fecit id potiſſimum in digerendis temporibus per reges Perſarum, & Syro-Macedonum: quare lib. II. cap. IX. habet: *Sed hoc tractu temporum qui reges Perſis imperitaverint, inſeremus* (pag. 111. per errorem *inſerimus* legitur) *quo facilius annorum ſeries in ordinem contexta prodatur*; & quæ ibidem ſequuntur de uniuſcujuſque regis duratione. Præterea cap. XIV. ejuſdem lib. II. de Ocho rege ſcribit: *Idem Ochus (ut in ſæculari-*

cularibus quibusdam scriptis legi) natura immitis, cupidusque bellorum traditur: & paullo post: *sub quo (* Ocho *) Baguam fuisse mundiales historici tradiderunt*. Ceterum quibus ethnicis historicis sit usus, quum nullibi ipse tradat, definire periculosum est.

Pag. 4. lin. 1. *in nostram velut exsules terram ejecti sunt*) Boxhornius apud Hornium, & Vorstius volunt Severum iis esse adnumerandum, qui Paradisum, in quo primum Adam & Eva collocati fuerunt, *extra nostrum orbem* situm putarunt. Ego tamen, si quid video, non video cur sanam interpretationem verba hæc non recipiant, quin potius requirant. Equidem non *in nostrum orbem* scripsit hic, sed *in nostram terram*, seu in eam terræ partem, quæ ab hominibus incolitur: quoniam Paradisi aditus, ad tempus saltem, præclusus iis fuit. Sequitur *ejecti sunt*, non *dejecti*, puta de cælo, non ex alio orbe huc *delati*. Denique culpam, propter quam in hoc exsilium primi parentes pulsi fuerunt, hanc fuisse tradit: *cum interdictam sibi arborem degustassent*. non ergo cum iis sentiebat, qui Paradisum in tertio cælo, aut alicubi extra orbem terrarum collocabant, totamque hanc historiam allegorice interpretati sunt, contra quos disputat Bellarminus in libro *de gratia primi hominis*, cap. X. & seqq. Similes huic locos aliquot, atque etiam difficiliores apud S. Hieronymum notavi, ut in epist. X., quæ est ad Paullum Concordiensem: *Nam cum primum paradisi colonum, viperinis nexibus præpeditum, coluber deduxisset ad terras*, &c. In epist. XXII. (quæ proprie est libellus Eustochio inscriptus, *de Virginitate servanda*) num. 10. & 18. hæc habentur (utrumque autem locum integrum dabo, ut eadem opera partim in interpretatione, partim etiam in verbis emendem) *Innumerabilia*, inquit num. 10., *sunt de Scripturis divina responsa, quæ gulam damnent, & simplices cibos probent* (Vallarsius notavit in margine, pro verbo *probent* scriptum reperiri & *præbeant*: ita sane antiquus codex Capit. Veron., & excerpta hujus epistolæ, quæ in Concil. Aquisgranensi anni DCCCXVI. habentur, nec non & ed. Parmensis an. 1480. Epistolarum & Opusculorum S. Hieronymi. Hæc lectio confirmatur etiam ex iis quæ proxime antea scripserat S. Hieronymus: quare quærendum superest, qua auctoritate nitatur vulgata lectio *probent*, quæ mihi interim suspecta sit *)*. *Verum, quia nunc non est propositum de jejuniis disputare, & universa exsequi sui est tituli & voluminis* (ita MS Capit. & Conc. Aquisg.: Ed. Parm. *sui est voluminis & tituli*: at Vulgata lectio, *sui & tituli sit & volum.*), *hæc sufficiant pauca de plurimis*. *Alioquin ad exemplum horum* (de quibus nempe antea ab eo actum est), *poteris tibi ipsa colligere, quomodo & primus homo de paradiso* (ita Cap. liber: & agnoscit etiam Conc. Aquisg.: Vulgata lectio, *quomodo primus de paradiso homo*), *ventri magis obediens quam Deo, in hanc lacrymarum dejectus est vallem; & ipsum Dominum Satanas fame tentaverit in deserto*; *& Apostolus clamitet*: Escæ ventri, & venter escis: Deus autem & hunc & illas destruet: *& de luxuriosis*: quorum deus venter est. *id enim colit unusquisque quod diligit*. *Ex quo sollicite providendum est, ut quos saturitas de paradiso expulit, reducat esuries*. Num. autem 18. hæc habentur. *An non flendum est, non gemendum, quum me rursus serpens invitat ad illicitos cibos? quum de paradiso virginitatis ejectum* (ita idem MS. Cap. & ed. Parm. quum vulgata lectio ferat *ejectos*, sed male: nam de se proprie hæc dicit, vel in persona Eustochii) *tunicis vult vestire pelliceis* (hæc in memoriam revocant illud S. Martini, apud Severum Dial. II. cap. X. *En Adam ejectus de pa-*

de paradiso, in veste pellicea sues pascit), *quas Elias ad paradisum rediens projecit in terram*. (in MS. Cap., *projecit in terra, dicens*: sed scriptum a Hieronymo fuerit: *Dices: quid mihi*, &c.) *Quid mihi & voluptati, quae brevi* (MS. *in brevi*: ed. Parm. *in brevi praeterit*) *perit? quid cum hoc dulci & mortifero carmine sirenarum? Nolo illi* (Ita Cap. & Parm. ed.: Vulg. *Nolo te illi*, sed male: nam Eustochium inducitur loquens, ut ex toto contextu liquet) *subjacere sententiae, qua in hominem est illata damnatio*: In doloribus & in anxietatibus paries: *Mulieris lex ista est, non mea* (MS. Cap. & ed. Parm., nec male, habent: In doloribus & in a. p. mulier: *lex ista non mea est*): *Et*, ad virum conversio tua: *Sit conversio illius ad maritum, quae virum non habet Christum*: *Et, ad extremum*, morte morieris: *Finis iste conjugii: meum propositum sine sexu est. Habeant nuptae suum tempus & titulum* (MS. Cap. *Habeant nuptiae suum corpus & titulum*): *mihi virginitas in Maria dedicatur & Christo*. Quod vero supra non epistolam, sed libellum, seu opusculum esse dixerim hunc Hieronymi *de Virginitate* tractatum, evincit primum ipsa scriptionis indoles, & quod in urbe Roma scriptus fuerit ad Virginem Romae tunc habitantem; tum Sulpicii testimonium, qui eum in Dial. I. cap. VIII. non *epistolam*, sed *libellum & opusculum* appellat; nec non Rufini, Invect. lib. II. num. 4. 5. & 10., quibus locis constanter *libellum* nuncupat; prostremo ipsius Hieronymi in locis laudatis in Notis pag. 70. Tom. I., quibus accedunt illa ex hoc eodem Opusculo num. 2. *Nulla est in hoc libello adulatio*: praeterea quae in epist. XXXI. ad Eustochium: *Et pristini libelli etiam nunc recorderis*; ejus nempe de quo agimus. Quid plura? liber de Vir. Ill., in Sophronio: *De virginitate quoque ad Eustochium & Vitam Hilarionis monachi, opuscula mea, in graecum eleganti sermone transtulit*. Haec obiter notare placuit, quoniam Cl. editor Veronensis, in Praef. Tom. I. pag. XXVIII. num. 4., pollicetur se ex epistolarum albo *Tractatus & Opuscula cum Praefationibus aliorum Operum* exclusurum. *Jam vero*, inquit, *ut proprie Epistolarum, quod nemini hactenus in mentem venit, collectionem adornarem, primum Tractatus & prolixiora Opuscula, quae ab ipso Hieronymo in Catalogo, atque alibi, si quando eorum mentio occurrit, inter libros censentur, hinc loco movi, atque alteri tomo reservavi*. Laudo quidem ejus consilium, quod prolixiores Tractatus seorsum ediderit Tom. II., non autem quod in primo Tomo se *proprie epistolarum collectionem adornare* profitetur. Equidem si Catalogi Hieronymiani capite ultimo & aliorum Hieronymi locorum ratio habenda sit, non hic tantum, sed multi alii libelli, quibus nec proprie convenit *Epistolae* titulus, ex eo primo Tomo expungendi fuerint.

Pag. 4. lin. 4. *Irad, atque ex eo Maviael*) Monui in Notis *suspectum* mihi esse utrumque nomen, seu *aliter ea nomina pronuntiata & scripta a Severo fuisse*, cum antiquam Latinam editionem, ex versione τῶν LXX. expressam, sequutus sit unice, in qua non *Irad*, sed *Gaidad*, Γαιδάδ dicitur Cain nepos: & ita Patres omnes Graeci, tum etiam Latini, quicumque S. Hieronymi interpretatione non sunt usi. Vide, ex. gr., S. Jo. Chrysost. Hom. XX. in Gen., & Aug. de C. D. lib. XV. cap. 20. Neque aliquem movere debet, quod in libro Hebraicorum nominum a Philone conscripto, & a S. Hieronymo de graeca in latinam linguam translato, *Irad* non *Gaidad* legatur: nam S. Interpres, ut ipse in Praefatione testatur, *vetus aedificium nova cura instaurans.*, multa ex ingenio mutavit aut addidit. Sane in Graeco Fragmento IV. ejusdem libri, col. 575. Tom. III. S. Hier. ed.

Ver. Γαιδάδ (ſeu melius Γαϊδάδ) habetur, cui tamen voci Vallarſius appoſuit e regione *Gedera*, *inconſtans animo*, ut ipſe ait, *ac prorſus incertus*. Sed nihil ad *Gederam*, ſeu *Gaderam*, facit *Gaidad*, quo nomine Enochi filium & nepotem Cain ſignificari, vel hinc conjicere licet, quod in eo Fragmento proxime præcedat Μαϊήλ filium ſuum (de quo agemus ſtatim) & alios aliquot ex poſteris Caiu. *Gaidad* autem verterunt οἱ LXX. Hebraicam, ut nunc quidem legitur, vocem עירד, *Irad*; primum quod ע litteram, quæ primo loco occurrit, per G expreſſerint, ut in aliis multis vocibus, cujuſmodi ſunt *Gomorra*, *Gothoniel*, *Gaza*, &c.; contra Hieronymus, ſecutus pronuntiationem Hebræorum ſui temporis, quaſi otioſam & quieſcentem *vocalem* neglexerit: ſecundo, quod pro עירד legerint עידד, exiguo ſane diſcrimine, ſeu apice, inter ר & ד intercedente, quæ τοῖς LXX. ſæpius errandi cauſſa fuit, ut notavit Hieronymus Comm. in Eccleſiaſtæ cap. VIII. & in Ezechiel. cap. XLVIII. Utrum vero & hoc loco ſimilitudine litterarum decepti fuerint, an potius genuinam lectionem ſint ſequuti, non definio. hoc unum obſervare juvat, עידד a radice עדד derivari commode poſſe, quæ *erigere*, *exaltare* ſignificat: quare *Gaidad* verti poſſit, *erigens*, *exaltans ſe*: quæ etymologia concinnior ſane & huic viro convenientior videtur illa, quam voci *Irad*, ſeu עירד aſſignat S. Hieronymus, *civitatis deſcenſionem* interpretatus. In græco Fragmento ſupra laudato Γαϊδάδ reddi videtur τετειχισμένη, ſeu *muro munita*; ſed, ut puto, hæc interpretatio ad aliud aliquod nomen ſpectabat, non hominis, ſed loci, aut civitatis. Monet Hieronymus in Præfatione ſuæ interpretationis: *Tam diſſona inter ſe exemplaria reperi, & ſic confuſum ordinem, ut tacere melius judicaverim, quam reprehenſione quid dignum ſcribere*. ſi hæc ille de Philonis codicibus, quid nos de laceris hiſce Fragmentis? Ceterum Vallarſius in eodem Fragmento ipſum nomen *Irad* conjecit potuiſſe legi, quo loco ibi occurrit Ἰαρίρ. *Pro* Ἰαρίρ Hiarer (ſcribit in Not. col. 575.) *non diffiteor poſſe legi* Irad; *ut cum Cainani poſteris hic recenſeatur* Irad. Sed facile apparet Ἰαρίρ eſſe mendoſe ſcriptum pro Ἰαρίδ: neque *Irad* ibi legi potuit, cum Γαϊδάδ eum dicerent Græci, eumdemque eo nomine paullo ante auctor Fragmenti illius recenſuerit. Sed ad *Maviael* tranſeamus. hunc οἱ LXX. Μαλελεήλ *Maleleel* dixerunt (non ſecus ac Cainani filium) quos ſequitur Chryſoſtomus citata Hom. in Gen. Complutenſis tamen editio habet Μαιήλ, ſed in edit. Oxonienſi, expreſſa juxta antiquiſſimum codicem Alexandrinum, legitur Μαϊήλ. concordat & Μαιήλ, quod paullo ante vidimus in græco Hebraicorum nominum Fragmento poſt Γαϊδάδ poſitum. Sic in lacinia illa, quæ Euſebiano Chronico præfixa habetur, juxta Scaligeri editionem, lib. I. Chron. pag. 7. *Enoch autem genuit Gaidad, & Gaidad genuit Meehel, & Meehel genuit Mathuſala*: quomodo & Pontacus in libro quodam MS. ſe legiſſe notat, licet pro *Meehel* corrupte editum fuerit *Mechel*. in Pontacena tamen & Vallarſiana ejus laciniæ editione *Maviael* legitur. Etiam apud S. Auguſtinum lib XV. de C. D. cap. XX. idem vir *Mavihel* dicitur, quod tamen pro *Mavihel*, ſeu *Maviael* mendoſe ſcriptum ſit. Reſtat itaque ut ex Vulgata noſtra, ſeu ex Hieronymi verſione, utrumque nomen apud Severum, poſterius autem etiam apud Auguſtinum librarii, ſeu editores refinxerint: certe in nullo alio genere ſæpius ab ipſis aut confidentius peccatum eſt. quod multis aliis exemplis confirmari poſſet. Unum Hieronymi locum ex epiſt. ad Damaſum, quæ in ed. Veron. eſt XXXVI., & ad annum Chriſti CCCLXXXIV. refertur, addere placet. Hæc ibi legun-

leguntur num. 4. *Adam quippe genuit Cain, Cain genuit Enoch, Enoch genuit Irad, Irad genuit Maviael, Maviael genuit Mathusala, Mathusala genuit Lamech*. Habes in his verbis *Irad*, habes *Maviael*, seu, ut scribendum potius fuerit, *Mahujael*, per *u* vocalem præmissa aspirstione, idque ad normam hodierni Hebraici textus, & juxta versionem Hieronymi: contra habes *Mathusala* juxta τοὺς LXX., cum textus Hebraicus & Hieronymi versio *Mathusael* præfersnt, ut postea videbimus. Cave tamen, ne in rebus hujusmodi libris quibusvis fidem accommodes: nam in ea epistola secus scripsit Hieronymus, ut colligitur ex antiquioribus & sincerioribus libris scriptis & editis. De MSS. notat obiter P. Martianæus: *Cod. MS. Morbacensis*, Enoch genuit Gaidad: & noster Vallarsius: *Cod. Cisterciens. cum Vaticano aliisque*: Enoch genuit Cainan (*alii* Gaidad) Cainan genuit Malaleel, Malaleel genuit Mathusalem. Præterea *Cainan* (mendose id quidem pro *Gaidad*) *Malalehel*, & *Mathusalem* habet etiam hoc loco antiquissima editio Parmensis. Itaque minime ambigendum est, quin *Gaidad* & *Malaleel*, seu *Malelеel* scripserit hoc loco Hieronymus, qui post multos demum annos suam ex Hebraico Veteris Testamenti, Pentateuchi præsertim, interpretationem adornare aggressus est. Ceterum, seu Μαλελεὴλ, seu Μαιὴλ LXX. legerint, quid his vocibus convenit cum Hebræo מחויאל? Nihil sane primum, secundum autem aliquo pacto, nempe si ו omisso leges מחיאל. Verum hæc duplex græca interpretatio, & item illa quam apud Josephum habemus, scilicet Μαρουήλος, satis indicant variasse hoc loco inter se ipsos Hebraicos codices, quod & alibi sæpius factum oportuit. Equidem pleræque τῶν LXX. ab hodierno Hebræorum textu discordantiæ huic ejus textus, ante Masoretharum quæ nunc circumfertur castigationem, varietsti & corruptioni sunt adscribendæ potius, quam interpretum incuriæ aut imperitiæ. Sed, ut nonnulla etiam de *Mathusala* dicamus, habetur apud Severum: *Hic Mathusalam* (non *Mathusalem*, quod in aliquot exemplaria nostræ editionis irrepsit) *filium habuit*: ad quem locum adnotavit Vorstius: Mathusael *ei nomen fuit. Et dubito, an pro ipsius auctoris errore habendum hoc sit. Nam ipsa quoque versio Latina vetus habet* Mathusael. *Sit potius error librariorum, quibus Mathusala notior fuit quam Mathusael*. Vetus Latina versio Vorstio est Hieronymiana, quasi ea usus fuerit Severus. verum ille si antiquiorem Hieronymisna ex græca τῶν LXX. expressam, Patresque ea usos consuluisset, vidisset profecto hoc loco neque a Severo, neque ab ejus exscriptoribus erratum. Μαθουσάλα, seu *Mathusala* filium Malelcel, non secus ac filium Enoch ex stirpe Seth, constanter appellant Græci Patres, Latinique antiquiores: adeo ut Africanus apud Syncellum pag. 21. ed. Paris., scripserit: Ἐισὶ τρεῖς ὁμωνυμίαι τῶν (ita Scalig.; apud Goarum pro τῶν mendose legitur τωι) ἀπὸ Κάϊν τοῖς ἀπὸ Σὴθ, ὡς Ἐνὼχ καὶ Μαθουσάλα καὶ Λάμεχ: *Tres sunt filiorum Cain cum filiis Seth homonymiæ*, seu appellationes communes, *nempe Enoch, Mathusala & Lamech*. (quod quartam non addiderit ὁμωνυμίαν, quæ occurrit in nomine *Maleleel*; indicio est Africano Μαιὴλ dictum filium Gaidad, non secus ac Theoph. lib. 2. ad Autol. n. 30.). Præterea in Romana τῶν LXX. editione ad csp. IV. Genes. scholion legitur his verbis conceptum: Παρὰ τοῖς ἑβδομήκοντα Μαθουσάλα κεῖται· τοῦτο δὲ πλάνη γραφική ἐστι. ὁ γὰρ Μαθουσάλα ἐκ τῆς σωζομένης γενεᾶς ἐστι τοῦ Σὴθ· ὁ ἀπὸ τοῦ Κάϊν Μαθουσαλὰ καλεῖται, ὃς ἐξώρισαι μετὰ τῶν λοιπῶν. *Apud Septuaginta Mathusála positum est errore scripturæ. Mathusála enim est ex progenie Seth, quæ subsistit: qui autem a Cain, dicitur Mathusalà, qui exterminatus est*

cum reliquis. Adeo nimirum simile erat apud Græcos utriusque viri nomen, ut ex accentus diversitate distinguenda aliqui censuerint. Quod itaque apud Severum & Hieronymum in loco supra laudato legitur *Mathusala* & *Mathusalam*, sincera lectio est: quod autem apud Augustinum, loco item jam producto, *Mathusael* legitur, a librariis nomen illud mutatum fuisse oportet: sequitur enim Augustinus, in eo præsertim Opere, antiquissimam Latinam versionem ex græco textu expressam, quamvis nec ignoraret Hieronymianam, quæ haud ita pridem prodierat: ejus enim meminit lib. XVIII. de C. D. cap. 43.

Ib. lin. 8. *cum jam tricesimum & ducentesimum*, &c.) Quidam, quibus versio τῶν LXX. præferenda videtur Hebraico textui, quod saltem spectat ad annos quibus antiquissimi illi Patres filios genuerunt, ex Targum Hierosolymitano hanc antiquam Hebræorum traditionem producunt: *Et cognovit Adam rursus uxorem suam ætatis centum & triginta annis, postquam occisus est Abel*; quæ in *Bereschith rabba*, & alibi a Rabinis confirmatur. Lyranus in cap. V. Genes. vers. 3. scribit: *Secundum Methodium* (CPolitanum puta Archiepiscopum, qui floruit nono sæculo, cujusque Chronicum a Mariano Scoto, & aliquot aliis Latinis laudatum fuit), *& aliquot alios doctores hic* (scilicet in Vulgita, in quam commentabatur Lyranus) *tacentur centum anni vitæ Adæ, quibus luxit Abel. secundum Hebræos autem nihil omittitur*. Equidem ex ea, ceteroqui fabulosa, traditione sequeretur, non modo ut Seth natus esset anno CCXXX. Adæ, sed etiam ut anno circiter centesimo ab O. C. Abel fuerit occisus, quod traditur etiam apud Syncellum pag. 9. ed. Paris., idque, ut videtur, ex Parva Genesi, de qua actum a me est pluribus in Diss. *de Chron. Eusebii* part. II. §. XVI. Sane ibi primum Abel occisus dicitur *anno nonagesimo nono*: additur autem; *quem primi parentes annorum hebdomadibus quattuor, id est viginti octo luxerunt. Anno centesimo septimo Adamus & Eva luctum deposuerunt*. Sed omissis his incertis traditionibus, calculus τῶν LXX. aliis & probabilioribus argumentis defendi potest, de quibus tamen non est hujus loci agere.

Pag. 5. lin. 7. *angeli, quibus cælum sedes erat*, &c.) Quod in Notis pollicitus sum, præsto: nempe ut attingam, quibus rationibus persuasi quidam antiqui Patres, Angelos cum mulieribus turpiter congressos opinati sint. I Versio τῶν LXX., qua tum unice utebantur Christiani, in aliquibus codicibus, Genes. VI. 2. pro *filii Dei* habuit *Angeli Dei*, οἱ ἄγγελοι τοῦ θεοῦ, quo modo legitur ad hanc diem in MS. Alexandrino. Quam antiqua autem & vulgata fuerit ea lectio apud Græcos & apud Latinos, satis colligitur ex Africano & Augustino. Africani fragmentum apud Syncellum pag. 19. hæc habet, Goaro interprete: *Aucta super terram hominum multitudine, angeli cæli filiabus hominum commixti sunt. In quibusdam exemplaribus legi*, filii Dei: ἐν ἑτέροις ἀντιγράφοις εὗρον, οἱ υἱοὶ τοῦ θεοῦ, &c. Ergo alii plerique codices Africano inspecti alteram præferebant lectionem. Ita Augustinus, de C. D. lib. XV. cap. 22. extremo, & cap. 23. num. 2. & 3., Vulgatam antiquam Latinam citans, in ea legit: *videntes autem angeli Dei filias hominum*: attamen ibidem tradit: *Et septuaginta quidem interpretes &* angelos Dei *dixerunt istos* (nempe Gen. VI. 2.) *&* filios Dei (ibid. 14.): *quod quidem non omnes codices habent, nam quidam nisi* filios Dei *non habent*. Codices itaque, qui tunc Gen. VI. 2. *filii Dei* præ-

præferebant, rariores erant. His adde quæ habet idem Auguſtinus in lib. quæſt. in Gen. q. 3. Vide etiam eruditos interpretes in eum Geneſeos locum. Quod autem qui paullo antea *angeli Dei*, ſtatim *filii Dei* dicantur, difficultatem non omnino ſolvit: nam alibi in Scripturis *filii Dei* pro *angeli Dei* poſitum repetitur, ut Job I. 6. & XXXVIII. 7.: utroque enim in loco de Angelis quum ſit ſermo, in Hebraico textu *filii Dei* legitur, licet LXX. utrobique reddiderint *Angeli*. Quæ ratio eſſe potuit, cur Chryſoſtomus Hom. XXII. in Gen., ubi egregie refutat hanc, quam ipſe μυθολογίαν ſeu *fabulam* appellat, inter cetera pronuntiaverit, nuſquam in Scripturis *filios Dei* dictos eſſe Angelos. Sic Dan. III. (verſ. 92 juxta Vulg.) legitur: *Et ſpecies quarti ſimilis filio Dei*, qui tamen, verſ. 49. & 95., *Angelus* diſerte appellatur: vide quæ de hoc loco notavimus ſupra pag. 102. II. Angelos corporeos fuiſſe multi ex antiquis Patribus putarunt: itaque minime mirum, ſi cum mulieribus rem habuiſſe plerique ex ipſis ſtatuerint: quamvis alii id omnino negarint, ſaltem de Angelis bonis. ita Auguſtinus de C. D. lib. XV. cap. 23. Nam quamvis *definire non audeat, utrum aliqui ſpiritus elemento aerio corporati* (ut *creberrima fama* erat de *Silvanis & Faunis*, *quos vulgo incubos vocant*) *poſſint etiam feminis miſceri*, pergit tamen ſcribere: *Dei tamen Angelos ſanctos nullo modo illo tempore ſic labi potuiſſe crediderim*. Ceterum adeundus Petavius lib. I. de Angelis cap. 2., ubi eos enumerat, qui corporeos Angelos ſunt opinati, & lib. III. cap. itidem 2., quo loco recenſet illos, qui eoſdem cum mulieribus ſtuprum patraſſe vel aſſeruerunt vel negarunt. Equidem conſtat ex utroque loco multum obſcuram & imperfectam primis Eccleſiæ ſeculis fuiſſe apud pleroſque Angelicæ naturæ notionem. III. Auctoritas libri Enoch, quem pro Canonico nonnulli habuerunt, multos in illam falſam opinionem tranſverſos egit, præcipue quum quædam ſub Enochi nomine in epiſtola S. Judæ in teſtimonium producta viderent. Eo etiam perperam ſpectaſſe crediderunt S. Petrum, II. epiſt. II. 4.: & Judam ipſum verſ. 6. dicentem: *Angelis vero, qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium*, &c., ad quæ verba reſpexiſſe crediderim & Severum quum ſcripſit: *Angeli, quibus cælum ſedes erat*, & paulo poſt: *relictis ſuperioribus, quorum incolæ erant*. Sane liber Enoch apocryphus, ut ex ejus fragmento apud Sycellum apparet, eam de Angelis cæleſtibus turpiter cum mulieribus congreſſis fabulam fuſe tradidit, & primus fortaſſe in ſcenam produxit. IV. Poſtremo non Chriſtiani Patres primi in hunc impegere lapidem, ſed Hebræorum doctiſſimi & diſertiſſimi Philo & Joſephus, ut alios poſteriores omittam. Porro hæc omnia dicta ſint, ut aliqua venia digni habeantur, quicumque, hoc ſemel errore pervulgato, eumdem incaute ſunt ſequuti: quum tamen non defuerint alii, qui accuratius quæſtionem hanc expendentes, ab eo declinarunt. Sed quæres quinam fuerint hi *filii Dei*? & quænam rurſus *filiæ* illæ *hominum*? Antiqua & recepta ſententia eſt illos eſſe poſteros Seth, has Caino progenitas: ſed perplacet recentiorum quorumdam opinio, in quibus & Vorſtius, qui *filios Dei*, Hebr. בני אלהים, *filios magnatum* ſeu potentium intelligunt; contra *filias hominum*, בנות האדם, filias plebejorum. Sane vox אלהים non *Deum* tantum, ſed plurali numero *Deos*, *principes*, *judices potentes* ſignificat: quare Symmachus hoc loco, ſcilicet Gen. VI. 2. vertit οἱ υἱοὶ τῶν δυναστευόντων, ut ex Hexaplis apparet, immo ex Hieronymo in Quæſt. in Gen. ita ſcribente: *Verbum Hebraicum* ELOIM, *communis eſt numeri: & Deus quippe*

& dii

& dii similiter appellantur. propter quod Aquila, plurali numero, filios Deorum *ausus est dicere, deos intelligens, sanctos vel angelos*; Deus enim stetit in synagoga deorum; in medio autem deos discernit. *Unde & Symmachus istiusmodi sensum sequens, ait*: Videntes filii potentium filias hominum, *& reliqua*. Hæc ille. Locus ex Psalmo LXXXI. vers. 1. ab eo citatus, de judicibus, magnatibus, sive potentibus similiter est intelligendus, ut etiam locus alter ex vers. 6., quem Christus produxit, Joan. X. 34. & seq. Quod ad vocem אדם spectat, pro homine plebejo accipi volunt (unde factum fortasse puto, ut Jesus Christus se *filium hominis* sæpius dixerit, ad exemplum humilitatis) præcipue si opponatur vel, ut heic, voci אלהים, vel, ut in Psalmo XLVIII., voci איש. *Audite*, incipit, *hæc omnes gentes: auribus percipite omnes, qui habitatis orbem*: tum sequitur גם בני אדם גם בני איש: *Etiam*, vel *tum filii hominis*, sed vilis & plebeii, & e terra, quæ אדמה, nati; *etiam*, vel *quam filii viri*, præstantis scilicet & clara stirpe orti. Sane ea significatione opponuntur איש & אדם etiam Prov. VIII. 4. & Psal. LX. 10. & alibi: contra אדם, seu בן אדם componitur cum אנוש seu בן אנוש, Psal. VIII. 5. & CXLIII. 3. & Job. XXV. 6. Est autem אנוש a miseria, infirmitate & labore ductum: qua ratione Seth ita appellavit filium suum, Genes. IV. 26. Sed ut ad Psalm. XLVIII. redeamus, sequitur ibidem: *simul in unum dives & pauper*, quæ magis declarant, in præcedentibus *filios hominis* dictos pauperes. Peccatum autem quod Gen. VI. designatur, in eo situm potissimum erat, quod potentes raperent & jungerent sibi virgines pauperum, adeoque πολυγαμίαν inveherent, ejusque caussa quidquid sibi licere in infirmiores ignobilesque ducerent: quo spectant illa, Gen. VI. 11. *repleta est terra iniquitate*, Hebr. חמס, seu *rapina, violentia, iniquitate*, &c.

Pag. 6. lin. 1. *Noe virum justum*) Quoniam & hoc loco & paullo supra, ubi dicitur Enoch *ob justitiam* a Deo translatus, nonnulla habet Vorstius, ut doceat inter Hebraismos esse referendam generalem illam *justitiæ* significationem, quæ virtutes omnes comprehendit, cum justitia proprie sit ea peculiaris virtus, quæ suum cuique tribuere amat; placet Theognidis distichon producere, quo justitia illa universalis ex Hebræorum notione designatur. Est autem vers. 147. & seq.

> Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶς᾽ ἀρετή 'στι,
> Πᾶς δέ τ᾽ ἀνὴρ ἀγαθὸς, Κύρνε, δίκαιος ἐών.
>
> *Justitia una alias virtutes continet omnes:*
> *Nam quisquis justus, vir bonus ille fuit.*

Ibid. lin. 2. *arcam immensæ magnitudinis*) *Arcam* intellige navis genus, in arcæ modum compactæ, sine velis aut remis. Ejus *magnitudo*, ut habet sacer textus, CCC. cubitorum fuit in longitudinem, L. in latitudinem, XXX. in altitudinem: qui numeri inter se multiplicati, efficiunt summam cubitorum XLV. millium. Verum dum *immensæ magnitudinis* eam fuisse dicit Severus, antiquorum quorumdam sententiam videtur sequutus, qui nescio quos geometricos cubitos commenti sunt, quorum quilibet sex communes æquaret. Legitur hæc sententia apud Origenem Homil. 2. in Genesin: *Nos*, inquit, *quæ a prudentibus viris, & Hebraicarum traditionum gnaris, atque veteribus magistris didicimus, ad auditorum notitiam deferemus..... apud Geometras in sex cubitos*

unus

Digitized by Google

unus deputatur, &c. Ex Origene vero repetit & approbat eamdem sententiam Augustinus in lib. Quæst. in Gen. q 4., & lib. XV. de C. D. cap. 27., ubi præterea ipse ita Scripturæ verba interpretatur, ac si trecenta cubita longitudinis, & quinquaginta latitudinis, sint unius tabulati mensura, ac proinde pro tribus arcæ tabulatis triplicandus esset ille numerus. Ejus tamen opinio a nemine, quod sciam, fuit adoptata; Origenis autem de cubitis geometricis, pluribus quidem interpretibus placuit, sed nunc a plerisque eruditioribus est explosa: cum alioqui abunde sufficere judicetur cubiti vulgaris, seu sesquipedalis (quale olim etiam Ægyptium & Hebræum fuisse, ex Ric. Cumberlano ostendit Jo. Clericus, in Gen. VI. 15.) mensura recipiendis omnibus quæ a Noe ex mandato Dei sunt in arcam importata: ut a Joanne Buteone peculiari tractatu est singillatim demonstratum. Verum ejus demonstratio (non secus ac illa, quam a Wilkinsio eleganti Dissertatione expositam exhibet Matthæus Polus in *Synopsi Criticorum*) ut non levia secum fert incommoda, ita falso innititur fundamento: statuit enim tamquam rem certam & exploratam, ex animalibus & volucribus mundis septem tantum numero, ex immundis duo omnino ex unaquaque specie in arca fuisse servata. quum Sacra Scriptura, ut mox videbimus, duplo majorem numerum haud obscure designet animalium tum mundorum tum immundorum, quibus sane locus juxta eam ὑπόθεσιν in arca minime sit: præsertim quum duplo etiam major annona illis quadrupedibus & volatilibus sit necessaria. Verum & huic duplo majori numero facile locus erit, si ponamus, quod statim verisimillimum ostendemus, animalia per id tempus non carnibus, sed fœno & aliis terræ frugibus vitam tolerasse. Ita sane locus, qui multis centenis ovibus, deputatis in escam animalium & volucrum carnivororum, recipiendis foret necessarius, vacabit recipiendis totidem aliis paribus quæ ex nostra sententia succrescunt: locus autem, qui condendo fœno ad alendas oves illas escarias inservire deberet, commode inserviet duplicatæ annonæ. atque ita arcæ capacitas sufficiet adhuc, immo multum in ea spatii abundabit. Id ut manifestius fiat, Buteo, ex. gr., oves 3650. quadrupedibus carnivoris in cibum per anni spatium necessarias ponit, quibus assignat in ima contignatione aream 10032. cubitorum, adeo ut reliquis quadrupedibus sint tantum reliqui 4968. cubiti (nam arca tota, longa cubitis 300., lata 50., reddit cubitos quadratos 15000.). At nos qui oves illas 3650. non admittimus, licet duplo majorem quadrupedum numerum afferamus, multo ampliores caveas singulis speciebus assignare possumus: & nihilominus locus adhuc vacuus supererit. Cardo itaque difficultatis in eo totus vertitur, num animalia carnivora, quo tempore saltem in arca manserunt, fœnum aliasque fruges, non carnem, pro cibo habere potuerint: cui quæstioni aliorum potius quam meis verbis respondebo, ut rationum momenta auctoritate etiam summorum virorum fulciantur. Audiendus itaque primum Samuel Bochartus, Hieroz. par. I. libro I. cap. 2. *Anxie*, inquit, *multi quærunt, quo pabulo Noachus in Arca bestias carnivoras sustentaverit. Si fœno dixeris & farragine, videberis rerum naturam invertere, & quod in adagio dicitur, κυνὶ δίδωσι ἄχυρα, ὄνῳ δὲ ὀστία. Si carnem illis ingessisse Noachum responderis, quoties fuit necesse; quæretur rursus, unde potuerit illi tantum carnis suppetere, cum animalium certus numerus in arcam sit intromissus, & pleraque bina tantum* (obiter nota, hunc etiam doctissimum alioqui virum vulgarem de numero animalium sententiam imbibisse) *quæ occidere fuit nefas, ne species aboleretur.*

lerctur. *Nc dicam parum videri verisimile, Noachum tamdiu tam assiduo & fœdo ministerio fuisse mancipatum*. *Proinde malim dicere, quo miraculo factum, ut leones, pantheræ, tigrides, &c. feritate deposita mansuescerent, atque homini se subjicerent, eodem factum, ut ad tempus, neglecta carne, fruges & fœnum depascerentur; contenti scilicet obvio cibo & parabili*. *In ea fere sunt sententia Basilius, & Augustinus* (Augustini locum infra adducam: sed apud Basilium nihil hujusmodi invenio) *& ex Hebræis Kimchius in Esaiam*. *quem alludere consentaneum est ad diluvii tempora, cum futuram sub Messia rerum omnium conversionem propheticis verbis ita describit* (Esa. XI. 6. 7. & LXV. 25.) Lupus habitabit cum agno, & pardus cum hœdo accubabit, *&c. Et* vacca & ursa pascentur simul, &c. *Et* leo sicut bos comedet stramen. Idem præterea addit quædam ex profanis Scriptoribus Isaiæ dictis consentanea, nec non exempla aliquot leonum, qui incruentis cibis sunt usi: *Quale est* (pergit) *quod habet Sulpicius Severus de quodam monacho Thebaidis, Dial. I. cap. 7.* (juxta aliam recensionem, cap. XIII.): Cumque plenam (*palmulis*) manum leoni obtulisset (leg. *cumque plenam palmulis manum* (leoni) *obtulisset*); accurrit bestia, accepitque tam libere quam nullum (*lege*, ullum: Ita Bochartus, sed nullo sibi suffragante codice, immo refragrante ipsa sententia, quæ est, *tam libere, quam ne ullum quidem*) animal domesticum: & cum comedisset, abscessit. Hactenus Bochartus, qui tamen ex recentioribus neque solus, neque primus ita sensit: nam idem antea placuisse Bonfrerio & Pererio lego: hunc certe Cornelius a Lapide refutat, opponens ei auctoritatem Hebraici textus. Nempe Gen. VI. 21., ubi Vulgata habet: *Tolles igitur tecum ex omnibus escis quæ mandi possunt*, observat haberi *Hebraice*: ex omni cibo qui comedi solet, *puta tam ab hominibus, quam a bestiis*. *Unde* (pergit) *verius puto, quod asserit Joannes Buteo* (*licet contrarium opinetur Perer.*) *scilicet animalia carnivora in arca, non herbas, sed carnes a Noe arcæ ad hunc finem impositas comedisse*. *Leo enim, v. gr., carne tantum vescitur*. Eadem fere Menochius. Sed quod uterque textum Hebræum urget, frustra id est: in eo enim nihil aliud habetur, quam *ex omni esca*, אשר יאכל, *quæ comeditur*. præstitisset equidem, ut inculcassent illa *ex omni cibo*, seu *esca*, ut postea videbimus a Jo. Clerico factum. Verum non defuerunt eruditissimi viri, qui κρεωφαγίαν non hominibus tantum vetitam, sed & bestiis inusitatam ante diluvium tradiderunt: in his est Cl. P. Augustinus Calmet, ad Gen. I. 24., ex interpretatione & editione Lucensi: *Ad carnivora* (inquit) *quod attinet, probabiliter credimus, nullum fuisse illis carnium usum ab exordio*. *Nulla sunt, quibus herbæ & legumina non sufficiant ad alimentum* (in quam sententiam ex Plinio, lib. X. cap. 63. profert: *Ursi & fruge, fronde, vindemia, pomis vivunt & apibus, cancris etiam & formicis: lupi, ut diximus, & terra, in fame*. Citat etiam Origenem Homil. 2. in Gen.). *Nec facile alia aliarum carnibus exsaturari cœperunt, nisi post animantium propaginem* (quo loco præter Grotium citat Gregorium Nyssenum & Basilium Sanctos). Præterea refert Patrum quorumdam sententiam, qui a Deo creata animalia magno numero tradiderunt, sed his præfert alios, qui statuunt gemina tantum ex singulis generibus fuisse producta, marem scilicet & femellam, vel saltem illos, qui rara admodum ab exordio fuisse animalia ponunt: quæ omnia eo spectant, ut bestiæ carnivoræ initio, & per aliquod saltem tempus, a cæde abstinere debuerint, & aliis cibis vitam sustentare. His addere placet quæ Wilkinsius in laudata Differt. apud Polum de

hoc

Digitized by Google

hoc argumento habet. *Jam quamvis*, inquit, *probabile sit, tam bruta quam homines ante diluvium solis plantis victitasse, ut apparet ex collatione Genesis I. 29. & 30.* Et dixit Deus, &c. *cum capitis IX. vers. 3., ubi post diluvium, quum terræ proventus minoris essent efficaciæ, proindeque corpori alendo minus idonei, Deus Noachum alloquens sic inquit:* Fœtificate & augescite, *&c., & paullo post:* Omne reptile, quod quidem vivum est, vobis ad comedendum esto: ut viridem herbam, sic illa omnia dedi vobis. *Quoniam tamen hæc argumentatio convincendo adversario litigioso haud ita sufficit, ut in dubium vocari nequeat, rapacia ferarum & volucrum genera (quæ natura ipsa armasse videtur unguibus, dentibus, aliisque organis corporis, ad prædam dumtaxat & laniènam comparatis) herbis & fructibus victitasse; idcirco litigii tollendi gratia largiar impræsentiarum, animalia quæ nunc sunt rapacia, etiam ab initio ejusmodi fuisse.* Verum hic, dum se nimium liberalem & facilem incredulls præbet, in longe majorem incautus impingit difficultatem, quæ oritur ex duplo majori numero animalium in arcam admittendorum. Sed videamus, quid in hac quæst. senserit Jo. Clericus. Hic ad Gen. I. 30., postquam retulit Hugonis Grotii opinionem, qua statuebat eo Geneseos loco *herbas brutis solas concedi, non fructus arborum, qui simul cum herbis hominibus adtribuuntur*; ita pergit: *Attamen credibile est, immo necesse est initio rapacia animalia, ut leones, aquilas, &c., carnibus infirmiorum abstinuisse animalium, nisi hæc ingenti numero initio creata sint. Antiquissima certe Græciæ fama, animalia sub Jovis demum regno prædata esse ferebat.* Virgilius *de iis, quæ Jupiter rerum potitus in orbem terrarum induxit:*

Prædarique lupos jussit, pontumque moveri.

Georgic. I. 130. Vide & Eclog. IV. vers. 22. Præterea idem Clericus in Gen. VI. 21. ita commentatur. *Si carnivora fuere ante diluvium animalia, & feræ in arcam intromissæ; oportuit satis magnam copiam minuti pecoris, præter ejus paria ea, quæ ad speciei conservationem alenda erant, in arca esse. Sed non desunt viri eruditi, ut diximus ad cap. I. 30., qui κρεωφαγίαν brutis æque ac hominibus ignotam ante diluvium fuisse velint. Alii, qui contraria sentiunt, non sine miraculo voraces feras in arca a carne abstinuisse, & mitiore victu, quale fœnum aut fruges, aliaque id genus, usas esse volunt. At opposita huic opinioni videntur Mosis verba, qui diserte* omnem escam *coacervatam a Noacho fuisse docet. Piget heic hariolationes meras proferre, quæ nec elevandis difficultatibus sufficiunt, & alias ex aliis serunt. Acutiores hisce de rebus meditentur.* Hactenus Clericus, Bocharti sententiam a nobis supra allatam, ut videtur, tacite sugillans, eique potius favens, quæ feras rapaces a carnibus ante diluvium penitus abstinuisse statuit. Nobis utra ex his alteri præferatur, perinde est: dummodo maneat, non opus fuisse introducere in arcam immensum illum ovium numerum, qui carnivoris illis feris per annum sufficeret: quam sententiam uti probabiliorem hsbet & Calmetus, in Gen. VI. 15., ex quo etiam arguo ita visum esse Josnni quoque *le Pelletier*, (de quo in seq. Observ.): nam refert ab hoc non nisi triginta sex stabula fuisse assignata quadrupedibus omnibus, totidemque caveas volucribus: nullum ergo locum in arca esse voluit ovibus illis a Buteone in cibum ferarum voracium assignatis, quas proinde fœno & aliis frugibus alitas valuit. Reliquum est, ut S. Augustini de hac quæstione sententiam proferam, ex lib. XV. de C. D. cap. ult. *Solet* (leg. *Solent*) *etiam movere nonnullos genera escarum, quæ illic* (in arca) *habere poterant animalia, quæ nonnisi carne vesci putantur: utrum præ-*

ter numerum ibi fuerint, sine transgressione mandati, quæ aliorum alendorum necessitas coegisset includi; an vero (quod potius est credendum) præter carnem aliqua alimenta esse potuerint, quæ omnibus convenirent. Novimus enim quam multa animalia, quibus caro cibus est, frugibus pomisque vescantur, & maxime ficu atque castaneis. Quid ergo mirum, si vir ille sapiens & justus, etiam divinitus admonitus, quid cuique congrueret, sine carnibus aptam cuique generi alimoniam præparavit & recondidit? Quid est autem, quo vesci non cogeret fames? aut quid non suave ac salubre facere possit Deus? &c. Idem August. in lib. Quæst. In Gen., quæst. 7. proponit hanc eamdem quæstionem: *utrum & animalia præter illum numerum propter aliorum escam fuerint intromissa, an aliqua præter carnes (quod magis credendum est) a viro sapiente, vel Deo demonstrante, provisa sint, quæ talium quoque animalium escis convenirent.*

Ibid. lin. 5. *volucrum etiam paria*, &c.) Innui jam supra, me heic acturum de numero cujusque speciei animalium, quem Noe in arca servavit. Itaque ita intelligo, cum Origene & aliis, verba Gen. VII. 2. & 3., ut ex immundis bina, ex mundis septena paria fuerint; non ut plerique, qui ex immundis duo tantum, scilicet masculum & feminam, ex mundis septem numero fuisse omnino contendunt. Sane de mundis quadrupedibus & volatilibus res adeo aperta est in quocumque Scripturæ textu, seu versione, ut ipsa verba in medium proposuisse sit satis. Hebræi codices habent: שבעה שבעה איש ואשתו: *septem, septem, maritum & uxorem ejus*. Græci similiter: ἑπτὰ ἑπτά, ἄρσεν καὶ θῆλυ, & ita Vulgata nostra: *septena & septena, masculum & feminam*. Itaque si septem & septem, quatuordecim omnino fuerunt: neque enim si septem tantum ex unaquaque specie intelligas, par fuisset numerus marium & feminarum, quod tamen vers. 9. cap. VII. & 19. præcedentis dicitur. De bestiis immundis res æque explorata est juxta τοὺς LXX. & Vulgatam nostram: habent enim: δύο δύο, ἄρσεν καὶ θῆλυ: *duo & duo, masculum & feminam*. At in Hebraico semel tantum occurrit שנים vers. 2.: olim tamen geminatum fuisse שנים שנים, *duo duo*, seu *duo paria*, conjicere est tum ex analogia animalium mundorum, tum ex græca latinaque interpretatione, tum ex codice Samaritano. Verum aliam & quidem majoris momenti in Hebraico & in Vulgata vers. 3. dicti cap. VII. Gen., lacunam esse supplendam apparet, nempe distinctionem volucrum mundorum ab immundis, & numerum præterea immundorum: ibi enim legitur tantum: *Sed & de volatilibus cæli septena & septena, masculum & feminam*: cum apud LXX. habeatur: *Et de volucribus cæli mundis septem & septem, masculum & feminam; & de omnibus volucribus immundis duo & duo, masculum & feminam*. Qui Hebraicum textum ab omnibus vitiis immunem defendunt, dicunt Mosem compendio usum, & ex præcedenti versu quæ supplenda erant, cognoscenda reliquisse: sed si id sibi voluisset Moses, omisisset omnino verba illa, *septena & septena*, quæ cum mundis tantum volucribus conveniant, requirunt ut & de immundis volucribus seorsum ab eo dictum sit. Errandi porro occasionem librariis dederint eædem voces, *masculum & feminam*, seu זכר ונקבה, exiguo repetitæ intervallo: ut sæpius contigit. Exemplar autem unum innumera procreat, ejusque errores per singula propagantur. Quam vero antiquitus in Hebraicis plerisque codicibus hoc mendum illapsum fuerit, indicant codices Samaritanorum, in quibus itidem desunt illa: *& de omnibus volucribus immundis duo & duo, masculum & feminam*. Sed rursus quum in iisdem codicibus habea-

Digitized by Google

habeatur vox המהרה, ut fit: *Item ex omni ave cæli munda septem septem* &c; hinc confirmatur magis lectio græci textus, & conjectura nostra: oportet enim, ut semel vitiatis fortuito codicibus per omissionem verborum quæ tum apud Samaritas tum apud Hebræos desiderantur; aliud consulto vitium in horum singillatim codices inductum fuerit per omissionem vocis המהרה, idque ne sententia imperfecta videretur. Hæc mea conjectura est, cui opponere placet quæ in contrarium scripsit Jo. Clericus, Comm. in eum locum: *Heb.* (inquit) septem, septem, *ut supra*, *septem mares & septem feminas*. *Subintelligendum censent Eruditi*, ex avibus puris, ex immundis vero duas, *ut de pecudibus dictum*. *Hinc forte LXX. Intt. versioni, aut ab ipsis aut ab aliis hoc insertum*. *Samaritanus nullum habet vocabulum supra ea quæ leguntur in nostro Codice, præter dictionem* המהרה hattehorah, ex ave *item* cæli MUNDA; *plura fortasse addere non auso Librario*. Judicet nunc æquus lector, utra conjectura majori veri specie & probabilitate polleat. Sed ut redeamus ad eam, quam supra proposuimus quæstionem, licet plerique ex antiquis & recentioribus interpretibus sentiant septem tantum ex mundis, duo autem ex immundis quadrupedibus in arcam, ne eam nimium onerent, fuisse recepta; duplo tamen majorem numerum nonnulli statuerunt, ut nos: scilicet ex antiquis Origenes lib. IV. contra Celsum, & Auctor Quæst. *ad Orthodoxos*, quæ post S. Justini libros habentur, quæst. XLIII., cujus hæc sunt verba: *Verius dixit, qui dixit quattuor, & quattuordecim, quam qui duo, & septem: nam Scriptura* duo duo *dixit pro duobus maribus & duabus feminis; &* septem septem *pro septem maribus & septem feminis*. *Impura autem* τὰ δύο δύο, duo duo. His accensentur Dionysius Carthusianus, Oleaster, & ex Rabinis Aben Ezra. Ex recentioribus video hanc ipsam sententiam placuisse Jo. Clerico, qui eam dicit esse *convenientiorem verbis Scriptoris Divini & rei ipsi*. Præterea ex supplemento ad Du-Pinii Bibliothecam Auctorum Ecclef. Gallice scriptam, Tom. XIX. pag. 344. & seq., ubi, agitur de Joanne *le Pelletier*, & de erudita ejus Differt. *de Arca Noe*, quam mihi nondum legere aut videre contigit; colligo hunc, ut in multis Buteonis, & aliorum qui de eodem argumento scripserunt, sententiam refellit, ita in hoc iisdem minime consentire, sed nobis adstipulari.

Ibid. lin. 9. *eoque non revertente*) Ita LXX. Intt., & ex ipsis expressa Vulgata Latina antiquissima, a S. Hieronymo in Quæst. Hebr. in Genesin producta, qui tamen subdit in Hebræo textu, *de corvo aliter dicitur*: Emisit corvum, & egressus est, exiens & revertens, donec siccarentur aquæ de terra. Mendose autem & contra Hieronymi mentem antiquæ editiones præferunt *exiens & non revertens*, a quibus deceptus fuit Cornelius a Lapide, & quem hic laudat Gordonus, lib. I. Controv. cap. 19., nec non Gordonus alter (fuit autem utrique nomen Jacobo, & natale solum Scotia, vitæque institutum in inclyta Societate Jesu commune, sed prior Huntlæus, Lesmoræus alter) Comm. in hunc Gen. locum. Sed audiendus est Martianæus in Notis ad librum Hieronymi Quæst. Hebr. in Gen. *Falso*, inquit, *in antea editis libris legebatur particula negativa*, & non revertens. *Consule hunc locum in Notis nostris ad Divinam Bibliothecam Hieronymi*, &c. Sequitur nimirum ex eo, ut eadem particula negativa, quæ in Vulgata nostra legitur, non sit a Hieronymo interprete, sed ab aliis postea addita fuerit; quare omissa fuit in Biblioth. Divina, hæc

ibi adnotante Martianæo: *In uno MS. Codice Corbejensi legitur*, qui egrediebatur & regrediebatur: *alii habent*, revertebatur. *Diversus est multimodis locus iste apud LXX.: nam pro* fenestram arcæ *legunt* ostium arcæ, *& de corvo dicunt, quod* egressus non rediit. *Hanc vero lectionem sequutus est etiam ipse Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos, ubi ait:* Emittitur itaque de arca corvus & non rediit. *At allegoriis ibi utitur sanctus Doctor, & tunc temporis volumina Hebræorum nondum evolverat. Consule librum Quæst. Hebraicarum in MSS. libris*. Eamdem negationem Hieronymo abjudicat, & a pluribus antiquis codicibus ejus interpretationis abesse tradit Lucas Brugensis in suis *Notationibus*, idque juxta Hebraicum codicem, cui sane concordat & Samaritanus, nec non Chaldæus paraphrastes Onkelos, postremo etiam Josephus, Antiq. Jud. lib. I. cap. 4. ὁ δὲ πᾶσαν εὑρὼν ἔτι λιμαζομένην, πρὸς Νῶχον ἐπάνηλθεν: quare Jo. Clericus monet: *Credibile esse Græcos codices, tempore Josephi, ea* (negatione) *caruisse, quum soleat alioqui Græcos Int. sequi*. Idem etiam paullo ante contra Bochartum (qui hanc quæstionem fuse tractat, Hieroz. part. II. lib. I. cap. 12., ita tamen ut lectioni Græcorum magis favere videatur) statuere conatur, *non satis constare, an codices Græci omnes hanc negationem habuerint, nam præter Procopium, qui, ut observavit ipse Bochartus, eam non admittit, constat veteres quosdam, qui antiqua Itala ex Græco translata usi sunt, hunc locum sine negatione citasse. Ambrosius* Offic. *lib. I. cap.* 25., *in ed. Froben., & Benedictinorum anni* 1690. Quando corvum, quando columbam dimitteret, quando reciperet revertentes. *Hinc, ut puto* (pergit ille) *supersunt etiamnum codd. Latini MSS., e quibus abest, cujusmodi sex laudantur in edit. Plant. an.* 1583. &c. Sed contra: I. Procopius Gazæus negationem excludens, provocat ad Hebraicos, non ad Græcos codices: nam caussis cur columba redierit, expositis, *Sic etiam*, addit, *ut habet Hebraicus textus* (quod ex Hexaplis scire potuit) *& corvus in arcam revolavit*. II. Ambrosii locus nihil juvat Clerici conjecturam: nam primo de corvo simul & de columba scribenti, satis erat ut hæc redierit. Secundo idem in libro *de Arca & Noe* pluribus agit de corvo non reverso ad arcam: adeo ut minime dubium esse debeat, quin ita legerit in antiquissima Latina editione, quam Italam nonnullis appellare placet, recte ne an secus, non definio. III. Quos laudat Clericus codd. Latinos, non interpretationem illam antiquam ex Græco expressam, sed Hieronymianam ex Hebræo præferunt: quare frustra heic laudantur. Sed de his satis. Ceterum, quod Severus se conjicere subdit, corvum nempe ideo non reversum ad arcam, quod esset *cadaveribus* vorandis *detentus*, alii multi ex Patribus sunt opinati, ut Prudentius Enchir. Vet. Testam. *Corvus enim, ingluvie per fœda cadavera pastus, Hæserat*, & S. August. in libro Quæst. in Gen., q. 13. scribens: *Unde conjicitur a multis, quod cadaveri potuerit corvus insidere, quod columba naturaliter refugit*. His adde Chrysost. & alios. Hæc tamen opinio non caret difficultate: quum enim decem jam menses & ultra ab initio diluvii transissent, non videntur tamdiu cadavera hominum & bestiarum, licet putrescentia, perdurasse, ut adhuc cibum corvo suppeditare potuerint. piscibus potius vesci solitum per id tempus eum crediderim, qui forte magno numero circa montium juga tunc versabantur, ubi minor erat aquæ altitudo, & major ipsis victus comparandi facilitas. Quæ caussa etiam esse potuit, cur in summis aliquot montibus tanta piscium lapidefactorum copia etiamnum subinde reperiatur, qui scilicet tunc decrescentibus aquis in limo hæserint. Nam

licet

licet Hebræus textus ferat (quam lectionem puto veriorem) corvum identidem ad arcam reversum, non tamen in eam ingressum dicit, quia nec cibo indigebat. Vid. Observ. seq.

Ibid. lin. 10. *quæ cum consistendi locum non reperisset*) Consentit Scriptura: itaque S. August. in lib. Quæst. in Genes., quæst. 14.: *Item, quæstio est*, inquit, *quomodo columba non invenerit ubi resideret, si jam, sicut narrationis ordo contexitur* (nempe Genes. VIII. 5.) *nudata fuerant cacumina montium? Quæ videtur quæstio aut per recapitulationem posse dissolvi, ut ea posterius narrata intelligantur, quæ prius facta sunt; aut potius, quia nondum siccata fuerant*. Sed prima solutio non est admittenda: nam Moyses mensem & diem, quibus primum apparuerant cacumina montium, distincte expressit, primam scilicet diem mensis decimi: columbam vero non nisi post XL. dies dimissam addit. Secunda etiam solutio gravem patitur difficultatem: neque enim videtur in jugis montium tanta limi copia substitisse, ut aquis quotidie decrescentibus, per illud temporis intervallum non fuerit siccata. Eo itaque confugiendum esse videtur, ut apparuerint quidem Noe mense decimo aliquot montium cacumina, sed ea multum ab arca remota, ad quæ proinde columba avolare timuerit, ne tot aquis interjacentibus nimium recederet ab arca, unde ipsi cibus præsto erat. nam proximos arcæ colles adhuc aqua debuit inundare. Huic explanationi favent etiam quæ sequuntur: *Aquæ enim erant super universam terram*, & quod columba post dies octo rursus emissa, cum consistendi locum in summis arborum verticibus reperisset, decerptum inde ramusculum ad arcam rostro detulerit. Hoc itaque discrimen inter corvum & columbam intercesserit, quod ille cibum sibi vel ex cadaveribus, vel ex piscibus in limo hærentibus comparans, serius ad arcam sit reversus, ut in ejus, puta, culmine identidem requiesceret; columba autem nec cibum, nec consistendi locum ullibi reperiens, statim redierit.

Ibid. lin. 14. *post annos, ut ego comperio, II.CC. duos & quadraginta*) De hac epocha ab Orbe condito ad diluvium, & de plerisque difficultatibus, quæ in ea occurrunt, fuse egi cap. II. Observat. ad Fragmenta Eusebii, quæ in calce libelli de *Chronicis* ejusdem *Eusebii* habentur.

Pag. 8 lin. 1. *pleraque etiam oppida*, &c.) In Notis tum ad hunc locum, tum ad pag. 82. lin. 6. attigimus gravissimam quæstionem, quæ circa Genes. cap. X. vers. 11. versatur, nimirum num Assur Semi filius, ut antiqui fere omnes, an vero, ut plerique ex recentioribus, Nembrod Niniven condiderit, aliasque vicinas civitates a Mose expressas, & a Severo indicatas. Sed quoniam tunc in eorum sententiam inclinare visi sumus, qui de Nembroto id dictum volunt, nunc autem contrariam ab aliis eruditissimis viris & magno eruditionis apparatu propugnatam veriorem, immo certam ἁπλῶς, habemus; placet ex Clariss. Jacobi Perizonii *Originibus Babylon.* excerpere, quæ ille cap. IV. fuse & erudite perscripsit. Ejus capitis hæc summa est, quod quidem hanc quæstionem proprie attingit. I. *Locus Geneseos X. 11. explicatur ex professo*. II *Assur istic filium Semi, non terram notat. Parentheses historicæ in sacra Scriptura frequentes*. III. *Assyria & Babylonia sæpe conjunguntur*. Quod ad I. spectat, præter Marshamum, Vatablus, Junius, Bochartus, Coccejus, Scotanus, Heide-

degerus, Spanhemius, Clericus, aliique, ita interpretantur locum Genes. X. 11., quasi Nimbrodus egressus ex terra *Sinear*, migrarit in *Assyriam*, ibique condiderit Niniven, repugnantibus plerisque versionibus, Græca & Latina Vulgata, &c., sed & ratione ipsa. Quæstio itaque est, utrum *Assur* eo loco Geneseos designet hominem quemdam Semi filium, Assyriaci nominis & gentis conditorem, vel regionem. De homine esse intelligendum constructio & elocutio ipsa suadet: nam qui de regione Assyriæ dictum accipiunt, coguntur statuere in his eclipsin, sic supplendo: *egressus est* Nimbrodus in *Assur*. Sane cum *Assur* duplicem illam habeat significationem, & hominis & regionis, cur nam, si pro regione ibi usurpata ea vox fuit, ea eclipsis admissa est, quæ obscuritatem maximam gignit? Neque tamen negamus, similem alicubi eclipsin occurrere: sed non confugiendum est ad hujusmodi eclipses, quando sine iis plenum & historiæ convenientiorem habemus sensum. Præterea neque in duobus illis exemplis istius eclipseos, quæ Bochartus & Heidegerus producunt, ejusmodi reperitur ambiguitas, &c. Denique certum esse debet, quando sacri Scriptores terram Assyriæ eodem prorsus nomine, quo Semi filium, appellant, eam Assyriam, seu *Assur* terram, ab *Assur* homine hujus temporis fuisse primum occupatam, & ideo ita nominatam: plane ut a reliquis Noachi posteris regiones, quas illi primum tenuerunt, suum quæque traxere nomen. II. At objiciunt, minime ei loco, Gen. X. 11., quo agitur de Chamitis, convenire mentionem Assuris Semitæ, cum dein vers. 22. Semitæ, inque iis ipse Assur, demum memorentur. Quasi vero in sacris & profanis Scriptoribus nulla occurrant ὕστερα πρότερα, & aliarum, sed similium rerum, παρενθέσεις. Occurrunt sane quam sæpissime: quin immo hoc ipso in loco; nam quomodocumque hæc intelligas, acciderint post dispersionem, quæ postea, seu cap. XI. traditur. Sic vers. 12. verba: *Hæc est urbs illa magna*, plerique de Ninive accipiunt, licet interjecta sit mentio aliarum urbium. Sed clariora & plane similia dabimus exempla. II. Sam. (seu, Regum) IV., ubi refertur cædes Isbosethi filii Saulis, mentio fit, vers. 4., satis prolixa Mephibosethi, filii Joathanis, nepotis Saulis: cum tamen in superioribus aut sequentibus nihil sit, cum quo ea cohæreant. Sic I. Reg. (seu, III. Reg.) X. refertur adventus reginæ Sabæorum, &c.; tum repente vers. 11. & 12. interponitur mentio classis Hirami, denique vers. 13. reditur continuo ad reginam. Sed & in Mosis libris, Deuter. II., illustria habemus parentheseon exempla: nam nominatis Moabitis interponit vers. 10. & 11., quis populus & qualis terram illam Moabitarum antea inhabitaverit. & cum Idumæos vers. 8. nominasset, mox vers. 12., alieno omnino loco, docet terram illam, seu montem Seir, habitatam olim Choræis. Demum vers. 13. loquitur iterum ex persona Dei, ad se se directa allocutione, quam interruperat. Sic vers. 20.—23., quum egisset de Ammonitis, itidem memorat, quinam eorum terram inhabitaverint, & vers. 23. addit etiam Hanvæos (seu, Hevæos) a Caphthoræis expulsos, quæ res ad Ammonitas nihil pertinebat, sed tantum propter similitudinem videtur istic memorata. III. Ceterum, ut appareat cur Gen. X. juncta fuerit mentio Assyriæ iis quæ de Babylonia dicta fuerant, S. Augustinus de C. D. lib. XVI. cap. 3. hanc affert rationem: *Quam rem ex hac occasione perstrinxit, propter nobilitatem regni Assyriorum*. Sane nullæ juxta Mesopotamiam exstiterunt urbes æque illustres & potentes, ut Babylon & Ninive: immo solæ istic urbes istæ fuerunt, si fides

si fides Plinio lib. VI. cap. 26. Nam *Mesopotamia*, ait, *tota Assyriorum fuit vicatim dispersa, præter Babylona & Ninum*. Hinc sæpissime conjunguntur. Strabo lib. XVI. de *Syris*, seu Assyriis, agens, scribit τοὺς ἐν Βαβυλῶνι καὶ Νίνῳ κατεσκευακσμένους τὸ βασίλειον: atque ideo etiam a Michæa, de quo mox, eodem vers. memoratur *terra Assyria*, & *terra Nimrodi*. Itaque Moses per parenthesin & prolepsin quamdam, cum retulisset Babelis regnum, & conditorem ejus Nimrodum, oppottune subjecit continuo Niniven, & ejus conditorem Assurem. Hæc nimirum est parenthesis istius ratio: non quod Moses de Assure observare voluerit, tamquam peculiare aliquid, quod *egressus sit ex terra Sinear*, cum tamen ex ea prodierint universi homines: quo argumento abutitur Bochartus. Non id sibi voluit ex nostra sententia Moses, sed cum initiis regni Babylonici & Babelis conjunxit initia regni Assyriorum & Ninives. Quod vero addit Bochartus, ideo Babelem dici principium regni Nimrodi, *quia primo illi regno aliud adjunxerit, nempe Assyrium*; reponimus vocem ראשית æque valere *præcipuum* quid & *caput rei*, ac *principium*. Sane ipse Bochartus caput sequens (scilicet Phaleg lib. IV. cap. 13.) his verbis incipit: *Babylon* ראשית, *initium, vel caput regni Nimrod*. Sed & S. Augustinus cap. 4. lib. XVI. de C.D. exponit eam vocem de Babele, *quæ civitatum ceterarum* (puta Erech, Accad & Calne) *gereret principatum, ubi esset tamquam in metropoli habitaculum regni*. Postremo, quod idem Bochartus & alii contendunt a Michæa, cap. V. 6., Assyriam vocari *terram Nimrodi*: unde quæso, id colligunt, cum ibidem *terra Nimrodi* separetur & distinguatur *a terra Assur*? ita sane interpretes plerique intelligunt, tum Judæi, ut Rabi Jarchi, & Rabi Kimchi, tum Christiani, Drusius, Calvinus, Piscator, Estius, aliique. Porro ratio, propter quam eodem versu conjunguntur, eademque pœna involvuntur, ea est: quia, ut Kimchius observavit, utraque Ecclesiæ V. T. infesta fuerit & exitiabilis: siquidem *in terram Assuris* deportati sint Israelitæ, Judæi autem *in terram Nimrodi*, seu Babyloniam. Adde quod Isaiæ XXXII. 10. *Assur* dicatur *firmavisse terram Chaldæorum*, hoc est Babyloniam, de cujus rege Tyri expugnatore ibi agitur; & quod Michææ temporibus Babylon redierit in potestatem Assyriæ per Esarhaddonem, usque dum sub Nabopolassare jugum excussit, & Assyriam sibi vicissim subjecit: qua demum ex re factum, ut postea *Assyriorum* & *Babyloniorum* nomina sæpe promiscue adhibita, vel pariter juncta fuerint. Sane rex Manasses filius Ezechiæ, sub quo vaticinatus est Michæas, dicitur II. Paralip. XXXIII. 11. vinctus & captus ab exercitu regis *Assur*, & deductus *Babelem*. Hæc ex Perizonio, ut dicebamus, placuit excerpere (licet singula non usquequaque probemus) contra Bocharti præcipue sententiam, quam ex neotericis plerique, in quibus & Calmetus, sunt sequuti: licet alii præter Perizonium eamdem, obiter tamen, refutaverint, ut Jo. Godefridus Hartungius, in *Specimine Historico* de Monarchia prima, nec non Abbas Sevinus, de quo vide Tom. III. part. 2. Historiæ Academiæ Inscrip. & Scient. Parif. Ceterum, quod in Not. pag. 82. monuimus, contrariam *sententiam ex antiquis Theophilum secutum lib. II. ad Autolycum*, ejus verba ex Latina interpretatione placet heic producere. Hæc nimirum leguntur num. 31. *Post diluvium initium rursus urbium & regum ortum est in hunc modum. Prima urbs Babylon, tum Orech, Archath, & Chalane in terra Senaar. harum rex exstitit nomine Nebroth. Ex his prodiit is, qui Assur vocatur, unde dicti Assyrii. Nebroth autem ædificavit urbes Niniven, & Roboom, &*

Calac

Calac & Dasen, quæ inter Niniven & Calac posita est. Ninive vero urbs fuit imprimis magna. Locus tamen non caret difficultate: nam primum *Assur* accipitur, ut a nobis, pro nomine viri, a quo Assyrii dicti sint: secundo, cum Nembrodum regnasse in quattuor Babyloniæ civitatibus jam dixerit, & statim ad *Assurem, unde dicti Assyrii*, sermonem convertat; ad hunc potius, quam ad Nembrodum referenda videntur, quæ statim addit de aliis quattuor civitatibus in Assyria ædificatis: tertio, sequitur postea, ἕτερος δὲ υἱὸς τοῦ Σὴμ υἱοῦ τοῦ Νῶε, *Alius autem filius Semi filii Noe*: atqui his etiam verbis haud obscure indicatur in proxime præcedentibus actum ab eo fuisse de aliquo Semi filio, cujusmodi *Assur*. Itaque pro Νεβρὼδ δὲ ᾠκοδόμησεν, legendum videtur, Ἀσσοὺρ δὲ ᾤκ. Rursus tamen obstare videtur, quod *alterum* illum *filium Semi filii Noe*, fuisse dicat *Mesraim*, quem constat non Semi, sed Chami fuisse filium, non secus ac Nembrodum. Porro quoniam inter urbes in Assyria, seu ab Assure ædificatas ponatur *Roboom* seu *Rebooth*, aut *Roboorb*, juvat & hanc quæstionem attingere. S Hieronymus in Quæst. in Genes. eam interpretationem in Vulgata tunc Latina editione minus probavit, scribens: *Quod autem ait*, Niniven & Robooth civitatem, *non putemus duas esse urbes: sed quia* robooth *plateæ interpretantur, ita legendum est*: Et ædificavit Niniven & plateas civitatis. Ita sane Hieronymus, & ita ipso interprete legitur in Vulgata nostra, non acquiescentibus tamen plerisque eruditis interpretibus, præeunte Bocharto. Unum Jo. Clericum produxisse suffecerit ita scribentem, Comm. in Gen. X. 11. = Rechobothas) *Ita vertimus plurale femininum* רחובות, rhhoboth. LXX. Intt. τὴν Ῥοωβὼθ πόλιν, *ut &* Onkelos *aliique. Alii tamen* רחובות עיר, rhhoboth hir, plateas urbis *reddunt. At priorem sententiam veriorem esse probat* Sam. Bochart. *lib. IV*. Phal. *cap.* 21., *primo quod* plateæ urbis *dicerentur* רחבותי העיר, rhhobothe hahir: 2., *quia postquam dixit Moses Niniven a Nimrodo conditam, additamentum* & plateas ejus, *inutile & sine exemplo esset*. 3. ædificandi *vox*, *aut* condendi, *ad domos potius platearum, quam ad plateas pertinet*: 4. *ideoque, ne ambiguitate vocis lector deceptus, plateas intelligi crederet*, urbem *adiicit Moses*. Pergit autem idem Clericus: *Fuit quidem hujus nominis oppidum ad Euphratem, infra* Cercusium, *&* Chaboræ *ac* Euphratis *confluenta, cujus mentio occurrit Gen. XXXVI. vers.* 37. (adde etiam I. Paralip. I. 48.) *Sed eam nimium ab Assyria remotam judicat vir eruditissimus* (Bochartus nimirum, de quo supra), *quam ut heic intelligatur. Conjicit* Bircham *intelligi, urbem inter* Sacadam *&* Lycum *fluvium ad* Tigrim *sitam*, quia ברתא *Chaldaica lingua* plateas, *ut Hebraice* רחובות rhhoboth, *significat*. Ita paucis exhibet Clericus sententiam Bocharti, quam Calmetus etiam dum referre & sequi voluit, duas urbes ejusdem nominis in Genesi expressas perperam confudit, & plane ejus mentem non est assequutus. Primum enim tradit, plerosque Gen. X. 11. retinere cum LXX. Intt. vocem *Rehoboth*, addens *servasse & alibi Vulgatam, & tamquam peculiare urbis nomen usurpasse*, respiciens profecto ad Genes. XXXVI. 37. & ad I. Paral. I. 48. Refert postea eorum sententiam, qui ea voce cum Hieronymo *plateas* urbis Ninives designari volunt, statimque subdit: *Sed extra controversiam positum est*, Rehoboth *urbem esse, aliam plane a Ninive. vide Gen. XXXVI.* 37. Jam liquet, ut *Rehoboth*, seu *Robobotb* Genes. XXXVI. nominatam confundat cum ea quæ Gen. X. 11. Sed audiamus, quæ de situ urbis ejus nominis subjungat ex ejusdem Bocharti sententia. Primum tradit ab eo dubitari, num ipsa sit *Birta*, seu *Virta*, ut

eam

Digitized by Google

eam appellat Ammianus Marcellinus, de qua supra Clericus. postea vero addit: *Bochartus inclinari videtur in urbem Arabiæ, appellatam* Rahabath Melic, *id est, Rababath regum, quod scilicet natale solum fuerit Saulis cujusdam inter Idumææ reges*, eaque occasione rursus citat Genes. XXXVI. 37. Scilicet Bochartus hunc Geneseos locum interpretatus fuerat de *Rababath* Arabiæ, ad confluenta Chaboræ & Euphratis sita, alterum autem locum, cap. X. 11., de *Birta* circa ostium *Lyci* posita.

Ibid. lin. 7. *priusquam a se invicem diducerentur)* Ita *et* LXX. & Vulgata nostra, Gen. XI. 4.: sed multo aliter habet Hebræus textus, scilicet נפוץ פן, *ne dispergamur* per universas terras. Non itaque civitatem & turrim eo consilio condiderunt, *ut insigni aliquo opere famam quærerent, priusquam a se invicem diducerentur*, ut tradit Severus; sed contra, ne a se invicem diducerentur. conjunctio enim פן constanter *ne* significat. Sed gravissima hinc oritur difficultas, quæ multum torsit acutiores quosdam interpretes, Bochartum, Perizonium, Clericum. Et Bochartus quidem, Phal. lib. 1. cap 14., *ut aliorum sententias* (ita de eo Clericus) *recte confutat, ita ipse nihil pæne quod ad solvendum nodum conducat, profert. Eum tamen legisse inutile non erit, vel ut inde liqueat, quam frustra hoc in loco sudarint interpretes*. Sed hoc ipsum magis liquebit, si ipsius Clerici atque Perizonii conjecturas expendero. Primus itaque cum prænotasset *facere sibi nomen* (seu, ut legitur Gen. XI. 4 juxta Hebræum textum, *faciamus nobis nomen*, ubi Vulgata præfert, *celebremus nomen nostrum*) perinde esse juxta accuratiores interpretes (puta Bochartum, qui citato loco explodit interpretationem Hebræorum, qui explicant *faciamus nomen*, id est *Deum*, qui *nomen* vocatur Lev. XXVI. 11., seu potius *idolum Beli*, cui ea turris fuit consecrata; explodit autem, quod Belus, seu Nembrod ante obitum cultus non fuerit: quod *nomen* pro idolo numquam sumitur: denique quod, ubi pro Deo sumitur, sit non שם, sed השם) ac *famam sibi parare*, quo sensu occurrit II. Reg., seu Samuel, VIII. 13., & alibi sæpius; ita demum pergit: *Sed is sensus huic loco convenire nequit. Quæ enim esset hæc sententia: Famam nobis acquiramus, ne per terras spargamur: Deinde apud quos humanum genus universum, quod fundamenta hujus urbis jecit, sibi famam peperisset? An apud posteros? Quid ergo hæc sibi volunt: Apud posteros fiamus celebres, ne in diversas regiones dividamur?* Postremo statuit, *hanc aut similem heic esse sententiam: Urbem condamus quæ humani generis metropolis sit & dicatur*. idemque paullo post addit: *Si loco nominis* שם sehem, nomen, *mutata litterula, legeremus* אם em, *hoc est* metropolin, *eadem exsurgeret sententia, nec ea posset loquutio contorta haberi*: Condamus nobis urbem & turrim, & faciamus nobis Metropolin, ne spargamur per totam terram. Hæc Clericus. Porro aliam insistit viam Perizonius, *Orig. Babyl.* cap. 10. & seq. Et primum quidem notat, Græcos Interpretes, loci difficultate adactos, aliter ac in Hebraico textu eum Genesis locum reddidisse, quam versionem postea sequuti sint Philo, tum Vulgatus interpres, & Christiani Patres: multis præterea agit, ut declaret τὸ *faciamus nobis nomen*, seu שם, non posse heic intelligi de nominis fama & gloria: tum quia alii tunc non essent homines, apud quos sibi famam acquirerent: tum vero quia nihil id inserviebit fini quem proposuerant sibi, videlicet *ne disperderentur*: postremo vocem שם ita explicat, ut idem valeat, quod græcum σῆμα, seu *signum*, fueritque tamquam *Pharus* pastoribus per longinqua errantibus, ut

quum vellent, redire possent ad suam urbem. id enim consilium fuisse vult iis qui turrim ædificare sunt aggressi. Equidem, quod ad loci difficultatem spectat, eam uterque Scriptor probe animadvertit: sed nemo non videt, quam arbitrariæ & audaces sint utriusque explanationes. Videtur etiam aliquantulum elevari posse & minui difficultas, si verba, *ne dispergamur*, non referantur ad proxime præcedentia, *& faciamus nobis nomen*, sed ad superiora, *faciamus nobis civitatem & turrim*. Eo sane incepto duo sibi proposuisse videntur illi, alterum *ne disperderentur*, alterum *ut facerent sibi nomen*. Aliud præterea sibi in animo proposuisse videntur, quum primum de urbe & turri sermonem habuerunt, & quum statim addiderunt, *& faciamus nobis nomen*: quum tamen hoc postremum ad civitatem referat Clericus, ad turrim Perizonius. Sententia itaque Scripturæ ita commode, nec contra Hebraicæ linguæ proprietatem, reddi possit: *Ædificemus nobis urbem & turrim cujus fastigium ad cælum usque pertingat, ut faciamus nobis nomen, & ne dispergamur per universam terram*: cum contortæ & violentæ contra videantur adversariorum interpretationes. Superest tamen adhuc solvendus præcipuus nodus: quid nimirum sibi velint illa, *faciamus nobis nomen?* Verum sicuti non aliter hæc intelligenda putamus, quam verborum nativa & usitata significatio requirit; ita observamus primum, plurimis Patribus & Interpretibus persuasum fuisse, non omnes Noachi posteros, qui illuc convenerant, consensisse in ejus urbis & turris ædificationem: itaque, juxta hanc sententiam, quicumque, duce, ut videtur, Nembrodo, conspirarunt in illud insanum consilium, se eo opere superbe sperarunt, & perpetuam imposterum sedem sibi paraturos, & celebres inclytosque evasuros præ illis, atque etiam apud illos posterosque eorum, quos, cum minus probassent ipsorum cœptum, brevi etiam per orbem terrarum dispergendos conjiciebant. Sed quoniam ea sententia quibusdam recentioribus non placet, neque sane ullo satis firmo fundamento innititur; alio & expeditiori modo omnis e medio tolli possit difficultas, si ponamus non omnes homines qui tunc vivebant, convenisse in planitiem Sennaar, atque adeo nec conspirasse cum ceteris in civitate & turri condenda. Profecto rationi consentaneum omnino videtur opinari, aliquot familias substitisse in prioribus sedibus, seu in campis Armeniæ, in qua arca diluvii quieverat; multos etiam fortasse in alias regiones ad Orientem sitas deduxisse colonias, vel antequam disperderentur ii qui turrim Babel ædificare sunt aggressi: quamvis in Notis ad hunc eumdem locum, communiorem opinionem sequuti, secus senserimus. Sane Gen. XI. 2., qui in campum seu planitiem Sennaar pervenerunt, *profecti de Oriente* dicuntur: itaque sedes sibi quærentes, jam peragraverant & coluerant regiones alias, quas incredibile videtur desertas & incolis vacuas postea remansisse, ita ut omnes commigrarint *in campum Sennaar*. Neque vero nupera est hæc sententia, aut a me excogitata, quam & Cajetanus, & Genebrardus jam pridem propugnarunt, nec non Thomas Malvenda, cujus hæc sunt in Comment. ad Gen. X. 2. *Verisimile est, exacto diluvio, Noe ejusque posteros in illis Armeniæ locis, ubi arca substitit, hæsisse: indeque, crescente multitudine hominum, coactos plurimos novas sedes & colonias quærere*: & ad vers. 5. ejusdem cap., in illud *Filii Adam: Ego hic colluviem hominum plebejorum, vulgarium, viliorum acceperim; aut certe Chamitas asseclas Nemrodi, a vera religione & cultu Dei alienos, quasi homines carnis & sanguinis sine spiritu Dei*. His positis (quæ, si vacaret,

alus

aliis rationibus & conjecturis confirmari possent) facile apparet, cur qui in campum Babylonicum convenerunt, ibique civitatem & turrim ædificare sunt aggressi, *nomen* seu famam conciliare sibi eo opere voluerint, apud reliquos scilicet mortales, qui alibi sibi jam sedes fixerant. Objicies, Scripturæ contextum Gen XI. vers. 1. — 9. suadere, quin immo evincere, ut quæ ibidem traduntur, de omnibus hominibus intelligi debeant : ita nimirum sentiunt & defendunt Perizonius cap. præsertim VIII laudati Operis, Clericus & alii. Concedo id quidem, si de omnibus hominibus accipias, qui in campum Sennaar convenerunt: neque tamen illud inde certo consequitur, ut omnes homines ejus ætatis ibidem convenerint, præsertim quia hoc inde sequeretur, ut ipse Noe (saltem juxta Hebraici textus Chronologiam) cum Sem ejusque filii & nepotes ad eum diem nati, eo commigrarint, & cum reliquis consenserint: quod sane citra peccatum, idque grande, fieri non potuit. Frustra certe agunt qui ita sentiunt, ut consilium illud & inceptum a culpa immune fuisse defendant. Itaque si omnes qui ædificationem turris sunt aggressi, in eo gravissime peccarunt, ut Patres & Interpretes plerique consentiunt: si, ut contextus suadet, quotquot convenerant in planitie Babylonica, ejusdem culpæ rei, eademque pœna digni fuerunt; superest, ut concludamus, non omnes ibi convenisse mortales, & proinde aliquos ab ea pœna & culpa immunes evasisse. Sed de his satis superque.

Pag. 9. lin. 3. *Sed filiis Noe ita divisus orbis fuit, ut*, &c.) Vid. S. Philastr. cap. CXVIII. de Hæres., quod inscribitur, *De divisione orbis*, & ibidem Fabricii Notam I. (juxta quidem Edit. Brixianam pag. 92. & seq.) auctoresque ab eo citatos, quibus jungendus est Jacobus Perizonius cap. XIV. *Origin. Babylon.*, qui post Marshamum & Bochartum hoc argumentum plurimum illustravit.

Ibid. lin. 7. *post diluvium anno millesimo & septuagesimo*) De hoc temporis intervallo a diluvio ad Abraham natum, vide quæ fusius disputavimus cap. III. Observat. in Fragm. Eusebii, in calce libelli *De chronicis* ejusdem *Eusebii*: ibi enim a nobis pertractatæ fuerunt potissimum duæ illæ quæstiones, quas supra in Notis indicavimus, 1. scilicet de Cainane, qui inter Arfaxadum & Sale a Severo & aliis conjicitur juxta vulgatam eo tempore τῶν LXX græcam & latinam editionem: de qua a nobis actum est a num. 9. usque in finem: 2. de anno vitæ Tharæ, quo natus est Abraham, de qua itidem egimus num. 3. & 4. Itaque si annos CXXX. Cainanis ipsumque adeo Cainanem expungas, uti expungendum omnino ducimus, Abrahamum autem non LXX. Tharæ patris sui anno, ut vulgo fit, sed CXXX. natum statuas; sequetur ut a diluvio ad Abraham natum intercesserint omnino anni MII., juxta quidem Græcorum codices, nec non Samaritanum, juxta vero Hebræos anni CCCLII., uti ibidem diximus num. 5. Quamvis autem eo pacto Hebræorum computo sexaginta anni succrescant (nam juxta plerosque interpretes, præeunte Eusebio, CCXCII. tantum computantur) nihilominus brevius spatium videtur, quam historiæ veritas poscit: cujus rei testem producam Perizonium, Hebraico textui alioqui addictissimum, qui cap. XIV. laudati Operis *Orig. Babyl.*, quum in Elencho scripsisset: *Facta itaque Dispersio* (quam ibidem affigit *circa natales Phalegi*) *paullo*

Digitized by Google

post centesimum a Diluvio annum ex Chronologia Hebraica quae praeferenda Graeca, in ejusdem tamen capitis contextu hæc habet: *Fateor tamen vicissim, nimis exiguum videri spatium totius intervalli, quod inter diluvium & Abrahami ætatem in Hebraica Chronologia intercedit, sed quod alterius & longioris est disquisitionis*. Hæc sane difficultas non paucis ex recentioribus adeo gravis & inextricabilis visa est, ut propterea Græcorum & Samaritarum computum se sequi sint coacti. Superest, ut moneam a Pontaco, in Notis ad Chronicum Eusebii, col. 236 edit. Burdigal., adnotatum fuisse, in calce ejus quæ dicitur *Regum Series*, hæc a se reperta in tribus Vaticanis codicibus, quæ in impressis ibidem non habentur: *Continet itaque omnis Canon secundum Hieronymum* 2395. *Item secundum Severum ab Adam usque ad diluvium* 1070. *A diluvio usque ad Abraham* 1070. *&c. usque ad Sedeciam*: quæ si conferas cum iis quæ fusius Vallarsius ex Parm. MS. refert in Notis col. 84, prorsus convenire comperies, vel ubi manifeste mendosi sunt numeri (ut quum ab Adam ad diluvium idem annorum numerus ponitur, qui a diluvio ad Abrahamum: quod sane librariorum vitio factum fuit) &, quod caput est, Sulpicii Severi Chronologiam ibidem expressam deprehendes. Id ego colligo primum ex ipso *Severi* nomine, quod præ se fert: nam quamvis Vallarsius legerit *secundum veteres*, ratio ipsa suadet, ut alicujus peculiaris Scriptoris Chronologia ibidem delineata a nescio quo fuerit, cui nimirum tum apud Pontacum tum apud Vallarsium subnectitur alia temporum distributio *secundum Africanum*: 2. id suadet intervallum a diluvio ad Abraham, Severi computo omnino conforme: 3. anni ab Abrahamo ad exitum ab Ægypto, & ad Moysis obitum, tum anni XXVII Josue adtributi, minus quidem valent ad id probandum, eo quod in iis omnes fere antiqui concordent: sed anni, qui recensentur *ab excessu Jesu*, seu Josue, usque ad Samson, tum ipsius Samsonis anni XX, quasi manifeste produnt, hanc peculiarem esse Severi computandi rationem. Equidem si annos Samsonis XX. jungas cum annis CCCXCIX., quot ibi reliquis Judicibus adsignantur, emerget summa annorum CCCCXIX., quot *a die mortis Jesu usque in id tempus quo Sampson defunctus est, numerantur* a Severo lib. I. cap. XXIX. pag. 48. & seq.: quæ summa, recensitis singillatim minoribus numeris, ibidem in Notis a me est illustrata. Reliqua, mendoso præsertim alicubi codice, conferre supersedeo.

Pag. 10. lin. 16. *per quadringentos annos*) Jamdiu est, quod delineavi, & fere ad umbilicum perduxi satis prolixam Dissertationem, qua hunc locum illustrarem. Sed quoniam quæstio gravissima est, atque adeo digna quæ seorsum & majori otio ad incudem revocetur, satius nunc videtur, ut eam tantisper supprimam, *& præsens in tempus omittam*.

Ibid. lin. 17. *Tunc ei atque uxori ejus adjectione unius litteræ, &c.*) Ita Severus, utpote qui Vulgata Latina ex græca τῶν LXX. expressa perpetuo sit usus: ita alii tum Græci tum Latini Scriptores ejus & superioris ætatis. Quid? quod ipsi Judæi Hellenistæ in eadem opinione fuerunt, ut colligitur ex S. Justino, immo etiam ex Philone. Justini locus, a me in Notis compendiarie productus, ita se habet (alloquitur autem S. Martyr Tryphonem Judæum Asiaticum) Διὰ τί μὲν ἓν ἄλφα πρώτῳ προσετέθη τῷ Ἀβραὰμ ὀνόματι θεολογεῖς, διὰ τί ἓν ῥῶ τῷ Σάῤῥας ὀνόματι, ὁμοίως κομπολογεῖς: *Scilicet unum Alpha primo Abrahæ nomini additum fuerit, sancte & religiose in-*

quiris

Digitized by Google

quiris (seu, *theologice differis*) *& cur unum Ro Sarræ nomini, similiter magno apparatu disputas*. Porro insignis est Philonis locus in libro de Nom. mutat. pag. 1053. & seq., ubi narrat quemdam impietatis pœnas cito dedisse, & levi de caussa vitam laqueo finivisse, eo quod in Judæorum religionem jocaretur, qui beneficii loco ducerent, quod unum Alpha nomini Abraæ Deus addidisset, & Saram una similiter littera auxisset, *δὶς τὸ ῥῶ περιλαβὼν*, *bis Ro usurpans*. Sed jam pridem monuit S. Hieronymus, in Quæst. Hebr. in Gen., *Errare eos qui putant primum Saram per unum* R *scriptam fuisse, & postea ei alterum* R *additum*, & quæ sequuntur. Non defuit tamen nostra fere ætate, qui Græcorum lectionem defendere, immo Hebraicæ præferre maluerit. Is est Paullus Colomesius, Anglicanæ communionis Presbyter, in epistola Gallice scripta ad Claudium celebrem Calvinianæ in Gallia sectæ antesignanum, quam epistolam attexuit ille suis Observat. Sacris. Sed dum LXXviralem versionem, in multis sane locis Hebraico textu emendatiorem, nimium extollere nititur, se iniquiorem prodit in Hieronymum, & Hebraicæ linguæ minus peritum. Quid enim est, quod primum obiicit? Si standum esset, inquit, fidei hodierni textus Hebraici, sequeretur, ut in nomine Saræ mutando Deus se gesserit contra ac in nomine Abrahami fecerat: nempe, ut unam huic litterulam addiderit, illi demserit. Quid inde absurdi? Non ad litterarum numerum respexit Deus, sed ad nominis etymologiam. Sed neque verum est, quod ponit: nam etsi littera *Jod* ex nomine *Sarai* demta fuit, ejus tamen loco addita littera *He*, ita ut pro שרי factum sit שרה, *Sarah*. In eumdem lapidem impegit Girius a Colomesio, sed alia de caussa, castigatus, dum in sua Hist. Sac. Sulpicii Gallica interpretatione, totum hunc locum ita reddidit: *Dieu, lui faisant cette promesse, ajoûta un lettre à son nom, & en ôta une au nom de sa femme: de sorte que Abram fut changé en Abraam, & que Sarai fut nomée Sara*. Sed longe absurdius est, quod addit Colomesius: Certum est, inquit, Scribas Judæorum, seu forte Massorethas ipsos, Interpretibus nostris imposuisse. At unde id compertum habet? Ex versione, pergit ille, LXX. Inter. Sed hoc illud est, quod in quæstionem cadit: utrum, nimirum, acquiescendum sit lectioni horum Interpretum, nec ne. Quid ni? reponit, quum illam tum Sacri N. T. Scriptores, tum antiqui Ecclesiæ Patres, uno excepto Hieronymo, ejusque asseclis, usurparint. Atqui in toto N. T. nullus occurrit locus, qui eam interpretationem confirmet: nam licet in græco textu occurrat Σάῤῥα duplicato R, id facile ab amanuensibus profectum esse potuit, eo quod in græcis itidem V. T. codicibus nomen illud ita scriptum legerint. Potuerunt autem antiqui Patres, ut in ceteris, ita in hoc iisdem Græcis V. T. codd. inhærere, sine ullo tamen aut Hebraicæ veritatis aut rectæ fidei præjudicio. Testimonium Sulpicii Severi ab eodem in sententiæ suæ confirmationem productum, minime necessarium erat: nam sexcenta similia suppetunt. Neque plus valet Tryphonis Judæi, sed Hellenistæ, auctoritas ex S. Justino Martyre ducta, quam & nos initio produximus una cum Philonis loco fere παραλλήλων. Quid? quod idem Philo, dum utrumque nomen Saræ interpretatur, lectionem Hebr. codicis confirmat, & LXX. Inter. quam sequitur, inscius damnat. Hæc nimirum habet in eodem De mut. nominum libro, pag. 1056. *Jam vero quæ ad conjugem ipsius Sarram pertinent, nobis dicenda sunt, quoniam ipsius quoque nomen Saræ mutatum fuit in Sarram, adjectione unius elementi*, R (τοῦ ῥῶ)..... *Exponitur quidem Sara*, Principatus

patus meus, *ἀρχή μου*: *Sarra autem*, princeps, *seu* domina*: Σάῤῥα δὲ, ἄρχουσα*. *Primum quidem specialis virtutis indicium est, secundum vero generalis. quantum vero genus a specie præstantia distat, tantum posterius nomen priore præstat*. Eadem fere habentur in libro *de Cherubim & flamm. gladio*, fere initio, pag. 109. Opp. Phil.

Pag. 12. lin. 3. *reflexit oculos, statimque in molem conversa traditur*) Aliquot ante annos Dissertationem *de uxoris Lot culpa & pœna* delineaveram, quam nunc ad limam revocatam, & secunda parte fere integra auctam, hoc loco damus, quoniam eam in Notis promisimus. Interim tamen monemus nobis suspectam esse Sulpicii lectionem, quæ fert hanc mulierem *in molem conversam*. Nam quum minime dubium sit, eum significare voluisse, quod in Genesis libro, & quidem juxta antiquissimam Latinam versionem, legerat, nempe factam esse *statuam salis*; cur de *sale* nihil dictum ab eo fuerit, pro *statua* autem *molem* substituerit? Conjecerim primitus scriptum *in salem conversa traditur*: ita enim & sententia sibi plane constat, & apparet, unius alteriusque litteræ depravatione, *molem* loco *salem* emersisse. Sed ad Dissertationem transeamus.

DISSERTATIO
DE UXORIS LOT CULPA ET POENA.

1. QUamquam nec instituti mei ratio postulet, ut universas singillatim attingam quæstiones, quæ spectant aut referri possunt ad Historiam Ecclesiasticam V. & N. T. a Sulpicio Severo in Epitomen redactam; nec voluminis hujus magnitudo, aut ingenii mei exilitas ferant immensi prope operis molem, in quo P. Natalis Alexander, aliique magna cum laude versati sunt; placuit tamen nonnullas ex tanto numero accuratius perpendere, eas nimirum, quibus novum aliquod lumen impertiri me posse credidi: quo Sacræ Historiæ puritas veritasque vel illustraretur magis, vel prorsus ab incredulorum maledictis vindicaretur. Utrumque porro præstare est animus in hac Dissertatione, quæ est de uxore Lot. Porro eam statim in duas partes dispertiar: altera de hujus mulieris peccato, altera de peccati pœna inquirec.

2. Quod itaque Severus noster scripsit, uxorem Lot *reflexisse oculos* ad civitatem Sodomitarum spreto Dei interdicto, eaque de caussa repente in *molem*, seu statuam salis fuisse conversam; sequutus in eo est unanimem omnium tum Judæorum tum Christianorum Scriptorum sententiam, quam & posteriores Interpretes, nemine (quod sciam) excepto, tradiderunt. Ego tamen factum illud paullo aliter interpretati malim: dummodo id nihil aut Pactum sanctissimorum auctoritati, aut Ecclesiæ infallibilis decretis repugnare ab illis ad quos spectat, judicetur, quorum censuræ quidquid a me dicendum est, volens lubensque submitto. Mihi sane persuasum ita est, cuilibet licere, semperque licuisse, in locis obscuris Scripturæ ad Historiam dumtaxat spectantibus novam aliquam & reconditam interpretationem in medium producere, & solidis argumentis adstruere, modo id modeste ac sobrie fiat: alioquin perpetuum mihimet de hac aliisque hujusmodi quæstionibus silentium indicere, ac meas primus proscribere opiniones maluissem.

3. Hac

3. Hac itaque persuasione ductus, sententiam meam, quæcumque ea demum sit, seu potius conjecturam, orthodoxi eruditique Lectoris judicio expendendam propono. quæ hujusmodi est: Verba Geneseos XIX. v. 26. *Respiciensque uxor ejus post se, versa est in statuam salis;* quod quidem attinet priorem propositionis partem, non ea quæ obvia est significatione, sed tropice seu *μεταφορικῶς* esse accipienda: veram enim cur ea mulier misere perierit caussam, eam fuisse censeo, quod Sodomam sit regressa. *Respicere* itaque *post se* apud me tantumdem valet hoc loco, ac retrorsum se convertere, & redire eo unde veneras.

4. Verum in ipso disputationis limine duo distinguenda sunt, quæ proxime sibi cohærent, neque tamen confundi debent: aliud nimirum est *oculos reflectere*, *cervicem retorquere*, & alia hujusmodi, quæ sunt Severi aliorumque Scriptorum verba, ubi de Loti conjuge loquuntur; aliud est, *respicere post se*, quæ Scripturæ est *φράσις*. *Respicere post se*, & aliquando absolute *respicere*, significat quidem retrorsum aspicere, neque tamen necessario consequitur, ut qui post se respicit, oculos retorqueat, seu caput tantum convertat in humeros, ut videat quæ post tergum habet. nam respicere post se & eum dicere possumus, qui ut videat quæ a tergo ipsi sunt, in eam partem toto se corpore convertit. Exempli gratia, cum I. Reg. XXIV. v. 9. dicitur. *Et respexit Saul post se*; cumque rursus II. Reg. II. v. 20. *Respexit itaque Abner post tergum suum*; ratio suadet, immo evincit, utrumque non convertisse se retrorsum sola cervice, sed ipso corpore: secus enim, aversi qui potuissent, ille verba David satis multa auscultare, eique totidem pæne verba flens illacrymansque respondere? hic autem Asaelem primum interrogare, tum eumdem pluribus alloqui? Ad eumdem itaque modum cum uxor Loti dicitur respexisse post se, non de solo respectu, sed de totius corporis conversione id dictum intelligo: intellexisse autem videtur eodem pacto & Interpres Syrus, qui in hoc loco usus est verbo אתפנית, *conversa est*: idemque ejusdem capitis v. 17. לא תתפנא לבסתרך, scilicet: *Ne te vertas post tergum tuum*. Itaque quamquam verbum נבט, quod utroque versiculo in Hebraico textu occurrit, in nostris Lexicis in sola significatione aspiciendi ponatur, minime dubito quin & in altera, scilicet convertendi se (quemadmodum & פנה) a Sacris Scriptoribus sit usurpatum. Nam, præter Syri Interpretis auctoritatem, accedit quod in supra allatis duobus locis parallelis ex I. & II. Regum libro, in primo quidem idem verbum נבט occurrat, ויבט שאול אחריו, in altero vero verbum פנה, nimirum, ויפן אבנר אחריו; utrobique autem, ut dictum est, non tam respiciendi, quam se convertendi notio subjecta est. Video etiam Græcos Interpretes, quos LXX. dicunt, in eadem illud verbum significatione accepisse & expressisse: ut Thren. I. v. 12., הביטו וראו, *ἐπιστρέψατε καὶ ἴδετε*, scilicet *convertimini & videte*, ubi Vulgata habet: *Attendite & videte*: Quid? quod constructum cum præpositione אל, in significatione eundi, seu accedendi acceperunt Psalmo XXXIII., seu juxta Hebr. XXXIV., v. 6., הביטו אליו vertentes *προσέλθετε πρὸς αὐτόν*, *Accedite ad eum*: nec id male. nam versiculo superiori dixerat David, se Deum, seu ejus auxilium, quæsivisse, & exauditum ab eo, atque ex omni periculo liberatum; hoc vero commate, ceteros suo hortatur exemplo, ut accedant ad Dominum confidenter, spem certam faciens, quidquid petierint impetraturos. *Accedite*, inquit, *ad eum & confluite* (ita interpretatus est & Hieronymus verbum נהרו, huic lo-

co

Digitized by Google

co perquam accommodate) *& facies vestre* (פניבם, non פניהם, *facies eorum*, ut est in hodiernis codicibus Hebraicis) *non erubescent*, scilicet ob repulsam. Si secus interpretari velis, ut faciunt qui Hebr. textum sequuntur, emerget sensus aut obscurus, aut nullus: sc. *Aspicient*, vel *aspexerunt ad eum* (sed suppl. *quotquot fuerint in angustiis*) *& illuminabuntur*, vel *illuminati sunt*, *& facies eorum non confundentur*, vel *confundantur*.

5. Illud vero minime hoc loco prætereundum silentio est, verba quæ in quæstionem cadunt, paullo aliter in Hebræo textu haberi, & quidem intelligentiæ huic quam asserimus, multo congruentius. Hebræa enim verba non sonant *respexit post se*, ut est in Vulgata nostra, neque *post eum*, ut male in Londinensibus Polyglottis & alibi latine reddita sunt, sed מאחריו *de post eum*, scilicet Lotum. concordat & Syriaeus Interpres, ואחפנית אנתתה מן בסטרה: *Et conversa est uxor ejus a tergo ipsius*: quod idem valere puto, ac si diceret: Maritum præeuntem sequi desiit, ac Sodomam reversa est. Nulla sane ratio subest, cur hoc loco *affixum* masculini generis loco feminini appositum dicamus. quæ autem hanc meam interpretationem adstruant, multa concurrunt. Primum, si legas *aspexit post eum*, & intelligas mulierem post maritum suum, qui præire debuerat, respexisse; numquam profecto oculos ad civitatem flexisset. Vidit hoc Tremellius, itaque dubitavit num Lotus ultimo loco post uxorem & filias incesserit: verum hoc posito, si mulier ut videret urbem, faciem ad maritum convertisset, non dicendum fuerat eam respexisse post maritum, sed *ad* maritum, אליו non אחריו: hæc enim præpositio usurpatur, cum aliquem aversum intuemur, ut Exodi XXXIII. v. 8. והביטו אחרי משה, quibus in Vulgata nostra respondent hæc: *aspiciebantque tergum Mosis*. Secundo, si Sacer Scriptor expressum voluisset hoc loco uxorem respexisse ad civitatem, non dixisset respexisse *de post* maritum (quod nonnulli ita intelligunt, ac si mulierem oculos a mariti tergo ad patriam, quam post se reliquerat, convertisse significet) sed apertis verbis dixisset, eam respexisse *post se*: sicut etiam Loto ab Angelo paullo ante scribitur dictum: *Ne respicias post te*. alia itaque magis recondita sub eis verbis latet significatio. Tertio, affixum ם præpositioni אחריו additum, nihil aliud quam discessionem mulieris a marito declarare videtur. Sic Ruth I. v. 16. *Ne roges me* (verba sunt Ruth ad socrum, quæ superiori versiculo dixisse refertur: *Revertere & tu post cognatam tuam* שובי אחרי יבמתך) *ut te deseram*, *& revertar de post te*, לשוב מאחריך. Sic I. Reg. XXII. v. 20. & Sophon. I. v. 6. מאחרי יהוה redditur: Nolite recedere *a tergo Domini*: & Qui avertuntur *de post tergum Domini*. Conferatur postremo hic locus cum supra laudato ex Psalmo XXXIII. juxta versionem τῶν LXX.; & liquido constabit, quemadmodum illi, הביטו אליו, reddiderunt, *Accedite ad eum*, sic contra hunc locum verti posse: *Et recessit uxor ejus ab eo*.

6. Verum hæc, si cui minutiora fortasse videantur, mittamus, atque ultro concedamus, primigeniam & genuinam verbi נבט notionem eam esse, quam hoc Geneseos capite Vulgata nostra latina versio expressit: quilibet tamen facile per se videre potest, quam minime absona aut longe petita metaphora, rediisse aliquem unde venerat significari possit, si dicamus eum in itinere respexisse post se: nam licet aliud revera sit *post se respicere*, aliud *convertere se retrorsum*, aliud denique *redire eo unde veneras*: ita tamen natura comparatum est, ut qui se convertit, respiciat quæ post se habebat; rursusque ut qui reversurus est aliquo, eo se convertere

vertere prius debeat. Quam multæ autem, in sacris præcipue litteris, figuratæ hujusmodi & tropicæ loquutiones sint, satis exploratum est cuilibet, qui vel summis, ut ajunt, labiis ipsas delibarit. Sic, ex. gr., Gen. XXXI. 21. dicitur in Hebr. textu: *Posuit faciem suam montem Galaad*, hoc est, recta ad montem Galaad iter direxit: quemadmodum & Jerem. L. 5. de redeuntibus ex captivitate: *Viam Sionis sciscitabuntur, facies eorum illuc erunt*: quibus adde & Lucæ IX. 53. Sic etiam Gen. XVIII. 16. *Et surrexerunt inde viri, & respexerunt*, וישקפו, *contra faciem Sodomæ*, id est, iter Sodomam versus arripuerunt: nam sequitur, *Et Abraham ibat cum eis*; tum vers. 22. *Et respexerunt*, seu *conversi sunt*, *inde* (ויפנו משם, LXX. Καὶ ἀποστρέψαντες ἐκεῖθεν) *viri illi, & Sodomam ierunt*. Satis etiam ex supra dictis liquet, *respicere post se*, & *retrorsum converti*, promiscue aliquando usurpari. Reliquum modo esset ut videremus, utrum *convertere se retrorsum* pro *pedem referre & redire*, alicubi occurrat. Ne autem in re per se obvia tempus & operam perdam (nam quid aliud apud profanos etiam Scriptores *terga vertere* sibi vult, quam *fugam capessere*, & alia ejusmodi?) sufficiat monuisse, sæpe & apud LXX. & in N. T. græco codice occurrere verbum ἐπιστρέφω in significatione revertendi, cum tamen conversionem corporis proprie designet. Adde quod Hebræum פנה, de quo supra, has omnes de quibus agimus, significationes frequenter admittat: nam & *respicere*, & *convertere se*, & *reverti* apud Scriptores sacros promiscue connotat. Quæ observationes non sunt ad confirmandum id quod propositum habemus, aut inutiles aut exigui momenti: si quis enim verborum cujuslibet linguæ, Hebraicæ præsertim, vim & significationes omnes attentius scrutetur; licet uni quandoque multiplices & inter se admodum diversas notiones subjectas inveniat, unam tamen ex iis primigeniam & quasi radicem, ceteras ex illa propagatas gradatim, & per quasdam concinnas & naturæ rerum consentaneas connexiones derivatas plerumque deprehendet. Sed ad propositum revertamur.

-. Nemini itaque duriusculum videri debet, quod *respicere post se* absolute pro *retrorsum abire* accipiendum hoc Geneseos loco contendam: nam præter ea quæ observavimus, eamdem omnino ῥῆσιν in N. T. habemus, nec alio quidem, ut ego arbitror, sensu: licet alio ab Interpretibus trahi soleat. Locus est Lucæ IX. v. 62. *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei*. quam sententiam ut probe intelligas, cujus gratia & qua de caussa a Christo Domino fuerit pronuntiata, quæso primum animadverte. Quidam se Christo comitem & discipulum ultro obtulerat, hac tamen adjecta conditione, ut sibi liceret primum, iis quæ domi habebat facultatibus, seu, ut alii intelligunt, domesticis renuntiatum ire. Quid igitur respondet Christus? illum qui sibimet jungat semel se se, a suscepto vitæ instituto numquam imposterum qualibet de caussa resilire debere. ad id autem significandum utitur similitudine ejus, qui agriculturam facere aggreditur, pronuntiatque hunc, si, ubi manum ad aratrum admoverit, statim post se respiciat, seu pertæsus laboris inceptum opus deserat, & revertatur domum, minime aptum agro colendo evasurum. Ita ego quidem hanc παροιμίαν explicandam censeo: nam qui dicunt, eum qui in arando oculos reflectat, improbari eo quod non rectos sulcos ducturus, seu deliraturus sit, piam quidem, sed (pace tantorum virorum) nimium generalem & a Christi scopo alienam interpretationem comminiscuntur. Neque enim ad quemcumque aratorem, sed ad eum qui vix dum manum admovit aratro, al-

ludit Christus (ea enim est vis verborum, ἐπιβάλλων τὴν χεῖρα ἐπ' ἄροτρον, & ἐπιβάλλειν singulariter positi): idque ea mente, ut novellum discipulum persuadeat, non esse illi statim domum revertendum sub eo prætextu, ut de facultatibus suis disponat. Adde quod, si de respectu tantum oculorum hunc locum intelligas, non satis appareat, cur qui arat, licet respiciat subinde, rectos ducere sulcos, suoque munere naviter fungi nequeat: contra qui initio operis amoveat manum ab aratro, & ad domesticum otium revertatur, huic pessime agricultura cessura sit. Sane hic Lucæ locus adeo similis est ei quem præ manibus habemus, ut ex eo hunc aliqui interpretari voluerint: *Nonnulli* (Malvendæ verba sunt, in Gen. XIX. 26.) *figuratam putant esse locutionem*: Respexit post se; *id est, eam incœpti pœnituit, ut illud Lucæ IX.* 62. Nemo mittens, &c. Ita nimirum Vatablus in Gen. XIX. 17. Eamdem interpretationem indicat Calmetus *§. Sunt qui credant*, &c. Et hi quidem nonnihil viderunt, sed tamen germanum utriusque loci sensum non plane perviderunt.

8. Verum hactenus, quantum video, quæstioni nostræ præludimus: tandem itaque aliquando ad rem propius est accedendum. Nos dicimus uxorem Loti periisse, propterea quod Sodomam reverti maluerit, quam virum fugientem sequi: & Scripturæ quidem verba hanc interpretationem haud incommode recipere posse jam ostendimus. contra vulgaris & trita persuasio fert, eam in statuam repente diriguisse, quod in ea fuga oculos tantummodo ad patriam reflexerit. Conferamus, quæso, utramque sententiam, & perpendamus utra magis tum rectæ rationi, tum toti Historiæ seriei magis consona videatur. Si rationem in consilium adhibere velimus, nihil sane est in nostra ὑποθέσει, quod videatur vel tantillum absurdum & repugnans: contra ægre admodum mens persuaderi potest, ob illam unicam caussam, quod cervicem retro torserit, periisse mulierem. Quæro enim, quodnam peccatum illud fuerit, tantaque severitate puniendum? Accusationes quæ in illam feminam congeruntur, hujusmodi fere sunt: seu curiositas nimia videndi patriæ excidium, seu nimius ejusdem patriæ amor, bonorumve quæ in ea reliquerat desiderium. At quæcumque ex his respiciendi caussa ei fuisse dicatur, venia admodum digna ea culpa videtur, in femina præsertim, eaque, pro ut illa ferebant loca & tempora, Euangelicæ perfectionis omnino experte, in illa denique tanta tamque inopinata novitate & perturbatione rerum. Ob tantillum ergo, si quod fuit, peccatum tanta severitate in illam animadverterit Deus, ut repentina eam morte plectendam judicaverit, ejusque cadaver mire transformatum perpetuum monumentum & exemplar posteris esse voluerit? Aut denique misericordia mota fuit erga civium suorum calamitatem. in quo quidem laude potius quam pœna digna censenda esset, quæ quum sibi suæque familiæ effugium paratum haberet, adhuc tamen de civium sorte sollicita fuerit, & tot mille hominum promiscuæ ætatis & sexus, præcipue vero puerorum innocentium, exitium miserata, ad eos retorserit eos oculos, qui si lacrymis ubertim manassent pro eadem caussa, ei fuisset impune. Et sane quis non suspicit extollitque Abrahæ pietatem, qui tantopere egit contenditque rogando & obsecrando, ut eam gentem ab interitu vindicaret? Alii denique incredulitatis crimine ream peragunt, in quo auctorem habent divinum ipsum Oraculum, quod Sapientiæ X. v. 7. *Incredibilis*, seu incredulæ *animæ*, ἀπιστούσης ψυχῆς, *memoriam* appel-

lat

lat ſtatuam ſalis. Verum hoc, quod ipſum fuiſſe illius feminæ peccatum ultro conſentio, ſententiam meam admodum confirmat: nam propterea quia non credidit excidium Sodomæ ab Angelis aperte denuntiatum, aut non credidit tam cito ſequuturum; non acquievit ipſorum conſilio, quo monebatur, ut fuga vitæ conſuleret: adeoque ad urbem rediit relicto marito. In contraria vero ſententia qui eam incredulitatis arguere jure poſſis? Si enim non credidit, cur fugit? cur etiam in fugiendo retroſpexit? Quin potius ſi retroſpexit, id ſane fecit, ut ſpectaret eventum rerum ab Angelis prædictarum: ergo aliquam ipſorum verbis adhibuit fidem. At, inquies, incredula in eo fuit Loti uxor, quod, quum non crederet ſe perituram, ſi cervicem flecteret Sodomam verſus; ſpreto divino interdicto poſt ſe reſpexerit, atque ita incredulitatem cum inobedientia conjunxerit: eaque de cauſſa merito a Deo punita fuit. Sed ſi ita intelligas, inobedientiæ potius quam incredulitatis accuſanda fuiſſet.

9. In hoc itaque modo totua quæſtionis cardo vertitur, num verum illud ſit, de quo fere nemo adhuc dubitavit, nimirum utrum prohibuerit Deus Loto & uxori ac filiabus, ne poſt ſe reſpicerent, nec ne: ſeu potius, quid ſibi velint ea Angeli ad Lotum verba. num, pro ut ad litteram ſonant, an vero in ſignificatione figurata ſint eadem quoque accipienda. Quantum ego judico, nullum in eis verbis ſubeſt præceptum, ne reſpicerent poſt ſe, nullum Dei interdictum, nulla comminatio. quod ut Lectori ipſi fiat manifeſtum, paucis tota rei geſtæ ſeries eſt perſtringenda, & ob oculos illi proponenda. Poſtquam Angeli, a Loto hoſpitio recepti, nefarios Sodomitarum conatus immiſſa repentina cæcitate eluſerunt, mox ſequuturum totius civitatis excidium ipſi annuntiant, jubentque ut quoſcumque haberet ibidem perneceſſarios, ſecum inde abduceret. Abit itaque ſtatim Lot intempeſta nocte ad generos, monet eos de imminenti periculo, ſugamque ipſis ſuadet. verum ejus dicta apud illos fidem minime inveniunt. Ut primum igitur ſequentis diei aurora illuceſcere viſa eſt, כמו השחר עלה, Angeli urgent Lotum, ut una cum uxore & filiabus diſceſſum maturet, hac expreſſa cauſſa: פן תספה בעון העיר: *Ne & tu pereas in iniquitate*, ſeu *in punitione iniquitatis civitatis hujus* (utrumque enim עון ſignificat, tum iniquitatem, tum iniquitatis pœnam). Diſſimulantem illum & moras trahentem, manu apprehenſum cum uxore & filiabus educunt extra civitatem: cumque ab eo demum receſſuri eſſent, alter ex illis hunc cum eo habet ſermonem. *Salva animam tuam*, ſeu, ut eſt in Hebræo, המלט על נפשך, *Salvare*, ſeu *effugium tibi para pro anima*, ſeu *vita tua*; quaſi diceret, conſule vitæ tuæ fugiendo, de ſubſtantiis vero ceteriſque rebus omnibus ne ſis ſolicitus. Sequitur Vulgata editio: *Noli reſpicere poſt te, nec ſtes in omni circa regione, ſed in monte ſalvum te fac, ne & tu ſimiliter pereas*: Hebr. ad litteram: *Ne reſpicias poſt te, neque maneas in tota iſta planitie: ad montes ſalvare*, ſeu *confuge*: פן תספה, *ne abſumaris*, ſupple ex ſuperiori textu, in civitatis excidio. His dictis fidem adhibens Lot, immo timens ne tantum ſibi ſpatium temporis non ſuppeteret, quanto opus habebat, ut perveniret ad montes, adeoque in ea adhuc planitie iter habentem apprehenderet calamitas illa ingruens, & ieto daret; ſumta ex verbis Angeli confidentia inſtat obnixe, ut ſibi liceat in oppidulum quoddam vicinum, Bala antea, poſtea צוער Zoar, ſeu Segor, dictum, ſe ſe recipere; benigneque indulget Angelus, ut Segor ab excidio eſſet immune, ut-

que in eo tutum ipse haberet perfugium: *Festina*, inquit Angelus, *&* *salvare ibi*, *quia non potero facere quidquam*, *donec ingrediaris illuc*. Sole itaque demum exorto Lot pervenit Segor, ac tum demum Sodoma finitimæque civitates cum universa illa regione igne cælitus immissa deleri cœptæ. His narratis subdit divina Scriptura, uxorem Lot *respexisse post se*, seu, ut diximus haberi in textu Hebræo, *de post ipsum*, scilicet maritum ejus, & in statuam salis fuisse conversam. Ita quidem ex libro Geneseos res gesta est.

10. Operæ pretium nunc fuerit verba Angeli suo loco commemorata diligentius excutere, & rimari quid significent, quo spectent, & ad quod tempus sint referenda. Ego sane videre mihi videor haud obscure in hisce verbis Angelum amice sollicitantem pigrum & renitentem Lotum, ut imminenti & jam super nefariam illam regionem irruenti divino supplicio celeri fuga se subduceret: video, periculum quod verbis Angeli Loto denuntiatur, non aliud fuisse, quam ne, si ibidem consisteret, & multo magis si in urbem reverteretur, Sodomitica clade involveretur. Video, ut optime inter se cohæreant, & consentanea sibi invicem sint duo hæc, scilicet ut eodem contextu orationis quo monetur Lotus ne sistat se in planitie proxima Sodomis, moneatur etiam, & quidem priori loco, ne pedem intra eam urbem referat, ex qua ægerrime & quasi per vim fuerat vixdum eductus. Contra non video, cur præceptum non flectendi oculos, si quidem ea verba ad litteram accipienda sint, jungi debuerit alteri seu præcepto, seu potius consilio, de recedendo a vicinia Sodomorum. Multo minus video in verbis Angeli divinum interdictum, ne post se respiceret, extremumque exitium promissum ni paruisset. Nec video etiam, quomodo Sodomitico excidio obrui potuerit aut Lotus, aut uxor ejus, si adhuc in ea via quæ ducebat Segor constituti, respexissent: cum illud excidium nonnisi postquam Segor se recepisset Lotus, initium habuerit, certe ex Angeli promissione habere debuerit. Cum vero apud omnes aut plerosque Interpretes constet, hanc mulierem post se eo tempore respexisse, quo jam Sodoma divinis ignibus ardebat; necessario consequitur, id in itinere quo Lotus pergebat Segor, minime accidisse, sed postquam ille in oppidum fuerat ingressus. Hanc, puto, difficultatem ut declinent nonnulli ex interpretibus, in hac femina non modo arguunt peccatum reflectendi oculos, sed etiam cunctationem quamdam & tarditatem in progrediendo: adeo ut ipsam longo post se intervallo adventantem reliquerit Lotus, cum ingressus fuit Segor. Sed de hac tarditate nihil habet Scriptura. Nec sane video, si maritum propere fugientem sequi ei fuisset animus, & imminens periculum timuisset; cur in itinere cunctari debuerit, seque ab suorum sejungere cœtu: ejus certe filiæ, virgines licet, a patris latere non discesserunt, licet *non æquis passibus* ipsum sequerentur. Itaque si una cum marito Segor non pervenit, pedem retulisse Sodomam est dicendum. At neque ubi Segor pervenissent, ipsis periculum fuisse video, si respexissent: nam Angeli verba referenda sunt ad tempus fugæ, donec in aliquem locum securum se reciperent. Reliquum est igitur, ut cum Lotus ingressus est Segor, uxor ejus jam regressa fuerit versus Sodomam, eoque in reditu perierit. Et sane, ut vidimus, Scriptura ejus casum non narrat, nisi postquam Sodomorum conflagrationem narravit.

11. Postremo non video, quæ idonea & probabilis caussa produci possit

poſſit, ob quam Deus Loto interdicere voluerit, ne vel in ea fuga oculos ad Sodomam omnino converteret, neve ſpectaret incendium illud, ubi ſe Segor recepiſſet. Aliquot ſane hujus præcepti cauſſæ afferri ab Interpretibus ſolent: ſed, ut quod ſentio libere dicam, nullam ſatis probabilem, omnes admodum infirmas deprehendo, ubi eas attentius introſpicio. Nam, primum omnium, mandatum iſtud per ſe ſpectatum exigui admodum momenti jure videri poſſit, quod ſolo corporis ſitu, aut capitis nutu, vel præſtandum vel violandum eſſet. Sunt autem qui volunt, Deum in re tam facili Loti obedientiam explorare voluiſſe. Verum non ea tunc res agebatur: tum, qui in re difficillima, nempe ut domum, patriam & ſubſtantias omnes relinqueret, Angelorum dictis obtemperaverat, quid opus fuiſſet ejus obedientiam in leviſſimo hoc præcepto explorare? Sunt qui ad feſtinationem illud referant, nimirum ut iis verbis moneretur Lotus præcipiti ſe fuga ſubducere. At qui ita intelligunt, non ad litteram, ſed tropice ea verba intelligunt, & nobiſcum aliqua ex parte ſentiunt. non itaque cauſſa fuiſſet cur punirentur, ſi momentaneo identidem reſpectu oculos ad civitatem convertiſſent, dummodo id fugæ celeritati non obſtitiſſet. Docent alii, voluiſſe Deum eo præcepto Loti & ſuorum animum abducere ab omni priſtini domicilii cogitatione & deſiderio. Quaſi vero, etſi minime reſpexiſſent, tacita tamen cogitatione ea omnia quæ amiſerant, reputare ſecum non potuerint: aut ea conſtantia & virtute animi eſſe debuerint, ut omnino ſecus facere potuerint, in tam recenti & acerba rerum omnium jactura: qui ſummus virtutis apex vel in ſanctiſſimis Euangelicæ diſciplinæ viris vix deprehendatur, & ſi in aliquo occurrat, ſuſpiciendus quidem ſit, non autem ab eo quaſi debitus exigendus. Addunt alii in deteſtationem ſceleratæ illius gentis præceptum hoc Loto datum. At, quæſo vos, cur in via reſpicere non debuiſſent, cum, ubi Segor perveniſſent, non id legatur eis interdictum? rurſus qui melius ad deteſtationem Sodomitici ſceleris incitari potuiſſent, quam ſi ſumtum de ſceleſtis a Deo ſupplicium ſuiſmet oculis proſpexiſſent? ut quorum antea viderant planeque perſpecta habebant flagitia effrænemque libidinem, tandem ſupremum ſpectarent interitum; atque eo memorabili exemplo Deum O. M. vereri, & juſtitiam morumque honeſtatem impenſius colere diſcerent. Itaque minime dubito, quin Lotus ejuſque familia, ubi Segor ventum eſt, proſpexerint ſine periculo, ſed non ſine ingenti horrore & reverentia divini Numinis, infamis illius Pentapoleos conflagrationem: ſpectatam item fuiſſe ſine periculo ab omnibus illius oppidi incolis, & ex omnibus finitimis locis, plane perſuaſum habeo. Ipſe Patriarcha Abraham ex paullo remotiori loco, ſcilicet ex Mambre, vidit globos fumi, ex illo incendio quaſi ex fornace erumpentes, ad cælum ferri.

12. Cur itaque, ſi hæc ita ſe habent, una periit uxor Lot? Quia *reſpexit poſt ſe*, ſeu *poſt maritum*; ſcilicet, ut ſæpius diximus, quia Angeli dictis incredula imprudenter Sodomam rediit, eoque in reditu ex improviſo igne cæleſti oppreſſa & extincta fuit. Quamquam autem ex dictis liquido conſtare poſſit hanc eſſe veram & germanam hujus loci interpretationem, maximum tamen eidem accedit momentum ex Lucæ Euangelio, ubi cap. XVII. feminæ hujus mentio habetur, & ejus caſus ad exemplum proponitur. Agit eo loco Dominus de obſidione & excidio alterius civitatis ob peccata civium jamdiu divinam in ſe ultionem

tionem provocantis, nempe Jerusalem, ut plerique Interpretes sentiunt. alii de fine mundi & de universali judicio intelligunt: utraque sententia tantumdem scopo nostro inservit, prior tamen nobis magis placet. Ut itaque declaret Christus, quam repentina & exitialis futura esset ea calamitas Judæis omnibus ibidem manentibus, comparationem instituit cum tempore Diluvii & Sodomitici excidii: tum præmonet, non secus ac Angelus Lotum, ut rebus omnibus posthabitis celeri fuga quilibet se subducere satagat, & quidem ad montes: ut alibi de eodem argumento, iisdemque fere verbis agens, diserte dixit: Luc. XXI. v. 21., tum Matth. XXIV. v. 16., & Mar. XIII. v. 14.

13. Hanc porro fugiendi celeritatem hoc loco hisce Christus inculcat verbis: *In illa hora qui fuerit in tecto* (seu in area supra tectum domus) *& vasa ejus in domo, ne descendat tollere illa. Et qui in agro, similiter non redeat retro.* Hæc quæso, Lector benevole, compara cum verbis Angeli ad Lotum, & intelliges quam sibimet per omnia respondeant, præcipue vero ut illud: *Ne redeat retro*, ipsissimum sit cum altero Geneseos: *Ne respicias post te*. Quod evidentius etiam patebit, si Græci textus verba attendantur: μὴ ἐπιστρεψάτω εἰς τὰ ὀπίσω, quæ non male, immo fortasse commodius verti possint: *Ne convertatur ad ea quæ retro sunt*, atque ita ad amussim respondebunt versioni τῶν LXX. Gen. XIX., quæ habet, μὴ περιβλέψῃ εἰς τὰ ὀπίσω. Dubitas adhuc? attende quæ sequantur. sequitur nimirum Christus & sententiam concludit his verbis, quæ quæstionem nostram mire elucidant, atque omnino solvunt: *Memores*, inquit, *estote uxoris Lot*. His scilicet verbis nihil aliud, aut ego vehementer fallor, nihil aliud prorsus significatur, quam eum qui in agro existens imminente obsidione Hierosolymitana, retrorsum se converterit, & in urbem illam redierit, ut tollat quæ domi habet; eamdem omnino cum infelici & incredula uxore Loti culpam admissurum, proindeque eamdem subiturum calamitatem: scilicet ut præoccupatus temporis angustiis, & ab ingruenti Dei vindicta deprehensus, effugii spatium non inveniat. Nec aliud sane, quam præjudicata apud omnes, ex male intellecta Geneseos historia, opinio fecit, ut hic locus adeo per se perspicuus, ab Interpretibus in genuina & vera sua significatione non fuerit acceptus, ne scilicet Euangelii sententia a Mosis verbis discordare videretur: cum contra Mosis verba satis ambigua ex Euangelio illustrari debuerint.

14. Id adeo verum est, ut unus & alter eruditus Scriptor (quos quidem ego legerim) quamvis Genesis textum interpretantes vulgarem sententiam sint sequuti, ubi tamen Lucæ verba attentius expenderunt, plane nobiscum in uxoris Loti peccato declarando consentiant. Primus est Jo. Clericus, qui quidem Gen. XIX. vers. 26. ita ex Hebr. reddidit: *Uxor vero Loti, quæ a tergo* sequebatur, *respexit, & statua salina fuit*; quique illud vers. 17. *Ne respice post te*, ita edisseruit: *Non videtur, ne semel quidem respiciat, vetare; sed, ne respiciendo, ut videat quid sit futurum, moretur in locis quæ subvertenda erant, cavet. Qui relictarum a se rerum desiderio flagrant, sæpe respiciunt, & quantum possunt, morantur, quod tunc periculosissimum fuit.* Idem tamen in Dissert. *de Statua salina* (de qua Diss. pluribus erit paullo infra agendum) hæc habet, quæ mire sententiam nostram, saltem ex parte potiori, confirmant. *Si cui tamen* inquit, *hoc mortis genus non arrideat, non absurde forte conjiciat, mulierem non tantum oculos ad patrium solum retorsisse, sed etiam, postquam Angeli abierant*,

Digitized by Google

abierant, rediisse, ut propius incendium spectaret; atque ita vapore suffocatam fuisse, quod Plinio majori, qui ardentem Vesuvium spectatum iverat, contigit. Nec male hoc collegeris ex verbis Christi, Luc. XVII. 32., ubi postquam dixit: nemo retrorsum revertatur, *Jerosolyma, nimirum, instante obsidione egressus, illico subdit:* mementote uxoris Loti; *scilicet regressæ, forte ut videret, an ex suppellectilibus aliquid præterea auferre posset. Nec videntur vetuisse Angeli Lotum ne respiceret, quasi retortorum dumtaxat oculorum pœnas sibi a morte Deo daturus esset; sed ne moraretur, ut faciunt qui præ desiderio loci quem relinquunt, sæpe respiciunt, aut qui volunt, urbe peritura, quid futurum sit propius videre. Sequentia etiam verba*, neque in tota planitie consiste, *videntur* ἐπεξηγήσεως ἕνεκα *addita esse. Angeli ergo festinarent monebant, quia malo serpente poterant, si vel spectandi caussa morarentur, cum ceteris absumi; quod contingere solet in ejusmodi terræ motibus, atque incendiis, quæ soli natura aluntur.* Cornelius Severus *in Ætna vers.* 607 *&* 618.

> Ardebant arvis segetes, & millia culta
> Iugera cum dominis, silvæ collesque virentes, *&c.*
> Cunctantes vorat ignis, & undique torret avaros.

Nempe, opum auferendarum causa moratos; quod forte facere conata est Loti uxor. Hactenus Clericus, in cujus verbis minime probare possum, quæ in muliere eam animi constantiam cum pari curiositate conjunctam supponunt, quæ vix a viro Philosopho & Naturalis Historiæ sollertissimo indagatore Plinio in pari casu exspectanda fuisset; nempe ut patriæ suæ incendium, suorumque extremum excidium propius spectatura accederet. Alter quem supra indicavi, Scriptor est Samuel Shuckfordius Heterodoxus Anglus, qui itidem Tom. 2. Historiæ Sacræ & prof. genuinam expressit Lucæ textus significationem. Ejus verba ex Gallica versione sunt: *La femme de Lot fut enveloppée dans la même calamité; soit qu' elle eut regardé en arriere, ce qui étoit directement contraire à l'ordre que l' Ange avoit donné, ou que, comme on pourroit le conclure de ce que notre Sauveur dit à son égard, qu' elle s'en fut retournée a Sodome, ne voulant point démeurer a Zoar*, &c.

15. Hinc nimirum colligitur apertissime non ideo periisse mulierem, quod vel ex curiositate vel ex desiderio reflexerit oculos, sed quod Sodomam redire voluerit: seu quia minus fidem præstiterit dictis Angeli, seu etiam, ut hoc Evangelico textu subindicatur, quia noxia eam incesserit cupido ea secum asportandi, quæ domi suæ cariora & pretiosiora reliquerat. Itaque etsi alia multa argumenta antea a me allata aut non suppeterent, aut non satis certa videri possent, ex hoc uno textu satis superque eruitur germanus sensus verborum Mosis de uxore Lot; & quod mihi initio demonstrandum proposueram, pæne ad evidentiam, ut ajunt, demonstratur. Ita mihi quidem persuasum est, ac penitus animo jampridem insedit: ita quoque persuasum fore spero iis, qui non tantum singula seorsim, sed & omnia coacervatim argumenta a me proposita, semoto paullisper inolitæ opinionis præjudicio, perpenderint. Habet interpretatio nostra hæc commoda: quod rationi admodum consentanea sit: quod divinam clementiam & justitiam magis commendet: quod totius historiæ seriei aptius respondeat: quod viam sternat ad intelligentiam verborum quæ sequuntur: *Et facta est statua salis*, de quibus nobis mox est agendum. Unam, fateor, eamque gravem patitur difficultatem, nempe quod contra jamdiu receptam & universalem omnium

Digitized by Google

mnium Patrum & Interpretum mentem sit. Verum, ut initio dicebam, in quæstionibus hujusmodi, ad dogmata fidei non spectantibus, numquam præscriptio temporis datur, neminique umquam prohibetur, quin in vastissimo Scripturarum campo, si quæ spicæ supersint, quæ messorum diligentiam & perspicaciam fugerint, eas sedulo colligat, studiorumque & vigiliarum suarum has quasi primitias summo omnium rerum & scientiarum Domino offerat dedicetque. Hac sane mente a me scripta profiteor, quæcumque de peccato uxoris Lot contra communem sententiam hactenus disputavi, non novitatis studio ductus aut Patrum contemtu, sed unius amore veritatis.

16. Sed tandem aliquando ad alteram Differt. nostræ partem transeamus, in qua de pœna & infelici exitu uxoris Loti nos acturos initio promisimus. Porro quæstio hæc admodum difficilis est, non tam ipsa per se, quam propter Scriptorum quorumdam in diversa abeuntium, & quidem ultra quam par erat, in alterutram partem declinantium, contrarias sententias: plerique enim ex antiquioribus, incertis rumoribus fidem adhibentes, prodigia prodigiis exaggerarunt, nonnulli autem ex recentioribus rem gestam ita interpretantur, ut nihil minus quam prodigiosam fuisse velint. Ex horum numero est Joannes Clericus, insignis in elevandis miraculis audaciæ vir, qui in Differt. *de Statua salis* paullo supra indicata, dum incertas illas aut aperte fabulam redolentes, quæ de cadavere hujus mulieris in salinam statuam transformato feruntur, narrationes sive traditiones explodere nititur, ipsam omnino transformationem e medio tollere eadem opera aggreditur, licet Sacri Textus auctoritate, & totius antiquitatis testimonio comprobatam: adeo ut huic jure merito aptari possit Horatianum illud: *Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt*. Nobis contra propositum est, certa ab incertis secernere, & ita ejus argumenta & conjecturas refellere, ut neque quod prodigiosum & supra naturæ vires in ea re occurrit, pernegemus, neque afferamus ejusmodi fuisse, quod certo non constet.

17. Ex iis itaque, quæ hactenus disputavimus, satis liquet (ut nobis quidem persuasum est) Loti uxorem Angeli monitis minime obsequutam, reliquisse maritum fugientem, ut Sodomam rediret. Hinc manifesto colligi potest, quam infelix interitus eam ex improviso oppresserit: aut enim fulmine e cælo tactam, aut ignis circumquaque æstuantis ardore sulfurisque vaporibus præfocatam fuisse oportet. certe in finibus agroque Sodomorum deprehensa, nullo pacto communem civibus suis cladem evadere potuit. Id adeo certum fuit statim, ut filiæ incestum cum patre patrare ideo non sint veritæ. Moses itaque, quum eo unde venerat reversam dixisset, ne indicare quidem necesse habuit eamdem ibidem periisse: satis illi fuit referre singulare aliquid & memorandum, quod ejus cadaveri accidit. Quid illud porro est? Quidquid id est, his hebraicis verbis ab eo exprimitur: ותהי נציב מלח, quorum a nobis est investiganda significatio: nam si Clericum audiamus, *duæ hic sunt voces ambiguæ, quæ perperam intellectæ errorem pepererunt*, מלח & נציב. Videamus itaque quæ sit ambiguitas harum vocum, & quomodo eas *perperam intellectas* ostendat idem Clericus.

18. Dum itaque varias utriusque vocis significationes proponit, primum quidem notat נציב *duo tantum proprie significare*, scilicet 1., *Cumulum, nimirum quales erant qui memoriæ caussa aggerebantur, ut quem fecerunt in monte Galabaditidis Laban & Jacobus, & de quo Moses cap. XXXI.*

Ejus-

Ejusmodi cumulus dicitur מצבה Matchsebah, *voce huic affini, quæ quidquid erectum est, sonat. David Kimchius ea de caussa videtur* תל thsl *interpretari, & eadem forte de ratione ab aliquo accepta, aut ex relatu eorum qui se eam vidisse dixerant*, Sulpicius Severus *in* molem *conversam fuisse vult Loti uxorem*, &c. Obiter moneo Gen. XXXI. aliud esse מצבה, de qua vers. 45., allud acervus, seu cumulus lapidum, quem fecerunt Laban & Jacobus, & de quo ibidem agitur vers. seq. Præterea nullibi, quod sciam, מצבה sumitur pro *cumulo*, seu *acervo lapidum*, sed pro *statua*, cippo, aut *columna*. sic Gen. XXVIII. 18. Jacobus lapidem, quo pro cervicali usus fuerat, posuit מצבה, scilicet στήλην, ut οἱ LXX. interpretati sunt, hoc est *cippum*, aut *columnam*. Ejusdem porro formæ seu speciei fuit & lapis, quem idem Jacob Gen. XXXI. instar columnæ erexit. His locis adde geminos ex Gen. XXXV. 14. & 20. quibus locis Hebr. habet מצבה. Sic Exod. XXIII. 24., & XXXIV. 13., & alibi, Deus jubet, ut מצבות, scilicet ejusmodi columnæ a Chananæis passim erectæ, destruantur & confringantur, nempe quia Idolis sacræ erant, & profano cultu honorabantur: demum Levit. XXXI. 1. prohibentur Hebræi, ne in morem Chananæorum facerent sibi *idola, aut sculptile simulacrum, statuamve sibi erigerent*, ומצבה לא תקימו לכם. Si itaque de vocis נציב significatione judicandum sit ex affinitate quam habet cum voce מצבה, utpote quæ facile ab una eademque radice derivari possit, pro *columna* aut *statua* usurpata heic fuerit, non autem pro *cumulo* aut *acervo*; licet hæc quoque significatio ipsi in Lexicis passim affigatur. Sane etiam Stephanus Byzantius de Nisibi agens, tradidit: σημαίνει δὲ, ὡς φησι Φίλων, νάσιβις τὰς στήλας, ὡς δὲ Οὐράνιος, νάσιβις, φησι, σημαίνει τῇ φοινίκων φωνῇ, λίθοι συγκείμενοι, συμφορητοί: *Significat autem Nasibis juxta Philonem* columnas, *at juxta Uranium Nesibis lingua Phœnicum sunt* lapidea collecti & coacervati. Quæ verba dum Sam. Bochart., Geogr. Sacræ lib. II. cap. XII. (quo nimirum capite ex Stephano Byzantio explicat nonnulla verba Phœnicia & Punica) producit, hæc ipse addit: *Syri* נציבין nesibin *efferunt* (sc. urbis Nisibis nomen) *quod utrumque significat &* columnam *&* acervum, *seu* tumulum. *Hinc Gen. XIX. 26. Hebræum* נציב nesib *a Kimchio* תל tumulus *aut* acervus, *ab aliis* columna *redditur. id enim est Græcis* στήλη, *Chaldæis* קמא *&* עמוד, *& Arabico Interpreti* רבאכה. Nihilominus certum est, radices יצב & נצב, ex quibus derivatur tum מצבה tum נציב, in Hebræa lingua & affinibus ipsi dialectis significare, *posuit, fixit, erexit, plantavit*, non autem *congessit, accumulavit*: quæ est significatio verbi תלל, unde תל *tumulus, agger, acervus*: qua tamen voce Kimchius reddidit Hebr. נציב. Quod postremo ex Sulpicio Severo elicere Clericus molitur, nihil est: nam, ut paullo ante in Observ. monuimus, non vacat ille locus a mendi suspicione, neque aliud eum sibi voluisse ratio suadet, quam communem traditionem referre, quæ mulierem illam non *in molem*, sed *in statuam salis* conversam perhibet.

19 Sed rursus Clericum audiamus, qui demum genuinam nobis vocis נציב notionem ita proponit: 2.° *significare*, inquit, *potest* statuam *aut* columnam. *LXX. Int. habent hic* στήλη ἁλός, columna salis, *Hieronymus* statuam, *& Onkelos* קמא, *quod idem est. Qua ambiguitate*, pergit ille, *factum est, ut alii in columnam, sine forma muliebri, mutatam Loti uxorem velint; alii vero statuam muliebrem, in qua lineamenta ejus cernerentur, intelligant, ut postea videbimus*. Hæc, ut dicebam, propria & genuina est hoc

loco vocis נציב significatio, in qua consentiunt interpretes antiqui & recentiores. Hoc uno inter se differunt, quod ii qui *columnam* reddiderunt, vocis Hebrææ etymon & vim pressius expresserint; qui *statuam*, ad rem ipsam, ut gesta est, magis respexisse videantur: neque enim concludi debet, priores illos voluisse Loti uxorem, amissa muliebri forma, mutatam aut in lapidem rudem & impolitum, aut in teretem cylindrum. Certe ratio ipsa repugnat, ut ita factum credamus: primum, quod non unum, sed duo prodigia in eo concurrisse oporteret; alterum, ut corpus carneum in lapidem repente obduruerit, alterum, ut pro muliebri forma prodierit informis columna: secundo, quod ex ea gemina transformatione nulla ad hominum eruditionem profluxisset utilitas, atque adeo miraculum ipsum evanuisset. cui bono enim fuisset columna illa ipsam inspicientibus, quum vel ignorassent, aliquando Loti uxorem in lapidem conversam, vel incerti fuissent, utrum sub eo ipso vel alio aliquo cippo eadem Loti uxor lateret? Contra statua illa lapidea mulieris effigiem *ad vivum*, ut ajunt, repræsentans, ipsa per se (ea maxime ætate & eo loco, quibus aut nullam aut fere nullam statuariæ artis peritiam fuisse par fuit) admirationi summæ esse oportuit vel iis qui rei gestæ ignari essent; iis autem qui & uxorem Loti de facie jam noverant, & postea eamdem Sodomitica clade extinctam didicerant, manifestum & evidens miraculi a Deo patrati argumentum esse debuit: cujus miraculi pervulgata ad ceteros fama, per plures deinde ætates, saltem ad Moysis usque tempora, qui eamdem scriptis consignavit, constanter propagata fuit. Famam dixi ejus miraculi per plures deinde ætates, non ipsam statuam perdurasse. ultro enim concedimus, hanc temporum injuria, & materiæ ipsius ex qua constabat, imbecillitate sensim confectam, haud ita multo post funditus interiisse, ita tamen ut ab incolis ad perpetuam ejus memoriam conservandam, eodem loco alia subinde atque alia statua, sive etiam columna, ad nostra fere tempora, substituta fuerit, quæ advenis & peregrinis pro ipsa illa prodigiosa ejus mulieris statua fuerit vendita, nonnullis præterea adjectis commentitiis narratiunculis, quæ, ut fieri solet, apud simplices & credulos plenam fidem sint assecutæ. Hoc pacto stat prodigii a Deo patrati & a Mose narrati veritas, elucetque ejusdem utilitas, tum ab Historiæ certitudine dignoscuntur incerti rumores, & apertæ fabellæ exsibilantur.

20 Sed Clericus certa atque incerta uno ordine reputans, simulque convellere aggressus, a *propriis* ejus vocis נציב significationibus, quæ ejus scopo minus inserviunt, transit ad improprias seu *tralatitias*: quare tradit posse eo *sensu figuare immotum quidpiam & durum, columnæ & statuæ instar, unde & apud Chaldæos* נצבתא nitsbetha, *est* durities, *Dan. II.* 41. *Quin & ipsa vox* נציב præsidium *militum*; *sive* præfectum *ejus significat, quia milites præsidiarii eodem loco semper hærent. Vide* 1. *Sam. XIII.* 3. *Itaque Moses* (concludit tandem) *hoc velle posset, uxorem Loti diriguisse, & instar columnæ aut statuæ immotam illic remansisse, quod postea plenius ostendemus*. Hæc in speciem minime cum recepta sententia pugnant: neque enim illa proprie *statua*, & multo minus *columna* fuit; sed ejus mulieris corpus in duritiem & soliditatem statuæ seu columnæ divino miraculo repente conversum creditur. At multo aliter sentit, & ut alii sentiant, suadere vult Auctor, ut ex progressu liquebit. Quæro interim ab eo, si hic textus in impropria & adscititia significatione est accipien-

dus,

due, quis locus superfit duplici illi sensui proprio, de quo antea egit? Admittit נציב *columnam*, seu *statuam*, atque etiam, quod ego vix admiserim, *acervum* & *cumulum* lapidum proprie denotare, quod tamen ex uno hoc Genefeos loco & ex antiquis Græcis interpretibus colligi potest: sed ipse ad improprias significationes confugit, & ab his petendam vult ejusdem loci germanam interpretationem. ergo, quas proprias dixit, commentitiæ & fallaces erunt, ex Interpretum scilicet inscitia natæ. Ejus certe verba sunt, quæ paullo ante produximus: duas heic occurrere *voces ambiguas, quæ perperam intellectæ errorem pepererunt*, נציב & מלח. Si vox נציב heic pro *statua* sive *columna* accepta, erroris caussa fuit: error in eo sit oportet, quod vox illa *statuam* aut *columnam* proprie non connotet in hoc loco, & multo minus alibi.

21 Idem ad expendendam vim alterius vocis מלח dehinc progreditur, *quæ præter ordinariam*, inquit, *salis proprie dicti significationem, duo alia in Scriptura sonat: Interdum solum salsum & sterile, quale est circa lacum Asphaltitem, ut docet Moses; Deut. XXIX. 23.* Sulphur, sal מלח, & combustio, universa ejus terra: neque seretur, neque emittet, neque ulla in ea crescet herba, quemadmodum in subversione Sodomæ. *Alibi dicitur hujusmodi solum* מלחה, mlehhach, *ut Psal. CVII. 34. & a LXX. Int. vertitur* ἁλμυρὰ *aut* ἅλμη. *Quo sensu si hic intelligatur* (ut ipse quidem Clericus intelligit) *deerit propositio* ב, *ut* ותהי נציב מלח, *sit pro* ותהי נציב במלח, Et fuit statua in loco salso, *hoc est aliis verbis Hebraicis* (nota bene) ותתיצב במלחה, vatthithjattseb bimmlehhach: Et stetit *aut* mansit in salsa terra, *seu in subverso solo interiit*. Huc demum evadit Clerici interpretatio, ut nihil aliud mali huic mulieri acciderit, quam quod in subverso Sodomitarum solo interierit. Eo collineant omnes ejus machinæ, ut propriam & germanam verborum, quæ ipse *ambigua* dicit, significationem in impropriam & figuratam contorqueat; ut quædam in Sacro textu mutet, quædam suppleat. Sed frustra omnia agit, & suam potius imperitiam, seu mavis fraudem prodit. Nam quod ex Deut. XXIX. 23. elicere vult, מלח pro *solo salso & sterili* aliquando accipi, non est verum: Moyses enim simul jungit *sulphur* cum *sale* & *combustione*, ut significet ab his rebus reddi terram infrugiferam & sterilem. quod vero מלחה *terram salsuginis & sterilem* significet, non ideo tamen sequitur, ut מלח idipsum denotare debeat. Sed pergit Clericus scribens: *Interdum etiam* מלח *diuturnum tempus significat, ut* עלם. *Sic Num. XVIII. 19.* Fœdus salis מלח perpetuum hoc erit tibi. *Similis etiam loquutio 2. Paral. XIII. 5.* Sed quæro, si vox מלח *diuturnum tempus* significat, ut עלם; quare utraque vox conjungitur laudato in loco libri Num.: ברית מלח עלם הוא לפני יהוה, *Fœdus salis æternum hoc erit tibi coram Domino?* cur etiam in libro Paral. dicitur, dedisse Deum regnum Davidi, לעלם, *in æternum*, ipsi & filiis ejus, *fœdere salis*, ברית מלח? Si quidem vox מלח diuturnum tempus connotaret, ut עלם, vitiosa esset & superflua repetitio illa: aliud itaque valet his locis מלח, aliud עלם. Ipse Clericus in locum Num. ita commentatus est: *Constat quidem significari fœdus æternum; sed quare hujusmodi fœdus dicatur* fœdus salis, *non ita liquet. Forte in fœdere contrahendo sal adponebatur, quo diuturnitas aut æquitas fœderis significabatur.* Non tam itaque vox מלח diuturnum tempus significat, quam ipsa salis natura ejusque usus, ut in contrahendis fœderibus, diuturnitatis symbolum esse potuit. Sed hæc quid ad Mosis verba de uxore Loti,

Et fuit statua salis? Certe sal heic exprimitur non ut symbolum tantum rei perseveraturæ, sed ut perseverantiæ ipsius caussa, ac veluti materia statuæ. Attamen Clericus in laudata Differt. ira ex præmissis perperam ratiocinatur: *Sal autem æternitatis symbolum esse videtur, quia quæ saliuntur, incorrupta in multos annos servantur: unde fortasse factum est, ut longissimo tempori describendo ea vox adhiberetur. Quæ significatio si hic admittatur, uxor Loti in perpetuum mansisse in Sodomitico agro, seu illic diriguisse, neque umquam reversa intelligetur.* Atqui si id sibi voluisset Moyses, non obscuris adeo verbis, & longe petitis ænigmatibus fuisset usus; sed palam aperteque dixisset, periisse ibidem mulierem. Quamquam, ut supra a me dictum est, non opus ei fuerat, ut id declararet, quod ex Historiæ contextu manifeste colligi poterat. Longe aliud itaque, quam quod Clericus persuadere sibi aliisque contendit, declarare voluit Sacer Scriptor, quum narrato mulieris a suo viro discessu, subdidit statim; *Et fuit statua salis*; metamorphosin nempe inusitatam & portentosam, qua cadaver mulieris repente, quasi sale conditum, obriguerit, & in ea forma conspicuum in longum tempus perdurarit. Ita quidem Moysis verba in obvio & litterali sensu accepta sonant: ita ea intellexerunt antiqui omnes Hebræi Christianique Scriptores: quare nodum, ut ajunt, in scirpo quærit, & in meridiana luce cæcutit, quisquis ea in alium, improprium illum & ænigmaticum, sensum detorquet.

22. Verum is Clerici scopus fuit, ea præcipua cura, ne metamorphosis admittatur: quare postquam in omnes se se partes convertit, ut vocibus illis נציב & מלח varias & inter se multum diversas significationes subesse persuaderet, quarum tamen plerasque explosimus; ita demum concludit: *Igitur nihil est in verbis Mosis, quod nos eo necessario adducat, ut statuendum sit insitatam evenisse metamorphosin, ut sensum hoc in loco aliquem inveniamus; quo tamen devenieudam non videtur, nisi is solus, verborum ejus potestatem diligenter inquirentibus, se se offerat sensus.* O præclaram & Clerico dignam sententiam! Nempe, quotiescumque in Scripturis occurrit aliquid quod prodigii a Deo patrati non obscuram speciem præseferat, & pro vero miraculo juxta communem interpretum sensum reputetur; omnes nobis intendendæ erunt ingenii vires, verborum propriæ significationes rejiciendæ, eorumque loco impropriæ & symbolicæ, ne dicam commentitiæ, substituendæ, textus denique ipse perturbandus erit & refingendus, ne illud pro miraculo deinceps habeatur. Equidem si hac via grassandum est, actum erit de omnibus fere miraculis; neque enim ullum facile reperietur, quod eo pacto ad naturæ leges, & in ordinem rerum vulgarium revocari non possit. *Nihil est*, inquit, *quod nos eo necessario adducat, ut statuendum sit insitatam evenisse metamorphosin*. At præter obvium verborum sensum, a quo non nisi gravissimis de caussis recedere nobis licet, & præter consensum omnium interpretum & Patrum, a quo temere recedere in hujusmodi gravissimis quæstionibus nullo pacto licet; est præterea apertissimum testimonium Auctoris libri Sapientiæ, de quo postea agemus.

23. Sed juvat statim producere quæ ille subinde Differtationi suæ inspergit maledicta & mendacia ad elevandam antiquissimorum Patrum in hac & hujusmodi quæstionibus auctoritatem. *Judæi* (ita fere initio scribit) *gens amore miraculorum ita percita, ut non contenta veris, innumera alia & mirabiliora finxerit, de quibus silent Scriptores Sacri, Christianis hæc*

in

Digitized by Google

in re praiverunt. Hi ergo cæcos duces nimis incaute sequuti, existimarunt post Judæos Loti uxorem in statuum salinam mutatam; cum tamen ex verbis Mosis tam mira metamorphosis certo colligi posse non videatur. Sed fusius de his agit numero IV. *Verum*, inquit, *opponitur nobis veterum Judæorum & Christianorum auctoritas, quorum aliquot loca, præter ea quæ attulimus, ne data opera subticuisse videamur, proferemus.* Et infra. *At testimoniis hisce aliud nihil ostenditur, nisi Judæos, & Christianos veteres metamorphosin uxoris Loti credidisse, quod non negamus; eam a nobis admitti oportere propterea non sequitur, quia non aliunde illam opinionem Veteres hauserant, quam ex perperam intellectis Mosis verbis, non vero ex ejus statuæ conspectu, ut postea ostendemus. Cum in interpretatione verborum Mosis potuerint falli, sicut in multis aliis; in eorum, hoc in negotio, auctoritate acquiescere necesse non habemus. Certe quicumque possunt hanc in rem proferri, ii illis temporibus vixere, quibus nulla certa monumenta exstabant, unde melius possent rei veritatem, quam nos hodie, cognoscere, præter Mosis Historiam. Neque in LXX. Intt. aliisque qui eos sequuti sunt, ea fuit linguæ Hebrææ cognitio, ut supra erroris aleam in enarrando Mose positi essent, quod multis Commentarii nostri locis ostendimus. Recentiorum multo minor est auctoritas. cum manifestum sit majoribus præsidiis, ad enarrandam Scripturam, quam nos, instructos non fuisse. Denique numeri contradicentium nulla ratio hic haberi debet, quia post LXX. Intt. videntur omnes, re nequaquam expensa, quod in iis legerant repetiisse.* Quod unus dixit, *ut ille ait*, credunt omnes, dijudicat nemo. *Igitur sola ejus, qui princeps sententiæ fuit, si rem serio expendamus, numerari debet auctoritas; quæ si gravissima non est, quod nos ostendisse speramus, nihil est cur rem pro comperta habeamus.* Hæc ille, ut utriusque tum Judaicæ, tum Christianæ Ecclesiæ consensionem infirmet, & in re gravissima, cujusmodi est recta Scripturæ interpretatio in iis quæ si non recta ad dogma fidei, at saltem oblique referuntur, eludat judicium: quo demum sibi viam sternat ad novam suam interpretationem obtrudendam.

24. Sed quam temere ab eo hæc dicta sunt, ita facile refelli possunt. Judæorum gentem primum traducit, utpote *amore miraculorum ita percitam, ut non contenta veris, innumera alia & mirabiliora finxerit*: quasi vero heic agatur de Judæis sequioris ætatis, qui in Deum Christumque ejus rebelles, & spiritu erroris abrepti, absurda multa finxerunt, aut ab aliis ficta crediderunt: ita ut ex horum indole judicandum sit de antiquis illis, qui florente adhuc Synagoga vixerunt. Quorsum hæc evasura sint, nemo non videt. Si ejusmodi fuerunt illi, quibus acceptum referimus V. T. codicem; quæcumque ibidem referuntur miracula, in suspicionem falsitaris cadent. Arqui hic idem codex sæpius eos a Deo reprehensos exhibet, quod fidem miraculis ægre adhiberent. Pergit ille Christianos traducens, quod *cæcos illos duces nimis incaute sequuti sint*. At neque illi cæci in eo duces fuerunt, neque eos hi incaute sunt sequuti: sed utrisque, & potissimum Christianis, præsto fuit supremi Numinis gratia, quæ eis verum & legitimum Scripturarum sensum aperuit, neque in hujusmodi rebus errare sivit umquam, neque porro sinet. Quare cum Clericus negare non audeat, neque ullo pacto possit, tum *Judæos* tum *Christianos veteres*, seu unanimem utriusque Ecclesiæ consensum, *metamorphosin uxoris Loti credidisse*, omnino sequitur, quidquid ipse secus statuat, *eam a nobis quoque admitti oportere*. Sequitur etiam falsa esse & absurda quæ idem subnectit, nempe metamorphosin illam pendere *ex ma-*

lo

le intellectis Mosis verbis, non vero ex ejus statuæ conspectu. quasi vero, aut male eos intellexisse Mosis verba dicendum sit, qui in obvio & litterali sensu ea acceperunt, bene autem Clericum, qui ad contortam & violentam interpretationem confugit; aut ejus statuæ perennis duratio & conspectus fuerit ad miraculi olim patrati, & a Mose in litteras relati fidem adstruendam necessarius. Equidem statuam illam non per multa sæcula conspicuam fuisse ultro concedimus: sed adeo insederat Hebræorum primum, tum Christianorum animis ejus miraculi certa persuasio ex Mose & traditione Patrum accepta, ut nemo id in dubium revocare sit ausus; complures etiam se ipsam statuam vidisse crediderint, qui aliam postea in ejus forte locum ad rei memoriam suffectam conspexerunt, ut ex Josepho & aliis colligitur. Quod postremo subdit de LXX. Intt., quos ejus prodigii auctores facere videtur, in alias gravissimasque quæstiones & indagines nos traduceret. Illud dixisse sufficiat, summam ejus interpretationis apud Christianos auctoritatem esse debere, tum ratione temporis quo facta fuit, tum propter favorem & plausum, quo statim ab universis Hebræis fuit excepta, tum denique quia Sacri N. T. Scriptores ea fere perpetuo sunt usi: ex quibus omnibus colligitur, eam in præcipuis saltem capitibus ad Hebraici textus normam, & juxta legitimas Hebræorum traditiones fuisse exactam. Denique, quod attinet ad propositam quæstionem, consentiunt τοῖς LXX. Chaldaicæ Paraphrases tres, Onkelosi scilicet, cui antiquitatis prærogativa tribuitur, tum quæ Hierosolymitana dicitur, tertia, quæ Jonathæ Ben-uziel, sed perperam, adscribitur. nec ab iis discrepasse, qui postea novas græcas versiones, non sine aliqua æmulatione τῶν LXX., concinnarunt, Aquilam, Symmachum, Thedotionem, & innominatos alios, hinc colligi potest: quod cum ex his, ab Origene in suis Hexaplis diligenter inter se comparatis, non paucæ neque levis momenti in multis Scripturæ locis discrepantiæ a Patribus adnotatæ habeantur, in hoc tamen nulla, ut par erat, adnotata perhibetur. Videat itaque Clericus, quam temere & immerito illud nescio cujus dictum hac occasione inculcarit: *Quod unus dixit, credunt omnes, dijudicat nemo*.

25. Quod itaque contra Hebræorum & Christianorum Patrum consensum in hoc miraculo agnoscendo prætendat ille, nihil habet, quantum ex dictis colligitur, præter falsas & captiosas quasdam ratiocinationes. Porro ejusdem *κόμματος* sunt etiam illa momenta, quibus ipsam metamorphosin recta impugnare, & in fabularum censum amandare conatur: de quibus nonnulla nobis nunc dicenda sunt, ne aliquod adversario versuto & doloso effugium relinquamus. Statuit autem, num. II. fere extremo, *naturæ viribus superiora portenta rara esse, præ iis quæ cum natura consentiunt*, ut inde concludat, *raro etiam, nisi res ipsa clamet, in Scriptorum Sacrorum interpretatione admitti miracula oportere*. Nempe, si eum audimus, ex iis quæ nunc passim accidunt, pensanda erunt nobis, quæ olim Deus ad informandos ad religionem & justitiam rudes adhuc & agrestes animos patrasse traditur in Sacris libris. Atqui rara admodum sunt nostris temporibus miracula: ergo ea quæ tanto numero, & in singulis fere Geneseos, & totius Pentateuchi capitibus narrantur, quæ naturæ leges prætergredi omnino videntur, aut non vera miracula fuisse dicenda sunt; aut concedendum, usum esse tunc Deum multo alia, ac nostra ætate, οἰκονομίᾳ & providentia. Sed pergit num. III. *Cum Deus miraculum*

Digitized by Google

lum edis, ... gravis semper subest caussa, ob quam, legibus naturæ postbabitis, sola infinita potentia utitur. Si autem attentius Loti uxoris metamorphosin consideremus, nihil profecto tanto miraculo dignum hoc in negotio reperiemus. Satis fuit eam cunctationis suæ pœnas morte dedisse; neque aliud quidquam minatus est Angelus. Postremo neque illud omittit criminari, quod in salem conversa credatur: quamvis id satis commode explicari possit, ut supra a nobis est factum. *Præterea*, inquit, *quis satis concoquat metamorphosin illam in salem? ..... quare enim in salem, potius quam in lapidem mutata est Loti uxor?* & alia hujusmodi, quæ referre piger, pudetque singillarim refellere. Præclare quidem se habet, quod initio statuit, Deum non sine gravi caussa naturæ leges in edendis miraculis infringere: non ideo tamen inferendum ei fuit, ea omnia miracula in dubium revocari oportere, quorum non satis idonea caussa nobis se se offert. sed potius, ubi de miraculo satis constet, credendum certissime est, subesse etiam caussam, propter quam Deus illud patraverit, licet ea nobis minus perspecta sit. Omnino enim non ex nostro captu Dei potentia & voluntas metienda est, sed ex effectibus nobis compertis arguenda sunt & suspicienda arcana ejus consilia & decreta. Malim itaque exclamare cum Apostolo Paullo, ad Rom. XI. 33. & seq. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus & investigabiles viæ ejus! Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit?* malim, inquam, ita exclamare cum Paullo, quam cum audacissimo Clerico consiliarium Dei agere velle, & sapientiæ ejus scrutatorem. At *satis fuit* Loti uxorem *cunctationis suæ pœnas morte dedisse*. Concedo id quidem, si unice spectetur mulieris pœna. Sed prodigium non tantum, nec primario, in ejusdem supplicium patratum apparet, sed potissimum in aliorum utilitatem & exemplum: puta, ut ex eo discerent, quæ sit præstanda fides monitis & consiliis divinis: & ut quilibet arguere posset, divino miraculo factum (quod tamen ipsum ita extenuat Clericus in Differt. *de Sodomæ subversione*, ut pæne ad nihilum redigat) ut urbes illæ infames igne cælitus immisso repente & funditus delerentur: postremum, ut ipsum Sodomitarum peccatum hoc speciali portento magis posteris detestandum abominandumque redderetur. Equidem sicuti Judas Apostolus scribit, *Sodomam & Gomorrham, & finitimas civitates, exfornicatas & abeuntes post carnem alteram*, factas esse exemplum (gr. πρόκεινται δεῖγμα, sc. *propositæ sunt spectaculum*), *ignis æterni pœnam sustinentes*; quod ipsum Petrus, II. epist. II. 6., aliis verbis reperit; ita Auctor libri Sapientiæ Salomonis cap. X. 7., quum dixisset, *in testimonium nequitiæ* Sodomitarum *fumigabundam constare desertam terram, & incerto tempore fructus ferentes arbores*, addit postremo, *Et incredibilis animæ memoria stans figmentum salis*. In quam sententiam Clemens Alex. Strom. II. scripsit, Loti uxorem in lapidem salis conversam, factam esse *non insipidam & inutilem imaginem, sed ad condiendum & acuendum eum qui possit spiritualiter discernere*. Ita August. de C. D. lib. XVI. cap. 30. *Denique uxor Lot, ubi respexit, remansit, & in salem conversa hominibus fidelibus quoddam præstitit condimentum, quo sapiant aliquid, unde illud caveatur exemplum*. Ita S. Prosper, aliique Patres.

26. Sed locus ex libro Sapientiæ paullo ante laudatus, est modo nobis diligentius expendendus: ex eo enim argumentum eruitur, quod certum & decretorium esse debet iis saltem, qui juxta Catholicæ Roma-

næ

næ Ecclesiæ decreta librum illum inter Canonicos referendum esse minime ambigunt. Quamquam plerique etiam ex Heterodoxis, licet secus persuasum habeant, atque adeo inter Apocryphos referant, magno tamen eum in pretio habent, & summa veneratione dignum reputant: unum forte si excipias Jo. Clericum, quippe qui, Art. Crit. part. III. Sect. II. cap. III. num. 16., & cap. VI. num. 14., ejusdem auctoritatem nonnullis conjecturis & animadversionibus elevare magnopere contendit, cui tamen opponere sufficiat, quæ de eodem libro sentit Jo. Albertus Fabricius, Bibl. Græcæ lib. III. cap. 29., seu Vol. II. pag. 735. & seqq., Scriptoresque Acatholici quamplures ab eodem laudati. Cæterum qua Clericus existimatione eum librum haberet, satis ostendit in hac ipsa quæstione: cum enim ejus testimonium sibi contrarium videret, produxit quidem illud, sed ita ut nullo discrimine cum Philonis aliorumque tum Hebræorum, tum Christianorum antiquorum testimoniis conjunxerit, omnia scilicet simul explodens, & nauci faciens. Verum nobis non tam quid ille senserit, sed quid de eo testimonio nobis sentiendum sit, probe est inspiciendum: quare locum integrum in medium proferamus, qui quidem ita se habet ex antiquissima Latina interpretatione, quam cum Græco textu diligenter conferemus. Cap. X. vers. 6. *Hæc* (Sapientia) *justum* (Lot) *a pereuntibus impiis liberavit fugientem, descendente igne in Pentapolim*: seu, ut est in gr., *Hæc justum, pereuntibus impiis*, (ἐξαπολλυμένων ἀσεβῶν, non ἐξ ἀπολλυμένων ἀσ., ut antiquus Interpres legit) *liberavit, fugientem ignem descendentem* (seu *e cælo pluentem*: in gr. est πῦρ καταβάσιον) *Pentapoleos*. Sequitur Vulgata vers. 7. *Quibus* (puta, *impiis pereuntibus*) *in testimonium nequitiæ fumigabunda constat deserta terra, & incerto tempore fructus habentes arbores*. Codices aliquot græci, nempe Alex., Ald., Compl., præferunt: ἧς ἔτι μαρτύριον τῆς πονηρίας, *Cujus* (puta, *Pentapoleos*) *adhuc testimonium malitiæ manet*, &c. Quod in latino textu legitur *deserta*, in græco non habetur. Sequitur autem καὶ ἀτελέσιν ὥραις καρποφοροῦντα φυτά, quæ verba alii ita reddunt: *Et plantæ ferentes fructus non completis tempestatibus*: alii, qui ὥραν heic non tam anni tempus, quam ipsam fructuum maturitatem & pulcritudinem significare volunt, *Et imperfecta*, vel *inconsummata pulcritudine & maturitate fructificantes arbores*. Eodem tamen fere redit utraque interpretatio: nam etiam primi intelligunt fructus acerbos & immaturos. confer, quæ de regionis illius fructibus memoriæ mandarunt Scriptores antiqui sacri & profani. Porro sequitur in Vulgata: *Et incredibilis* (ἀπιστούσης, seu *incredulæ*) *animæ memoria* (seu *monumentum*, μνημεῖον) *stans figmentum salis* (gr. στήλη ἁλός, *columna salis*.) Obiter tamen moneo, ex græco textu argui hanc sententiam reddendam esse absolute: *Incredulæ animæ monumento stante columna salis*: nam neque initio copulativa καί, & ibi habetur, ut in Vulgata: tum ex Alex. cod. affertur hæc lectionis discrepantia, nempe ἑστηκυίας pro ἑστηκυῖα, quare & στήλης legendum videtur pro στήλη, adeo ut integra sententia sit: ἀπιστούσης ψυχῆς μνημεῖον ἑστηκυίας στήλης ἁλός. Concluditur tandem vers. 8. *Sapientiam enim prætereuntes* (*impii* nempe illi de quibus supra) *non tantum in hoc lapsi sunt* (legendum *læsi sunt*, nam in gr. est ἐβλάβησαν) *ut ignorarent bona, sed & insipientiæ suæ reliquerunt hominibus memoriam* (gr. μνημόσυνον), *ut in quibus peccaverunt* (gr. ἐσφάλησαν, *erraverunt, lapsi sunt*) *nec latere potuissent* (gr. δυνηθῶσιν, *possint*, vel *potuerint*.) Apparet itaque ex toto hoc contextu non modo

uxorem

Digitized by Google

uxorem Lot propter incredulitatem suam periisse, sed præterea in columnam, seu statuam, aut figmentum salis conversam fuisse, adeo ut salina illa massa ejusdem μνημεῖον, seu *monumentum* aut *sepulcrum* dicatur: quo respexit etiam antiquissimus, sed incertus Auctor carminis *de Sodoma*, quod inter Tertulliani, atque etiam Cypriani Opera exstat. Its enim ille:

In fragilem mutata salem stetit, ipsa sepulcrum,
Ipsaque imago sibi, formam sine corpore servans.

Præterea conjungitur muliebris illa effigies cum terra Pentapoleos fumante, eumque fructibus ad maturitatem non pervenientibus, quæ sane indicia Divinæ iræ multis postea ætatibus, & fortasse ad hanc usque diem, manifesta & conspicua fuerunt. Postremo concludit ea omnia accidisse, quo neminem latere posset impiorum peccatum, sumtumque de ipsis a Deo supplicium: quo etiam referuntur verba ex epistola Judæ, vers. 7. & Petri, II. Epist. cap. II. vers. 6. & 7. Equidem non obscure apparet S. Petrum respexisse ad librum Sapientiæ, quum ea scriberet: quo magis ejus libri auctoritas & θεοπνευστία comprobari possit. Scribit enim: *Et civitates Sodomorum & Gomorrhæorum, in cinerem redigens, eversione damnavit; exemplum eorum qui impie acturi sunt ponens. Et justum Lot oppressum a nefandorum injuria ac luxuriosæ conversatione eripuit.* Notanda sunt autem potissimum verba illa, δίκαιον ἐῤῥύσατο, quæ utrobique in græco textu occurrunt. Apparet itaque aut libri Sapientiæ auctoritatem esse penitus elevandam, ut a Clerico factum fuit, aut metamorphosin quam idem impugnavit, esse omnino admittendam.

27. Unum hoc modo reliquum esse video, ut declarem neque Clericum ejus absurdæ sententiæ auctorem fuisse, qualem ipse tamen se venditat, neque porro me primum esse, qui eam vel in Clerico vel in aliis Scriptoribus acri censura & refutatione dignam judicaverim. Equidem ipse Clericus Danielem Heinsium vocat in partem laudis, quam sibi ex præclaro hoc invento pollicebatur; ita scribens: *Simile quid in mentem venisse Dan. Heinsio intelligere est ex hisce ejus verbis, Exercit. Sacr. in Lucam cap. XVII. 32. p. 184, in quæ postea incidi:* Mirum defuisse qui, cum uxor Loti facta ἁλὸς στήλη dicitur, ad notum Hebraismum confugerent, ut στήλη ἁλὸς sit ὡς στήλη ἁλός..... ut nihil aliud quam diriguisse significetur; quibus argutiis ipsa ἑτεροίωσις, seu μεταμόρφωσις tolletur. *Sed rem in medio relinquit.* Hactenus Clericus. Sed interpretatio illa multo ante excogitata & disseminata fuerat, ut constat ex his verbis Ricardi Simonii, præfat. in Vers. N. T. a se editam anno 1702. *Juxta hanc regulam, quæ bene multis Scripturæ textibus confirmari posset, Aron quidam doctus Hebræus ex Caraitarum secta, verba illa:* versa est in statuam salis, *non, ut fieri passim solet, ita reddidit:* Loti uxor transformata est in statuam salinam; *sed hoc pacto:* Facta fuit ut statua salis, *hoc est, immobilis.* Sed ipsum auctoris textum gallicum juvat adtexere: *C'est, selon cette regle, qui peut être confirmée par un grand nombre de passages de la Bible, qu' Aron, savant Juif de la Secte des Caraïtes, n'a pas exprimé ces mots:* versa est in statuam salis, *par ceux-ci, comme on fait ordinairement*, La femme de Lot fut changée en statue de sel; *mais de cette maniere*, Elle devint comme une statue de sel; *c'est-à-dire, immobile.* Hæc Simonius, ex quibus apparet primum

interpretationem quam nobis Clericus obtrusit, ex Hebræi Caraitæ cerebro primum, & ante aliquot sæcula, prodiisse. Apparet secundo, eamdem ipsi Simonio probatam fuisse, quod non tantum in hac Præfatione ab eo factum arbitror, sed etiam in *Historia Critica V. T.*, quæ ante aliquot annos prodierat. Non nihil sane in hoc argumento ab eo scriptum fuisse Vol. 2. pag. 343., alicubi legi, sed frustra quæsivi ipsum locum in editione Amstelodamensi: quare nihil affirmare ausim. Utcumque tamen sit, non effugit ipse Simonius notam audacis intemperantisque critici, & imperiti Theologi, quod Caraitæ Judæi opinionem in supra allato loco sit secutus, eamque non ab aliquo vulgari scriptore, sed a doctissimo & celeberrimo Galliæ Episcopo Bossuetio ipsi impactam in Gallico libello inscripto: *Premier Instruction*, &c., qui habetur Tom. VI. Opp. ed. Venetæ. Productis nimirum ab eo primum ipsis Simonii verbis pag. 530., hæc Nota adtexitur. Ipsum Gallicum textum dabimus, neque enim ita facile est in latinum κατὰ λέξιν transferre sermonem. REMARQUE. Il est de mauvais exemple d'autoriser les régles de la Version par le temoignage d'un Caraïte, c'est-à-dire, d'un Hérétiqne de la Loi des Juifs, & de fournir aux libertins des moïens pour éluder dans les Textes les plus clairs, les miracles les plus avérés. Le Traducteur ne remédie pas à un si grand mal par un carton, qu'il a fait pour cet endroit de sa Préface. Que servent ces cartons quand le Public n'en est pas averti, & qu'il les ignore? On fait plus dans le débit de ce Livre: on vend à la fois & l'erreur, & le pretendu correctif: l'erreur n'a rien voulu perdre: on satisfait la mauvaise curiosité, & le venin s'insinue. On fait d'ailleurs, qu'il y a des fautes, ou un sage Théologien ne tombe jamais: celle-ci est de ce nombre, puisqu'on y tourne en régle la temerité & la mensonge, & qu'on ne peut même se résoudre à les supprimer. Quæ Clariss. Bossuetius in Ricardum Simonem, nos potiori jure in Joannem Clericum possemus regerere; quoniam hic non obiter, ut ille, sed ex instituto Dissertationem integram ad eamdem perniciosam opinionem stabiliendam composuit.

28. Quamquam non defuere ex ipsis Heterodoxis, qui in Clericum speciatim insurrexerunt ea ipsa de caussa. Hæc nimirum habet Christophorus Matthæus Pfaffius, vir in litteraria republica celebris, in Præfat. ad eos Clerici Commentarios Tubingæ an. 1733. recusos: *Quæ de Sodomæ finitimarumque urbium subversione & de statua salis commentatus est vir doctus, passim refutarunt orthodoxi* (memineris eum qui ita scribit, Tubingensem Theologum se profiteri) *quos laudavimus in diss. de recta Theologiæ parabolicæ & allegoricæ conformatione, pag.* 37. Dissertationem Pfaffii mihi legere non contigit: incidit autem aliquando in manus meas Hermanni Witsii *Exercitationum Academicarum Duodecas*, Ultrajecti an. 1714. impressa, cujus operis Exercitatio III. est *de Uxore Loti:* quare minime dubito Witsium ex iis esse quos paullo ante a Pfaffio indicatos vidimus. Tradit enim Witsius ea Exercit. num. X., uxorem Loti factam esse *statuam salis per veram metamorphosin*, scilicet, *ut corpus muliebre divina virtute mutatum sit in statuam sive acervum salis, idest materiæ solidæ & stabilis, quale est sal minerale, quod marmoris instar exscinditur ex rupibus, & nullo imbre liquescit, & pro saxis ad ædificandas domos idoneum est.* Hæc ejus sententia est, quam nos tamen non in omnibus

mnibus sequimur; sicuti nec quæ num. XIII. ab eodem traduntur. *Hæc*, inquit, *certa arbitror. Pro incertis habeo* 1. Modum, *quo metamorphosis hæc facta sit: an, quod Judæi volunt, vi ignis & sulphuris cælestis, quo quasi fulmine tacta obriguerit, ac quasi in calcem versa sit, an alia quacumque ratione nobis incognita*. 2. Figuram, *quam retinuerit: an ea feminea fuerit; an vestita: an eâdem in specie quam viva gesserat: sic ut & mutata cognosci pro uxore Loti potuerit*. 3. Durationem *in eodem statu: quamdiu remanserit, & an Josephi adhuc ætate superstes fuerit. Quamvis eam sibi visam expresse narret, non tamen idcirco pro exploratissimo habendum est*. Verum cujus gratia tota illa disputatio a Witsio instituta fuerit, ex num. XVII. colligitur, cujus est argumentum: *Clerici paradoxa hujus historiæ explicatio*. Statuit nimirum ibidem: *Sed uti nimium credulitati suæ indulgentes viri optimi, hac quidem in parte, in excessu peccaverunt; ita, ut mitissime loquar, longe cis obsequiosæ fidei terminos consistit Joannes Clericus, nimium indulgens lascivientis ingenii ratiocinationibus: cujus extat* Dissertatio de statua salis, *quam suis in Genesin commentariis subnexuit*: cetera. Hoc scilicet est Witsii judicium tum de Clerici in universum opinandi licentia, tum singillatim de ejus sententiæ in hac quæstione audacia & temeritate: quod nostro quoque, qualecumque est, suffragio confirmare hactenus conati sumus.

Pag. 14. lin. 7. *apud Puteum juramenti*) Scilicet, *apud Beersheba*, seu *Bersabee*: quod nomen a LXX. Interpretibus in libro Genesis græce redditum fuit φρέαρ ὁρκισμοῦ, sive ὅρκου, *puteus juramenti*. Ratio hujus nominis, sub Abrahamo primum puteo & vicinæ regioni, sub Isaaco vero urbi etiam proximæ impositi, colligitur ex Gen. XXI. 30. & seq., nec non XXVI. 33. & seq., nempe ex juramento & fœdere ibidem inito ab iisdem cum Abimelecho rege. Accedit quod eodem cap. XXVI. vers. 18. dicitur Isaac *rursus fodisse puteos*, quos primum foderant servi patris sui, quosque eo mortuo obstruxerant Philistiim; *appellavisseque eos eisdem nominibus, quibus ante pater vocaverat*. Nihilominus S. Hieronymus ex loco Gen. XXVI. 33. novam etymologiam eruit, quam etiam Vulgata nostra eo loco exhibet: nempe, ut *puteus abundantiæ*, sive *saturitatis*, dictus fuerit. Placet hoc etymon expendere, non adeo ut minus consentaneum Hebr. textui ostendam, quam ut appareat, quam multæ in eodem textu discrepantiæ olim essent, quæ sæpius variis & inter se oppositis interpretationibus occasionem præbuere. Et quoniam hoc agimus, notanda obiter est discrepantia quæ inter Hebræum Græcumque textum occurrit in supra laudato vers. 18. ejusdem capitis. Habet ibi Hebr. *Puteos aquæ, quos foderant in diebus Abrahæ patris sui*, &c. Septuaginta autem multo melius, *quos foderant servi Abraham patris sui*: ex quo apparet hos legisse ibi, עבדי אברהם, ubi nunc legitur בימי אברהם. Lectionem τῶν LXX. servat adhuc codex Samar., eamdemque sequutus est Hieronymus in Vulgata. Error natus videtur ex vers. 15., ubi utrumque verbum occurrit, עבדי & בימי. Sed ut ad vers. 33. redeamus, S. Hieronymus, ut dicebam, reddidit: *Et appellavit eum abundantiam*, seu, ut in Quæst. Hebr., *Et vocavit nomen ejus saturitas*. cur autem ita verterit, his verbis exponit. *Licet enim*, inquit, *supra* (nempe Gen. XXI.) *ex verbo juramenti, sive ex septenario ovium numero, quod* Sabee *dicitur, asseruerimus* Bersabee *appellatum; tamen nunc ex eo quod aqua in-*

venta est, *Isaac ad nomen civitatis*, *quæ ita vocabatur*, *alludens*, *declinavit paullulum litteram*, *& pro stridulo Hebræorum* sin, *a quo* Sabee *incipitur*, *græcum* sigma, *idest hebræum* samech, *posuit*. Ex litterarum itaque differentia repetit discrepantiæ caussam, ut שבעה *septem*, seu *juramentum*, סבעה autem *saturitatem*, sive *abundantiam* designet. At primum in hodiernis Lexicis hæc distinctio non adhibetur, sed ibi semper שבעה scribitur, sive cum *saturitatem*, sive cum *juramentum* seu *septem* valet: hoc solum interesse volunt, ut ש punctum habeat appositum in sinistro cornu, cum *saturitas* designatur, in dextro autem, cum *juramentum*. Sed hæc duplicis *sin* distinctio ab antiquis agnita non fuit, proindeque a Rabbinis invecta est: qua de re legendus Jo. Drusius in Alphab. Hebr. Secundo in nostris Hebræis codicibus, tum cap. XXI. tum cap. XXVI. Gen., eodem pacto שבעה per ש· scriptum habetur, adeoque utrobique *juramentum* interpretari oporteret, ut fecerunt οἱ LXX. At huic interpretationi opponit S. Hieronymus, loco supra citato: *Nescio quomodo in Septuaginta Interpretibus habeatur*: Et venerunt pueri Isaac, & nuntiaverunt ei de puteo quem foderunt; & dixerunt ei: Non invenimus aquam. Et vocavit nomen ejus juramentum. *Quæ enim etymologia est*, *propterea vocari juramentum*, *quod aquam non invenerunt? e contrario in Hebræo*, *cui interpretationi Aquila consentit & Symmachus* (num legendum? *cui interpretatio Aquilæ consentit & Symmachi*) *hoc significat*, *quia invenerint aquam*, *& propterea appellatus sit puteus ipse* saturitas, *& vocata civitas* Bersabee, *hoc est* Puteus saturitatis. At ratio ejus etymologiæ liquet ex ver. 18. & 30., ut initio diximus: neque quidquam interest, sive velimus invenisse aquam in eo puteo servos Isaac, sive non invenisse malimus. Quod autem contra τοὺς LXX. Aquilæ & Symmachi auctoritatem producit, ambiguum est. Plerique ita intelligunt, ut hi duo Græci interpretes non modo expresserint, *quia invenerint aquam*, sed etiam vocem שבעה, πλησμονὴν reddiderint, seu *saturitatem*. Sane hoc uno Hieronymi loco Montfauconius in Hexaplis Origenis vocem πλησμονὴν illis tribuit. num id liquido constet, alii judicent. Illud constat, Eusebium in libro de locis Hebraicis non agnovisse illam etymologiam, sed vocem *Bersabee* interpretatum esse constanter *puteum juramenti*, numquam *puteum saturitatis*. Habet enim in voce *Bersabee* (quam apud τοὺς LXX. primum occurrere indicat in libro Josue): ἑρμηνεύεται δὲ Βηρσαβεὲ ἀπὸ τῆς Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ πρὸς τὸν Ἀβιμελὲχ ὁρκωμοσίας: idest, Hier. interprete: *Interpretatur vero Bersabee*, *puteus juramenti*, *eo quod ibi Abraham & Isaac fœdus cum Abimelech sociavere jurantes*. Vide eumdem in voce φρέαρ ὁρκισμοῦ, & φρέαρ ὅρκου, seu apud Hier. in *Puteus juramenti*. Sed, his missis, superest expendenda alia Hieronymo jam indicata discordia inter Hebræos Græcosque codices, ex qua pendere facit propositam supra de voce שבעה controversiam. Legit ille, & ante eum Aquila & Symmachus, *invenimus aquam*, legerunt contra οἱ LXX., *non invenimus*. Non quærimus, utra lectio præferenda sit: præcipue quum plerique omnes cum Hieronymo illam potiorem habeant, quæ hodierno etiam textui Hebræo conformior esse videtur. Quærimus, quomodo legerint LXX. Intt. Horum versio est: *Factum est in die illa*, *& venientes pueri Isaac* ἀπήγγειλαν αὐτῷ περὶ τοῦ φρέατος οὗ ὤρυξαν καὶ εἶπαν· οὐχ εὕρομεν ὕδωρ, *nuntiaverunt ei de puteo quem foderunt*: *& dixerunt*, *Non invenimus aquam*. Notat autem Lambertus Bos in Compl. edit. legi: Καὶ εἶπαν αὐτῷ, εὕρομεν ὕδωρ:

quas

quæ interpretatio Aquilæ aut Symmacho omnino est adscribenda, quamvis ejus in Hexaplis non fiat mentio. Apparet itaque τοὺς LXX., quod Hebræus textus habet: ויאמרו לו מצאנו מים, reddentes: *Et dixerunt, non invenimus aquam:* vel pro לו legisse לא, sive לוא; vel לו interpretatos esse pro לא, seu negandi particula: nam etiam nunc non semel לא ponitur in Hebræo textu pro לו, & vice versa, ut ex Lexicis patet. Præterea, cum proxime præcedat ויגדו לו, *Et nuntiaverunt ei*, merito superfluum iis videri potuit, ut rursus לו post יאמרו legeretur in eadem significatione. Ratio etiam ab iisdem haberi potuit verborum quæ vers. 19. habentur, ubi cum de aquis in puteo alio repertis sermo sit, res ita enuntiatur: *Et foderunt servi Isaac in valle*, seu *torrente*, *& invenerunt puteum aquæ vivæ:* quo quidem versiculo apud LXX. occurrit vox *Gerara*, 'εν φάραγγι 'Ιεράρων, quæ in Hebræo desideratur. Porro hic locus me moneret, ut expenderem, quæ S. Hieronymus scribit in lib. Quæst. in Gen. contra interpretationem τῶν LXX., qui vocem נחל reddiderunt φάραγγα seu *vallem*, contendente contra Hier. ad vers. 17. *pro valle*, torrentem *habet in Hebræo* &c., & ad vers. 19. *Et hic pro valle*, torrens *scriptus est: numquam enim in valle invenitur puteus aquæ vivæ*. Sed de his alii.

Pag. 16. lin. 4. *præter regionem Edom*) Observavimus in Notis ad hunc locum, *tractum quem eo tempore occupabat Esau, admodum vicinum fuisse torrenti Jaboc in Galaaditide sito:* quod colligitur ex iis quæ narrantur Gen. XXXII., & seq., vers. potissimum 14. & 16. Equidem Gen. XXXII. v. 3. sedes Esau ita designatur: *Misit in terram Sehir*, *in regionem*, seu *campum*, *Edom*, ארצה שעיר שדה אדום. At *Edom* in Sacris Libris eadem est ac *Idumæa*, in eaque *Sehir* montes fuisse passim dicitur. Quare volunt plerique Idumæam vulgo notam heic designari, quæ in Arabia ad Australem plagam Chananææ sita erat. Verum illa regio longius a Jaboc sita, & maxime devia ab itinere Jacobi fuit. *Sehir* præterea hoc Geneseos loco non montis nomen fuisse dicitur, sed regionis, aut loci. Utrumque autem nomen *Edom* & *Sehir* ab Esau *rufo* & *piloso* videtur derivatum: illud enim vox אדום, hoc שעיר significat. quamvis alii malint montes *Sehir* ita dictos a quodam Sehir Horræorum, seu Chorræorum parente, de quo mentio Genes. XXXVI. 20. Quid itaque prohibet, quin prima Esau sedes in Galaaditide fuerit, antequam Idumæam alteram, & montes Sehir occupaverit, suisque itidem nominibus vocaverit? Illud sane non obscure ex Gen. XXXVI., & Deuter. II. 12. & 22. mihi videor eruere, aliquanto post hoc tempus ab Esau, aut ejus filiis occupatam fuisse Chorræorum regionem, quæ demum Idumæa dicta fuerit: quare de illa regione sermo heic esse non potest. Quæ si ita sunt, non immerito nonnulli ex antiquis & neotericis duplicem Idumæam agnoscunt; antiquiorem ad Orientem maris mortui, posteriorem ad austrum Chananææ. Placuit hæc sententia Calmeto, ut apparet ex iis quæ scripsit in Gen. XXXII. 3., ubi alludit ad ea quæ scripserat iam in cap. XXVIII. 9., quo loco etiam conjecturam ex Strabonis auctoritate ducit. Alii hujus sententiæ propugnatores, ab eodem Calmeto indicati, sunt *Brocardus*, *Adricomius*, *Torniellius*, *Bonfrerius*, *aliique nonnulli*. Argumenta Bonfrerii refert, & probat Polus in Synopsi Critic. ad Gen. cap. XXXII. Si cui tamen contraria & communior sententia potior videatur, non repugno: suis enim & ipsa, iisque

que magni momenti rationibus defenditur. Videndus inter ceteros Samuel Shuckford in Hist. Sacræ & Prof. tomo II.

Pag. 17. lin. 6. *quo comperto*, &c.) Jo. Clericus, in Tab. Chronol. libri Geneseos, hanc Sichimorum stragem post Josephi venditionem statuit, monetque in adnexa Appendice, sub num. 4., & in Comm. in Cap. XXXIV. Gen., eo nimirum tempore Simeonem & Levi *vigesimum ætatis annum superasse*, nec verisimile videri ante eam ætatem facinus tam grande eos ausos fuisse aggredi. Addit præterea, dicto num. 4., Dinam *quadriennio Josepho juniorem* fuisse, atque adeo *biennio post hujus venditionem, quindecimum ætatis annum adtigisse, quo tempore, aut etiam aliquanto post, eam rapere potuit Sichemus*. Probet hæc qui velit: ego Sacro textui inbærendum omnino censeo, cui repugnat Clerici sententia, licet ipse affirmet, Sichimorum cædem ante Josephi venditionem *factam fuisse nullo indicio significare Mosen*. Certe Dinæ raptus contigit, quo tempore Jacob adhuc tentoria habebat prope Sichem, Joseph autem venditus a fratribus fuic longe post, quum jam in vallem Hebron migrasset: migrandi autem ex Sichimis caussam ei præbuit Simeonis & Levi in Sichimitas facinus: quare cum pater Josephum ad fratres misit, *e valle Hebron*, ubi tum habitabat, *in Sichem* eum misisse dicitur, Gen. XXXVIII. 14. Quod vero opponit ille primum, Comm. in Gen. XXXIV. *Sed adultis jam filiis contigisse* (Sichimorum stragem) *necesse est: adolescentuli enim facinus, quale heic narratur, numquam ausi fuissent aggredi*: respondeo, Simeonia & Levi adolescentiam non obstare, quo minus potuerint, servorum fortasse turba stipati, Sichimitas nihil tale suspicantes adoriri, ac opprimere inermes, & recentium ex circumcisione cicatricum dolore languentes: quin potius facinoris audacia adolescentulos consilii inopes maxime decuit. Sed quæro, cujusnam ætatis eos tum fuisse putamus? Scribit Clericus, *Simeonem quinquennio, aut sexennio majorem natu Josepho fuisse, Levi autem anno uno Simeone juniorem*: atqui aliqnanto ante quam Joseph a fratribus venderetur, *filius septemdecim annorum* dicitur Gen. XXXVII. 2. in Hebr. Chald. & Græco textu, ubi Vulgata habet, *cum sedecim esset annorum* (quæ tamen discrepantia facile conciliari possit, si dicas sextum decimum annum jam exegisse, & iniisse decimum septimum): ergo eo tempore Simeon XXIII., Levi XXII. annum agebat: quid itaque prohibet, quin ponamus Sichimitas ab his occisos biennio ante, quum uterque vicesimum fere annum ageret. Quod opponit secundo Clericus, Dinam *quadriennio Josepho juniorem fuisse, adeoque biennio post hujus venditionem, quindecimum ætatis annum adtigisse*: quæro, undenam id resciverit, aut hauserit? Equidem si Genesia librum inspicimus, Dinæ nativitas ibi refertur ante Josephum natum: si communem Patrum & interpretum sententiam attendimus, Dina & Joseph eodem fere tempore, seu intra ejusdem anni spatium nati sunt. Qua in re juvat producere testimonium scriptoris Patribus & interpretibus Christianis multo antiquioris, ejus nempe Demetrii qui de rebus Hebræorum scripsit Historiam, testibus Josepho Flavio, Clemente Alex., & aliis, quique perperam a multis, sequutis auctoritatem Josephi, pro scriptore Ethnico, atque adeo pro celebri illo Demetrio habetur, cui Phalerco cognomen fuit, cum contra ex Clemente, & ex S. Hieronymo, de Vir. Ill. in *Clemente*, satis constet, idque ratio ipsa

per-

Digitized by Google

persuadeat, Hebræum gente & religione fuisse, ut primus fortasse vidit Jo. Jonsius. Hic itaque Demetrius, ab Alexandro Polyhistore laudatus apud Eusebium, Præpar. Euang. lib. IX. cap. 21., statuit (quamvis græcus textus non vacet a mendis) eodem omnino tempore editos a Rachele Josephum, ac Dinam a Lia, nempe mense octavo anni XIV., ex quo Jacob in Haram migrarat, addens paullo infra, eosdem annos sex, menses quatuor natos fuisse, quo tempore rediit ille in Chananæam. Nimia quidem ille scrupulositate & ἀκριβείας annum, mensemque ipsum, quo quisque ex Jacobi filiis editus fuit, computat, seu potius ex ingenio comminiscitur: ex hac tamen antiquissima & passim recepta sententia consequitur, ut Dinæ raptus accidere potuerit saltem post octo fere annos, quum nempe decimum quintum ætatis suæ annum ageret, quod rursus biennio saltem ante Joseph venditum factum fuerit. Modo laudatus Demetrius aliquanto quidem serius id rejicit, nempe cum Dina complesset ætatis annos sexdecim, & menses quatuor, quo etiam tempore Simeonem mensem quartum supra annum vicesimum primum, Levi mensem sextum supra vicesimum annum egisse notat. Sed fortasse Clericus Dinam quadriennio juniorem Josepho fecit, quo declinaret non levem illam difficultatem, quæ occurrit in hac ipsa sententia: nempe quînam potuerint septem tantum annorum spatio tot illi ex Lia filii nasci, eaque omnia fieri, quæ Gen. XXIX. & seq. narrantur. Verum multo facilius, &, ut ego puto, verius eum nodum solvisset aut secasset, si cum Junio, Tremellio, Lydiato, Usserio & Calmeto statuisset, Liam & Rachelem nuptui traditas Jacobo non post quam annos septem Labano operam suam in pascendis ovibus jam præstiterat, prout fert a plerisque recepta sententia, sed fere ab initio adventus ejus in Mesopotamiam: nam quamvis obvius Mosis verborum sensus primam illam interpretationem suadeat, non respuit tamen & alteram, quæ magis probabilis videtur ob illas gravissimas difficultates, quibus involvitur prior, & de quibus agemus etiam in sequenti Observatione. Porro ex hac sententia sequitur, ut Dina facile aliquot ante Josephum annis nasci potuerit: quem quidem Jacob *filium senectutis suæ* appellare consueverat, eoque impensius diligebat. Sequitur etiam, ut Simeon & Levi septennio ante nati fuerint, quam in alia sententia: sequitur demum, ut non multo post quam Jacob apud Sichimitas sedes fixerat, Dina ætate jam nubili fuerit, adeoque a Sichemo adamari potuerit. Verum de hac sententia quilibet ex suo captu & ingenio judicet, aut supra laudatos Scriptores adeat, Usserium potissimum, Chronol. Sacr. cap. X. Illud certissimum esse puto, Clerici Chronotaxin nulla ratione posse defendi; quod erat probandum.

Pag. 19. lin. 8. *Per idem tempus Judas*, &c.) Non advertit heic Severus ea quæ de Judæ cum Sua matrimonio narrantur, Gen. XXXVIII., multo ante Josephi venditionem accidisse, licet post illam referantur ἀνακεφαλαιωδῶς, seu per recapitulationem: quod probe Augustinus animadvertit, Quæst. 128. in Gen. Equidem cum a Josepho a fratribus vendito ad Jacobi migrationem in Ægyptum viginti tres, ut summum, anni intercesserint; quînam potuit fieri, ut hoc temporis intervallo Judas tres ex Sua filios susceperit, & ex Thamare, nupta antea primo & secundo ex his Judæ filiis, ac bis vidua, ipse demum incestuoso

ftuofo concubitu gemellos habuerit, quorum alter, fcilicet Phares, duorum ipfe filiorum jam pater effet, qui quidem Gen. XLVI. 12. memorantur cum Jacobo migraffe in Ægyptum? Ut itaque hæc omnia locum habere poffint, neceffario ftatuendum eft, Judam paullo poft reditum patris in Chananæam Suam duxiffe uxorem, aut eo deveniendum eft, ut dicamus duos filios Phares natos longe poftquam in Ægyptum migraverat Jacobi familia, quamvis obftet non tantum laudatus Genefeos locus, fed & alii tres, in quibus habetur eam familiam tunc conftaffe ex feptuaginta viris: ita Gen. XLVI. 27., Ex. I. 5. & Deut. X. 2., uti quidem fert textus Hebr. cum Vulgata, nec non Chaldæis interpr., & Jofepho; nam apud LXX. in laudatis ex Gen., Ex. & Deut. locis, nec non Actorum cap. VII. 14., quinque præterea adduntur ad eum numerum: quod ad aliam quæftionem fpectat. Placuit equidem hæc pofterior fententia Saliano & aliis, eamque defendere conati funt argumento ducto ex decem filiis Beniamini, Gen. XLVI. 21. recenfitis, quos quidem non putant potuiffe eidem nafci, antequam in Ægyptum migraffet. Sed tum hæc, tum fuperior, aliæque hujufmodi difficultates ex eo potiffimum pendent, quod Jacobi cum Lia & Rachele nuptiæ, juxta vulgatam fententiam, rejiciantur poft annum feptimum ab ejus in Mefopotamiam adventu, ex quo demum confequitur, ut ad plures annos poft ipfius reditum in Chananæam protrahi debeat Judæ cum Sua conjugium, nec non Sichimitarum ftrages, de qua actum eft in fuperiori Obfervatione, atque adeo Beniamini nativitas: quæ omnia facili negotio in alia fententia explicantur, quæ ftatuit Jacobum ab ipfo fere initio duxiffe uxores Labani filias. Inde enim confequitur, ut Sichimitæ deleri potuerint non ita multo poftea quam Jacob in Chananæam eft reverfus, ac proinde etiam Beniamin ex Rachele natus fit multo antequam putatur, idem poftremo in Ægyptum defcenderit triginta fere natus annos, quum jam decem filiorum pater effet. Ita & Judas Suam ducere potuit circa illud tempus quo Beniamin natus eft, aut aliquanto prius: quo pofito ea omnia commode diftribui poffunt fpatio annorum triginta, quæ a Severo hoc loco ex Gen. XXXVIII. commemorantur. Ne cui autem fcrupulum moveat, quod in laudato Genefeos capite dicatur Judæ cum Sua conjugium *eodem tempore* contigiffe: neque enim hæc referenda funt ad ea quæ proxime præcedunt, fcilicet ad Jofephi venditionem, fed ad illud omne tempus, quo Jacob poft reditum ex Mefopotamia manfit in Chananæa. Præterea probe animadverfum eft ab interpretibus, non raro in facris libris voces, *tunc*, *in illis diebus*, *in illo tempore*, adhiberi ad fignificandum tempus aliquanto antea elapfum, aut paullo poft futurum. Exempla obvia funt: ut Gen. XXXV. 28. & feq., ubi Ifaaci mors refertur multo ante quam accidit. vide quæ nos adnotavimus ad pag. 18. lin. 2., ubi a Severo ejus Patriarchæ obitus perperam relatus fuit.

Pag. 25. lin. 1. *columna nubis interdiu, noctu columna ignis)* Quod in Notis ad hunc locum obfervavimus, unam eamdemque columnam per diem nubilam, per noctem lucidam apparuiffe, ita declarat Calmetus, Comm. in Ex. XIII. v. 21. *Hebræi quidam putarunt* (Lyran. ex Hebræis) *duas fuiffe columnas, alteram lucis, ad noctis tenebras illuftrandas, alteram nubis, ut incedentes obumbraret per diem. Communis tamen fententia unam ftatuit,*

Digitized by Google

statuit, utrique usui vicissim servientem; illustrandæ scilicet nocti, & obumbrandis per diem Israelitis. Prodit id non obscure liber Numerorum (*cap. IX.* 16. *& seqq.*). *Una eademque nubes densa, solares radios probibens per diem, igne concepto satis lucis affundebat Israelitarum copiis, noctu iter non semel babentibus* (Philo Vit. Mos. l. 1.). *Motu suo pariter signum movendi metiendique castra dabat Israelitis; quo enim illa loco sistebat, & illi pariter locabant castra; cum illa elevaretur, movebant & isti. Columnam appellat Scriptura, quod in columnæ modum erigeretur, basim babens super Tabernaculum in medio castrorum. Ita pariter in libro Judicum*, XX. 40., *appellatur* columna fumi, *quæ ex urbe Gabaa igne succensa tollebatur*. Hæc ille. Ceterum eo etiam spectat locus ille Exodi, XIV. 20., qui eidem Calmeto dicitur *obscurissimus textus*, quique antiquis & recentibus plerisque interpretibus non satis fuit intellectus. Verba quæ difficultatem creant, hæc sunt: ויהי הענן והחשך ויאר את הלילה: sed in Samar. Cod. legitur החשך sine ו, quomodo legisse etiam videntur Aquila & Symmachus; contra οἱ LXX. & Onkelosus conjunctionem agnoscunt. Quid? quod Scholion quoddam in Edit. τῶν LXX. Romana, Samaritico ipsi codici, seu potius interpreti, eamdem conjunctionem tribuit, ut postea videbimus. Verum quo sensu tota illa sententia interpretanda est? LXX. reddiderunt: Καὶ ἐγένετο σκότος καὶ γνόφος· καὶ διῆλθεν ἡ νύξ: *& factæ sunt tenebræ & caligo, & præteriit* (non *venit*, ut apud Clericum, Calmetum & alios) *nox*: sed hi pro ויאר allud aliquod verbum forte legerunt. Melius Aquila: Καὶ ἐγένετο ἡ νεφέλη σκότος, καὶ ἐφώτισε τὴν νύκτα: *Et fuit*, vel *facta est nubes tenebræ, & illuminavit noctem*: eodemque fere pacto Scholion de quo supra: Τὸ Σαμαρειτικόν, καὶ ἦν τὸ νέφος καὶ τὸ σκότος, καὶ ἔφαινε τῇ νυκτί. Sed occasione hujus Scholii obiter monere opportunum judico, quid intelligant Viri docti, dum de Samaritica interpretatione, seu lectionis discrepantia, ab antiquis mentionem factam legunt; quod *Jo.* Alberti Fabricii verbis, potius quam meis, exsequar. *Observandum existimo* (sic ille, Vol. II. Bibl Græ., seu lib. III. cap. XII. 10.) *Christianos Scriptores, quemadmodum Aquilam fere innuunt, quando provocant ad Hebraicum; ita quando* Σαμαρειτικὸν *laudant, respicere ad banc Symmachi Samaritæ versionem, a quo Pentateuchum ex Samaritano translatum mibi persuadeo: neque enim Symmachi meminisse simul solent veteres, quando inter diversas interpretationes Samariticum laudant*, (Vide loca collecta ab Hottingero, Exercit. anti-Morin. §. 25. .....), *neque Samaritice callebant antiqui Patres græci vel latini plerique, ne Origene quidem excepto, ut ex ejus Commentar. ad Ezechiel. IX.* 4. *observat Huetius p.* 29. *Origenian. Græca autem si exstitisset, diversa a Symmachiana interpretatione, Samaritici Pentateuchi versio Origene antiquior, cur, quæso, eam Origenes in Hexaplis omisisset? Quod si non omisit, ut visum doctissimo Viro Jo. Vossio* (Respons. ad Objecta Criticæ sacræ.......), *quare veteres Scriptores, de Hexaplis Origenianis agentes, boc ad unum universi tacent? Superest igitur, ut operi Origeniano inserta fuerit sub Symmachi nomine, vel extra Origenis Hexapla sit lecta. Duplex etiam editio Symmachi olim ferebatur, ut ex Hieronymo in Hieremiæ XXXIII. & in Nabum III. pulcbre observat Hodius p.* 586. *Forte igitur priorem barum, quæ non fuisse videtur in Hexaplis, veteres sub Samaritici nomine laudant.* Hæc ibi Fabricius, quæ rursus inculcat num. 13. *Versionem Græcam ex Samaritano confectam, vel saltem illius varietates Hexaplis ab Origene insertas contendit Jo. Vossius. Sed jam*

supra §. 10. annotavi veteres, quando Samariticum laudant, respicere versionem Symmachi Samaritæ, e cujus binis editionibus alteram Origenes operi suo adscripsit. Sed hæc confirmatione indigent, aut potius diligentiori examine: certe hunc locum habemus Symmachum ita reddidisse, Καὶ ἦν ἡ νεφέλη σκότος μὲν ἐκεῖθεν, φαίνουσα δὲ ἐντεῦθεν, *eratque nubes inde quidem tenebræ, hinc vero splendens*, quæ interpretatio congruit cum Chaldaica Onkelosi: *Et fuit nubes & obscuritas Ægyptiis, Israelitis vero lux.* ita fere & interpres Syrus: sed, ut ego puto, perperam. licet videam plerosque ex recentioribus eamdem fuisse sequutos interpretationem, ne ipso quidem Clerico excepto, qui quidem alibi certa impugnans miracula, heic incertum prorsus admisit, & in Paraphrasi ea verba ita expressit: *Qua parte Ægyptiis obversa erat, obscura & tenebrosa fuit; contra vero illustris & splendida, qua Israelitas despiciebat.* Sed omnino ille textus ita reddendus fuit: *Et erat nubes & caligo, quæ illuminavit noctem:* sc. quæ interdiu caliginosa erat nubes, noctu splendorem emittebat: in quam sententiam facile tum Vulgata latina, tum Aquilæ, & Samaritica interpretatio, de qua supra, conveniunt. Animadvertendum postremo est, hæc ipsa verba a præcedentibus & sequentibus parenthesi distinguenda esse.

DE TRAJECTIONE MARIS RUBRI

DISSERTATIO

Adversus Jo. Clericum, ad pag. 25. lin. 9. *Jamque eminus*, &c.

1. QUoniam supra Dissertationem Jo. Clerici *de salina statua* suse confutavimus, non est hoc loco prætereunda sine aliqua refutatione altera ejusdem Dissertatio *de maris Idumæi trajectione*: quoniam etsi concedit *trajectum* illum *Israelitarum miraculum fuisse*, ita tamen rem gestam exposuit, ut miraculum ipsum, quoad potuit, extenuaverit, aut omnino negaverit: quare factum est, ut in hac quoque sententia multorum offenderit animos, aliquosque contra se adversarios ex ipsis heterodoxis excitaverit, ut Pfaffius in Præfat. alias laudata tradidit his verbis: *Quæ de maris Idumæi trajectione peculiari Dissertatione commentatur Clericus, ut miraculum enervet, refutata fuere passim a Viris doctissimis, quos laudavimus in Diss. de recta Theologiæ parabolicæ & allegoricæ conformatione pag. 37. 38.* Sed quoniam horum neminem legere mihi contigit, præter Auctores Historiæ Universalis, a quibusdam Anglis conscriptæ vernacula ipsorum lingua, quos videsis cap. VII. part. I., ex Catholicis autem Augustinus Calmetus in Dissert. ejusdem argumenti satis ampla & erudita, non nisi obiter & aliud agens sententiam Clerici oppugnavit; symbolam quoque meam in id conferre, & potissimum difficultatis cardinem quam brevissime expendere, opportunum judicavi.

2. Sententiam ipse suam clare proponit Clericus num. IV., ita scribens: *Itaque existimamus divisionem illam aquarum Idumæi maris ejusmodi fuisse, ut postquam omnem aquam, nisi quæ in profundioribus hæsit lacunis, ab intimo sinu ad ejus ostium expulit ventus æstum augens, e regione Israelitarum latissimum vadum extiterit, & transitum in adversum littus eis præbuerit. Atque hoc eo facilius fieri potuit, quod cum sit vadosissimum illud mare,*

mare, si æstus sit paullo major, vada prorsus nudentur: quamquam, ut postea ostendemus, divinitus excitato vento recessit mare longius quam umquam antea & postea recessisse memoriæ proditum est. Tria itaque statuit aut assumit Clericus, quæ diligenter & singillatim expendenda sunt: 1. æstum, seu potius refluxum, maris Erythræi tunc temporis vehementi vento, eoque Boreali, auctum ultra consuetum morem: 2. inde factum, ut e regione Israelitarum repente emerserit amplissimum vadum, per quod brevi tempore ad littus oppositum incolumes transierint Israelitæ, non item Ægyptii, quod deprehensi fuerint in eo ipso vado ab æstu reciprocante: 3. miraculum in eo unice situm, quod æstus ille, seu refluxus, omnium qui antea aut postea in eo ipso mari contigerunt, longe maximus fuerit, isque a Deo antea Moysi haud obscure revelatus.

3. Ut autem ab hoc postremo capite ordiamur, plane mentem suam explicat Clericus num. IX., tradens primum duas species esse miraculorum, alteram eorum quæ non possunt naturalibus caussis adscribi, alteram eorum quæ, in se spectata, possent haberi pro effectibus caussarum naturalium, *qualis est*, pergit, *vehementior ventus, aut major solito marinus æstus. Hos possunt gignere caussæ naturæ, & sæpe gignunt. Sed si, naturæ caussis ad eos effectus edendos nequaquam comparatis, aut etiam ad contraria versis, Deus, singulari voluntate, non exspectato ordine a se rerum initio constituto, hæc & talia fecerit; tum demum quæ sua natura miracula non erant, eo nomine merito adpellantur. Si, cum nullus ordine naturæ oriturus esset ventus, neque æstus solitum modum excessurus, Deus singulari voluntate oriri ventum, & fluctus longius quam fieri solet, rejici curet, hæc miracula erunt, & dicentur.* Apparet itaque in quam classem referat ille hoc qualecumque prodigium, nempe inter ea miracula, quæ, in se spectata, non excedant caussarum naturalium vim & facultatem; atque adeo ambigua sint, utrum veris miraculis, nec ne, adcenseri debeant. At unde demum certo colligit & evincit, inusitata divinæ potentiæ efficacia, non legibus naturæ id omne contigisse? Videte, quo demum evadat ejus argumentorum vis. *Primum*, inquit, *vis venti plane insolita, & reciprocatio maris tanta, quanta nulla umquam similis conspecta forte est, hoc suadent.* Sed non sufficiunt argumenta quæ suadeant, sed necessaria omnino sunt, quæ assensum vel ab invitis extorqueant: præsertim cum & ante & postea tute ipse, o Clerice, agnoscas ventum illum & æstum tantum potuisse gigni ex solis naturæ caussis, idque hoc ipso loco tacite concedas, quum illud *forte* tibi excidere passus es. Quod addis secundo loco, multo minus efficit quod tibi erat probandum. *Deinde*, instas, *si nihil hic, præter solitum, contigisset, non erat cur Ægyptii gauderent, aut cur Israelitæ usque adeo terrerentur, cum se clausos viderunt inter mare & montes: expectato enim refluo maris motu, evadere poterant:* &c. At aliud est, aliquid *præter solitum* contigisse, aliud supra naturæ vires. Primum nemo sanus negaverit tunc contigisse: neque tamen extorquere ab incredulis poteris, ut propterea idipsum pro miraculo habeant. in quo ne tu quidem ipse constas tibi, tuisque plane insistis rationibus. sed progrediamur. *Denique*, concludis, *ea in re fuit etiam miraculum, quod Moses, qui alioqui nihil nisi solitum æstum exspectare potuit, prædixerit Israelitis exitium instare Ægyptiis, eos vero incolumes evasuros ..... Si Deus revelasse hæc Mosi dicatur; quod volumus, habemus: sola enim revelatio summum erit miraculum. Atque hoc est certissimum miraculi ejusmodi*

di κριτήριον, cum prædicitur antequam eveniat: hinc enim manifesto colligimus, singularem esse Dei erga eum voluntatem, quem præmonet; remque inusitatam contingere, quæ nonnisi præmonente Deo cognosci possit: & paullo infra. *Certe nisi prædiceretur ejusmodi eventus, quem naturæ vires superare natura sua non constat; non posset, postquam contigisset, quasi certum miraculum in eorum gratiam, quibus profuisset, factum prædicari. quis enim non videt fieri posse, ut vir prudens inexspectato eventu subito in rem suam utatur, quamvis in ejus gratiam non contigerit?*

4. Accommodet hæc omnia Lector propositæ quæstioni, in cujus unice gratiam a Clerico dicta sunt, & manifesto comperiet, repudiari ab eodem superiora argumenta, atque ultro concedi ea minus valere ad faciendam miraculi fidem: quare ad postremum hoc, quasi ad sacram anchoram, confugit; quod tamen quale sit, videamus. Quod, ait, a Moyse prævisum & prædictum fuit, *exitium instare Ægyptiis*, &c., non aliunde quam ex Divina revelatione scire potuit: atqui hæc revelatio summum fuit miraculum. concedo utrumque: quid inde? Ergo *ea in re fuit etiam miraculum*. & hoc concesserim, si miraculum unice collocetur in ipsa revelatione, non item si ad eventum quemcumque Divinitus revelatum extendatur. Quam multi enim casus & eventus a Deo per Prophetas suos prædicti fuerunt, qui tamen nihil in se prodigii, aut miraculi haberent? hujusmodi sunt subitæ mortes nonnullorum, aliorum vero languentium insperatæ sanationes, & alia hujusmodi, quæ ex abstrusis plerumque, sed tamen certis & naturæ consentaneis caussis pendent. Ita, ex gr., quum Joseph prædixit septem proximis annis maximam futuram in Ægypto ubertatem, septem vero proxime post sequuturis sterilitatem; id prædixit, quod nullo miraculo intercedente factum fuit, licet ipsa prædictio pro miraculo haberi debeat. Quæ cum ita sint, apparet, quam multa hoc loco a Clerico temere, & contra omnem ratiocinandi legem afferta fuerint: dum vel confundit revelationem Divinam cum ipsius rei revelatæ caussis, vel statuit *certissimum miraculi ejusmodi κριτήριον, cum prædicitur antequam eveniat*. Porro ex hactenus dictis consequitur, ut Clericus miraculum in speciem quidem afferat, re ipsa tamen neget: adeo ut, dum se adversus incredulos disputare jactat, prævaricatorem potius præbeat, seque cum adversariis, prodita caussa sua, colludere non obscure significet. Consequitur etiam ex dictis, ut totum ejus systema, quod nullo modo ad veri miraculi speciem componi potest, ab ipsis quibus innititur, fundamentis labascat, & vitium trahat: sunt autem ei fundamenti loco, æstus maris ac vehemens ventus, quibus tamquam caussis siccati maris tribuit effectum. quare de his dicendum est nobis secundo loco.

5. Equidem, quod ad æstum maris spectat, non nova hæc, aut Clerico peculiaria, sed vetus & pervulgata ratio est interpretandæ, seu verius distorquendæ sacræ Moysis Historiæ. Nam, ut omittam quæ Artapanus quidam ab Eusebio laudatus, Præp. Euang. lib. IX. cap. 27., refert; nimirum traditum olim a Memphitis, *Moysem totius regionis scientissimum, observato reciprocantis æstus tempore, sicco mari universam multitudinem transmisisse*; scribit Diodorus Tarsensis, *in Catena*, Gentiles (ad Porphyrium forte alludens) hunc transitum Hebræorum non adscripsisse miraculo, sed reciprocationi maris: sed nec secus sentiunt, aut senserunt, increduli nescio qui nostræ & superioris ætatis,

Digitized by Google

tatis, quos nimirum idem Clericus sibi sumsit in speciem refutandos: ita enim ille, num. I. *Qui in hoc negotio nihil, præter consuetum naturæ ordinem, evenisse volunt, ii Mosem ajunt, qui regionum peritus erat, tempus æstus observasse, & recedente, ut solet, mare, facile sicco pede illac transiisse; at virum callidum id pro prodigio apud imperitam multitudinem venditasse, quod solitis naturæ legibus factum erat. Hoc autem vel inde constare volunt, quod Ægyptii idem iter ac Israelitæ impavide ingressi sunt; quos, si miraculo mare fissum esse vidissent, numquam ausi essent sequi; ne qui maris aquas in Israelitarum dumtaxat gratiam divisisset, eas in alveum solitum, ut submergerentur Ægyptii, curaret redire. Addunt & Mosis cœptis forte fortuna favisse ventum, qui æstum mirum in modum auxerit, ut ejus historiæ Scriptor innuit, cum observat* Jehovam fecisse, vento vehementissimo, ut mare discederet. Hactenus Clericus, neminem tamen in tota illa Dissertatione nominans, qui ejusmodi monstra opinionum palam defendere sit ausus. Si quis tamen fuit, eo unico & invicto argumento potissimum debuisset, & facile potuisset retundi, quod ducitur ex ipsa Mosaicæ Historiæ, immo totius Divinæ Scripturæ auctoritate & θεοπνευστίᾳ: cui palam refragantur quicumque ita sentiunt, aut sentire dicuntur.

6. Verum aliam Clerico viam insistere placuit, quam his verbis proponit, num. II. *Nostri non est instituti Mosis veritatem hic defendere: satis erit hoc in loco, si ostenderimus, quod adfirmant, id Mosis narrationi contrarium esse. etenim homines ita sibi confidunt, ut sententiam suam ex Scripturæ ipsius narratione a se defendi posse existiment. Itaque ante omnia Mosis verba interpretabimur, nec statim ad vim Numinis portentificam confugiemus, sed quid institutarum ab rerum initio caussarum efficacia fieri potuerit, quæremus. Postea quid earum viribus, quidve a Deo factum fuisse videatur, exponemus, & adversariorum objectionibus respondebimus.* In his multa sunt, quæ omnino nec cum recta ratiocinandi norma, nec secum ipsa plane concordent: sed nobis non omnia persequi vacat. Itaque, quoniam jam vidimus, quid naturalibus caussis in hac re ipse tribuat, &, quod inde sequitur, quid Dei omnipotentiæ reliquum faciat; superest, ut videamus, quo pacto Moysis verba interpretetur, & in suam sententiam distorqueat. Interpretatur autem ita, ut, salva in speciem Sacri Codicis auctoritate, cum adversariis conveniat fere in omnibus: nam primum omnium æstum, seu recessum maris, non secus ac illi, eo ipso tempore contigisse, tum æstum illum vehementi vento mirum in modum auctum ponit. Atqui æstus nulla in Sacra Historia mentio occurrit, indicium nullum habetur: ergo oportuit primum eam a Clerico repudiari rationem, quæ minus consentanea est Sacro textui, quæque ex illorum cerebro primum prodiit, qui, posthabita Scripturæ auctoritate, miraculum in ea re nullum agnoscere, quin potius Moysem ipsum impostorem sibi fingere voluerunt. Pessime sane consuluit ille sibi, qui commentitiam illam hypothesim ultro admiserit ratamque habuerit, & nihiluminus declinare voluerit quæ ex ea sequebantur absurda, & religioni contraria consectaria. Porro si æstus maris ex Scriptura non colligitur, sed ex ingenio effingitur; perperam in ejus subsidium vocatur ventus ille, cujus meminit qui-

dem

dem Scriptura, sed ita ut longe alium ipsi tribuere videatur effe-ctum. Postremo nihil adeo ejus sententiæ absurditatem declarat, quam quod ex ea sequatur, ut mare illud, seu maris sinus, qua iter fecerunt Israelitæ, non divisus in duas partes fuerit, sed in superiori, quæ ad Aquilonem respicit, fere exhaustus atque siccatus, nisi si forte profundior aliqua lacuna alicubi remansit: quod est Mosaicæ Historiæ, ac totius Scripturæ apertissimis testimoniis, ne dicam Scriptorum omnium Hebræorum Christianorumque consensioni omnino contrarium.

7. Verum, age, ipsum Sacrum textum, Ex. XIV., diligenter inspiciamus, eodemque tempore conferamus cum nostris Clerici in eumdem textum observationes. *Deus* (ita ille, num. III.) *Exodi cap. XIV.* 16. *sic Mosem alloquitur*: Tu vero adtolle virgam tuam, manumque extende in mare, & id findito, ut medium maris, per siccam humum, ingrediantur Israelitæ. *Hoc jussum fuisse Mosem sub vesperam, adparet ex versibus* 20 21. *Tum Moses Deo jubenti obsequutus mare quidem percussit, sed illico fissum non est; sic enim res vers.* 21. *narratur*: Extendit Moses manum, effecitque Jehoua, ut recederet mare, vento per totam eam noctem vehemente, mareque exsiccavit, & aquæ sunt fissæ. *Postquam ergo Moses mare percusserat, ortus est vehemens ventus, qui paullatim aquas divisit, quod non satis observaverat Josephus, qui percussione ipsa marinas aquas disjectas narrat*, Antiquit. Judaic. lib. II. c. 7. Τύπτει, inquit, τῇ βακτηρίᾳ τὴν θάλασσαν· ἡ δὲ ἀπὸ τῆς πληγῆς ἀνεκόπτετο, καὶ εἰς ἑαυτὴν ὑποχωρήσασα γυμνὴν ἀφίησι τὴν γῆν: percutit virga mare, hoc autem percussione divisum est, & in se ipsum recedens nudam relinquit humum. *Sed Moses ipse docet ventum* per totam eam noctem, בכל הלילה behol hallailah, *vehementem marinas aquas expulisse; hoc est, per totam fere noctem: nam* vigilia matutina *jam mare post Israelitas ingressi fuerant Ægyptii, ut narrat vers.* 24. Hæc ille.

8. Sed in eo primum Clericus reprehendendus est, in quo ipse Josephum reprehendit, nempe dum contendit *non illico* fissum esse mare, postquam a Moyse virga percussum fuit. At unde secus factum ipse arguit? Non sane ex vers. 16., ibi enim diserte dicitur jussum a Deo Moysem, *ut adtolleret virgam suam, manumque extenderet in mare, & id divideret* (ובקעהו, *& illud divide*) *ut per medium maris ingrederentur Israelitæ*. Conferenda etiam sunt multa alia miracula, quæ a Deo per Moysem, & virgam temporis momento, & *in instanti*, ut ajunt, patrata fuerunt. Quod autem vers. 21., postquam dictum fuit Moysem extendisse manum super mare, addatur: *Et ire*, vel *recedere fecit Deus mare in vento Orientali vehementi per totam noctem, & convertit mare in aridam*, vel *siccitatem*, וישם את הים לחרבה; non sequitur ut divisio aquarum, de qua mox: *Et divisæ sunt aquæ*, tribuenda potissimum sit vento illi, cui potius adscribendus est siccati alvei maris effectus, quem certe præcedere debuit aquarum divisio, seu recessus. Versus itaque hic ita distingui debet, ut quæ ultimo loco habentur verba, ויבקעו המים, *Et divisæ sunt aquæ*; referantur non ad ea quæ proxime præcedunt, sed ad superiora, *Et extendit Moyses manum suam super mare*: ita enim omnino respondebunt iis quæ vers. 16. præcedunt. Porro quæ interjecta habentur, videntur

a ce-

Digitized by Google

a ceteris parenthesi distinguenda: in iis enim præcipua caussa affertur, propter quam Deus ventum illum excitaverit, & per totam noctem spirare fecerit, nempe, ut imus maris fundus cœnosus siccaretur. Præterea duo in ea re distinguenda videntur, ut distinxit etiam Philo ab ipso Clerico productus num. IV., maris scilicet divisio seu scissio, tum divisarum partium ab invicem separatio, seu recessus, quoad satis ampla & commoda Israelitis patuit via: primum illud a Philone dicitur *ῥῆξις θαλάσσης*, alterum *ἀναχώρησις ἑκατέρου τμήματος*· Itaque scissio maris est, quam repente & statim a contactu virgæ Moysis per summum miraculum factam dicimus; eamque verbo בקע indicavit Moyses tum vers. 16., tum 21. Neque tamen negamus divisi maris latus utrumque paullatim a Deo disjunctum ope etiam venti illius vehementis, qui eadem opera, qua cœnum in ima parte siccabat, propellere etiam hinc inde aquas potuit, & coacervare: quod vers. 21. indicatur, & de quo Moyses in Cantico, Ex. XV. 8. *Vento iræ tuæ* (Clericus interpretatur *narium tuarum*, quum tamen occurrat sæpius in textu Hebræo vox אף pro *ira*) *coacervatæ sunt aquæ*, נערמו מים (ubi tamen LXX. habent *διέστη τὸ ὕδωρ*, *recessit aqua*) *steterunt fluenta sicut acervus*, כמו נד, *coagulatæ sunt abyssi in medio maris*. Ceterum si ipsa maris divisio vento esset potissimum tribuenda, cur Moysea a Deo jussus fuisset prodigiosa illa virga mare percutere? & quod demum ex ejus virgæ contactu prodigium in mari sequutum fuisset? At hoc nimirum erat, quod summopere Clericus sibi devitandum censuit: ne scilicet fateri cogeretur, miraculum longe supra vires naturæ, & præter omnes naturæ leges in ea re contigisse, eo confugere debuit, ut negaret ipso virgæ contactu divisum subito fuisse mare: quæ tamen omnium interpretum, non unius Josephi, sententia est. Artapano teste sincera Heliopolitarum confessio fuit, *Moysen uti mare virga percuteret, divinitus admonitum, aquam virga tetigisse, ac discedentibus illico fluctibus* (ita quidem Vigerus græca reddidit, *καὶ οὕτω τομὴν νᾶμα διαστῆναι*, quæ ad verbum valent, *atque ita divisa esse fluenta*) *copias sicco tramite deduxisse*. Hæc ille apud Eusebium, loco supracitato.

9. Ex dictis apparet, hactenus capite Exodi XIV. haberi nihil quod Clerici hypothesi faveat, aut receptam ab omnibus sanis interpretibus sententiam infirmet: quidquid ille, argutiis suis veritati fucum facere aggressus, contra moliatur. Sed reliquus est locus alius, qui majus negotium facessere debuit ipsi, utpote qui omne ejus commentum plane diruat & disjiciat. Est autem vers. 22. *Et ingressi sunt filii Israel per medium maris in arido* solo, *& aquæ ipsis murus* (seu *pro muro*, fuerunt) *a dextris & a sinistris*; quod rursus inculcatur vers. 29.: *At filii Israel ambulaverunt in arido* solo *per medium maris, & aquæ ipsis murus* (seu *pro muro*, fuerunt) *a dextris & a sinistris*. Quid vero de hoc quoque loco ille sentiat, videamus. Reponit, num. IV., *hæc verba proprie nimium intellexisse* Philonem Judæum, lib. III. de Vita Moysis. Nimirum Philo inter miracula hac occasione patrata, collocat *concretionem fluctuum, ut loco murorum fortissimorum essent*, *ἵν' ἀντὶ τειχῶν ᾖ κραταιοτάτων*. Sed, quæro, cur unum Philonem heic arguit, ut & paullo ante Josephum tantum, quum omnes antiqui & recentiores cum ipsis consentiant? Quo autem argumento impropric heic loquu-

tum

tum Moysem probat? Rem primum seriam in jocum vertit, Poetæ cujusdam mentionem injiciens, qui ad erystallinos illos muros pisces quasi per fenestram spectaturos adduxerit transeuntes Israelitas, tum versus quosdam ex IV. Georgic. de Aristæi fabula recitat. Demum confugit ad locum illum, Ex. XV. 8., cujus & nos paullo ante meminimus. *Moses quidem*, inquit, *in Cantico*, *Ex. XV. 8.*, *Poetæ haud absimiliter rem descripsit*, *sed fidi Interpretis fuit figuras secernere a proprie dictis*. *Quis autem non videt* ἐσχηματισμένον *hunc esse sermonem*: Vento narium tuarum coacervatæ sunt aquæ, steterunt fluenta quasi *granorum* acervus, in medio mari coagulatæ sunt abyssi. Non equidem negaverim figuratum hunc esse sermonem: concesserim ultro aquas non fuisse proprie in cumulum fastigiatas, aut coagulatas: debuit tamen vere contigisse aliquid, quod coacervationi, & coagulationi aquarum admodum simile videri posset. quale autem fuerit illud, semel & iterum superiori capite planius dixerat Moyses, ubi non Poetam, sed Historicum agebat. quare si quæ in Cantico duriuscula habentur, explicanda & emollienda fuerant ex Historica narratione; non autem hæc obsfuscanda & pervertenda ei fuit, ducto prætextu ex figurato Cantici stilo.

10. Sed ita factum a Clerico oportuit, ut novam & absurdam suam sententiam obtruderet, quam, ut supra indicavi, aperte proponit his verbis: *Itaque existimamus divisionem illam aquarum Idumæi maris ejusmodi fuisse*, *ut postquam omnem aquam*, *nisi quæ in profundioribus hæsit lacunis*, *ab intimo sinu ad ejus ostium expulit ventus æstum augens*, *e regione Israelitarum latissimum vadum extiterit & transitum in adversum littus eis præbuerit*. Quisque tamen facile videt, hanc explicationem nullo modo componi & conciliari posse cum allatis Scripturæ testimoniis: nulla hic divisio maris, nullus hic quasi murus aut acervus aquarum a dextris & a sinistris: nulla denique, aut saltem exilis & obscura miraculi species, quod tamen supra modum semper suspexerunt & admirati sunt Israelitæ, ut ex toto illo Cantico, tum ex multis Psalmorum & aliorum Scripturæ librorum locis colligitur. Confer potissimum Psalm. LXXVII. v. 13. *Interrupit* (seu *divisit*, בקע) *mare*, *& perduxit* (seu *pertransire fecit*) *eos*, *& statuit aquas quasi in utre*: ita Vulgata, juxta LXX., qui כמו נאד legisse videntur: at melius Hebr. כמו נד, quæ verba, ut vidimus, occurrunt etiam in Cantico Moysis, Ex. XV. 8, & valent, *quasi acervus*: huic adde & vers. 53.. Confer & Ps. CXXXV. 13. & seq. *Qui divisit* (seu *dividenti*, לגזר) *mare rubrum in divisiones*: *Et eduxit* (seu, *transire fecit*) *Israel per medium ejus*. Insignis est etiam locus Isaiæ, LXIII. 11. & seqq., ubi inter cetera habetur: *Qui scidit* (vel *scindens*, בוקע) *aquas ante eos*, *ut faceret sibi nomen sempiternum*: *qui eduxit* (vel *ambulare faciens*) *eos per abyssos*, *quasi equum in deserto* (seu, *in terra arida*) *non impingentem*: nec non libri Sapientiæ, X. 18 *Transtulit illos per mare rubrum*, *& transvexit illos per aquam nimiam*: græc. textus, διεβίβασεν αὐτοὺς θάλασσαν ἐρυθρὰν, καὶ διήγαγεν αὐτοὺς δι' ὕδατος πολλοῦ. sc. *Traduxit illos per mare rubrum*, *& transmisit per aquam multam*: & cap. XIX. 7. *Et ex aqua*, *quæ ante erat*, *terra arida apparuit*, *& in mari rubro via sine impedimento*, *& campus germinans de profundo nimio*: græc. ἐκ δὲ προϋφεστῶτος ὕδατος ξηρᾶς ἀνάδυσις γῆς ἐθεωρήθη,

ρήθη, ἐξ ἐρυθρᾶς θαλάσσης ὁδὸς ἀνεμπόδιστος, καὶ χλοηφόρον πεδίον ἐκ κλύδωνος βιαίου: ad verbum, *Quæ autem aqua prius fuerat, sicca emergens terra visa est, e mari rubro via non impedita, & viridem herbam ferens campus e gurgite*, vel *fluctu*, *violento*. Sequitur vers. 8. *Per quem omnis natio transivit quæ tegebatur tua manu, videntes tua mirabilia & monstra*: gr. Δι᾽ οὗ πανεθνεὶ διῆλθον οἱ τῇ σῇ σκεπαζόμενοι χειρὶ, θεωρήσαντες θαυμαστὰ τέρατα: *Per quem cum tota gente transierunt, qui tua manu protegebantur, conspicientes miranda portenta*. Denique libri Judith cap. V. 12., juxta quidem Vulgatam, eamque Hieronymianam, latinam versionem: *Fugientibus his Deus cæli mare aperuit, ita ut hinc inde aquæ quasi murus solidarentur, & isti pede sicco fundum maris perambulando transirent*: quibus tamen in gr. textu respondent tantum hæc: Καὶ κατεξήρανεν ὁ θεὸς τὴν ἐρυθρὰν θάλασσαν ἔμπροσθεν αὐτῶν: *Et siccavit Deus mare rubrum coram eis*. Porro his & aliis hujusmodi locis eorum etiam refellitur sententia, qui putarunt Israelitas non recta pertransisse per mare rubrum ex littore Ægyptio ad Arabicum, sed via semicirculari in idem littus rediisse; quos tamen ipse Clericus refutat eodem num. IV.

II. Ratio nunc postulat ut quæramus, cujusmodi fuerit, seu ex quo cæli cardine spiraverit ventus ille, cujus mentio est laudato Exodi cap. XIV. & versiculo 21.; de quo etiam agit Clericus toto num. V., cujus insistemus vestigia. Dicitur itaque ibidem in hebraico textu, ברוח קדים עזה, *in vento Kadim vehementi*; apud LXX. autem vox קדים, ex qua tota pendet quæstio, *Notus* interpretatur, ἐν ἀνέμῳ νότῳ βιαίῳ. Porro Clericus in sua versione habet tantum *vento vehemente*, in Comm. autem, ad vocem *vehemente*, hæc adnotat: קדים Kadim, *quod proprie quidem* Orientalem *sonat, sed fuit hic vehemens Septemtrio, ut in Diatriba laudata ostendimus*. Quam belle autem ostenderit, videamus. Refellit ibi primum τοὺς LXX. Intt., qui, ut vidimus, *Notum*, verterunt. *Sed Notus*, inquit, *ab Oceano spirans, in sinu Erythræo πλημμυρίδα dumtaxat augere, & diutius solito sustinere potuit, quod Dei consilio plane contrarium erat*. melius tamen dixisset, si non tam *Dei consilio*, quam suo ipsius systemati *plane contrarium* esse Notum fassus esset. Id adeo verum est, ut aliam statim rationem ineat, quam ipse aliquo pacto cum *Dei consilio* congruere posse agnoscit. *Nisi*, pergit, *dixeris, ventum in certam dumtaxat maris partem incidisse, tumoque impetu aquas discecisse, ut vada late destituerint, & utrimque, dum trajicerent Israelitæ, fluctus veluti suspensi fuerint, nulla soliti æstus ratione habita*. neque tamen hæc magis illi arridet, quam prior. cur autem? Ipsum audiamus: *Verum præterquamquod Mosaica verba tale nihil suadent, certe qui, tanto turbine viam illum perflante, transire potuerint Israelitæ, nemo capiat*, &c. Hæc facili negotio dilui possint, si primum negemus, ut supra fecimus, vento potissimum adscribendam esse caussam, cur mare divisum fuerit, & hinc inde suspensum steterit: deinde, si observemus ventum illum, undecumque demum flasse dicamus, *validum* seu *vehementem* fuisse; id enim significat hebræa vox עזה: postremo eamdem fere difficultatem subire Clerici sententiam, qui quidem *Septemtrionalem* fuisse contendit ventum illum, sed *præter modum vehementem*, ut paullo infra videbimus. Sequitur autem ille contra τοὺς LXX. disputans: *Neque vox* קדים Kadim *necessario* Notus, *ex etymologia*, *aut*

aut usu linguæ Hebraicæ verti debet, ut alio confugere non liceat. Cum ea vox ἀπὸ τοῦ קדם Kedem, Oriens, *derivari ab omnibus censeatur*, Orientalem *potius dici oportuit; aut, si ex alia vocis* קדם *significatione deduci debeat, ut mox videbimus, nihil est cur* Notum, *potius quam* Boream, *interpretemur*. Ultro concedimus ex etymologia linguæ hebrææ קדים ventum Orientalem, Eurum puta aut Subsolanum, fuisse interpretandum: neque tamen erroris arguimus græcos interpretes, qui tum hoc loco, tum alibi sæpius *Notum* reddiderunt. Cur vero, si græca interpretatio minus ipsi probabatur, non sequutus est hebraicæ vocis significationem, qua quidem Orientalem ventum designari communis fert sententia Lexicographorum? Ratio in promtu est: neque is ventus opportunus erat Clerici opinamentis, quod satis ex ipsius verbis colligitur. *Nos quidem*, inquit, *orientalem ventum hic significari posse non putamus, quod ejusmodi ventus aptior fuerit fluctibus in Troglodyticum littus, in quo erant Israelitæ, impellendis, quam aquis dividendis; nisi intelligamus eum in certam dumtaxat maris partem spirasse, ut vi sua, quominus utrimque influerent illuc aquæ, impedierit. Sed eædem, quæ modo a nobis movebantur in australem ventum, immo majores oriuntur difficultates: quis enim tam vehementi turbine adverso, non dicam stare in maris alveo, sed brevissimo tempore trajicere eum potuisse trecentas hominum myriadas intelligat?* &c. Quoniam itaque eamdem fere heic recoquit crambem, eadem sibi regesta habeat, quæ paullo ante: uno verbo, eum ὑποθέσει suæ inservire perpetuo, & ingenio plus quam oportuit, indulgere, palam fit; idque etiam multo magis ex sequentibus fiet.

12. Quoniam itaque vidimus, quo ille pacto aliena evertere conatus sit; reliquum est ut videamus, uti suam constabilire aggrediatur de vento Aquilonari sententiam. *Itaque*, ejus verba sunt, *voce* קדים, *hoc quidem in loco, non respici ad plagam cæli, unde hic spiravit ventus, existimarim; sed* ventum vehementem, *undecumque flaverit, significari, quod vidit Hieronymus, qui habet*, vento vehementi, & urente; *quia nimirum ventus* קדים *adurere alibi dicitur. Vide Gen XLI. 6. Nec addidit Moses vocem* עזה *hazzah*, vehemens, *quod* קדים *vehement esse non soleat; sed quia ventus ille, quo in Oceanum rejecti sunt fluctus, præter modum vehemens erat. Nam alioqui sola voce* קדים *vehemens significatur ventus: sic Ps. XLVIII. 8.*, vento, קדים, Kadim conterens naves Tharsis, *ubi habent* LXX. Intt. ἐν πνεύματι βιαίῳ. *Ezech. XXXI. 26.* Ventus Kadim contrivit te in medio mari. *Omnia subvertere & dispergere dicitur Job. XXVII. 21. Jer. XVIII. 17. vocatur ventus durus Esai. XXVII. 8. & strepitu suo surditatem inducere dicitur Jon. IV. vers. 8. Unde autem vox* קדים *in hanc transierit significationem, non est facile dictu. Fortasse hujusmodi erat in Judæa orientalis ventus, ex Arabia spirans; unde postea factum sit, ut quocumque ex cardine cæli flarent venti vehementiores, eo nomine καταχρηστικῶς adpellarentur. Forte etiam vocem* קדים *hoc significatu sumtam, non ἀπὸ τοῦ* קדם Kedem, Oriens, *deducere nos oportet, sed a verbo ipso* קדם Kadam, *quod* antevertit *&* maturavit *significat; ut ita dictus sit vehementior ventus, quod celeritate sua omnia antevertat. Hinc hyperbolice frequens apud Poetas ad significandam summam celeritatem*, O-

cior

cior Euro, *& laudata Virgilio Camillæ velocitas, quam Æneid. VIII. adsuetam dicit*

Dura pati, cursuque pedum prævertere ventos.

Sed quamquam non est inepta hæc etymologia; mihi satis est, voce קדים *ventum vehementem, undecumque spiret, significari. Quod cum ita sit, hoc in loco, possumus hunc ventum* רוח Septemtrionalem *fuisse statuere; nequaquam repugnante linguæ hebraicæ usu, & re ipsa suadente: ostendimus enim septemtrionali dumtaxat vento Arabici maris vada ita potuisse nudari, ut sicco pede ea trajicerent Israelitæ.* Hactenus Clericus, in laudatæ Differt. num. V., de vento קדים.

13. Arduum sane esset & longum, omnia singillatim refellere, quæ paucis hisce lineis continentur: potiora itaque attingemus. Sed prius exhibere præstat insignem ejusdem Clerici locum ex Comm. in Gen. XLI. 6., idque eo magis, quod nos ipse illuc amandat. Quum utrumque contuleris, dubitabis profecto, utrum idem auctor tam inter se opposita sentire & scribere potuerit, aut sibimet magis contraria. Sed tunc forte de hoc loco, aut de Dissertatione *de maris Idumæi trajectione* nondum cogitaverat, neque ejusdem præoccupaverat mentem species illa maris siccati ab æstu, vento vehementi præter morem aucto. Quum itaque Gen. XLI. 6. & 27. habeatur *septem spicas tenues, &* שדופת קדים, *exortas* post septem alias pingues & egregias, non dubitavit ille utrobique hebraica verba reddere *Euro adustas*; tum hæc in Commentarium suum ad vers. 6. præclara referre: *Vox Kadim ambigua est, nam cum propria significatione* Orientalem *ventum sonet, pro* Australi *interdum sumitur, ut ostendit Sam. Bochartus Hieroz. Part. 2. lib. I. cap* 15. *Alibi etiam in Scriptura, quasi ventus adurens describitur, Ezech. XVII.* 10. *& XIX.* 12. *Sed in Ægypto æque Orientali vento ex Arabiæ regione fervida, aut ex Æthiopia, calidiore etiam cælo, flante aduri plantæ potuere* (apparet locum vitiatum esse, ut pro *aut ex Æthiopia*, reponendum forte sit, *ac Australi ex Æthiopia*: quod ex sequentibus confirmatur). *Nam quod quidam scripserunt Austrum non flare in Ægypto, id falsum esse ex aliorum relatu observavit Theophrastus lib. de Ventis. Hinc LXX Intt.* ἀνεμοφθόρους *simpliciter verterunt* (ἀνεμόφθορος autem est, *a vento corruptus*. addere tamen potuisset, alibi sæpius in græca versione קדים, νότον, seu Austrum reddi: propterea quod ex Æthiopiæ partibus non minus, immo multo magis quam ex Arabia, calidus ille ventus Ægypto afflaret). *In vetere Scholiaste est* ἐφθαρμένοι καύσωνι, *quod exprimas Vulgatæ vocibus*, percussæ uredine. *Ipsi LXX. Intt.* קדים Kadim *verterunt* καύσωνα, *Jon.* IV. 8 (Hinc factum est etiam, ut & S. Hieronymus ventum קדים interpretatus fere ubique sit, *ventum urentem*: ita hoc ipso cap. Gen. vers. 27., tum Exod. X. 13. & XIV. 21. & alibi sæpius). *Ac sane ex eorum qui loca invisere, relationibus, ejusmodi* καύσωνας *in Ægypto flare constat, qui plantis & animalibus pæne lethales sunt. Vide Itinera Thevenotbii, Part. I. lib. 2. cap. XXXIV., ubi anno CIↃIↃCLVIII. viginti millia hominum una nocte occisa* καύσωνι *memorat. Idem cap. LXXX. auctor est, circa urbem Cairum ab initio Aprilis per quinquaginta circiter dies, aut eo amplius, flare insalubres ventos, qui omnia tenuissimo pulvere complent. Hinc tempus illud Arabibus* חמשין hhamaschim, *hoc est* quinquaginta *vocatur*. Hæc ibi Clericus, quibus addere juvat,

 quæ

quæ idem in Ex. X. 13. scripsit. Nempe, quum ibi quoque, ut diximus, habeatur in hebræo fonte רוח קדים, *ventus Kadim*, non dubitavit latine reddere *ventum Orientalem*, tum hæc commentari: Duxit (נהג) ventum קדים Kadim, *quam vocem proprie hic intelligimus, de vento ex orientali plaga cæli spirante; ex Arabia nimirum, quæ Ægypto est ad Orientem. Sam. Bochartus sequitur τοὺς LXX. qui νότον habent, australem ventum, qui locustas ex Æthiopia, earum feracissima, adduxerit. Et verum quidem* קדים *aliquando pro* Noto *sumi, sed nihil opus est recedere a propria significatione vocis: cum Plinius auctor sit* in Syria *Arabiæ contermina* locustas necare militari imperio *Romana præsidia* coacta. *Vide Hieroz. p. 2. lib. IV. c. 3.* &c.

14. Ex ipsius itaque Clerici ore habemus, 1. ventum קדים, juxta propriam & primariam ejus vocis significationem, eum esse qui ex Oriente spiret: repudianda itaque ejus conjectura, qua a verbo קדם *prævenit*, seu *antevertit* & *maturavit*, duci eam posse in Diss. postea scripsit: 2. Orientalem illum ventum in Judæa calidum & æstuosum esse, quod ex Arabiæ regione arenosa spiret; quare *Kadim* secundario καύσωνα, seu ventum quemvis calidum & urentem significare posse: qua ratione *ventus urens* in Vulgata dicitur: 3. ob hanc ipsam rationem australem potissimum ventum in Ægypto flantem dici potuisse קדים, adeoque plerumque ab Intr. LXX. expressum fuisse græce νότου vocabulo. Nullus itaque locus superest arbitrariæ illi, ne quid pejus dicam, interpretationi, qua, mutata repente sententia, idem Clericus in Diss. summo nisu conatus est, pro orientali, seu mavis australi vento, aquilonarem invehere. Nam præter quam quod hic suapte natura frigidus est, &, ut puto, in Ægypto etiam humidus, utpote ex mari Mediterraneo proveniens: cum sicco & calido opus esset, ut maris alveus aquis nudatus cito siccaretur: ad quem finem potissimum ventum illum a Deo immissum indicat sacer textus, verbis illis, quæ Ex. XIV. 21. leguntur, וישם את הים לחרבה, *Et posuit*, vel *convertit*, *mare in siccitatem*; repugnat etiam ejus conjecturæ antiquorum de ventorum natura sententia, quæ contra LXX. Interpretum confirmat versionem. Quamvis enim antiqui omnes, atque adeo Sacri ipsi V. T. Scriptores, ut I. Par. IX. 24, Jere. XLIX. 35., Ezech. XXXVII. 9., & alibi sæpius, juxta quatuor cæli cardines, totidem etiam ventos agnoverint, qui postea subdivisi fuerunt in multo plures; nihilominus a doctissimis viris, Salmasio in Solinum, & Bocharto, Hieroz. par. 2. lib. I. cap. 15., observatum fuit, *in antiquis Philosophorum ac Medicorum libris, & præcipue apud Theophrastum, ad designandas tempestatum & aeris constitutiones, quas venti faciunt, τὰ βόρεια solum, & τὰ νότια nominari, numquam τὰ ἑσπέρια, aut τὰ ἕωα· Unde Aristoteles lib. 2. Meteorol. cap.* 6., *postquam octo principales ventos cum suis lateronibus nominavit*, Ὅλως δὲ, *inquit*, τὰ μὲν βόρεια τούτων καλεῖται, τὰ δὲ νότια. Universaliter quidem horum alii Boreales vocantur, alii Australes. *Nempe venti occidentales, tamquam frigidiores, Boreæ apponuntur; & Austro orientales, quia sunt calidiores. quod his verbis addit*, Προστίθεται δὲ τὰ μὲν ζεφυρικὰ τῷ βορέᾳ, ψυχρότερα γάρ, διὰ τὸ ἀπὸ δυσμῶν πνεῖν· τῷ δὲ νότῳ ἀπηλιωτικά, θερμότερα γάρ, τῷ (lege διὰ τὸ) ἀπὸ ἀνατολῆς πνεῖν. Hæc, & alia multa in hanc sententiam Bochartus laudato loco; quæ sane si animad-

vertisset

vertisset Christophorus Cellarius, numquam ea scripsisset, quæ leguntur Geograph. antiquæ lib. I. cap. VIII.: *Non autem multis verbis referemus, quod Strabo lib. I. pag. 29. memoravit, fuisse quondam qui δύο τοὺς κυριωτάτους εἶναι ἀνέμους, duos tantum principales ventos esse crediderint, Boream & Notum, a quibus reliqui parva inclinatione dissideant. Nam & paucos fuisse, & eos non clarissimos, qui ita tradiderunt, ex eo satis manifestum est, quod plerique philosophorum, & doctissimus quisque in geographicis, ab illorum opinione dissentiant. quin potius antiquissimi Scriptores ventos quattuor præcipuos, secundum quattuor mundi regiones, posuerunt*, &c. Atqui vel qui juxta diversas mundi plagas quatuor vel octo aut plures ventos agnoverunt, iidem ad ventorum qualitates respicientes, duos tantum ex his κυριωτάτους, ad quos nimirum ceteri omnes facile referri possent, omnino statuerunt. Audiamus rursum Aristotelem, apud eumdem Bochartum, qui Politic. lib. 4. cap. 3., dum omnes Reipublicæ formas vel ad Democratiam, vel ad Oligarchiam contendit esse referendas, exemplo ex ventorum natura ducto explicat mentem suam: Καθάπερ, inquit, ἐπὶ τῶν πνευμάτων λέγεται τὰ μὲν βόρεια, τὰ δὲ νότια, τὰ δ' ἄλλα τούτων παρεκβάσεις, *quomodo in ventis alii Boreales, alii dicuntur Australes, & reliqui sunt horum excessus.* Hæc obiter contra doctissimum Cellarium: verum ne ipse quidem Strabo satis intellexisse videtur mentem Scriptorum, ad quos eo loco respexit, nisi malimus suspicari ejus textum fuisse postea vitiatum. Integer locus, ex interpretatione Xylandri, est: *Sunt etiam qui duos præcipuos ventos faciunt Boream ac Austrum, a quibus reliqui parva differant inclinatione; Eurus ab æstivo ortu, Subsolanus ab hiberno, Favonius ab occasu æstivo, ab hiberno Caurus.*

15. Porro ex dictis colligitur, non male τοὺς LXX. קדים, seu orientalem ventum, Noti nomine expressisse, & ad australem ventorum classem revocasse; nullo autem pacto debuisse a Clerico ad borealem, oppositamque partem trahi. Sed aliud inde concludere voluit doctissimus Bochartus, quod mihi satis probari non potest, nimirum Psalmo LXXVII. (vel 78.) 26., קדים *Kadim* & תימן *Themau*, idest, Eurum & Austrum, *haberi pro synonymis, ita ut hoc loco* Kadim *non sit aliud quam sequens* Theman. Locus ille quidem admodum difficilis est, præcipue si cum loco libri Num. XI. 31. comparetur, & adhuc fortasse non satis intellectus: quare juvabit, quoniam de ventis ubique agitur, in utroque expendendo paullisper immorari. Ac primum, quæ sit Bocharti sententia, quam brevissime proponamus. Agitur iis locis de coturnicibus, quas Israelitis in deserto degentibus Deus secunda vice immisit. Quærit autem Bochartus, citati Hieroz. part. 2. lib. 1. cap. XV., & num. III. *Unde venerint* coturnices illæ? Respondet autem, Num. XI. 31. tradi, *ventum a Domino profectum eas advexisse* מן הים, e mari: idque confirmat ex verbis libri Sapientiæ XIX. 12., ubi ita legit juxta græcum textum: *In solatium ex mari ascendit ipsis ortygometra*. Intelligit igitur quod ibi dicitur, ventum e *mari* coturnices detulisse, non quod in mari nascantur ejusmodi volucres, ut quibusdam persuasum fuisse vult, sed, *quia, Arabico mari traducto, illas ex Ægypto vexerat* (ventus) *in castra Israelitarum*. His positis, quæ *satis obvia* dicit, quærit rursus, *quomodo conciliентur cum his Davidis de eodem miraculo, Psal.* 78. 26. 27: Eurum in cælo excitavit; & Austrum

ſtrum vi ſua impulit, & depluit ſuper eos carnem tamquam pulverem, & volucres alatas ſicut arenam maris. *Quid enim opus fuit Eurum excitari, ut ex Ægypto in Arabiam per ſinum Arabicum deveberentur coturnices, cum ad Favonium potius id ſpectet, & ventos Occidentales?* Reponit primo: *Huic objectioni videtur facile poſſe occurri ex Hieronymi verſione, quæ ſic babet:* Abſtulit Eurum de cælo, & induxit in fortitudine ſua Africum. *Quaſi uno ſublato alter fuerit inductus. Quæ eadem eſt Græcorum verſio, & Vulgati Interpretis, niſi quod pro* Euro Νότον, Auſtrum, *babent*. Sed hanc interpretationem repudiat, & merito, vel ob hanc unicam cauſſam, quam & nos probamus, quod *abſtulit e cælo* hebraice eſſet יסע מן השמים, cum facer textus habeat בשמים, quod ſignificat *in cælo*, vel *in cælum*, non *e cælo*. *Proinde*, concludit, *ibi* יסע *non eſt* auferre, *ſed* inferre, *&* immittere. *Nam ut res e loco aufertur, ita in locum infertur*. Et paullo poſt: *Hoc igitur maneat, Deum, juxta Davidis mentem, hunc ventum moviſſe, non amoviſſe; intuliſſe, non abſtuliſſe*. Ut itaque nodum ipſe tandem ſolvat; *Notandum eſt*, inquit, *Iſraelitas fuiſſe tum in deſerto Pharan, & jam triduano itinere progreſſos ultra montem Sinai, Num. 10. 12. 33., & extremum ſinum Arabicum habuiſſe ad meridiem, ac proinde merito* תימן *Theman, ideſt Auſtralem a Davide vocari ventum, qui coturnices e mari rubro ad illorum caſtra advexit. At cur idem*, pergit, *vocatur* קדים Kadim, *id eſt* Orientalis? Hac demum occaſione profert antiquorum de duobus ventis primariis ſententiam, quam & nos ſupra attigimus, tamdemque concludit: *Ex his cum Eurum pateat ad Auſtralem ventum referri, potuere apud Davidem* קדים *Kadim, &* תימן Theman, *id eſt* Eurus *&* Auſter, *haberi pro ſynonymis, ita ut hoc loco Kadim non ſit aliud quam ſequens* Theman. & paullo infra: *Quamvis igitur* רוח הקדים, *proprie & præciſe loquendo* ventum Orientalem *ſonet (quod & vocis origo docet, & locus Ezech. 42. 16. &c., ubi a vento* קדים Borealis, Auſtralis, & Occidentalis *diſtinguuntur) tamen quia venti* Kadim *&* Theman, *id eſt* Eurus & Auſter, *quædam habent inter ſe communia (* de quibus diximus & nos ſupra *) Hebræos puto has voces promiſcue uſurpaſſe. Atque inde eſſe, quod* קדים Kadim, *paſſim a Græcis* Νότος *redditur, ut Exod. 10. 13., & 14. 21. Num. 34. 15. Job. 38. verſ. 24. Ezech. 27. 26., atque illo ipſo Pſalmi loco, in quo verſamur, ubi Kadim & Theman explicant* Νότον καὶ Λίβα. *Quo circa utraque voce idem ventus videtur ſignificari, Auſter nimirum, aut Africus, qui ex intima Ægypto coturnices Iſraelitis advexerit.* Hæc Bocharti ſententia eſt, quam per ſingulas partes expendam, eodemque tempore conjecturam meam proponam.

16. Ac primum illud, Num. XI. 31. מן הים *a mari*, ita intelligo, ut ventus ab occidentali plaga coturnices in caſtra Iſraelitarum advexerit, non a mari ſeu ſinu Arabico. Notiſſimum eſt Hebræis ים ſæpius Occidentem ſignificare, nimirum quia Palæſtina ad Occidentem habet mare Mediterraneum. Exempla obvia ſunt, ſed unum proferam ex Ex. X. 19. deſumtum: ibi nimirum habetur Deum *convertiſſe*, ſeu flare feciſſe, *ventum maris*, ſeu, ut interpretatus eſt Hieronymus, *ventum ab Occidente, vehementiſſimum, qui locuſtas abſtulit, & in mare algoſum*, בים סוף (ita autem vocatur mare rubrum, ſeu Arabicus ſinus) *projecit*: quem locum Bochartus ipſe ita intellexit,

lexit, Hieroz. p. 2. lib. IV. cap. III. scribens: *De cetero, ut vento* קדים Kadim, *idest* Orientali, *in Ægyptum illatæ fuerant hæ locustæ: ita vento* ים maris, *id est* occidentali, *abductæ sunt, & in mare rubrum projectæ*. Cur itaque non eodem pacto interpretabimur locum libri Num., quem palam est nullum proprie mare, ex quo coturnices advenerint, indicare, sed cæli plagam, unde ventus tunc spirans eas ad Israelitarum castra volare compulerit? Equidem si sinum Arabicum designatum eo loco voluisset Moyses, uti laudato Exodi loco fecit & alibi sæpius, ים סוף, *mare algæ* expressisset. Præterea castra Israelitarum eo tempore longissime posita erant a sinu Arabico: adeo ut ad illud respexisse Moysem nulla ratione possit probari. Multo probabilius dici posset, *mare* eo loco designare potissimum Mediterraneum, tum quia minus aberat a castris Israelitarum, tum quia mare illud ἁπλῶς הים *mare*, seu ים רבה, *mare magnum* dicitur, tum denique quia, trajecto mari Mediterraneo, in Syriam, *Ægyptum* & Arabiam ex Europa coturnices stato tempore commigrare solent: cujus rei vide antiquorum & recentiorum testimonia apud ipsum Bochartum supra laudato capite. Nihilominus tamen præferenda mihi videtur prior interpretatio, juxta quam occidentalem mundi plagam designatam Num. XI. 31., diximus: quia nimirum ab Occidente ventus coturnices in castra Israelitarum abegerit, non autem, ut ille voluit, a mari rubro, seu ab Arabico sinu. Video tamen, nec dissimulo, quid ille nobis opponere possit. Observat nimirum coturnices *medio vere ab Austro in Septemtrionem migrare. Quod ideo*, inquit, *hic observo, quia illo ipso tempore coturnices advexit Auster in Israelitarum castra, nempe die XXIV. secundi mensis*, &c. Sed facilis est solutio, si concedamus, eo quidem tempore aves illas ex Australibus regionibus ad Septemtrionales sua sponte adventasse, sed, vehementi illo & divinitus immisso vento Occidentali, cursum in contrariam fere partem mutare compulsas, & in eum immani numero locum coactas, ubi Israelitæ tentoria fixerant. Miraculum certe in ea re ingens & inauditum Deus patravit: quare non opus est, nec omnino juvat, ad solitas naturæ leges confugere, quod ille tamen facere voluit.

17. Nunc explanato loco libri Numer., ad Psalm. LXXVII. versiculum 26. transeamus. Sibi persuaserat Bochartus voces *Kadim* & *Theman* eo versiculo expressas non modo unum eumdemque ventum significare, nempe *Australem*, sed etiam eum ipsum ventum designare, qui Num. XI. 31. nominatur. Ego tamen multo aliter senserim: nempe, ventum Occidentalem Num. libro indicatum inservisse, ut coturnices quæ forte eo ipso tempore ad oras nostras migrabant, prope infinito numero in unum globum cogerentur, & ad desertum Pharan, ubi tunc Hebræi, contrario ipsis itinere volando deferrentur: *Kadim* autem & *Theman* Australes & æstuosos ventos effecisse, ut volare amplius non possent, humique fessæ & coacervatæ jacerent, aut saltem adeo terræ accederent, ut capientium manibus ultro se offerrent. Equidem si superiori capite satis ostendimus, perperam e sinu Arabiæ, seu a vento Australi, advectas eas volucres putasse Bochartum, quas facer Num. textus simpliciter *e mari*, seu ab Occidentali mundi plaga dicit illatas; sequitur, ut alii omnino sint venti a Davide expressi, iique alii prorsus usui a Deo adhibiti: utpote quos

quos constat Australes fuisse. Cui autem usui inservire potuerint, discere fortasse possumus ex antiquorum testimoniis magno numero ab ipso Bocharto contra suam ipsius sententiam productis. *At unum*, inquit, *potest objici*, *nempe* Austro *flante non volare coturnices. Aristoteles Hist. lib.* 8. *cap.* 12. Οἱ δὲ ὄρτυγες, ὅταν πέσωσι.... Coturnices, cum cadunt (*immo* ὅταν πέτωνται, cum volant) si sudum cælum, & ventus ab Aquilone est, sociantur & quiete degunt. At si Auster est, graviter se habent, quia non facile volant: humidus enim & gravis est ventus. Quamobrem qui aucupantur, Austrinis ventis eas aggrediuntur. *Et Plinius*, *libro decimo capite vigesimo tertio:* Austro non volant, humido scilicet & gravi vento. Aura tamen vehi volunt, propter pondus corporum, viresque parvas, *&c.*. Aquilone ergo maxime volant. *Et Solinus:* Austro numquam exeunt, nam metuunt vim flatus tumidioris. Plurimum se Aquilonibus credunt, ut corpora pinguiuscula, atque eo tarda, facilius provehat siccior & vehementior spiritus. *Eodem facit*, *quod venti* Ornithiæ *dicti*, *quasi aves adducant*, *ab Aquilone aut saltem ab Occasu flare scribuntur*. Hæc ille, & alia multa in eamdem sententiam; ita tandem concludens: *Itaque videri possit præter naturam id contigisse*, *ut Auster coturnices ad Israelitas adveheret*. *Atque ex eo ipso contendunt majus fuisse miraculum*. *Sed nihil opus est eo recurrere*. Ex his itaque colligi posse videtur, ventos illos Australes, Psalmo LXXVII. memoratos, non incitando, sed impediendo coturnicum volatui, sedato repente vento illo Occidentali, qui eas supra castra Israelitarum jam adduxerat, fuisse immissos: quod impedimentum vel ex natura ipsa ventorum Australium, juxta laudatos paullo ante Scriptores, provenire potuit, vel quod contrarii essent Occidentali vento, qui antea spiraverat, vel quod duo illi venti *Kadim* & *Theman*, seu Eurus & Notus, secum ipsi pugnarent, de quo postea dicemus. Verum Bochartus quas sibi objecerat auctoritates, ita solvere nititur: *Utut*, inquit, *Plinius & Solinus eas* (coturnices) *Austro volare simpliciter negent*, *tamen ex Philosopho hoc solum elicias*, *tum volare difficilius*, *& facilius capi*. *Quod ipsum hic momentum habet: quia ab Austro non solum advectas*, *sed & in terram dejectas fuisse scribunt Moses*, *Num.* 11. *vers.* 31., *& David Psal.* 78. 26. *Et vero falsissimum est illas Austro volare numquam*. *Sunt enim aves migratoriæ*, *quas ut Aquilones autumno a nobis avehunt*, *ita Austri vere ad nos revehunt*, &c. Quæ sane solutio & contra conjecturam nostram, & pro contraria sententia non parum in speciem valet, re autem ipsa nihil minus: sibi enim ipsa contradicit, dum eodem Australi vento coturnices incitatas & impeditas ad volandum statuit. Equidem etsi concederemus minus ad rem facere ducta ex Aristotele, Plinio & Solino testimonia, utpote hominibus in Europa, & de rebus, ut in Europa potissimum solebant contingere, scribentibus; fixum tamen manere debet & constans, vel ex ipsa Bocharti confessione, ventos Psalmo LXXVII. expressos non incitasse coturnices ad volandum, sed retardasse, atque in terram dejecisse, ut ex vers. 27. & 28. liquide apparet. Neque etiam ejus sententiam multum juvat, quod tamen præcipuum est, si concedamus Australes ventos in nostras regiones ex orientalibus australibusque plagis coturnices ineunte vere quotannis revehere: nam, si quidem ita sit,

id

id muneris adscribere oportebit statis quibusdam constantibusque ventis, quos ἐτησίας seu ὀρνιθίας dicere græco nomine possumus; non autem Dei omnipotentia, ac præter naturæ leges repente excitatis flatibus contra occidentalem ventum, Num. XI. 31. expressum. Profecto si *Occidentali* vento ad castra Israelitarum coturnices Deus coegit, frustra sunt omnia quæ de Austris commentus est Bochartus; ruit etiam funditus ejus conjectura, qua vocibus *Kadim* & *Theman* unum eumdemque ventum significari in sæpius laudato Psalmo sibi persuaserat. Stet itaque, Hebræis קדים esse *Orientalem* ventum, & numquam pro תימן, seu *Austro* usurpari: quidquid secus visum Græcis interpretibus, idque ob peculiares ipsis rationes suo loco indicatas. Neque obstat, quod duo illi venti uno eodemque tempore spirasse ponantur: *quum*, utar ipsis Bocharti verbis, *non sint contrarii, & simul flare & flare possint: unde Poeta summus,*

Una Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis
Africus.

Et multo ante Homerus, Iliad. π' *versu* 765.

Ὡς δ' Εὖρός τε Νότος τ' ἐριδαίνετον ἀλλήλοιιν.

18. Hactenus adversus Bochartum, quem tamen ob immensam eruditionis copiam, qua ejus scripta redundant, suspicimus magnique facimus. Nunc ad Clericum revertamur, hominem qui ne comparari quidem cum illo possit, quod ad eruditionem spectat; quamvis audacia & opinandi licentia omnes facile superaverit. Hic nimirum, postea quam contra plurima & aperta Scripturæ testimonia nec divisum mare rubrum, nec hinc inde suspensas, & quasi concretas ejus aquas, ut supra vidimus, agnoscere voluit: postea quam contra omnium Scriptorum consensum, suamque ipsius assertionem, ventum *Kadim*, seu *Orientalem* fuisse Septemtrionalem contendit, ea unica de caussa, quia unus hic commento suo stabiliendo inserviret; ut novitatis notam effugiat, patrocinium sententiæ suæ demum ducere nititur ex auctoritate Josephi, qui tamen ipse in eo reprehensionem effugere nequit, vel saltem excusari vix potest. Verba Clerici sunt, num. VI. *Sed auctoritate Josephi invidiam placare hic possumus, quippe qui simile quiddam in animo habuisse videtur, cum transitum Israelitarum itineri Alexandri per mare Pamphylium, contulit hisce verbis, ad lib. II. Antiq. calcem:* (græcum textum compendii gratia omittimus: Josephi autem hæc verba sunt a Clerico producta) Nemo miretur incredibilem hunc historiæ eventum, si priscis hominibus & malitiæ ignaris, inventa est etiam per mare salutis via, seu Deo volente, seu casu: quandoquidem & Alexandro Macedoniæ regi, qui non ita pridem vixit, Pamphylium mare cessit, nec viam aliam habenti per se præbuit, cum Deus Persarum imperium destruere vellet. *Non inquiram* (subdit statim Clericus) *an per omnia hi eventus, auctore Josepho, conferri possint: certe falsum est, nullam aliam Alexandro fuisse viam, & alia sunt dissimilia: at hoc utrobique simile judicavit, nec immerito, quod per mare patuisset ei iter mutato vento, quo flante illac transire non licebat:* Hæc ille: sed multo diversam fuisse Josephi de utroque illo trajectu opinionem satis apparet ex præcedentibus. primum enim diserte tradit Moysem & ejus exercitum in eas angustias redactos, ut non nisi miraculo, eoque insigni, evadere inde incolumes possent; tum refert a

Moyse, post preces ad Deum fusas, percussum virga mare; hoc autem eo ictu repente scissum, ἀνακοπὲν, inque se ipsum recedens, nudum solum Hæbreis ad fugam capessendam reliquisse: quem ipsum locum ab ipso Clerico, sed immeritò, supra impugnatum vidimus. Postremo, si quæras, in toto illo capite nulla venti mentio est, nisi ubi agitur de Ægyptiorum submersione: præterea ita perpetuo loquitur, ut per medium mare viam per summum miraculum Israelitis patefactam significet, professus postremo se in eo sacri Codicis auctoritatem sequutum: *Hæc ego*, inquit, *ut in sacris Codicibus inveni, ita sigillatim descripsi*. Hactenus nihil occurrit, in quo Josephus Clerico suffragetur: quamobrem ea omnia hic silentio præteriit, ex quibus tamen sincera Josephi mens aperte perspicitur: nam in iis quæ statim subdit, quæque a Clerico avide arrepta fuerunt, non quod ipse ex Scriptura & ex recepta apud suos sententia hauserat, exposuit, sed curavit ut quodammodo temperaret & extenuaret, quæ apud incredulos gentiles, & Horatianum illud, lib. I. Serm. Sat. V. v. 100. & seq., *Credat Judæus apella, Non ego*; ipsi sæpius fortasse ingerentes, minus verisimilia & cum risu excipienda fore veritus est: in quo non hoc loco tantum, sed alibi etiam, nec raro, contra Historiæ leges, religionemque ipsam peccavit. Ad faciendam itaque rei a se narratæ fidem, comparationem instituit inter Hebræorum transitum per mare Erythræum, & maria circa Pamphyliam recessum Alexandri exercitu illac transeunte; quæ quidem comparatio multis de caussis vitiosa est. neque tamen in eo admodum esset reprehendendus, nisi hæc etiam verba inseruisset: *Seu Dei voluntate, seu casu*; quæ tamen ipsa, quum & ipsius historiæ, & Scripturarum auctoritati palam refragentur, non ex sua propria, sed ex incredulorum potius sententia inseruisse admodum probabile sit: quo spectant & quæ paullo infra adiecit: *Sed de his, ut cuique libet, ita sentiat*. Postremo illud constat, Josephum non comparasse inter se rationem, qua vel Hebræis, vel exercitui Alexandri mare iter præbuit, quod tamen ex ejus verbis perperam exsculpere nititur Clericus: non æstum ille maris, non ventum vehementem qui æstum præter modum auxerit, in caussa fuisse dicit, cur mare pervium illis fuerit: sed rem tantum gestam utroque in trajectu comparat, ob quamdam utriusque similitudinem, idque in gentilium, sive incredulorum gratiam. Ex his itaque apparet Clerici audacia, qui Josephum obtorto collo in suas partes trahere sit ausus, atque adeo in ipsa Dissertationis fronte hæc verba præfixerit: *Ventum auxisse æstum maris in Oceanum refluì, non divisisse aquas utrimque coacervatas, ut, perperam intellecto Mose, vulgo creditur ..... Josephum rem hoc modo intellexisse, cum trajectui Israelitarum contulit Alexandri transitum per littus Pamphylium*.

19. Sed ut hujus Scriptoris impietas & perversa mens liquidius apparest, libet referre quæ in eo ipso Differt. lemmate verba jungit superioribus: *Cui*, inquit de Josepho, *potuisset addere P. Scipionis egregium facinus;* tum ex ipsa Differt., num. VI., integrum de Scipionis facinore locum describere. Est autem hujusmodi: *Potuisset etiam Josephus, si scivisset, ut Romanis historiæ Hebræorum fidem detrahentibus os occluderet, addere ex Livio, lib. XXVI c. 45., historiam, ubi qua ratione Carthago nova a P. Scipione Africano capta sit, narrat*. Ipse,

ut

ut ei nuntiatum est, æstum decedere (quod per piscatores Tarraconenses, nunc levibus cymbis, nunc, ubi eæ siderent, vadsa pervagatos stagnum, compertum habebat, facilem pedibus ad murum transitum dari) eo secum armatos duxit. Medium ferme diei erat, & ad id quod sua sponte, cedente in mare æstu, trahebatur aqua, ACER etiam SEPTEMTRIO ortus inclinatum stagnum, eodem quo æstus, ferebat; & adeo nudaverat vada, ut alibi umbilico tenus aquæ essent, alibi genua vix superarent. Hoc cura & ratione compertum, in prodigium ac Deos vertens Scipio, qui ad transitum Romanis mare verterent, & stagna auferrent, viasque ante numquam initas humano vestigio aperirent, Neptunum jubebat ducem itineris sequi. *At hoc* (pergit Clericus, alludens ad illa Livii verba, *Hoc cura & ratione compertum*) *saltem ratione comperire non potuit Scipio, uti nec Alexander, Septemtriones tum spiraturos, cum spirare eos necesse sibi fores; & quandoquidem Deus Ethnicorum res, non Hebræorum dumtaxat, providentia complexus est, nihil obstat, quominus tum naturæ caussas interdum adjuvisse data opera, existimare possimus.*

20. Adeo multa sunt & gravia, quæ se mihi hoc loco offerunt animadvertenda & reprehendenda, ut quid prius, quid posterius exsequar, non satis compertam. Vides sane, præclare Lector, ut Clericus non contentus ex testimonio Josephi (quod tamen justa reprehensione non vacat) præsidium sibi comparare, illudque ipsum in multo pejorem quam ille voluit partem interpretari, eo demum progrediatur, ut in historia excidii Carthaginis novæ aliud ipse exemplum inveniat, quo trajectum Israelitarum per mare rubrum juxta suum sententiam declaret, atque adeo Josepho ipsi veluti suggerat, quo pacto *potuisset etiam Romanis historiæ Hebræorum fidem detrahentibus* (quæ perinde valent, ac si dixisset, omnibus incredulis, etiam postea futuris) *os occludere*. Perlecto tamen Livii textu, nullum in ea re miraculi vestigium vel subobscurum elucet: quin potius aperte significatur P. Scipionem strenuum quidem ducem, sed eumdem etiam astutum & impostorem, qui militum animos vana religionis specie ceperit: nimirum, ita uti initio ipso Dissertationis Clericus incredulos de Moyse duce Israelitarum disputantes induxerat, cujus verba supra dedimus num 5., quæ nunc conferre operæ pretium erit. Hoc nimirum sibi voluit tanto molimine Clericus, ut Moysem ope Divina & singulari miraculo per mare Idumæum siccis vestigiis Hebræos traducentem compararemus cum Scipione Carthaginis mœnia cum parte exercitus per vada subeuntem. Præclaro hoc argumento nos docuit *os occludere historiæ Hebræorum fidem detrahentibus*; nempe, ut eos qui sibi fingunt Moysem *virum callidum id pro prodigio apud imperitam multitudinem venditasse, quod solitis naturæ legibus factum erat*, revincamus & ad sanam mentem reducamus proposito exemplo Scipionis, qui, Livio teste, quod *cura & ratione compertum habebat, in prodigium ac Deos vertit*. Postremo, quod Livius gentilis homo, & superstitionis ac credulitatis nimiæ in prodigiis referendis passim notatus, ne cogitavit quidem; miraculum aliquod, ejusdemque fere generis, ac in trajectu maris rubri factum alibi statuit, in ea Carthaginis expugnatione, nec non in Alexandri per Pampbyliam transitu intercessisse Clericus non abnuit, idque in eo collocat, quod

nec Scipio, nec Alexander *ratione comperire potuerint*, *Septemtriones tum spiraturos*, *cum spirare eos necesse sibi foret*: atqui idem Livius aperte tradit, *aerem Septemtrionem ortum* Scipioni occasionem dedisse ejus facinoris aggrediendi: idque ipsum de Alexandro ex Arriano ab eodem Clerico producto colligitur. Eo itaque redit res, ut propterea miraculum intervenisse credi debeat, quod non statim & ex improviso quieverit Aquilo, & in ejus vicem spirare cœperit Australis ventus: quum potius miraculi speciem quamdam haberemus, si id accidisset, uti revera & per summum miraculum contigit, ubi Deus divisum mare rubrum in Ægyptiorum perniciem repente conjunxit, uti liquet ex Ex. XV. 10.. Sed nec præteriri fine reprehensione debet ratio alia, quam ducit ex providentia Divina, quam *Ethnicorum res*, *non Hebræorum dumtaxat complecti* monet: quasi vero ubi de miraculo agitur, ad providentiam ordinariam confugere opportunum sit; aut non satis ex Scripturis appareat, Deum Hebræorum gentem singularibus beneficiis cumulasse, & speciali providentia prosequutum.

21. Idem tamen, ne quid dissimulem, num. IX. discrimen aliquod collocat inter duos illos insignes in historia profana eventus, & trajectionem maris ab Hebræis factam.. sed in quo demum collocat? Cum ejus generis miraculorum κριτήριον, seu indicium in eo potissimum situm esse velit, ut præmonente Deo cognita ante fuerint, quam contigerint (de quo tamen satis egimus supra num. 4.) miraculum ideo constare vult in transitu rubri maris, quia a Moyse præcognitus & prædictus fuerit rei futuræ eventus, non ita in eo quod contigit Alexandro & Scipioni, quippe qui de felici eventu divinitus non fuerint moniti, sed occasione sibi oblata gnaviter usi sint tantum. Quam imbecille autem, aut inane hoc ejus perfugium sit, quisque per se facile perspicit: præcipue quum ab incredulis facile aut negari, aut in quæstionem revocari possit, num Moyses ipse revera prædixerit quæ futura erant, rursusque ab iisdem contendi, non temere negandam esse fidem aut Scipioni, aut Alexandro, qui sibi Divini numinis impulsum & præsidium adfuisse testati sunt. Nam licet Plutarchus id neget de Alexandro, affirmat tamen Arrianus his verbis: οὐκ ἄνευ τοῦ θείου, ὡς αὐτός τε καὶ οἱ ἀμφ' αὐτὸν ἐξηγοῦντο, *Non sine numine*, *ut ipse* Alexander, *& qui cum eo erant*, *prædicabant*. Quid? quod Plutarchus ipse testatur multos Historicos ita rem scriptis suis exposuisse, ut *in prodigium ac Deos verterent*: utor Livii verbis de Scipione scribentis. Porro hæc a me obiter dicta sunt, non quod in hujusmodi rebus fidem aliquam habendam esse velim Ethnicis Scriptoribus, sed ut appareat quo demum perducat instituta a Clerico inter Moysem & Alexandrum ac Scipionem comparatio.

22. Illud postremo loco nobis refellendum restat, quod Clericus num. VII. quasi certum & exploratum statuit: *Credidisse nimirum Ægyptios*, *Israelitas æstus præter solitum majoris occasione uti*; *ideoque sibi etiam quamprimum transeundum*, *ne redeuntibus fluctibus via intercluderetur*. *Quamquam ira furebant Ægyptii*, *non sunt tantæ insaniæ incusandi*, *ut si prodigium hic esse suspicati essent*, *attamen in maris alveum descendere non dubitassent*; *prodigium autem sine dubio factum hic vidissent*;

Digitized by Google

sent, nisi rem insolito æstui tribuere eum aliqua veri specie potuissent. Ovum ovo, ut est in proverbio, tam simile non est, quam hoc Clerici, ac eorum quos se refutaturum initio promiserat, argumentum: adeo verum est, quod alibi diximus, mala prorsus eum fide & collusorie agere. Confer, quæso, quæ ipse num. I. ex persona incredulorum objecerat, quæque a nobis supra num. 5. recitata fuerunt, ita nimirum ille *adversariorum objectionibus* respondet: quod num. II. in se receperat. Verum quod ille non præstitit, nos facili negotio expediemus, si statim negaverimus, humana prudentia ductos *æstum præter solitum majorem* agnovisse Ægyptios, sed dixerimus temeritate, seu potius cæcitate mentis, & divinitus immissa stupiditate abreptos, ut in apertam perniciem & mortem ultro se darent. Num hoc ego gratis assero, aut ex ingenio confingo? absit. Sacri textus auctoritas mihi præsto est, Ex. XIV. 17. *Ego autem*, inquit Deus, *indurabo cor Ægyptiorum, ut persequantur vos*. Heb. textus, ואני הנני מחזק את לב מצרים ויבאו אחריהם: *Et ego ecce me confirmantem*, vel *indurantem*, *cor Ægyptiorum*, *& venient*, vel *ut veniant*, *post vos*. Si in eo operam suam Deus se collocaturum promisit, ut Ægyptii per siccum maris alveum Hebræos sequerentur, idque illorum cordi, seu menti, hebetudinem quamdam offundendo: ergo id numquam illi scientes & volentes fecissent, ut mari se committerent: ergo vel ipsis oculis cognoscere poterant, *ni mens non læva fuisset*, per summum prodigium iter his per medium mare repente patefactum, ut ita incolumes ex ipsorum evaderent manibus. Excæcavit itaque & obduravit Deus Ægyptios, ut eos in illam veluti muscipulam illiceret, caperet & opprimeret. Verum quod illi prodigium initio non agnoverunt, statim postea confessi sunt, quum imminens ipsis exitium sentientes, subitoque timore perculsi, exclamaverunt, *Fugiamus Israelem*; *Dominus enim pugnat pro eis contra nos*. Quæ itaque excusatio superest, quæ venia speranda est Jo. Clerico, & ceteris incredulis, quorum ille se fingit adversarium; quum tanto ante patratum miraculum, sacrisque litteris passim celebratum, tum Hebræorum Christianorumque unanimi consensu decantatum, vel negare palam, vel ingeniosis excogitatis fallaciis elevare atque imminuere, ne dicam plane evertere atque subruere, per summum scelus sint ausi?

Pag. 25. lin. 21. *cujus hæc vis fuit, ut*, &c.) Persuasum scilicet Severo fuit, lignum a Deo Moysi ostensum, Ex. XV. 24., ea præditum fuisse virtute, ut aquis amaris dulcedinem infunderet: in quam sententiam inclinat etiam S. Augustinus lib. II. Quæst. in Exodum, quæst. LVII. *Genus ligni erat istam habens vim, an quolibet ligno id facere poterat Deus, qui tanta mirabilia faciebat? Hoc tamen videtur significare quod dictum est*, Ostendit ei, *tamquam tale jam lignum esset, quo posset hoc fieri*, &c. Hanc quæstionem tractat & Clericus, Comm. in eum Ex. locum, his verbis: *Hic dubium oritur: an nimirum virtute quæ ligno inesset, aqua dulcis facta sit, an singulari voluntate divina. Prius videntur verba Mosis suadere: alioqnin si mero miraculo factum hoc fuisset, non opus erat certam speciem ligni Mosi ostendi, quam in aquam injiceret*: virga Dei, *qua tot prodigia ediderat, hanc in rem poterat uti*. *Hinc Si-*

rachi-

rachides *cap. XXXVIII.* 4. 5. Dominus creavit e terra pharmaca; & vir prudens ea non ſpernit. 'ουκ 'από ξύλου ἐγλυκάνθη ὕδωρ, εἰς τὸ γνωσθῆναι τὴν 'ισχὺν αὐτοῦ ἀπὸ ἀνθρώπου; an non ligno dulcuit aqua, ut innoteſceret vis ejus hominibus? *Joſephus initio lib. III. vult quidem Moſem lignum ad pedes jacens fiſſum in aquas miſiſſe, ſed dulcem non eſſe factam, niſi maxima parte exhauſta; quod unde habuerit, neſcio. Difficile tamen eſt intellectu, qua ratione aqua ſalſa injecto ligno dulceſcat, præſertim tanta copia, quanta tot hominum myriadibus neceſſaria erat.* Equidem res multo planior & captu facilior eſſet, ſi non ipſos fontes, ſed aquam inde hauſtam, injecto ligno, obdulcuiſſe poneremus: cui ſane conjecturæ non obſtant Exodi & Eccleſiaſtiei loca: obſtare tamen videtur textus libri Judith, cap. V. 15., ex latina Hieronymi verſione, ubi legitur: *Illic fontes amari obdulcati ſunt eis ad bibendum*, quæ tamen verba fruſtra quæras in Græca verſione, uti alia multa eodem capite & alibi. Certum itaque ſit, non eſſe hoc loco ad miraculum confugiendum, quæ communis fere Interpretum ſententia eſt: neque enim, puto, ulla ratio habenda eſt eorum quæ ad hunc locum commenti ſunt Rabbini, quæque a Calmeto & aliis commemorantur. Utrum autem ex laudato libri Judith loco inferendum neceſſario ſit, ipſos fontes ab amaritudine liberatos, non vero aquam inde extractam, & in vaſis, pro ut unicuique opus erat, ſervatam, aliis judicandum relinquam.

Pag. 28. lin. 6. *Non concupiſces quidquam*, &c.) Quoniam in Notis ad hunc locum promiſi me fuſius acturum de Decalogi, ſeu decem præceptorum diſtinctione, fidem nunc meam utcumque liberabo. Primum itaque, quæ Auguſtinus Calmetus in Exodi XX. 1. de hac quæſtione ſcripſit, commemorabo, ex latina Cl. Viri Jo. Dominici Manſii interpretatione. *Decalogi præcepta decem*, inquit, *omnes recenſent, nec obſcure eum numerum præfert Scriptura: ſed veteres æque & recentiores Interpretes inter ſe diſcrepant, quonam ordine illa diſtinguantur. Joſephus* (lib. III. Antiq. c. 4.), *Philo* (de Decal.), *Origenes* (Homil. 8. in Exod.), *Pſeudo-Athanaſius in Synopſi*, *Heſychius*, *Ambroſiaſter*, *& Hieronymiaſter in epiſtolam ad Epheſios*, *quattuor præcepta Deo tribuunt*, *ſex reliqua proximo*. *Porro verba illa*, Non habebis Deos alienos coram me, *ita accipiunt*, *veluti ſi aliud haberent præceptum ab illo*: Non facies tibi ſculptile. *Hanc pariter diviſionem præceptorum ſequuntur Judæi*. *Verum S. Auguſtinus* (quæſt. 71. in Exod., & ep. LV. nov. edit., Clem. Alex. lib. 6. Strom., Hieron. in Pſ. 32. &c.) *cum aliis ſane multis*, *nonniſi tria præcepta ad Deum relata*, *ſeptem vero ad proximum agnoſcit*; *jungit autem illa*, Non habebis Deos alienos coram me, *cum proxime ſuccedentibus*, Non facies tibi ſculptile. *Poſt verba illa*, Honora patrem tuum, & matrem tuam, *& deinceps*, *ſeptem præcepta recenſet*, *inducto diſcrimine inter illud*, Non concupiſces domum proximi tui, *ab altero*, Non deſiderabis uxorem ejus. *Tandem fatendum eſt*, *totam hanc diſtinguendorum præceptorum rationem ex arbitrio tantum eſſe*. ſeu, ut in alia verſione: *Sed revera fatendum eſt*, *omnem hanc diſtinctionem eſſe arbitrariam*. Hoc poſtremum ita accipio, ut non cuilibet liberum eſſe velit, pro ut ipſi magis libuerit, decem præcepta diſtinguere, ſed tantum, alterutram ex laudatis duabus ſententiis,

Digitized by Google

tiis, salva religione, amplecti. Ego tamen, quamvis nullam satis idoneam caussam subesse videam, propter quam a recepta post S. Augustinum apud Latinos fere omnes Orthodoxos sententia discedendum sit, præcipue in Catechismis & libris ad rudiorum instructionem accommodatis; id unum mihi tamen assumo, ut diligentius inquiram & proponam argumenta, quæ alteram sententiam, ab antiquis Græcis & Latinis Patribus pari fere consensu traditam, fulcire videntur, aut olim visa sunt.

Equidem eo potissimum redit quæstio, ut si unum *de non concupiscendo* præceptum agnoscere quis malit, ipsi aliunde supplere oporteat, idque ex præceptis ad Divinum cultum spectantibus, unum aliquod caput, quo denarium præceptorum numerum expleat: de quo paullo infra agemus. Quod itaque spectat ad illud, *Non concupisces*, &c, duo in eis verbis præcepta non distinguunt Hebræi, teste etiam Lyrano, nec olim distinxerunt, ut patet ex Josepho, lib. III. Antiq. cap. 4., & Philone, non solum in libro de Decalogo, seu περὶ τῶν δέκα λογίων, sed etiam in libro qui inscribitur, *Quis rerum Divinarum heres sit:* idque etiam, quod maxime attendendum est, non obscure colligi potest, ex ipso Novo Testamento, puta ex Matth. V. 27. & seq. Nam si, ut omnino verisimile est, vers. 27. ejus cap. citatur Decalogus, cum dicitur: *Audistis, quia dictum est antiquis: Non mœchaberis*; non opus fuisset Christo, ut vers. seq. adderet: *Ego autem dico vobis*, &c., quin potius ex ipsa Decalogo (Decalogum femineo genere dicimus, sequuti auctoritatem Philonis, Clementis Alex., Basilii, Gregorii, Cyrilli, & aliorum, a quibus constanter ἡ δεκάλογος effertur) olim prohibitam declarasset alienæ uxoris, seu cujuscumque mulieris libidinosam concupiscentiam: si ita ab Hebræis intellectum fuisset præceptum illud. Huc etiam nonnulli referunt locum Marci, X. 19., ubi Christus aliquot præcepta Decalogi recitans, postremum illud exprimere videtur his verbis, μὴ ἀποστερήσῃς, *ne fraude spolies*, seu *ne fraudem feceris:* quasi nimirum, postquam furtum & adulterium jam vetitum fuerat, hoc præterea capite prohibeantur fraudes omnes & malæ artes, licet specie juris obvolutæ, quibus alienæ res, atque adeo uxores ipsæ, in alterius potestatem pervenire possunt. Hunc ipsum Marci locum recitans Tertullianus lib. II. adv. Marcionem, cap. 17. legit, *alienum non concupisces. Tamen non a tuo*, inquit, *Deo didicit creator meus præscribere*: Non occides, non adulterabis, non furaberis, non falsum testimonium dices, alienum non concupisces, honora patrem & matrem, & diliges proximum tuum sicut te ipsum. Hæc eadem fere habet, licet ordine aliquantum inverso, in lib. adv. Judæos, cap. 2.; licet neutro in loco ad Marci Euangelium, sed potius ad Moysis libros ipse videatur respexisse. His adde Paulli verba ad Rom. VII. 7. *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, Non concupisces*, & XIII. 9. ubi iterum inter cetera Decalogi præcepta hoc unum recenset tantummodo, *Non concupisces*. Equidem Vulgata tum Exodi XX. 16., tum Deuter. V. 21. suadet unum esse præceptum. Hebraicus tamen textus, licet Ex. XX. cum Vulgata prorsus concordet, in Deuter. tamen ita habet: *Et non concupisces*, ולא תחמד (quo verbo bis utitur Moyses Ex. XX. 16.) *uxorem proximi tui, & non desiderabis*, ולא תתאוה, *domum proximi tui*,

agnum

agnum ejus, &c., ex quibus duo distincta præcepta facilius exsculpi possint. Postremo LXX. Intt. utroque in loco legunt, ut in Hebr. cap. V. Deuter.: nimirum, *Οὐκ ἐπιθυμήσεις τὴν γυναῖκα τοῦ πλησίον σου· οὐκ ἐπιθυμήσεις τὴν οἰκίαν τοῦ πλησίον σου*, &c.: quare S. Augustinus, qui in primis distinguenda censuit duo illa præcepta, persuasus potissimum videtur ex lectione antiquissimæ latinæ editionis, qua utitur, e græca τῶν LXX. expressæ. Ita enim ille, quæst. LXXI. in Exodum, ubi fusius de his agit: *Concupiscentia porro uxoris alienæ, & concupiscentia domus alienæ, tantum in peccando differunt, ut illi quod dictum est*, Non concupisces domum proximi tui, *adjuncta sint & alia, dicente Scriptura*, neque agnum ejus, neque servum ejus, neque ancillam ejus, neque bovem ejus, neque subjugale ejus, neque omne pecus ejus, neque quæcumque proximi tui sunt. *Discrevisse autem videtur concupiscentiam uxoris alienæ a concupiscentia cujuslibet rei alienæ, quando utrumque sic cœpit*, Non concupisces uxorem proximi tui, Non concupisces domum proximi tui, *& huic cœpit cetera adjungere. Non autem, cum dixisset*, Non concupisces uxorem proximi tui, *huic contexuit alia dicens*, neque domum ejus, neque agnum ejus, neque servum ejus, *& cetera: sed omnino apparent hæc esse conjuncta quæ uno præcepto videntur contineri, & discreta ab illo ubi uxor nominatur*. Hæc ille, ut apparet, ex versione τῶν LXX.: quam tamen cum usurparent alii Patres, in contrariam nihilominus sententiam abierunt.

Neque tamen Augustinus omnium primus distinguenda duo illa præcepta censuit, sed quum jam tum opinionum discrepantia nata esset, hæc illi *congruentior* sententia visa est, ea potissimum de caussa, quod qui secus sentiebant, non satis apte distinguere viderentur, *Non erunt tibi dii alii præter me*, ab iis quæ sequuntur: *Non facies tibi idolum*, &c. *Mihi tamen*, inquit, *videtur congruentius accipi tria illa*, (nempe quæ ad Deum spectant) *& ista septem* (quæ ad proximum referuntur), *quia & Trinitatem videntur illa quæ ad Deum pertinent, insinuare diligentius intuentibus. Et revera quod dictum est*, Non erunt tibi Dii alii præter me, *hoc ipsum perfectius explicatur, cum prohibentur colenda figmenta. Concupiscentia porro*, & cetera, ut supra, post quæ rursus: *Illud autem ubi dictum est*, Non erunt tibi dii alii præter me, *apparet hujus rei diligentiorem exsecutionem esse in iis quæ subjecta sunt. Quo enim pertinet*, Non facies tibi idolum, neque ullum simulacrum, quæcumque in cælo sunt sursum, & quæcumque in terra deorsum, & quæcumque in aqua sub terra: non adorabis ea, neque servies illis, *nisi ad id quod dictum est*, Non erunt tibi dii alii præter me? Hactenus Augustinus. Præterea, nec plane inter se concordasse antiquos Patres & Scriptores in distinguendis præceptis quæ ad Dei cultum referuntur, observatum fuit a Guillelmo Estio in lib. III. Sent., dist. 37. §. IV. his verbis. *De numero præceptorum Decalogi, eorumque ordine inter se, satis inter Scriptores convenit ex auctoritate Scripturæ.... Ceterum non perinde liquet, quo pacto decem illa verba fuerint in duas tabulas distributa; cum id Scriptura non explicet, & super hac re diversi diversa senserint. Philo Judæus* (in explicatione Decalogi) *& Josephus* (lib. 3. Antiq. cap. 4.) *& post eos Clemens Alexandrinus* (lib. 6. strom.) *Origenes* (Homil. 8. in Exod.) *singulis tabulis quinque præcepta inscribunt, sed ita, ut primum primæ tabulæ præceptum faciant:* Non habebis Deos alie-

lienos, *secundum*, Non facies tibi sculptile, *tertium de juramento*, *quartum de Sabbato*, *quintum de honorandis parentibus* (quod præceptum ad eas leges Philo primus retulit, quæ Deum spectant, quod honor qui habetur parentibus, ad ipsum Deum referatur, parentem omnium). *Reliqua vero suo ordine inscribunt alteri tabulæ, sic ut de non concupiscendo præceptum unicum statuant, tametsi non nihil ab aliis discordet Clemens, ut apud eum videre est. Nonnulli, ut Hieronymus* (ad 10. cap. Oseæ) *& Hesychius* (in Lev. 26.) *tria præcepta collocant in prima tabula, sed ita, ut primum sit*, Ego sum Dominus Deus tuus, *secundum*, Non habebis Deos alienos, *tertium*, Non facies sculptile. *Itaque reliqua omnia in posteriorem tabulam rejiciunt, expuncto Sabbati præcepto, tamquam ad Christianos non pertinente. Alii prioris tabulæ quattuor præcepta statuunt, posterioris septem* (leg. *sex*), *ut fere Græci, eatenus Clementis & Origenis, ac Judæorum Philonis & Josephi sententiam secuti, quod duo distincta præcepta faciant, alterum de Diis alienis, alterum de sculptili. Qua in sententia est etiam Auctor Operis imperfecti in Matthæum* (apud Chrysost., Hom. 49.) *& Auctor Quæst. Vet. & Novi Test.*, *q.* 7. (inter opera Augustini).

Hæc Estius, non multo sane apertiora & enucleatiora, quam supra Calmetus: in utroque enim nonnulla notanda essent παροράματα in citandis Patribus, eorumque sententiis referendis. Ex. gr. Calmetus, inter eos qui quattuor præcepta Deo tribuunt, sex reliqua proximo, citat *Ambrosiastrum & Hieronymiastrum in Ep. ad Ephesios*, seu, ut in alia versione, *Interpretes in Epist. ad Ephes. nomine S. Ambrosii ac S. Hieronymi*. Habentur quidem duo Commentarii in Epist. ad Ephes., alter Ambrosio Mediolanensi, alter Hieronymo falso adscripti, in quibus ea sententia traditur: sed cur potius verus Hieronymi in eam Epist. Commentarius non laudatur? In hoc nimirum Commentario, in illud ad Ephes. VI. 2. & 3. *Honora patrem tuum & matrem tuam (quod est mandatum primum in promissione) ut bene sit tibi, & longævus sis super terram*, perspicue habetur: *Quod mandatum in Decalogo quintum est. Unde quærendum, quare nunc dixerit*, quod est mandatum primum: *quum primum mandatum sit*, Non erunt tibi dii alii præter me. *Quamobrem nonnulli ita legunt*, Quod est mandatum primum in promissione: *quasi quattuor alia mandata, quæ ante dicta sunt, non habeant promissiones, & in hoc solo pollicitatio feratur adjuncta*, ut bene sit tibi.... *Sed videntur mibi non observasse subtilius, & in secundo mandato repromissionem esse sociatam. Ait enim*, Non facies tibi idolum, neque omnem similitudinem ...... *Observa enim quod verba sint sponsionis*, Faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, & custodiunt mandata mea. *Forsitan ergo*, &c. Porro ex his poterat etiam Estius Hieronymi mentem de distinctione decem præceptorum certius haurire, quam ex Comm. in cap. X. Oseæ, ubi obiter tantum habet, *Hæ duæ iniquitates contra duo Decalogi erupere præcepta, in quibus dicitur*, Ego Dominus Deus tuus: non erunt tibi dii alii absque me. Quod rursus Calmetus citat Hieronymum in Psal. XXXII., satis jam exploratum est, librum illum non ad magnum Hieronymum, sed ad monachum aliquem sequioris ætatis, eumque in Britannia degentem, esse referendum: qui sane Augustini libros præ oculis habuisse videtur, quum scribat, *Tria mandata in una tabula, quæ ad fidem Trinitatis pertinent, hæc sunt*, &c.

Itaque si Hieronymus in supra laudato loco quintum præceptum numeravit id quod præcipit honorem parentibus, sequitur ut decimo concluserit id quod concupiscentiam omnem prohibet; sequitur etiam, ut quartum mandatum computaverit, quo Sabbati sanctificatio jubetur: non itaque ab Estio eidem affigenda fuit sententia illa, quæ præceptum illud, utpote a Christianis, qua parte cæremoniale est, mutatum, ex Decalogo omnino expungendum comminiscitur. De Hesychio, qui in eadem sententia fuisse additur, judicium interim suspendo: quoniam ejus in Levit. septem Explanationum Allegoricarum libri non sunt mihi ad manus. Video tamen a Calmeto Hesychium inter eos numerari, qui quattuor ad Deum, sex ad proximum Decalogi præcepta referat: quare magis adhuc anceps hæreo. Ceterum posteriores Græci, & nonnulli etiam ex Latinis, ab antiquioribus non adeo discordant in decem præceptorum distributione, ut in eo quod mandatum de honorandis parentibus, quod utrique quintum recensent, non ad primam, ut illi, sed ad secundam tabulam referant: de quo tamen erit infra dicendum.

Porro ex modo dictis apparet, non magni momenti esse discrepantiam ab Estio indicatam: adeo ut qui quattuor præcepta ad Deum referunt, in eo fere consentiant, ut secundum ab his verbis incipiant: *Non facies tibi sculptile*. Neque vero tanta est hujus præcepti cum primo affinitas & connexio, ut ab eodem commode distingui non possit: præcipue cum agatur de crimine gravissimo coercendo, in quod Hebræi admodum propensi erant. *Cum enim dicitur*, Non habebis Deos alienos, *prohibetur actus interior idololatriæ: cum autem additur*, Non facies tibi sculptile, *&c.*, *prohibetur actus exterior*. Ita Bellarminus, lib. II. de Reliq. & Imag. Sanct. cap. VII., cum quo monemus cavendam esse, & maxime detestandam hæreticorum ex Calvini grege fallaciam, qui concludere inde volunt, Divina hac lege vetitum cultum & honorem, quem Catholici religiose præstant sacris imaginibus, quas ipsi antiquorum Iconomachorum, tum Wiclefistarum errorem ab Ecclesia sæpius proscriptum exsuscitantes, e medio tollere gestiunt. Placet ex ipso pauca transcribere, quæ ad quæstionem nobis propositam referuntur. *Si prohiberetur*, inquit, *omnis imago*, *sequeretur præcepta Decalogi non esse tantum decem*, *sed undecim*, *vel duodecim*, *contra Scripturam*, *quæ dicit esse decem*, *Exod.* 31. *&* 34. *Deut.* 4. 9. *&* 10. *Nam constat unum præceptum esse:* Non habebis Deos alienos, *Alterum* Non assumes nomen Dei in vanum, III. Sabbata sanctifica, IV. Honora parentes, V. Non occides, VI. Non mœchaberis, VII. Non furaberis, VIII. Non dices falsum testimonium, IX. Non concupisces, *Ista novem sine controversia sunt distincta*. *Porro illud*, Non concupisces, *vel debet dividi in duo*, *ut nonum sit*, *Non concupisces uxorem alienam*, *decimum*, *Non concupisces rem alienam*; *vel ista omnia ad unum pertinent*. *Si debet dividi in duo*, *ergo illud*: Non facies tibi sculptile, *erit undecimum*, *vel oportet dicere illud non esse præceptum distinctum a primo*, *ut revera dicunt Clemens Alexandrinus lib.* 6. *Strom.*, *Augustinus quæst.* 71. *in Exod.*, *& epist.* 119. *cap.* 11., *& communiter Scholastici*, 3. *sent. dist.* 37. *& Catechismi omnes Latini*. *Et tunc non prohibetur sculptile quodcumque*, *sed solum sculptile*, *quod habetur pro Deo alieno*. *Si autem*, Non concupisces, *est unum tantum*, *ut existimant Philo in libro de Decalogo*,

ante

Digitized by Google

ante medium, *Josephus lib. 3. Antiq. cap. 6. & 8.*, *Origenes Homilia 8. in Exod.*, *Ambrosius & Hieronymus in cap. 6. ad Ephes.*, *Procopius & Rupertus in cap. 20. Exodi*; *tunc illa omnia verba erunt unum præceptum*, Non facies tibi sculptile, *&c.* Et non adorabis ea, neque coles. *Sed facere imagines absolute, & adorare easdem, sunt res distinctæ, ut patet, quia potest unus adorare sculptile quod non fecit, & alius non adorare quod fecit. Ergo unum tantum horum est probibitum: alioquin essent undecim præcepta. Sed certum est, probiberi cultum; ergo non probibetur fabricatio per se, sed solum in ordine ad cultum. Proinde peccat, qui facit ut adoret, non qui facit ad alium usum.* Hactenus Bellarminus.

Verum quod ille de Clemente Alexandrino dicit, idque minus cohærens iis quæ de eodem refert Estius; obiter est mihi expendendum. Initio quidem Clemens cum Augustini & Latinorum sententia videtur consentire: nam ad primum præceptum refert etiam vetitum Idolis cultum, secundum autem illud esse statuit, quo Dei nomen in vanum assumi prohibetur (quod tamen aliter ac vulgo fit, interpretatur) tertium denique de Sabbati die sanctificanda; de quo argumento pluribus agit. Verum postea idem Clemens quintum præceptum, quarto prætermisso, illud esse statuit, quod agit de honore parentibus præstando, & ita deinceps: quoad decimum, dicit illud quo prohibentur omnes cupiditates: Δέκατος δὲ ἐστ' ὁ περὶ ἐπιθυμιῶν ἁπασῶν λόγος. Apparet itaque Clementem non constare sibi, & utramque sententiam ex parte sequi. quare Clementem fortasse notare voluit Origenes, Homil. VIII. in Exod. num. 2., quum scribat: *Primum ergo mandatum est*, Non erunt tibi Dii alii præter me: *& post hoc sequitur*, Non facies tibi idolum...... *Hæc omnia simul nonnulli putant esse unum mandatum. Quod si ita putetur, non complebitur decem numerus mandatorum. Et ubi jam erit Decalogi veritas? Quod si eo modo dirimatur, quo & nos superiori pronuntiatione distinximus, integer decem mandatorum numerus apparebit. Est ergo primum mandatum*, Non erunt tibi Dii alii præter me: *secundum vero*, Non facies tibi Idolum, neque ullam similitudinem, *&c.* Quæ omnia in Clementis distributionem egregie quadrant. Quod idem Bellarminus citat *Ambrosium & Hieronymum in cap. 6. Epist. ad Ephesios*; jam diximus, non esse Ambrosii Commentarium in illam epistolam: utrum autem Hieronymi sincerum, an vero spurium Opus intelligat, est incertum.

Non est vero mihi nunc omittendum, quod plerique antiqui & recentiores Scriptores designare voluerunt, quot in qualibet tabula *Testimonii* inscripta fuerint præcepta, nulla certa aut satis idonea ratione ductos fuisse, atque adeo ne inter se quidem convenire. Tradit Philo in libello, *Quis rerum Divin. hæres sit*, Decalogum in duas partes dividi, seu *quinarios*, quorum prior jus divinum, seu τὰ πρὸς τὸν Θεὸν, posterior exhibeat humanum, seu τὰ πρὸς ἀνθρώπους: ad primam vero classem refert, uti supra vidimus, honorem parentibus præstandum. Placuit hæc distributio aliis, & potissimum Josepho, qui præterea scribit cap. VI. noviss. edit., num. 5., quo loco de Arca fœderis agit: *In banc arcam reposuit duas tabulas, in quibus decem præcepta conscripta esse contigit; quinque quidem in singulis, duo vero cum dimidio in unaquaque pagina.* Contra Pseudo-Ambrosius, & Pseudo-Hieronymus, in illud, cap. VI. epist. ad Ephes., *Quod est mandatum primum*, interpretantur,

tantur, *in secunda tabula primum* (verba sunt Pseudo-Hieronymi, seu mavis Pelagii), *quæ ad humanitatem pertinentia præcepta sex numero continebat. Prima enim tabula proprie officia* (suppl. fort. *in Deum) exigebat*. Hunc ipsum Paulli locum urgent etiam nonnulli ex recentioribus, qui illud præceptum non quintum, sed quartum numerant. Postremo in eo omnes fere conveniunt, ut priori tabula quæ spectant ad Deum, quæ ad proximum, altera repræsentarentur. Sed si attendissent, quæ ad Deum referuntur, ea verborum circuitione in sacris Codicibus perscripta haberi, quæ fere triplo excedat contextum eorum quæ ad proximum, neque ullam esse caussam, cur totius series Decalogi eodem litterarum ductu, & æquis partibus in duabus illis tabulis non fuerit distributa; vidissent profecto distributionem ac partitionem illam nequaquam posse subsistere. Ex Scriptura, Exod. XXXII. 15., tantum novimus, tabulas illas *ex utraque parte*, seu *e duobus suis lateribus, hinc atque hinc* fuisse *scriptas*; vel quod Decalogo scribendæ unicum tabulæ latus non sufficeret, adeo ut in aversa etiam facie, seu pagina insculpi debuerit: quo alludit Josephi locus paullo supra a nobis relatus: vel quod eadem scriptura, quæ interiori lateri mandata erat, itidem in exteriori repetita esset, quo etiam pacto scriptus a nonnullis creditur liber, cujus mentio est Ezechiel. II. 9., tum qui Apocal. V. 1. dicitur βιβλίον γεγραμμένον ἔσωθεν καὶ ὄπισθεν. De hac scribendi forma, etiam a Romanis in publicis æreis monumentis, nec non in testamentariis tabellis usitata, erudite egit Clariss. Scipio Maffejus, Hist. Diplom. lib. I. cap. XIII.

Sed neque illud postremo loco prætereundum mihi esse videtur, in plerisque τῶν LXX. exemplaribus, tum Exodi, tum Deuter., præceptum illud, *Non mœchaberis*, haberi ante, *Non occides*: quem ordinem sequuntur, in græco dumtaxat textu, Marcus X. 19. & Lucas XVIII. 20., nec non Paullus, ad Rom. XIII. 9., etiam in vulgata latina editione. Secus tamen habetur Matth. XIX. 18., forte quia hic Syriace scribens, Hebraicum textum, ut alibi sæpius, in eo quoque sit sequutus. Ceterum antiqui etiam Scriptores eo ordine quem diximus, ea duo præcepta recensent, ut Philo, tum in libro, *Quis rerum Div. hæres sit*, tum in libro de Decalogo. *Alter vero quinarius*, scribit priori loco, *vetat adulterium, homicidium, furtum, falsum testimonium, concupiscentiam*: iisdemque fere verbis in posteriori: *Alter quinarius ex interdictis constat, vetans adulterium, homicidium, furtum, falsum testimonium, concupiscentiam*. Neque secus Clemens Alex., sextum locum adulterio tribuens, septimum homicidio. Quid? quod Tertullianus, quamvis in plerisque aliis locis, ubi ea præcepta recenset, librariorum, ut puto, opera secus appareat, hunc ordinem adstruit in lib. de Pudicitia cap. V., his præcipue verbis: *Eo amplius præmittens*, Non mœchaberis, *adjungit*, Non occides. *Oneravit itaque mœchiam, quam homicidio anteponit*. His adde Augustinum lib. XV. contra Faustum, cap. VII.

Hæc habui quæ adnotarem in hunc Sulpicii Severi locum, ut eumdem, aliorumque antiquorum de Decalogo scribentium dicta illustrarem, &, quoad licebat, propugnarem: ex quibus tamen ne minimum quidem præjudicium velim per me illatum Augustini sententiæ ab omnibus fere Theologis receptæ. Quare hanc totam disputationem

Digitized by Google

nem concludam, recitans quæ Guillelmus Estius habet, post supra allata ex eodem verba de antiquorum variis opinionibus. *Verum*, inquit, *maxime omnium probabilis est ea distinctio, quam multis locis tradit Augustinus, & quotquot fere post eum scripserunt; nempe ut in prima tabula inscripta fuerint tria præcepta ad Deum pertinentia, quorum primum etiam sculptilium probibitionem complectatur, in altera vero septem ad proximum, ita ut duo sint de non concupiscendo distincta præcepta. Eam distinctionem habet Augustinus* quæst: 71. super Exodum..... *Rationem autem & convenientiam hujus distinctionis ex eo sumere licet, quod tria præcepta primæ tabulæ Trinitatem divinam nobis insinuant. Nam in Deo Patre primo apparet unitas, quæ primo præcepto commendatur, dum multitudo deorum rejicitur. Filius autem veritas est, quam nobis commendat secundum præceptum, probibens juramenti falsitatem. Porro Spiritus Sanctus sanctificatio est, & requies rationalis creaturæ, quam præcipit tertium præceptum. Hæc fere Augustinus in dicta epistola* (ad Januarium, & quæst. 71. super Exod.) *Item S. Thomas* 1. 2. q. 100. art. 4. Vide eumdem Estium in III. Senten. distinct. XL. §. III. Scilicet præferenda est, & in usu populari omnino retinenda hæc posterior Decalogi distributio: neque tamen spernenda idcirco est, aut damnanda antiquior illa, tot Scriptorum & Patrum calculis approbata, & antiquitate ipsa auctoritatem sibi ac reverentiam concilians. Equidem non satis potui mirari, Petri Brinch *Examen Historiæ Flavii Josephi* percurrens, quod in noviss. edit. hujus Operibus adtexitur, quum cap. V. inter cetera quæ jure merito in eo Scriptore reprehenduntur, offendi etiam eidem vitio verti, quod *in recensu X præceptorum appendicem primi præcepti de simulacris Idololatricis facit secundum præceptum, & quod nobis est secundum, ipse facit tertium, & sic deinceps, donec tandem nonum & decimum contrabat in unum.*

Pag. 31. lin. 11. *vituli caput exstitit)* Sam. Bochartus, Hieroz. p. I. lib. II. cap. 34, omnia fere Patrum loca congerit, in quibus mentio est *capitis* vituli. Nam cum ex Lactant. lib. IV. Div. Inst. cap. 10. hæc citasset: *Ad profanos Ægyptiorum ritus animos transtulerunt. Cum enim Moses dux eorum ascendisset in montem, atque ibi quadraginta diebus moraretur, aureum caput bovis, quem vocant Apin, quod eos* (alii, & melius, *eo*) *in signo præcederet, figurarunt*; tum ex Hieronymo, in cap. IV. Oseæ: *Videtur autem mibi idcirco & populus Israel in solitudine sibi fecisse caput vituli, quod coleret, & Hieroboam filius Nabat vitulos aureos fabricatus, ut quod in Ægypto didicerant,* Ἆπιν καὶ Μνεῦιν, *qui sub figura boum coluntur, esse Deos, boc in sua superstitione servarent*: hæc, inquam, quum citasset alia occasione, tandem ita pergit: *Obiter nota pro* bove, *vel* vitulo, *Lactantium* caput bovis, *& Hieronymum* caput vituli *dixisse. Quomodo Tertullianus, adversus Judæos cap. I.*, Cum præcessisset eis bubulum caput. *Et Cyprianus, De bono patientiæ*, Ut itineris sui duces nuncuparet caput bubulum, & terrestre figmentum. *Et Ambrosius, De Pœnitentia lib. I. cap.* 8. Vituli caput fidei immemores adoraverunt; *Et in Exodum*, Conflatum est vituli caput; *Item*, Cur autem vituli caput exierit, sequentia docent; *Item*, Fregit tabulas Moyses, & comminuit vituli caput. *Et Optatus lib.* 3. Temporibus Mosis populus Israel caput vituli coluit. *Et Hieronymus, in Osee* 7. In eremo vituli conflaverunt caput; *Et in Amos cap.* 5. Au-

rum

rum in caput vituli transformarunt. *Et Augustinus in Psal.* 61. caput vituli corpus erat impiorum. *Et Isidorus, Originum lib.* 8. *cap.* 11., *ubi de Apide Ægyptio*, Hujus capitis imaginem sibi in eremo videri fecerunt, *lege* Judæi fecerunt. *Et sententiæ Patrum septimæ Synodi de imaginum usu*, ὅτε τὴν χρυσίου τοῦ μόσχου κεφαλὴν ἐσχεδίασεν, Cum aurei vituli caput ex tempore fecit. *Et Eutychius Alexandrinus, lib.* 1. *Hist. pag.* 106. (textum Arabicum Hebraicis characteribus utcumque exprimam) אחדוא חלי נשאהם פשבלוה פחרג להם ראש עגל. Mulierum suarum mundum ceperunt & fuderunt, & exiit ipsis caput vituli. *Quod mirabitur lector, cum Scripturæ locis, ni fallor, decem, Israelitæ* vitulum *conflasse & adorasse, & Moses* vitulum *contrivisse legatur, nusquam* vituli caput. Hæc ille, qui tamen alia Patrum testimonia producere potuisset, quale est Severi nostri hoc loco. Præterea ex Ambrosio, *Apolog. I. David cap.* 4.: *Aaron ..... rogatus a plebe, ut deos sibi faceret, aurum poposcit, in ignem misit, & caput vituli figuratum est*; ex Hieronymo, epist. ad Oceanum, quæ in noviss. ed. Ver. est LXXVII., num. 4. *Aaron sacrilegium, & conflatum* (Victorius, *ob conflatum*) *ex auro vituli caput, fraternæ correxere preces*. Tum ex August. Enarr. in Ps. LXI. num. 9. *Hoc fecit Moyses in illo capite vituli. Caput vituli, magnum sacramentum. Caput enim vituli corpus erat impiorum, in similitudine vituli manducantis fœnum*, &c. Item in Ps. LXXIII., n. 16. *Ipsum caput vituli in ignem misit* (Moyses) *& exterminavit, comminuit, in aquam sparsit, & dedit populo bibere: sic factum est magnum sacramentum*. Item, in Psal. LXXXVIII. serm. I. num. 24. *Tamquam comminuto capite vituli, venient in potum populi Dei. Comminuit enim caput vituli Moyses, sparsit in aqua*, &c. Hic tamen alibi idolum illud ἁπλῶς *vitulum* vocat. Quæ autem Bochartus citat ex Ambrosio *in Exodum*, sunt petita ex ejus epistola ad Romulum, quæ in edit. PP. BB. est LXVI. In ea autem habetur, num. I. *Me consulendum putasti, quid sibi vellet, quod Aaron aurum detraxit populo poscenti sibi fieri Deos, & quod eo auro figuratum sit vituli caput*, &c.; tum num. 2. *Coactus Aaron petiit annulos eorum, & inaures mulierum: quæ tradita in ignem misit, & conflatum est vituli caput*; & num. 3. *Cur autem caput vituli exierit, sequentia docent: quia significabatur futurum, quod Hieroboam posteriore tempore hoc genus sacrilegii induceret, ut populus Hebræorum adoraret vitulas aureas .... cujus rei indignitate percitus fregit tabulas Moyses, & comminuit vituli caput, atque in pulverem redegit*.

Hisce tam multis testimoniis productis, Bochartum jam pergamus audire, rationem ejus adeo singularis elocutionis reddentem. *Non tamen est*, inquit, *quod quisquam hoc idolum sibi fingat ex mente veterum solum vituli caput, cetera hominis habuisse, quomodo apud Herodotum muliebre Isidis simulacrum fuit* βούκερων. *Quia bovis, aut vituli caput nihil aliud, quam bovem aut vitulum significat. Sic Iliad.* Ψ. *versu* 260., *in ludis ad Patrocli funus Achilles pro decertantium præmiis e navibus adduci curavit*

Ἵππους δ', ἡμιόνους τε, βοῶν τ' ἴφθιμα κάρηνα,

Equosque, mulosque, & boum fortia capita, *idest*, περιφραστικῶς βοῦς, periphrastice boves, *ut ibi Scholiastes. Rursus Hymno in Mercurium boves Apollinis, ab eo per dolum amotæ, ter appellantur* βοῶν ἴφθιμα κάρηνα. *quod Poeta sic imitatur lib.* 5. *Æn.*

Bina

Bina boum vobis Troja generatus Acestes
Dat numero capita in naves .....

Hæc Bocharti & aliorum sententia est, cui tamen non acquiescit Calmetus, Comm. in Exod. XXXII., ita scribens: *Sed ægre inducor, ut credam, Patres adeo constanter phrasim illam retinere voluisse, qua integrum vel bovem vel vitulum significarent. Est quidem hoc* (puta, *dicendi genus*) *Poetis familiare, sed rarum in soluta oratione, & potissimum in scriptis Auctorum Ecclesiasticorum, quorum est stilus planior & modestior, quam Profanorum. Ad hæc loquendi phrasis illa sæpe adeo recurrit, & constanter, ut multo verisimilius ad litteram usurpanda sit, vel saltem alia inducenda interpretatio, quæ Patrum locutioni magis cohæreat:* &c. Mavult itaque ipse, quod tamen a Bocharto jam repudiatum vidimus, *sub nomine illo capitis bubuli accipiendum esse simulacrum humanum, sed bubulæ seu taurina cervice præditum;* addens exemplisque confirmans, *Ægyptios, quorum superstitionem Hebræi adoptarunt, non aliter ferme sibi Numina pingenda expressisse;* addens postremo, *Quos erexit Jeroboam aureos vitulos, Numinum seu Ægyptiorum seu Phœnicum imitatione, illos pariter credo bubulum caput, humana membra prætulisse.*

Verum si loca Patrum omnia & singula a nobis supra allata expendantur, apparebit neutram ex his sententiis conciliari eum iisdem commode, aut vix omnino posse: non illam, quæ bubulo capiti jungit corpus hominis; Patres enim qui caput perpetuo nominant, nihil prorsus habent de corpore: sed neque eam, quæ sub capitis vitulini, aut bubuli appellatione, integrum bovem aut vitulum expressum contendit; idque tum ob rationes a Calmeto allatas, tum vero quia exempla ex Homero & Virgilio allata minus ad rem faciunt: agunt enim illi non de bovum imaginibus, sed de ipsis bobus. *Caput* autem non modo hominem quemlibet vocamus, ut apud Horat. lib. II. sat. I. vers. 27. *Quot capitum vivunt, totidem studiorum Millia*, sed etiam de quolibet alio animante dicimus, idque potissimum in enumeratione, ut in exemplo ex Virgilio ducto. Equidem aliqui ex laudatis Patribus eodem loco quo *capitis vituli* ab Aarone conflati, meminerunt etiam duorum vitulorum a Jeroboamo excitatorum, neque tamen eos dixerunt *bina capita aurea*, sed *vitulos aureos* tantum. Neque tamen cur ita loquuti sint Patres de aureo illo vitulo, satis adhuc perspicere potui: sed mihi admodum probabile fit, in antiquos Latinos Scripturæ codices, quos præ oculis habuerunt illi, irrepsisse glossema aliquod, ex quo persuasi fuerint, non integrum bovem, seu vitulum, sed *caput* ejus tantum ab Aarone conflatum. Observatione certe dignum est, Patres, qui tanta consensione *caput vituli* nominarunt, Latinos omnes esse, exceptis duobus locis a Bocharto ultimo loco citatis & plerosque eorum ante Hieronymum floruisse, aut eidem fuisse fere æquales, qui proinde antiquiori Latina editione ex græco expressa sunt usi. Quod vero *Patres septimæ Synodi* laudantur; quum ejus Synodi *Actiones* omnes & monumenta haud oscitanter percurrerim, in iisque semel, iterum & tertio Aaronis & aurei vituli mentionem factam offenderim; textus tamen a Bocharto productus aut me fugit, aut ipsi Bocharto obtrusus fuit. Eutychii locum inspicere non potui, nam liber non est ad manus: sed nihil prohibet, quin opinemur Arabem illum Scriptorem ex Latino aliquo Patre hausisse quod dicit,

caput

Digitized by Google

put vituli, ראש עגל: idque etiam de Patribus Synodi septimæ suspicari possumus, si quidem exstet locus de quo supra. Ex eodem porro fonte manaverit, quod Tertullianus & Ambrosius habent, non aurum tantum feminarum, sed virorum quoque anulos ea occasione fuisse fusos. Ambrosii locum supra ex parte habes: idem addit paullo infra: *Non imprudens tamen, qui anulos Judæis & inaures abstulit: etenim qui sacrilegium moliebantur, nec fidei signaculum habere poterant* (idest, anulum) *nec hornamenta aurium* ..... *Pulere autem dixit*, Deponite anulos & inaurea aureas, quæ sunt in auribus mulierum vestrarum: *non quo virorum inaures relinqueret, sed quod viros non habere manifestaret. Congrue quoque inaures auferuntur mulieribus*, &c. Tertulliani autem locus, ex lib. adv. Judæos cap. I., est: *Cum ex monilibus feminarum, & anulis virorum aurum fuisset igne conflatum, & processisset eis bubulum caput*, &c. Habet quidem hebraicus textus cum Vulgata, petiisse a populo Aaronem, ut afferret *inaures aureas*, sive *anulos aureos*, *de uxorum, filiorumque & filiarum auribus*, ex quibus verbis colligitur, inaures adolescentulorum æque ac mulierum ornamentum fuisse: id quod etiam conforme est Orientalium omnium consuetudini. Sed eo loco LXX. neque agnoscunt vocem, *& filiorum*, uti neque Augustinus quæst. CXLI. in Exod., scribens, *Jubet Aaron inaures demi de auribus uxorum atque filiarum*: verum hic de anulis virorum nihil habet, de quibus neque græci Interpretes meminerunt. Quum autem, ut scribit S. Hieronymus, Præfat. in Josue, *apud Latinos tot essent exemplaria, quot codices, & unusquisque pro arbitrio suo vel addiderit vel subtraxerit, quod ei visum est*; fieri potuit, ut in aliquot exemplaria jam inde a Tertulliani ætate irrepserit additamentum utrumque, tum de anulis virorum fusis, tum de conflato vituli capite.

Subiit autem aliquando opinari, hanc de capite bubulo ab Israelitis pro Deo habito persuasionem profluxisse ex famosa illa calumnia adversus Judæos postea conflata, qua nimirum effigiem auream asinini capitis ab his in templo adoratam mentitus est Apion, ut ex libro Josephi contra eumdem secundo, & ex aliis Scriptoribus colligitur. Ita nimirum ille cap. VII. ex Rufini versione (nam in græco textu lacuna est): *In hoc enim Sacrario Apion præsumsit edicere, asini caput collocasse Judæos, & id colere ac dignum facere tanta religione: & hoc affirmat fuisse depalatum, dum Antiochus Epiphanes & expoliasset templum, & illud caput invenisset ex auro compositum, multis pecuniis dignum.* Idem cap. IX. ex eodem Apione refert, & refutat aliam fabulam de Zabido quodam Idumæo, quem ille scripserat, *multa quiete ad templum venisse, & aureum detraxisse cantherii* (gr. τοῦ κάνθωνος, de qua voce Bochartus, Hieroz. part. I. lib. II. cap. 18. Damocritus Historicus apud Suidam in voce *Damocritus*, & in voce *Judas*, χρυσῆν ὄνου κεφαλὴν dixit.) *caput* (*ita enim scripsit, facetus videri volens*)...... Et rursus circa finem ejusdem capitis: *Facile igitur illas* (templi fores) *lucernifer iste* (Zabidus) *aperuit, aut si aperuisse creditur, etiam Cantherii, id quod putabatur, caput habens. Utrum igitur cum hoc capite ad nos reversus est, aut illud cum sumsisset Apion*, in templum *introduxit, ut Antiochus inveniret, quo alteram Apioni fabulam narrandi occasionem suppeditaret?* (Exhibui hunc locum juxta versionem novissimæ editionis G. L.: sed obiter moneo, mendosam mihi videri. Græcus textus ejusdem

edit.

Digitized by Google

edit. fert, *ἠνέωξεν ἂν ἀνοῖξειν οἰόμενος*: sed in Notis legitur: *Ἠνέωξεν ἢ κἂν ἀνοῖξειν οἰόμενος malit, Cl. Louvibius. Verbum ἠνέωξεν omittunt Codd. Mss.* Expungere itaque illud *ἠνέωξεν*, quod nec agnovit Rufinus, & ita interpretari malim: *Facile igitur illas lucernifer ille se aperuisse*, vel *posse aperire, ratus, ... utrum*, &c.). Porro huic calumniæ affinis omnino est quam priscis Christianis, utpote ex Judæis originem ducentibus, impegere Gentiles, id quod ex Tertulliano potissimum & Minucio discimus: fusius autem de ea egit nuper eruditissimus Mamachius in Originibus Eccles. tom. I. *Somniarunt* nimirum, aut potius finxerunt, *quidam ex illis caput asininum esse Deum nostrum*, ut scribit Tertullianus in lib. *ad Nationes*, & in Apologet. cap. 16. Et Cæcilius Ethnicus in Octavio Minucii: *Audio eos* (Christianos) *turpissimæ pecudis caput asini consecratum, inepta nescio qua persuasione venerari*: cui postea reponit Octavius Christianus, *Inde est quod audire te dicis, caput asini rem nobis esse divinam*. Placuit autem hos textus de *capite asinino* producere, ut magis appareat hujus fabellæ convenientia cum eorum opinione, qui *caput vituli* ab Aarone conflatum scripserunt. Sed de his hactenus.

Paullus Colomesius, Observ. Sacr. pag. 137., in illud Psalmi CV. (ipse cum Hebræis CVI. numerat) 19. *Καὶ ἐποίησαν μόσχον*, hæc habet: *Μόσχος hoc loco non est* vitulus, *ut vulgo transferunt, sed* bos, *ut Apoc. 4. 7. Firmat Tertullianus, qui libro contra Judæos*, bubulum caput *vocat, ut Lactantius lib* 4. *cap.* 10. aureum caput bovis; *Apollinaris in Metaphrasi κεραέλκεα μόσχον. Accedit Herodotus, qui celebratissimum illum Ægyptiorum bovem* (*Apin*) *μόσχον nominat*. Atqui, sicut interdum Græcis *μόσχος* dicitur bos, seu juvencus, etiam Latinis idem fere valet *vitulus*: nam licet ita plerumque dicatur qui nondum annum explevit, Virgilius tamen, Georg. IV. vers. 299. habet

Tum vitulus, bima curvans jam cornua fronte.

Ubi Servius interpretatur illud *bima fronte*, scilicet *ætatis biennii*: *bimus namque, biennis triennisque dicitur*. Idem Ecloga III. *vitulam* dicit, quæ jam pepererat; ad quem locum vide Servium, & Philargyrium. Idem porro & Hebræis valet vox עגל, quæ vitulum proprie anniculum designat, aliquando tamen pro juvenco & juvenca etiam trienni usurpatur. Vide Bochartum Hieroz. par. I. lib. II. cap. XXVIII. Hæc obiter contra Colomesium.

Ibid. lin. 19. *XX. tria millia virorum*) In notis ad hunc locum Vorstii verba produxi, quibus conjecturam suam proponit de hujus loci corruptione: nam scriptum a Severo defendit *tria millia*, non *viginti tria millia*. Contra ejus conjecturam obversabantur mihi eo tempore nonnullæ difficultates, de quibus me fusius in Observationibus acturum promisi. Agam autem nunc, sed ita, ut postremo in ejusdem sententiam ultro concedam. Ac primum, quid de tota hac quæstione erudite, ut omnia, scripserit Bochartus, videamus. Hic, Hieroz. par. I. lib. II. cap. 34., tria hominum millia cecidisse ex Exod. XXXII. 28. ponit: tum ita pergit: *Non me latet Vulgatam Interpretem pro* tribus millibus *ibi habere* viginti tria millia, *atque id sequi Gregorium & Rupertum. Sed videtur ille numerus perperam huc esse translatus, ex I. Cor.* 10. *vers.* 7. 8., *ubi Paullus Israëlitarum alios idololatras, alios scortatores fuisse scribit*,

& ex ipsis cecidisse una die viginti tria millia hominum. *Quod sic acceptum, quasi dicatur de vituli cultoribus, cum ad eos pertineat, qui cum Moabiticis mulieribus fornicati sunt*, Num. 25. vers. 9. *Ubi Moses quidem aliquanto plura, nempe occisa hominum viginti quattuor millia, recenset. Sed hæc facile conciliantur. Nam populi Principes Deo jubente suspensi fuerant, & initiati* Baal-peor *gladio cæsi*, Num. 25. vers. 4. 5. *Sed scortatorum longe plures plaga, id est peste a Deo immissa, una die perierunt. De his solis egit Paullus, sed Moses de omnibus. Itaque ex Mose & Paullo inter se collatis colligimus, mille scilicet suspendio & gladio, viginti tria millia peste interiisse, quæ simul juncta faciunt viginti quattuor millia. At vituli cultorum nonnisi tria millia cæsa fuisse scimus*, 1. *ex Hebræo textu*, 2. *ex omnibus omnino Scripturæ versionibus præter Vulgatam, Græcis, Chaldæis, Syris, Arabicis, Persicis, Samaritanis*; 3. *ex Hebræorum consensu, quorum antiquissimus Philo sic habet libro tertio* de Vita Mosis, Οἱ δὲ αὐτοβοεὶ τρισχιλίους κτείναντες τοὺς ἀρχηγέτας μάλιστα τῆς ἀσεβείας γενομένους. Illi autem (*Levitæ*) cum sublato clamore viros ter mille occidissent, qui impietatis fuerant præcipue incentores. *Et* Tanchuma (est hoc Rabbini cujusdam nomen, sæpius a Bocharto citati) *fol.* 47. b. Omnis in quem erat התראה monitio (*id est*, accusatio) sed nulli testes, per aquas probabatur, ut adultera, & interficiebatur, prout dicitur *Exod.* 32. *vers.* 20. *Et sparsit super aquas & propinavit Israelitis*. Etiam quisquis per testes convincebatur accusatione prævia, statim morte multabatur: unde est, quod dicitur, *versu* 27. *Quisquis fratrem suum interficiat*. Sed is, in quem neque testes erant, neque ulla accusatio, (*a Deo*) percutiebatur; ut habetur *versu* 35. *Et Dominus percussit populum*, עד שנהרגו כשלשת אלפי איש, *donec interfecta fuerunt tria circiter hominum millia. Ita etiam alii plures*, 4. *Ex veterum suffragio, in quibus Ambrosius in epistola ad Romulum*: Occisa quidem scribuntur tria millia hominum: nec numeri invidia movemur (num, *moveamur?*), quia melius est paucorum supplicio universos exui (*forte* eximi, *vel* erui) quam in omnes vindicari. *Nempe Ambrosius ita legerat in Italica versione, quæ Vulgatam præcessit. Sunt, qui Isidorum huic addant, qui jam non est ad manum. Rabanus quoque, in Exodum, lib.* 4. *cap.* 18. Ipse numerus trium millium interfectorum triplicem formam indicat peccatorum. Omne enim peccatum aut facto, aut verbo, aut cogitatione committitur. *Petrus Comestor tamquam dubius inter utramque lectionem*: Et ceciderunt ea die quasi tria millia: Alia translatio habet, viginti tria millia. *Itaque illius ætate ambigua erat lectio, sed tandem prævaluit pejor. Quamvis hodieque in Complutensi, & Parisiensi nupera, in majoribus illis Bibliis πολυγλώττοις, legantur* tria millia. Hactenus Bocharius. At contra, *Qui vulgatam Latinorum Bibliorum lectionem defendunt*, scribit Calmetus, Comm. in Exodi XXXII. 28., *notant S. Gregorium Magnum*, (lib. XX. Moral., & in I. Reg. XIV.), *S. Cyrillum Alexandrinum* (Glaphyr. lib. 2.), *Rupertum hic, S. Petrum Damiani* (Tom. 2. serm. 6.) *& majori numero codices mss. atque impressos, præferre* XXIII. millia. *Cui lectioni favere etiam textum hebraicum defendunt quidam, cum littera* Caph, *quæ accepta est tamquam exprimens illud* quasi, *nota sit etiam numeralis, numeri* XX.: *quare legunt* כ שלשת, *pro* כשלשת. *Tandem ut concilient Apostolum cum Moyse, reputant quidam complexum fuisse Apostolum eos omnes, quos occupavit exitium, seu gladio, seu peste, seu aquis torrentis, quibus*

demer-

Digitized by Google

demersus est pulvis contriti vituli; a Moyse vero non nisi trucidatos gladio numero illo trium millium designatos fuisse. Quæ postremo loco ex Calmeto retuli, præterquamquod minus ad propositam nobis quæstionem faciunt, nullo etiam satis idoneo fundamento nituntur: ponitur enim non gladio tantum, de quo proprie quærimus, sed & potu aquæ pulvere vituli comminuti infectæ, nec non peste punitos vituli adoratores. Sed prius illud Christiani quidam Scriptores a Rabbinis sumserunt, utrosque autem egregie confutat supra laudato capite Bochartus: hoc vero posterius aliqui deducunt ex vers. 35. Exod. XXXII., qui tamen locus obscurus est, & varias accipere potest interpretationes. Vide quæ de tribus illis punitionibus habet & Rabbi Tancuma paullo ante ex Bocharto relatus: qui tamen perperam ad pestilentiam, de qua vers. 35. intelligit, retulit numerum *trium millium* occisorum, de quibus vers. 28. Neque etiam multum juvat vulgatæ lectioni constabiliendæ illorum conjectura, qui ex hebraico textu eum numerum exsculpere nituntur, nisi etiam demonstrent, reipsa textum illum in græcis latinisque antiquis versionibus ita fuisse expressum. Huc demum spectant, quæ primo loco citata fuerunt ejus interpretationis exempla, ex Græcis quidem Patribus Cyrilli Alex., ex Latinis Gregorii, & aliorum. Verum suspecti mihi sunt textus illi, non secus ac Severi nostri. Ac quod attinet ad Cyrilli locum, equidem eumdem adire, & in ipso græco fonte legere mihi non licuit: vehementer tamen suspicor, ac pæne pro certo habeo, latinum interpretem Glaphyrorum, Andream Schottum S. J., eo loco Vulgatæ lectionem sequutum, contra græci textus fidem. Quare enim credam unum Cyrillum apud græcos interpretes ita legisse, contradicentibus omnibus codicibus, ac ceteris græcis Patribus? Idem fere statuo de Gregorio Magno, nimirum a posterioribus librariis ad Vulgatæ codices ejus textum fuisse exactum, uti etiam videre est in Excerptis in Exodum sub Paterii nomine editis, sed verius Alulfo Monacho XI. sæculi a doctioribus adscriptis: idque haud obscure colligere mihi videor ex illo loco, qui habetur lib. XX. Moral. in Jobi cap. XXIX. 25, ubi post ea verba: *Cecideruntque in die illa quasi viginti tria millia hominum*, hæc habentur: *Ecce qui vitam omnium etiam cum sua morte petiit, paucorum vitam gladio extinxit:* & paullo infra: *Succurrit citius omnibus, ostensa morte paucorum*. Viden', ut semel & iterum *paucos* occisos dicat, non secus ac S. Ambrosius supra productus? ergo non *viginti tria millia* legerat in sacro Codice, sed *tria millia*. Quum autem in Commentario illo se potissimum *novam* seu Hieronymianam *translationem edisserere*, sed tamen, prout magis opportunum illi visum est, *nunc novam*, *nunc veterem* usurpare scribat in epistola nuncupatoria ad Leandrum, cap. 5., quumque nullam eo loco inter binas illas interpretationes discrepantiam notet; hinc alia conjectura educitur: nimirum, eumdem occisorum numerum exhibuisse utramque versionem. Atqui antiquior illa, ex græco expressa, *tria millia* tantum præferebat, ut colligitur non modo ex Ambrosio supra laudato, sed etiam ex Tertulliano in Scorpiaco, seu adv. Gnosticos, cap. III., & ex Optato Milevitano lib. III. de Schism. Donatist., apud quem semel, iterum & tertio is numerus legitur: nempe primum his verbis: *Qui (Moyses) cum de Sina monte descenderet, prope needum propositis tabulis legis, in quibus scriptum erat*, Non occides, *tria millia*

hominum uno momento jussit occidi: & rursus paullo infra, *Videamus quare Moyses tria millia hominum jussit occidi*: denique mox, *Temporibus Moysi Israel caput vituli coluit, quod illis sacrilega flamma conflavit: ideo tria millia hominum occidi meruerunt, quia Dei vox videbatur esse contemta*. Non secus itaque habere debuit eo loci Hieronymi versio, quoniam, ut dicebam, neque a S. Gregorio, neque ab Isidoro, Rabano, & aliis, qui post Hieronymi ætatem *tria millia* legerunt, notata fuit ulla in eo numero discrepantia. Omnium primus, qui utrumque numerum expresserit, fuit, ut ex Bocharto didicimus, Petrus cognomento Comestor, qui quidem diem obiit anno 1178; Rupertus autem, Abbas Tuitiensis, qui eodem sæculo ineunte floruit, nec non Petrus Damiani, qui anno 1072. decessit, *viginti tria millia* legerunt: ex quibus colligitur hanc lectionem multis post Hieronymi ætatem seculis in Vulgatam irrepsisse. Ad hæc fere tempora referendi sunt etiam Mss. codices Vulgatæ eamdem lectionem præferentes, de quibus Martianæus & Vallarsius in Notis ad Bibliothecam Divinam Hieronymi: qui tamen ex antiquiorum librorum fide aliam lectionem potiorem habuerunt, & adoptarunt.

Quod vero Bochartus, & alii passim opinati sunt numerum XXIII. millium in Exodum traductum ex Paulli epistola I. ad Corinthios, cap. X. 9., haud invitus concesserim, dummodo mihi concedatur locum illum Paulli cum Moysis verbis, Numer. XXV., non satis apte ab ipsis conciliari, atque adeo eam dissonantiam difficilioris indaginis esse, & aliunde repetendam. Nam quod ab iis ponitur, Paullum eos tantum numerasse quos plaga divinitus immissa absumserat, adeoque mille illos qui apud Moysem præterea computantur, suspendio alios, alios gladio fuisse interfectos; nulla ratione defendi potest. Nam, præterquam quod non apparet, cur illos quoque, si quidem id Moyses fecit, recensere non debuerit & Paullus; Moyses omnes illos XXIV. mille viros tradit periisse, במגפה, *plaga* illa, seu peste, adeo ut de occisis gladio & suspendio ne ipsum quidem rationem habuisse appareat. Neque sane constat suspensos fuisse aliquos, aut gladio occisos, licet utrumque Deus jusserit, præter unum illum Zambri, quem Phinees transfodit: quo etiam egregio & singulari facinore cohibitam statim fuisse Divinam vindictam, המגפה, ne in Israelitas diutius sæviret, dicitur vers. 8.: quod confirmatur vers. 11. & seqq., nec non Psalmo CV. 30., ubi occurrunt eadem verba, quæ Numer. XXV. 8.; scilicet, ותעצר המגפה, *Et restincta fuit clades*, seu *pestis*. Porro alias quamplures utriusque textus conciliandi rationes comminiscuntur Interpretes, quæ tamen mihi non omnino satis faciunt. Eo denique confugiunt nonnulli, ut alterutrum numerum vitiatum esse velint. Œcumenius quidem, aliique non obscuri nominis, locum libri Numerorum ad Paulli textum refingendum esse volunt: contra Drusius contendit mendosum esse Paulli textum, quoniam facili errore pro τέσσαρες irrepere in eum potuit τρεῖς. Neutra vero sententia mihi satis certa aut idonea videtur. Nam quod attinet ad textum Paulli, habetur totus ille locus ab initio capitis ad vers. 13., apud S. Irenæum lib. IV. cap. 27., ibidemque legitur, ut in nostris codicibus, numerus viginti trium millium, quem habet etiam S. Augustinus, Enarrat. in Psal. LXXVII., & in libro *De utilit. cred.*, nec non Pseudo-Ambrosius, seu,

ut

ut ajunt, Ambrosiaster. Ex alia parte, Numer. XXV. hebræi græcique codices, ut omittam alias versiones, legunt constanter viginti quattuor millia. At Œcumenius, ut dicebam, mendum irrepsisse eo loci tradidit, cujus hæc verba sunt, ex Comm. in I. ad Corinth. X., ubi Num. caput XXV. citat, & ipsum textum recitat, non tamen ad verbum: Τότε καὶ ὁ Φινεὲς υἱὸς Ἐλεάζαρ, συνεξεκέντησε τῷ Ζαμβρῇ καὶ τῇ γυναικὶ χασβῇ (ita quidem fert ed. Veronensis an. 1532. pag. 442.: sed omnino legendum, καὶ τὴν γυναῖκα χασβὴν, vel κασβί) καὶ ἐγένοντο οἱ τεθνηκότες ἐν τῇ πληγῇ εἰκοσιτρεῖς χιλιάδες· τινὲς δὲ τῶν ἀντιγραψάντων τὸ παλαιὸν εἰκοσιτέσσαρες ἔθηκαν. Itaque Estius, itidem Comment. in Paulli Epist., habet: Œcumenius referens ipsa veteris Scripturæ verba, numerum exprimit eumdem quem Paullus, ac subjungit: Quidam autem veterum Scriptorum posuerunt viginti quattuor millia. *Ex quo apparet exemplaria Græca memorati loci Scripturæ quondam variasse, licet nunc constanter habeant* viginti quattuor, *ut & in hebræo*. Concludit postremo: *Mihi prima responsio, quæ est utriusque Thomæ* (Aquinatis & Cajetani) *suffragante Œcumenio plus ceteris probatur, nimirum errorem esse in numero*. Equidem non Œcumenius tantum *XXIII. millia* legit in libro Num., sed Tertullianus quoque, ut colligo ex ejus libri advers. Gnosticos cap. III. *In Arithmis* (inquit, græcam vocem usurpans, pro *In Numeris*) *quum divertisset Israel apud Setbim* (for. *Sattim*), *abeunt libidinatum ad filias Moab: invitantur ad idola, ut spiritu fornicarentur: edunt denique de pollutis eorum, dehinc & adorant Deos gentis, & Beelphegor initiantur. Ob hunc quoque idololatriam mœchiæ sororem viginti tria millia domesticis obtruncata gladiis divinæ iræ litaverunt*. Crederes facile, ad Paulli locum eum respexisse, nisi expresse citasset librum Numerorum, & nisi suffragatorem haberet Œcumenium. Ceterum quod tantam cædem patratam dicit *domesticis gladiis*, nulla facta pestis mentione; scito tamen hinc agnoscere plerosque interpretes, præeunte Josepho, Antiq. Jud. lib. IV., ita etiam poscente vocis מגפה, de qua supra, significatione. Vide Clericum, Comm. in eum locum. Quamvis & Hieronymus in eam sententiam inclinasse ex eo colligam, quod initium capitis XXVI. Numer. ita reddiderit: *Postquam noxiorum sanguis effusus est*; quum in hebræo & græco habeatur tantum: *Et factum est post plagam illam*.

Satis itaque, ut puto, constat ex testimonio Œcumenii & Tertulliani, nonnullos codices græcos habuisse olim in Numerorum volumine, *viginti tria millia*, ut & hodie apud Paullum: quamvis ea lectio non possit defendi, repugnantibus ne dum plerisque omnibus aliis græcis codicibus, sed & ipso fonte hebraico, apud quem habetur, ארבעה ועשרים אלף, *quattuor & viginti millia*, in quibus sane verbis nulla potest esse mendi suspicio: nulla enim litterarum convenientia est inter ארבעה *quattuor*, & שלשה *tres*: contra in græca LXX. Intt. translatione facile pro τέσσαρες καὶ εἴκοσι χιλιάδες, scribarum oscitantia vel scripturæ compendio, irrepserit τρεῖς καὶ εἴκοσι χιλιάδες. Potuit itaque idem error ex eo libro in epistolam Paulli ad Corinthios transfundi, adeo ut quum ille scripsisset, ut persuasum habemus, εἰκοσιτέσσαρες χιλιάδες; ne a Moyse discordare videretur, inductum fuerit, exili sane scripturæ mutatione, εἰκοσιτρεῖς: quæ παραδιδόμενα sensim in omnes Paulli codices manaverit, quum contra ex libro Numerorum expuncta fuerit mendosa illa lectio, quæ corrumpendo quoque Paulli textui occasio

casio fuerat. Ita quidem ego de ea quæ nunc interpretibus crucem figit, dissonantia judicaverim, quoad certius aliquid aut probabilius aliunde emergat. Addam postremo Severum nostrum paullo infra, sc. pag. 33. lin. 3. hæc habere: *Magnaque eo die clades in castris fuit, adeo ut XX & III. virorum millia periisse tradantur.* Monui autem in Notis in eum locum, verba hæc inde penitus eliminanda esse, utpote aliunde eo forte traducta. Equidem numerus ille mortuorum optime congruit in Israelitas illos qui cum Madianitis fornicati sunt, neque scio an alibi in tota Scriptura legatur totidem viros una die periisse. Verum neque is locus erat, ubi id narratum ab eo oportuit, neque ubi oportuerat, quidquam de eo habet. Fortasse memoria lapsus, quæ apud Paullum, seu mavis etiam apud Moysem legerat de fornicatoribus, accommodavit ille Hebræis, qui aviditate nimia coturnices comederunt. Ego tamen incertus hærere malim, quam quidquam temere pronuntiare.

Pag. 32. lin. 9. *tanta claritudine facies ejus renidebat*, &c.) Alludit ad Exodi XXXIV. 29. 30. & 35., quibus in locis LXX. Intt. habent, faciem Moysis *glorificatam* fuisse: δεδόξασται ἡ ὄψις τοῦ χρώματος (sed melius Cod. Alex., & Edd. Ald. & Compl. χρωτός, quæ vox respondet hebrææ עור) τοῦ προσώπου αὐτοῦ: *Glorificatus est aspectus coloris*, sive, ut in alia lectione, *cutis*, *faciei ejus*: ad quam versionem respexit etiam Paullus, II. ad Corinth. III. 7., scribens non potuisse Israelitas oculorum aciem in Moysis vultum intendere, διὰ τὴν δόξαν τοῦ προσώπου αὐτοῦ, *propter gloriam vultus ejus*. Neque secus eum locum reddiderunt Chaldæus, Syrus, aliique interpretes. Quod autem in Vulgata nostra legatur illis in locis, *cornutam* fuisse faciem Moysi, inde est, quia in hebræo textu legitur, קרן עור פניו: verbum autem קרן *karan*, formatum est a nomine קרן *keren*, quod potissimum *cornu* valet, (unde etiam derivata videtur latina vox) quamvis secundario alia multa, & præ ceteris *radios* lucis significet, ut Habacuc III. 4.: quare etiam verbum illud קרן *karan*, Exod. XXXIV. concinne verti possit, *radiavit*, *splenduit*, *coruscavit*. At sequutus est Hieronymus in ea interpretatione Aquilam Ponticum, qui eodem pacto fuerat ea loca interpretatus, ut ex ipso Hieronymo discimus, Comm. in Osee VI. *Unde*, inquit, *in Exodo juxta Hebraicum & Aquilæ editionem legimus*: Et Moyses nesciebat, quia cornuta erat species (*al. facies*) vultus ejus: *qui vere dicere poterat*: In te inimicos meos cornu ventilabo. Verum, ut quod sentio libere dicam, Aquila in eo nimium indulsit ingenio suo: qui dum verbum e verbo reddere affectat studiosius, & voces exquisitius appendit, versionem suam insulsitate fœdavit, uti scribit Epiphan., de Pond. & Mens., ac *contentiosus* interpres passim est habitus, teste Hieronymo ad Damasum, Epist. XXXVI. num. 12., ipso etiam approbante in Epist. LVII. ad Pammachium, seu Tractatu *de optimo genere interpretandi*, num. 11., quem locum inspicere juvabit. Hieronymus vero, pace tanti viri dixerim, antiquam, quæ τῶν LXX. audit, versionem cum Divo Paullo sequi potius debuisset, & eam recte interpretandi viam insistere, quam in modo laudato libello præclare tradiderat. *Quanta enim apud Græcos* (ita ille ibidem contra Aquilam, exempli caussa, disputat: nos potiori jure *apud Hebræos* dicemus) *bene*

ne dicuntur, quæ si ad verbum transferantur, in Latino non resonant? & e regione, quæ apud nos placent, si vertantur juxta ordinem, apud illos displicebunt? Postremo hinc originem habuit pictorum sculptorumque mos, quo Moysem bina in fronte cornua gerentem repræsentare solent.

Gallus quidam Scriptor, qui nomen suum libro non præfixit, & proinde ne a nobis quidem nominabitur, in Opere cujus titulus, *Explications de pleusieurs textes difficiles de l'Ecriture*, &c. *Paris* 1730., agit cap. XIX. pag. 71. & seqq. *de cornibus quæ Moysi tribuuntur*. Si itaque ipsum audiamus, cornua illa nihil aliud fuerunt, quam capilli in summa fronte Moysis ad instar duorum cornuum crispati & erecti, iique auri ramentia conspersi. His ille persuadendis aliquot pagellas insumit, quss, fateor, sine risu percurrere non potui. Sacer textus refert inusitatum illum splendorem in facie, immo in cute faciei Moysis micasse: קרן עור פניו, *radiavit cutis vultus ejus*, ita vers. 29. & 30., קרן עור פני משה, *radiavit cutis vultus Moysis*, ita vers. 35. At ille contendit non e facie, sed e capillis eos lucis radios profectos. Secundo ex duobus locis Cantici Cantic., sc. cap. IV. 1. & VI. 4., in quibus capilli sponsæ comparantur gregibus caprarum, primum statuit comparationem illam in cornibus, tum argumentum inde ducit, ut evincat solitos fuisse Hebræos capillos in cornuum speciem componere: quasi nimirum, ut id verum sit de sponsa, Moyses quadraginta illis diebus quibus cum Deo in monte conversatus est, crispandis muliebriter capillis & calamistro inurendis vacaverit. Quod postremo tradit de Hebræis aureo pulvisculo crinem inspergere solitis, probat ex Josepho, Jud. Ant. lib. VIII. cap. ant. 2. nunc 7., quo loco de temporibus Salomonis agitur, & de juvenibus qui in aula Salomonis versabantur: *His*, Inquit, *decus addebant equites, flos juventutis, procera statura, promissoque capillitio conspicui, & tunicas e Sarrana purpura induti: ad hæc ramentis auri capillum quotidie spargebant, ut ad solarium radiorum contactum fulgor e capitibus eorum reflecteret. Hi armati & pharetris succincti regium currum stipabant*, &c. Similia exempla hsbemus de Ælio Vero, quem *capiti auri ramenta inspersisse*, & item de Gallieno, quem *crinibus suis auri scobem aspersisse*, & demum de Commodo, quem *capillo semper fucato, & auri ramentis illuminato fuisse* tradunt Hist. August. Scriptores. Sed non ideo quia id de Vero, Gallieno & Commodo legimus, ad omnes Romanos Imperatores, atque ad ipsos antiquos Romæ reges referre licet: multoque minus, quod de Salomonis equitibus scripsit Josephus, ad Moysis ætstem, & ad ipsum Moysem, eumque annis curisque gravatum, & e monte descendentem cum duabus lapideis tabulis, traducere licebit. Quid? quod ne id quidem constat, silente præsertim Scriptura, eam auri ramentis capillos inspergendi consuetudinem tempore Salomonis usu receptam: quare doctissimus Bochartus, Hieroz. part. I. lib. II. cap. IX., ex supra allatis exemplis colligit eum morem obtinuisse ævo Josephi, & sequentibus, ac proinde arguit, *rem suorum temporum Josephum ad Salomonis ætatem transtulisse*. Sed pudet in eis nugis refutandis diutius immorari.

Pag. 35. lin. 15. *Sed Jordanis*, &c.) In Notis citavimus Josephum, cujus hæc verba sunt ex versione Hudsoniana: *Nam pleno sum alveo*

fereba-

ferebatur fluvius, & pontibus transiri nequibat, nam nondum iis junctus erat, neque, si ponte jungere vellent, id hostes passuros arbitrabantur, neque navium copia erat, &c.: Monet autem ad hæc postrema verba Eduardus Bernardus: *Josephum etenim se legisse indicat noster Severus, quando ait in Historia*. Sed Jordanis flumen validissimum transitum prohibebat, qui a neque navium copia pro tempore erat (*i. e.* πορθμείων τε μὴ τυγχανόντων) neque vadari fluvius poterat, qui tum pleno alveo ferebatur. Hæc ille: nos ad pag. 47. lin. 15. alio exemplo conjecturam de Josepho a Severo lecto, & in nonnullis expresso confirmavimus. Est enim Severi verbis (*Sed illa stupri injuria, au verecundia, parum definio viso viro animam efflavit*) admodum affine quod a Josepho traditur: *Illa vero iis quæ ei acciderant, graviter afflicta, ad hospitium revertitur. ac dolore plena ob ea quæ pertulerat, & præ pudore non ausa in conspectum mariti venire.... humi collapsa animam efflavit*. Non tamen apud me hæc duo exempla, & si quæ alia his similia sunt, tantum valent, ut certam esse judicem hanc conjecturam. Nam præterquam quod nondum fuerant Antiquitates Josephi latinitate donatæ, neque aliunde constat Severum Scriptores Græcos familiares habuisse; casu fieri potest, aut ex rei quæ narratur, indole consequi, ut duo Scriptores in iisdem pæne verbis, aut circumstantiis inter se conveniant, quin tamen alter alterum legerit. Postremo, si Severus Josephum descripsisset, vel id palam professus esset, vel saltem in præcipuis rebus id præstitisset, atque adeo se ipse prodidisset.

Pag. 46. lin. 9. *quod casus telum dederat*) Ex Virg. Æn. VII. vers. 507.

.... quod cuique repertum
Rimanti, telum ira facit.

Video etiam laudari versiculum Claudiani, ad imitationem Virgilii expressum:

Pro telo geritur, quidquid suggesserit ira:

Ib. lin. 31 *Huic Simmichar successit*) In Notis ad hunc locum proposuimus conjecturam nostram, qua omnino credibile esse diximus, in quibusdam Scripturæ codicibus post Samsonem alterius Judicis mentionem occurrisse, ac fortasse repetitum *Samgar* illum, de quo Jud. III. Addimus nunc constanter ita esse tenendum: nam in Ed. τῶν LXX., ab Alberto Bos Franequeræ elegantissime curata, offendimus hanc Notam appositam calci cap. XVI. libri Judicum: O. *Ald*. C. (sc. Oxoniens. MS., & Edd. Ald., & Compluten.) ἔτι. *addunt* Καὶ ἀνέστη μετὰ τὸν Σαμψὼν Ἐμεγὰρ (leg. Σεμεγὰρ) υἱὸς Ἐνὰν, καὶ ἐπάταξεν ἐκ τῶν ἀλλοφύλων ἑξακοσίους ἄνδρας (*Ald. pro* ἑξακοσίους ἄνδρας *habet* ἄνδρας ἐκτὸς τῶν κτηνῶν) καὶ ἔκρινε καὶ (*Ald.* ἔσωσεν) αὐτὸς τὸν Ἰσραήλ. *Quæ verba in* Francof. *faciunt vers.* 32. Hæc ibi. Hanc autem pericopen ex cap. III. eo fuisse traductam, facile apparebit ex utriusque loci collatione. Non tamen facile est deprehendere, unde orta sit hæc repetitio: de quo infra dicemus. Interim conferamus Severum nostrum cum Q. Julii Hilarionis, sive Hilariani, nec non cum Cedreni locis in Notis jam indicatis; hæcque tursus loca cum græcis additamentis libri Judicum. Habet nimirum Severus, *nihil amplius Scripturam prodere*, quam *Samegar*

gar (ita enim legendum) *successisse* Samsoni: *neque finem imperii ejus* haberi: postremo *plerosque, qui de temporibus scripserunt, annum unum imperio ejus adnotavisse*. Habet Hilarion, *Mortuo eo* (Samsone) *judicasse Semergar* (seu *Semegar*) *anno uno*; Et, *post hunc fuisse populum in pace*. Habet postremo Cedrenus (apud quem tamen restituendum itidem est Σαμεγάρ, pro Σαμανὶ) post narratas Samsonis res gestas, & mortem: Σαμανὶ ἡγήσατο τοῦ λαοῦ ἔτος α΄. Ἀναρχίας γεγονυίας, κατὰ τὰς Ἑβραϊκὰς παραδόσεις, (καὶ) ἔπραττεν ὁ λαὸς ὅπερ ἐβούλετο, οἷα εἰκὸς ἐν ἀναρχίᾳ γίνεσθαι, (heic forte supplendum illud καὶ, quod supra expunximus) ἔτη μ΄ εἰρήνην ἔσχεν ὁ λαὸς πρὸς τοὺς ἀλλοφύλους, ἔτη λ΄. (forte ἔτος α΄., ut supra) Σαμανὶ ἡγουμένου. Samegar *populum rexit anno uno. Cum, juxta Hebraicas traditiones, interregnum esset, suo quisque arbitrio agebat, sicuti in interregno fieri solet: & per annos quadraginta pacem habuit populus cum Allophylis, post quam annum unum rei publicæ præfuisset Samegar*. Equidem quod annum unum huic tribuit Cedrenus, concordat cum Hilarione & Severo, &, ut videbimus, cum Africano. Quod vero subdit de ἀναρχίᾳ & de pace juxta Hebræorum traditiones, consentientes habet Georgium Syncellum, & Chronici Paschalis Scriptorem, apud quos post Samsonem recensentur, ἀναρχίας καὶ εἰρήνης ἔτη μ΄, *interregni & pacis anni XL.* (hinc autem apparet, cur pro ἔτη λ΄, quæ sententiam turbabant, conjecerim legendum ἔτος α΄), cujus longæ pacis meminit etiam Hilarion supra relatus. Unde autem ea habuerint, nondum mihi compertum: quamvis in eam opinionem propendeam, ut eorum sententia derivata sit ex Africani computo, qui annos omnino CCCCXC. libro Judicum comprehensos perhibuit, ut ex ejus verbis apud Eusebium, Præp. Euang. lib. X. cap. X., & aliunde liquet, quum alii intervallum illud artioribus finibus concluserint: adeo ut appareat ipsum, non uniuscujusque tantum Judicis annos, nec non varias servitutes computasse, sed & Anarchias. Ceterum, quum ex Syncello colligam, eumdem Africanum judici Samgar annum unum imperii præfinisse, ut supra a Severo, Hilarione, Cedreno factum vidimus, qui tamen id de supposititio illo Samgare intellexerunt, qui in quædam exemplaria ad calcem cap. XVI. Jud. irrepserat; subit opinari ex eodem Africano, sed perperam intellecto, profluxisse primum eorum persuasionem, qui duos ejus nominis Judices sibi finxerunt, quorum alter Samsoni successerit. Nimirum, post quam ille diligenter annotaverat annos, qui unicuique Judici in eo libro tribuuntur; ut conjicio, ultimo loco, seu post Samsonem, recensuit & Samgarem, eique ex ingenio annum unum adtribuit. Hinc postea factum fuerit, ut ad calcem cap. XVI. Jud. judex ille iterum recenseretur in aliquibus codicibus, quos sequuti sunt Hilarion, Severus, Cedrenus. Syncelli locus de quo supra, habetur pag. 176. Ed. Paris., quo loco quum Syncellum juxta peculiarem sibi computandi rationem, & juxta locum Act. XIII. 20., annos Judicum CCCCL. ad initium Heli impletos dicat; hæc addit, ἑνὸς ἔτους ὑπολειπόμενου (lege ὑπολειπομένου), ὅπερ Ἀφρικανὸς τὸν Σεμιγὰρ λέγει κρατῆσαι τὸν (lege τοῦ) Ἰσραὴλ, τῆς Γραφῆς οὐκ εἰπούσης τὸν χρόνον: quæ sic reddo: *si tamen unum, qui deficit, annum suppleveris, quo Africanus dicit Semigar rexisse Israelem, quum Scriptura tempus* ejus regiminis *non expresserit*. Confer, si placet, hanc nostram versionem cum Goariana, & cum iis quæ habet ille in Notis.

Pag. 67. lin. 4. *Sed non dubito*, &c.) In confirmationem eorum quæ in Notis ad hunc locum disputavimus pro Severo & aliis, quibus suspectus fuit annorum numerus III. Reg. VI. 1. expressus; lubet transcribere quæ de eadem quæstione habet vir eruditus, licet Heterodoxus, Jacobus Perizonius, Ægypt. Orig. Invest. cap. XVI. Sunt autem quæ sequuntur. *Spatium illud ab exitu ex Ægypto usque ad quartum Salomonis annum, quo templum ille exstruere cæpit, definitur, I. Reg.* (ita nimirum ille, aliique, qui primum & secundum librum Regum, cum Hebræis, *primum & secundum Samuel* dicere malunt) *VI.* 1., quadringentis & octoginta annis. *At numeros hos esse corruptos, manifestum non modo ex serie libri Judicum, sed vel maxime ex Actis Apost. XIII.* 20., *ubi Deus Israelitis post Josuam, seu terræ divisionem, dicitur dedisse* Judices annis 450., *qui desinunt in rege primum constituto, seu in Saulis initio.. His vero si addas annos XL., quos Israelitæ egerunt in deserto, dein annos Josuæ & Seniorum, usque ad primam defectionem a Deo & servitutem, denique annos Saulis & Davidis, longe exsuperabunt isti omnes illos* 480. *annos. Quapropter Viri doctissimi ad emendanda isthæc Actorum verba, aut in alium plane sensum obtorto quasi collo rapienda, certatim ruunt. Sed nihil in iis mutandum esse, certissimum est ex eo, quod hæc ipsa summa* 450. *annorum exsurgit ex annis Judicum, & annis Servitutum, in libro Judicum & Samuelis primo expressis. Quocirca, ut Scriptura sacra Veteris & Novi Testamenti redigatur in concordiam, corrigenda est potius I. Reg. VI.* 1. *annorum* 480. *summa. Neque enim ulla potest dari ratio, certe si Dei providentiam hic respiciamus, non curas hominum, quare minus liceat in Veteri Testamento quidquam in rebus tam contrariis emendare, quam in Novo, in quo facilius tale quid tentant plerique. Nec mirari satis possum, quando video Viros doctissimos in hoc ipso argumento graviter monere*, esse rem non exigui momenti sollicitare lectionem Verbi Divini, *scilicet in loco Regum: at mox de loco Actorum profiteri*, probabile se potius habere, librariorum aliquem hunc textum describentem, orationem Paullinam, collectis numeris ex libro Judicum, hac lacinia voluisse exornare. *Mihi modestius longe & reverentius videtur, mutare istic unam numeri notam, quam hic complura exturbare penitus vocabula. Uteumque sit, malim ego non quidem cum illis, qui huic intervallo tribuunt* 680. *annos, sed cum Vossio, Capello & quibusdam aliis, legere in dicto loco* 580. annis *pro* 480.. *Id quod tanto est probabilius, quia ipsa hæc summa oritur ex numeris annorum, qui in Historia Judicum exprimuntur. Vide omnino exactissimum mea sententia etiam in his Chronologicis Virum,..... Gerb. Joh. Vossium, in Isagoge Chronolog. Diss. VIII., maxime cap. 6. & 7.* Hactenus Perizonius, Joannem Marshamum, ut credimus, singillatim vellicans: Marshamum sequutus est Jo. Clericus, de quo diximus in Notis. Ne quid tamen dissimulem, hæc ipsa Perizonii & aliorum sententia non caret difficultate, eaque gravi, ex loco Jud. XI. 26. dependente, quo loco Jephte dicit sua ætate Israelitas possedisse agros ad citam Jordanis sitos per trecentos annos, qui numerus cum CCCC-LXXX. annis, III. Regum VI. 1. expressis, convenire videtur. Sed de his alibi fortassis erit agendi locus: sufficiat in præsens ab omni censura eos defendere, qui cum Sulpicio nostro mendum in III. Regum VI. 1. cubare suspicantur.

Pag.

Digitized by Google

Pag. 69. lin. 1. *anno imperii quadragesimo)* Quoniam in Notis ad hunc locum P. Pezronii meminimus, qui cum Josepho Salomoni annos imperii octoginta asserit, juvabit referre quæ contra Pezronium scripsit P. Martianæus in Notis ad Divinam Biblioth. S. Hieronymi, seu in III. Regum XI. 42. *Cave, Lector, opinionem cujusdam nuperi Chronologi in annis regni Salomonis. Huic enim Scriptori non sufficit sugillasse egregium eruditionis monumentum S. Hieronymi, epistolam scilicet ad Vitalem episcopum, de Salomone & Achaz, nisi contra expressos ac manifestissimos omnium Scripturarum textus, Græcorumque contra & Latinorum Patrum unanimem consensum solus insurgeret, docens Salomonem non annis tantum quadraginta, sed totis octoginta imperium tenuisse. Quodque magis mirandum est, unum se ac solum esse profitetur, qui banc sententiam sit amplexatus, fretus Josephi Judæi auctoritate unica, quem ballucinatum tamen dicit in annis Regum Tyri, & Israd. Quid plura? Isaacum Vossium hac in difficultate hærentem arguit, assiduus ejusdem Vossii assertor: ut sic tandem plus magistro suo aliquid possit in ambiguitatibus & ænigmatibus Scripturæ sacræ dissolvendis. Sed adhæreat, ut sibi visum fuerit, Josepho atque Vossio suo: nobis vero liceat adhæsisse Scriptoribus Hagiographis, unanimi Sanctorum Patrum sententiæ, maximoque Divinarum Scripturarum interpreti Hieronymo, quem adeo sibi inconstantem putat supradictus Chronologus, ut asserat, Hieronymum in Traditionibus Hebraicis in secundo Paralipomenon, indigitasse quadraginta annos Salomonis, quos regnavit antequam prævaricatus esset, & alios quadraginta in quibus regnum tenuit postquam reliquisset Dominum. Verum tantum aberrat a vero sensu, quantum sæculis distat Auctor Quæstionum Hebraicarum in Paralipomena a vero Hieronymo, qui quarto sæculo floruit in Ecclesia Dei, quum supradictus Scriptor ætatem degeret tempore Rabani Mauri. Vide supra Prolegomenon tertium.* Hæc ibi Martianæus, qui postea peculiari Opere Pezronii Chronologiam universam subruere, & convellere ex instituto aggressus est.

Pag. 70. lin. 1. *uxore accepta ex stirpe regia)* Rex, qui tum regnabat in Ægypto, *Sesac* dicitur in Vulgata, de quo hæc habet Jac. Perizonius Orig. Ægypt. cap. XIV. initio: *Credo cum plerisque, fuisse hunc novæ Dynastiæ primum regem, qui videtur decessoris sui fuisse inimicus, certe non ejusdem familiæ, cujus ille, homo. Nam cum rex Ægypti filiam suam Salomoni dedisset præcipuam in matrimonium (vid. I.,* seu III., *Reg. IX. 16. & 24); hic, Salomone jam sene, exsules ex ejus regno profugos in suam recepit tutelam, veluti Jeroboamum, I. Reg. XI. 40., ac dein bellum gessit cum Salomonis filio, I. Reg. XIV. 25. & 2 Chron ,* seu Paralipom., *XII. 2. &c. Sed incertum, cujus Dynastiæ primus fuerit rex. Plerique hodie Dynastiæ XXII., quæ* Bubastitarum *fuit, primum putant, qui* Sesonchis *dicitur apud Africanum,* Sesonchosis *apud Eusebium, &* Conchiaris, *ut videtur, apud Syncellum. In istbac sententia est Scaliger, Usserius, Carpentarius, & vel maxime Abbas Pezronius, in* Antiq. temp. rest. *cap. 13. pag. 208. 209., ubi tamen graviter errat, dum Sesacum Jeroboamo ad se confugienti narrat collocasse in matrimonium sororem uxoris suæ Tachpenesæ, vel ut LXX.* Θεκεμίνας, *quod tamen sine dubio corruptum est, saltem ut μ male pro π fuerit positum. Nam diserte in sacra Scriptura, I. Reg. XI. 19. hæc soror reginæ nuptum dicitur data non Jeroboamo, sed Adado Idumæo. Verum deceptus fortasse est, eo quod Sulpicius Severus*

 Hist.

Digitized by Google

Hist. Sacr. I. 41. Jeroboamum in Ægypto uxorem accepisse ex stirpe regia *ait, ac disertius Syncellus pag. 184. de Jeroboamo*, Γαμβρὸς αὐτοῦ γίνεται ἐπὶ θυγατρὶ, Gener ipsius (*Sesaci*) fit, filia ejus ducta. *Variant hæc, sed quorum neque S. Scriptura, neque Josephus usquam quidquam tradidit*. Hæc ille. Sed in Notis jam indicavimus, unde id habuerit Severus: ex eodem autem fonte Pezronium habuisse, ex eo liquet, quod citato cap., pag. mihi 229., in margine legitur, *III. Reg. cap. XII. in edit. Rom. LXX. Interpretum:* quam editionem si inspexisset Perizonius, neque Severum, neque Pezronium ita libere reprehendisset. Pezronius præterea *Ano* appellat eam uxorem Jeroboami, itidem ut LXX., eodem in loco. Unde autem Syncellus habuerit Sesac *filiam* collocasse huic viro, me fateor ignorare. neque est hic ejus quæstionis agitandæ locus. Sufficiat accuratissimi Perizonii indicasse labeculam, & ab ejus censura Scriptorem nostrum utcumque vindicasse.

Ibid. lin. 11. *vaccam auream*, &c.) *Vaccas*, seu *juvencas*, seu *vitulas aureas* a Jeroboamo excitatas, præter exempla indicata in Notis, legitur apud Joseph., Antiq. lib. 8. cap. 3. nunc 8., ubi habetur, δύο δαμάλεις χρυσᾶς, *duas juvencas ex auro*, & in græco textu Tobiæ I. 5., ἔθυον τῇ βάαλ τῇ δαμάλει, *sacra faciebant Baali juvencæ*, ubi in Vulg. habetur, *cum irent ad vitulos aureos*. Osee etiam X. 5., non in Vulgata tantum, sed & in hebræo textu, feminino genere legitur, לעגלות בית און, *ad vitulas Bet-aven*, idest Betel. Vetus quoque Latina versio, qua usus est Lucifer Caralitanus lib. I. *de regibus apostaticis*, habuit: *Et fecit duas vitulas aureas:* quare & Ambrosius, in epist. LXVI., quæ est ad Romulum, juxta edd. PP. BB., num. 4., *Ut populus Hebræorum adoraret vitulas aureas*, ubi tamen aliæ editiones *vitulos aureos* præferunt, repugnantibus *potioribus* MSS. *Quod autem*, ut tradit Bochartus Hieroz. par. I. lib. II. cap. 34., *a sequiore sexu* juvencæ *&* vitulæ *vocantur Jeroboami vituli, putant ad contemptum pertinuisse: ut illud Græci vatis, Iliad. β*.

. . . . . Ἀχαιΐδες, οὐκ ἔτ' Ἀχαιοί.

Et Romani, Æn. IX.

O vere Phrygiæ, neque enim Phryges.

Neque dubium, quin illud ἐξουθενισμοῦ *genus multum valuerit apud Hebræos, qui Deorum sexus nesciunt, ut alibi probavimus. Proinde in Diis censentur* Berith, *Jud. 8. vers. 33., &* Astarte, *I. Reg. II. vers. 5. 32., quamvis revera apud cultores suos pro Deabus habitæ fuerint. Feminino igitur genere* juvencæ *&* vitulæ *vocantur idola Jeroboami, ut eo magis constet illa non posse haberi pro vero Deo, cujus decem nomina omnia masculina sunt. Sic apud Laertium in* Præfatione *a* Chaldæis *Magis ii imprimis damnantur, qui dicunt* ἄῤῥενας εἶναι Θεοὺς καὶ θηλείας, Deos esse mares & feminas. Hæc ille.

Pag. 73. lin. 11. *corvis cibum ministrantibus*) Non defuerunt olim, ex Rabinis potissimum, neque desunt hodie ex ipsis Christianis, qui malint vocem הערבים, *haborebim*, quæ in Sacro textu occurrit III. Reg. XVII. 4., non de corvis interpretari, ut interpretati sunt Josephus, Chaldæus, Syrus, Hieronymus, plerique ex Hebræis, & omnes Ecclesiæ Doctores; sed, quia morosis ingeniis parum id credibile

Digitized by Google

bile visum est, alii de *mercatoribus*, ut Ezech. XXVII. 27., alii de *Arabibus*, legentes *babarbim*, ut II. Paral. XXI. 16., & Nehemiæ IV. 7., alii denique, qui statuunt non procul a Scythopoli urbem fuisse ערבו *Horbo* dictam, de ערבים *Horobim*, civibus ejus urbis. Porro Sam. Bochartus, Hieroz. par. II. lib. II. cap. 14. refellit singillatim eas omnes interpretationes, & statuit omnino tenendum, a corvis per summum miraculum cibum Eliæ quotidie fuisse allatum. Bocharti momenta refert Clericus, Com. in eum lib. III. Regum locum, quin etiam rata habere videtur, ob reverentiam, credo, tanti viri: sed ob insitum adversus miracula odium nonnihil in partem alteram inclinat, & eorum, qui contra vulgo receptam, & a Bocharto strenue assertam sententiam stant, blanditur & plaudit opinioni, ita scribens: *Itaque quicumque facile non concoquent tantum miraculum sine necessitate factum: cum non deessent homines qui Prophetam alerent, non deterrebuntur rationibus Bocharti, quominus postremam, aut alterutram duarum priorum interpretationum sequantur. Sed malumus rem in medio relinquere, & dum certiora adferentur, in versione vulgarem sententiam sequi.* Adeo verum est quod antiquo proverbio dicitur, *Vulpes pilum mutare, non mores*: apud Svet. in Vesp. cap. 16.

Pag. 75. lin. 12. *cæsum vitulum*) Diximus jam supra pag. 489. *vitulum* aliquando Latinis, non secus ac *μόσχον* Græcis, dictum bovem biennem, triennemque. At quoniam Drusius, in Notis ad hunc locum citatus, monet *juvencum* etiam *a Græcis μόσχου nomine comprehendi* solitum, memini me apud Augustinum legisse simile aliquid. Est autem, Quæst. XXV. in lib. Judicum: *Sed quid sibi velit quod addidit*, præter vitulos boum (ita nimirum legebat Augustinus Jud. III. 31., ubi hebraicus & græcus textus alia habent), *obscurum est. An forte & boum stragem pugnando fecit, & ita dictum est eum occidisse sexcentos viros, præter illud quod fecit de bobus occisis? Sed quare vitulos? An græcæ locutionis consuetudo est, etiam vitulos eos appellare qui grandes sunt? Nam ita loqui vulgo in Ægypto perhibetur: sicut apud nos pulli appellantur gallinæ cujuslibet ætatis*. Idem in libro VII. *Locutionum*, ad Jud. cap. VI. 25., ubi in antiqua Vulgata legebatur, *Et vitulum annorum septem*, juxta græcum μόσχον ἑπταετῆ, habet: *Hic* (for. *hinc*) *manifestum est, quomodo vitulos appellet Scriptura: Bos enim annorum septem, secundum consuetudinem locutionis nostræ, non est utique vitulus. Secundum hanc ergo locutionem dictum est de Samegar* (nempe Jud. III. 31., de quo loco supra), *quod occiderit* sexcentos viros præter vitulos boum, *hoc est, præter boves*. Quod itaque de *Græcis* Drusius supra, intellige de iis qui in Ægypto primum Vetus Testamentum græce sunt interpretati, & vulgo *Septuaginta* dicuntur. Neque enim desunt græcæ linguæ voces, quibus juvencum, mediæ inter vitulum & bovem ætatis, significent. Sed, ne plura, vide Bochartum, Hieroz. par. I. lib. II. cap. 28. de variis apud Hebræos bovis nominibus, & ætatibus disputantem, & præcipue ubi de vocibus פר & שור.

Pag. 80. lin. 15. *defunctus est*) Ut monuimus etiam in Notis pag. 81., legendum est hoc loco, juxta MS. Vatican., *esse defunctum*. Ceterum quod Severus heic & alibi sæpius annos regum Juda comparare

parare & componere voluit cum annis regum Israel, aggressus est difficillimam rem, ac pæne desperatam, idque potissimum, quod Græcos Interpretes sequeretur, & mendosos codices præ manibus haberet. Ita sane esse S. Hieronymus quoque judicavit, in epist. LXXII., quæ est ad Vitalem, num. 5. *Relege omnes & veteris & novi Testamenti libros, & tantam annorum reperies dissonantiam, & numerum inter Judam & Israel, idest inter regnum utrumque, confusum, ut hujuscemodi hærere quæstionibus, non tam studiosi, quam otiosi hominis esse videatur*. Hæc tamen tanta difficultas non deterruit Chronologos recentiores, quo minus tentarent eos nodos solvere, & utriusque regni Chronotaxin in concordiam revocare: quos videsis.

Pag. 82. lin. 19. *triduo perituram*) Præter ea quæ in hunc locum adnotavimus, Theodoreti Scholion ex Notis Alberti Bos ad græcum textum Jonæ III. 4., addimus: *Theodor.* Α. Σ. καὶ Θ. μ'. συμφωνοῦσι δὲ καὶ τούτοις καὶ ὁ Σύρ., καὶ ὁ Ἑβρ. Εἰκὸς δὲ καὶ τοὺς Ο' σύμφωνον τοῖς ἄλλοις τεθεικέναι τὸν ἀριθμόν· τοὺς δὲ τὴν ἀρχὴν ἐγγραψαμένους, ἁμαρτεῖν περὶ τοῦτο· εἶτα οὕτω γενέσθαι πᾶσιν τῶν ἀντιγράφων τὴν ἔκδοσιν. Scilicet, *Aquila, Symmachus & Theodotion dies XL. Concordant autem his tum Syrus, tum Hebræus. Consentaneum autem est credere, etiam LXX. convenientem cum ceteris numerum posuisse, sed eos qui primum eorum codicem descripserunt, circa hoc errasse: deinde eam lectionem in exemplaria omnia diffusam.* Porro ex hoc aut simili Scholio inductum esse reor glossema in Justini Martyris textum, de quo in Notis, quem tamen in novissima editione PP. BB. video emendatum, prout ego ibidem emendandum conjeceram: nam in priori quidem loco editum fuit, ὅτι μετὰ (ἐν ἄλλ[illegible] τεσσαράκοντα) τρεῖς ἡμέρας, in altero vero, Ἰωνᾶ ἀνιωμένου ἐπὶ τῷ τῇ (τεσσαρακοστῇ) τρίτῃ ἡμέρᾳ, ὡς ἐκήρυξε, μὴ καταστραφῆναι τὴν πόλιν. Præterea in Notis ad illud, ἐν ἄλλοις τεσσαράκοντα, hæc habentur: *Apud Septuaginta, quos sequi solet Justinus, tres tantum dies ponuntur, quadraginta vero in Hebræo contextu, & apud Aquilam, Symmachum & Theodotionem. Quare cum Justinus tres tantum dies numeret, non mirum si hæc nota apposita fuit*, ἐν ἄλλοις τεσσαράκοντα, Alibi scribitur quadraginta. *In utroque cod. ms. aliquid spatii relictum fuerat post has voces* ἐν ἄλλοις, *omisso, ut probabile est, verbo* γράφεται. *In iisdem codicibus mss., itidem ut in editis, legitur* τεσσαρακοντατρεῖς. *Sed manifestum errorem relinquere nefas fuit*. Ruit ergo funditus eorum conjectura, qui ex his Justini locis depravatis arguebant, τοὺς LXX. non *tres dies* tantum, sed *quadraginta tres* expressisse: incertum tamen adhuc manet, utrum scribarum culpæ adscribenda sit lectio illa, ut voluit Theodoretus, an ipsis Interpretibus, ut plerisque persuasum est.

Pag. 85. lin. 7. *regemque Æthiopum, qui* &c.) Jacobus Perizonius Orig. Ægypt. cap. XIII. Severum reprehendit, quasi hoc loco *Sabaconem* Æthiopem intellexerit, quod tamen non apparet: quin immo quum cap. seq. in proximi temporis historia *Taracum* nominet, vel eumdem hoc loco, vel ejus prædecessorem Sevechum intellexisse magis probabile foret: de quo fusius in Notis disputavimus. Sed Perizonius contendit *Soum*, vel *Suam* Ægypti regem, de quo in Oseæ regis historia mentio est IV. Reg. XVII. 4. eumdem esse, qui IV. Reg. XVIII. 21., ubi de rege Ezechia agitur, dicitur *Pharao rex Ægypti*:

Digitized by Google

pti: indeque concludit non *regem Æthiopum* eum fuiſſe, qui confœderationem cum Oſee fecerit, præcipue quum diverſus eſſet rex Æthiopum a *Pharaone rege Ægypti*, de quo ſupra: quod colligit ex IV. Reg. XIX. 9., & ex Iſaiæ XXXVII. 9. Itaque non Severum tantum, ſed & omnes eos Chronologos reprehendit, qui *Soum* Æthiopem faciunt, quocumque demum nomine & ordine in Dynaſtiis Manethonis recenſitum velint. Sed, niſi fallor, omnia hæc quæ attigimus argumenta, facile dilui poſſunt, ſi ultro concedamus Ezechiæ temporibus alium quidem fuiſſe regem Æthiopum a rege Ægypti; ſed tamen ipſum regem Ægypti Æthiopem fuiſſe defendamus: neque obſtare quod *Pharao* dicatur, quum eo nomine omnes qui in Ægypto regnarunt, promiſcue uſi ſint. contra Perizonius, dum mordicus tuetur *Soum* Æthiopem non fuiſſe, in eas ipſe ſe anguſtias & difficultates coartat, ex quibus nullo negotio ſe explicare poteſt. Placet aliquot ejuſdem verba producere, ut quæ diximus, clariora & certiora fiant. *Jam vero*, inquit, *Hoſee iſtius temporibus regnum Judææ capeſſere cœpit Hiskias* (nos vulgo Ezechiam dicimus) *quem ſimul & Ægyptum, Salmanaſſaris Aſſyrii ſucceſſor, Sennacheribus oppugnavit. Videtur ergo* Sous *ille, etiam rex iſte Ægypti fuiſſe, qui in hiſtoria Hiskiæ & Sennacherib II. Reg. XVIII. 21. communi illa* Pharaonis regis Ægypti *appellatione, non proprio ſuo nomine, ſed quod in rebus Hoſee ſuperiori capite jam tamen erat expreſſum, deſignatur. Nam inter utrumque bellum, Salmanaſſaris cum Hoſea, & Sennacheribi cum Hiskia vix decem, immo vix octo, anni fuerunt interjecti. Hic autem rex, ſi comparetur cum Dynaſtiis Manethonis, & cum Herodoto, videtur pleriſque fuiſſe* Sevechus *rex ſecundus Dynaſtiæ XXV., certe* Sethon *Herodoti, quem hic diſerte bello petitum a Sennacheribo tradit. Diſcrepantia nominis in diverſis illis Scriptoribus minor etiam eſt, quam inter Hebraicum codicem & Græcum in hoc ipſo rege. Græci enim interpretes Soum hunc* Segor *vocant .... Certe huic regi contra Sennacheribum ſuppetias tuliſſe in S. Scriptura dicitur rex* Tirhaka, *vel* Taracus, *qui in Dynaſtiis Manethonis ei proxime jungitur, ſive mortuo ſucceſſerit, ſive vivum regno ſpoliaverit, ut ſolent ſæpe illi Gentium victores opprimere eos, quibus auxilium tulerant. convenit etiam ætas, ſiquidem in Dynaſtiis Manethonis Taracus ſeculo ferme abeſt ab extremis* Nechaonis II. *annis:* Hiskiæ *porro initia ab initiis Joachimi eodem fere ſpatio diſtant ..... Obſtare tamen videtur comparationi* Soi *cum* Sevecho *Manethonis, quod hic illum in Dynaſtiam Æthiopum, inter Sabaconem & Taracum conjicit. Ita enim Sevechus videtur fuiſſe & ipſe* Æthiops: *Jam vero tempore* Soi *& Hiskiæ diverſus adhuc a* Pharaone Ægypti *fuit* rex Æthiopiæ, *ut mox liquido docebimus*: &c. Carpit deinde Ufferium & Marshamum, qui ex *Soo* faciunt *Sabaconem*, diverſum a *Sevecho* & *Sethone*, atque iis priorem. Sed nobis ſatis ſit, Severum noſtrum, & quæ pro eodem in Notis diſputavimus, propugnaſſe. Poſtremo moneo in iiſdem Notis, dum Syncelli textus producitur, excidiſſe voculam maxime neceſſariam, nempe Αἰθίοπι: τῷ Αἰθίοπι Ἀδραμέλεχ τῷ κατὰ τὴν Ἄιγυπτον, &c.

Pag. 88. lin. 15. *Tharacas rex Æ. regnum Aſſyriorum invadit*) Diximus in Notis, a Joſepho & Severo traditum, *regnum Aſſyriorum invaſiſſe* Taracum: ſed Jacobus Perizonius, Ægypt. Orig. cap. XIII., repre-

prehendit ea de eauſſa Severum, negat autem Joſephum de Aſſyriæ regno a Tharaco invadendo habere aliquid, ſed tantum de auxilio ferendo Ægyptiis, hæc ejus tantum verba producens, ἐπὶ συμμαχίᾳ τοῖς Αἰγυπτίοις. Sed quæ ſequuntur, etjam attendenda ipſi fuerant, ſequitur autem: διεγνωκότα ποιήσασθαι τὴν πορείαν διὰ τῆς ἐρήμου, καὶ ἐξαίφνης εἰς τὴν τῶν Ἀσσυρίων ἐμβαλεῖν, quæ ita Jo. Hudſonus vertit: *decreto, ut per ſolitudinem viam faceret, & ſtatim in Aſſyriorum agros ingrederetur*. Ipſe tamen Perizonius eadem verba animadverrens, in Addendis & emendandis hæc inſeruit: *Poteſt tamen ille* (Joſephus, ſcilicet) *videri, & videtur dediſſe occaſionem vel cauſſam erroris iſtius Sulpicio, ſiquidem addit ibidem*, & repente εἰς τὴν τῶν Ἀσσυρίων ἐμβαλεῖν, terram Aſſyriorum invadere. *Sed hæc accipienda ſunt tamquam per Scripturæ Sacræ interpretationem & paraphraſin liberiorem dicta, non ita ex Annalibus fide dignis, aut ex S. Scr. verbis hauſta. Præterea locus ille Joſephi eſt manifeſte in proximis vitiatus, atque ideo a Græcis verſio prorſus diſcrepat. Sine dubio complura inde exciderunt.* Porro Joſephi verba ita interpretetur Perizonius, ut ejus inſtituto magis inſerviunt: dummodo aliis in æquiorem partem interpretari liceat. Quod de *loco in proximis vitiato* ſubdit, nihil ad rem facit, quum verba quæ in quæſtionem eadunt, plana & aperta ſint. Habetur & hoc loco aliud indicium, quo confirmatur conjectura illa, quæ lectum a Severo Joſephum perſuaſit nonnullis.

Pag. 90. lin. 14. *Necbao regem Ægypti*) Hic ille eſt, aut eſſe creditur, qui apud Herodotum lib. II. num. 158. & ſeq. Νεκῶς, *Necos* appellatur Pſammitichi filius, & qui in Manethonis Dynaſtia XXVI. *Necbao II* dicitur, Pſammetichi itidem ſucceſſor. Ejus meminit Scriptura, IV. Reg. XXIII. & Jerem XLVI. Inſignis eſt, ſed perperam a nonnullis intellectus, de eodem rege Euſebii locus, cujus græcum textum inſeruit operi ſuo Chron. Paſchalis Auctor, latine autem exhibet Hieronymi Chronicum: utrumque dabo, ut græca ex latinis, & viciſſim hæc ex illis partim emendari, partim ſuppleri poſſint. Chron. Paſch. pag. 121. Ed. Par. hæc habet: Ἰωσίας βασιλεὺς Ἰούδα συμβαλὼν Νεχαὼ, τῷ καὶ Νεχεψῷ, ἀναιρεῖται ὑπ' αὐτοῦ. Καὶ ἐποίησεν ὁ λαὸς βασιλέα τὸν υἱὸν αὐτοῦ. Καὶ μοὶ θαυμάζειν ἔπεισι, πῶς συνέδραμον οἱ χρόνοι κατὰ τὸν προκείμενον Κανόνα, ὡς ἀντιπρόσωπον τοῦ Ἰωσίου (ſupple εἶναι) τὸν τῶν Αἰγυπτίων βασιλέα Νεχαώ. τὸν καὶ Ψαμμίτιχον, ὃν καὶ ἡ θεία γραφὴ τοῦ Ἱερεμίου Φαραὼ Νεχαὼ ὀνομάζει. In Latino autem Chronico hæc leguntur: *Joſias rex Judæorum cum Necbaone Ægyptiorum rege congreſſus, occiditur. At* (in aliquot MSS. apud Pontacum, *Ac*) *mihi miraculum ſubit, quomodo in præſens tempus ſibi uterque convenerit, maxime cum Scriptura divina hunc eumdem Pharaonem Necbaonem appellet*. Sed Schurfleiſchius, Biblioth. Vinar. pag. 246. & ſeq., monet hanc *totam periochen primum Palatinum* (mſ.) *hoc modo exhibere*: *Joſias, cum rex Judæorum eſſet, cum Necbaone rege Ægyptiorum, congreſſus, occiditur. At mihi miraculum ſubit, quomodo in præſens tempus iſta conveniant, maxime cum divina Scriptura hunc eumdem Pharaonem Necbaonem appellet*. Quum autem de vera Euſebiani hujus loci ſententia diſcordent Scaliger, Schurfleiſchius, Perizonius; ego hujus poſtremi partes ſequutus, omnino ſtatuo, Euſebium ſibi gratulari, & plaudere, quod in ſuo *Canone*, ſeu Chronico, tempus Joſiæ, & *Necaonis II.*, in ſerie regum Dynaſt. XXVI. regis ſexti, ultro concurrerit:

rerit: nempe ut hoc argumento lectori Canonis sui diligentiam commendaret, seu potius ostentaret. Nam quod casu quodam, & sua sponte evenisse jactitat; dedita opera, & summo studio ab eo curatum, nullus dubito. Certe ipse Eusebius in primo Chronicorum libro Dynastias Ægypti ex Manethone, seu verius ex Africano describens, ad Nechsonem, istius nominis secundum, adnotaverat, totidem verbis ex Africano sumtis: Οὗτος εἷλε τὴν Ἱερουσαλὴμ, καὶ Ἰωάχαζ τὸν βασιλέα αἰχμάλωτον εἰς Αἴγυπτον ἀπήγαγε. *Hic cepit Hierusalem, & Joachaz* (Josiæ filium, qui tribus tantum post patris mortem mensibus regnavit) *regem in Ægyptum abduxit captivum.* Ex Eusebio hæc apud Syncellum habentur pag. 76. Ed. Par.

Eusebii mente perspecta (a qua tamen, ut paullo ante dicebam, longe aberrarunt Scaliger, & Schurfleischius: sed nec ipse S. Hieronymus plane eam assequutus videtur) ejus textus est illustrandus. Quod itaque primum dicit Νεχαὼ τὸν καὶ Νεχεψῶ; licet hæc postrema verba in Latina versione non habeantur, confirmantur tamen ex eodem Latino Chronico, ubi in columna Ægyptiorum recensetur *secundus Necbao, qui & Necbepsos*. At contra Schurfleischius putat olim in Eusebio lectum esse Νεχαὼ, ὁ καὶ Νεκώς; quia nempe ita nomen hujus regis Herodotus effert; contra in Dynastiis, apud Sync., Νεκαὼ tantum δεύτερος dicitur, Νεχεψὼς autem, aut Νεχεψὼς ante Nechaonem primum collocatur. Sed si dubia est hujus loci lectio, vitiosa certe est altera Νεχαὼ τὸν καὶ Ψαμμιτιχὸν, seu Ψαμμιτιχόν. Nam quum Psammetichus hujus Nechsonis pater fuerit, Herodoto teste, & eumdem in serie Dynastiarum proxime præcedat, legendum omnino videtur, τὸν Ψαμμιτιχοῦ. Quod postremo legitur, ἡ θεία τῶν Ἱερεμίου γραφή; expungito illud τῶν Ἱερεμίου; quod non agnoscit Hieronymus, nec omnino ab Eusebio esse potest, quum etiam in IV. Reg. XXIII., nec semel, *Pharao Necbao* nominetur: postremo glossema sapit, & Scriptoris sententiam perturbat. Reliquum modo est, ut & Latina versio ita suppleatur: *Josias rex Judæorum cum Necbaone* (qui & Neco) *Ægyptiorum rege congressus, occiditur. Ac mihi mirari subit, quomodo juxta præcedentem Canonem conveniant tempora utriusque, adeo ut Josiæ e regione respondeat Ægyptiorum rex Necbao, Psammetichi filius, quem etiam divina Scriptura Pharaonem Necbaonem appellat.*

IN VERS. XIII. CAP. I. EUANGELII S. IOANNIS

DISSERTATIO.

Ad Severi locum, pag. 99. lin. 6., *Non ex voluntate viri, sed ex Deo natus est.*

1 QUum notas in hunc locum scripsi, rem paucis absolvi, quia nondum mihi nota erat singularis illa lectionis discrepantia, quam Euangelii Joannis cap. I. versic. 13. præfert antiquissimus Euangeliorum codex, qui inter eximia celeberrimæ Bibliothecæ DD. Canonicorum amplissimi Capituli Veronensis eimelia servatur, quamque primus indicavit ὁ πάνυ Scipio Maffejus, *Biblioth. MStæ Veronensis* part. I. pag. 70. Nimirum Joan. I. 13., quo loco Versiones & codices omnes cum

Vulgata præferunt, *sed ex Deo nati sunt*, in uno Veron. MS. legitur *sed ex Deo natus est*: uti unicuique videre licet in eodem Euangeliorum exemplari postea inserto in *Evangeliarium quadruplex*, opera Clariss. P. Josephi Blanchini, duobus prægrandibus voluminibus Romæ an. 1749. impressum. Nondum etiam tunc prodierat e prælis Brixianis, quod an. 1746. factum est, Dissertatio *de loco Joannis aliter atque habet Vulgata, a nonnullis Patribus lecto*, auctore P. Csto Innocente Ansaldo, ex illustrissima S. Dominici Familia insigni scriptore. Animadvertit nimirum ille, quod & antea nonnulli, sed obiter, indicaverant, Tertullianum imprimis, tum Irenæum ac Vigilium Tapsensem eum Joannis locum de Christo, seu Verbo intellexisse; atque adeo, ut in Veron. MS. habetur, *sed ex Deo natus est*, legisse contendit. Censuit etiam ibidem, originem ejus lectionis esse referendam ad Latinam aliquam Versionem, in qua græcus Joannis textus, *ὃς...... ἐγεννήθησαν*, expressus fuerit ita: *Qui....natus est*: ac postremo illam græci textus latine interpretandi rationem ad Hebraicæ linguæ, aut Hellenisticæ dialecti genium, seu ad anomaliam quamdam in sacris litteris haud infrequentem, expressam defendit. Porro adversus Ansaldi Dissertationem insurrexit Petrus Antonius Barzanus Brix. Presbyter, edito eodem anno Brixiæ admodum erudito Opusculo, *De nova Joannis I. 13. lectione*, ipsi Ansaldo in epistolæ formam inscripto, cui tamen hic respondit alio Opusculo, cui hunc titulum præfixit, *De authenticis Sacrarum Scripturarum apud SS. Patres lectionibus libri II.*, *Veronæ* 1747. Itaque, ut ex ipso titulo colligitur, Ansaldus in his duobus libris omnes ingenii & eruditionis suæ nervos intendit potissimum, ut refelleret, aut saltem infirmaret præcipuum Barzani argumentum, quo demonstrare nitebatur, Patres *memoriter, arbitrario, tumultuario* Scripturæ testimonia recitare solitos: ex quo demum colligebat, haud urgendam Tertulliani, Irenæi, Vigilii Tapsensis aliorumve auctoritatem, neque ex eorum testimoniis inferendum, aliquam fuisse probatam Versionem, quæ illa ratione locum Joannis legeret. Totus contra est Ansaldus, ut Patrum diligentiam & accurationem in citandis Scripturæ textibus commendet, discrepantias autem quæ in eorum scriptis sæpius occurrunt, ex textuum seu versionum Scripturæ differentiis repetendas persuadeat. Ceterum, ubi de loco Joannis sigillatim agit, quum primum laudatis in Dissert. Patribus addat duos Joannes, Chrysostomum & Damascenum, ac Augustinum, quos itidem ea inusitata ratione Joannis locum usurpasse observat; statuit postremo, non in aliqua tantum Latina Versione olim fuisse lectum, *Qui.... natus est*, sed etiam in Græcis aliquot N. T. codicibus, *ὃς.... ἐγεννήθη*: quibus nimirum codicibus usi sint Græci Patres, Irenæus, Chrysostomus, Damascenus, ac fortassis etiam Auctor Dialogorum de SS. Trinitate, qui Vigilio Tapsensi tribuuntur. qua in re retractat ac corrigit ea quæ in Dissert. disputaverat de origine ejus discrepantiæ. Sed non vacat singillatim commemorare, quæcumque Barzanus opponit Ansaldo, quæque hic illi reponit. Hoc unum dixero, in utriusque scriptis modestiam urbanitatemque cum eruditione certare, meque ab utroque multa didicisse, quamvis neutrius sententiæ acquiescere potuerim.

2. Quum itaque Sulpicius Severus hoc loco eodem Joannis testimonio sit usus, non secus ac supra laudati Patres, illud Christo pecu-

liariter

liarher accommodans, meas nunc esse partes duco, eamdem Quæstionem pertractare, & quid de Patrum testimoniis, ac de ipsa singulari lectione, quam exhibet Veron. Codex, statuendum sit, diligentius perscrutari: præcipue quum, statim ac in meas manus pervenerunt Ansaldi & Barzani scripta, nonnullas in hunc ipsum finem animadversiones in schedis meis reposuerim, quas modo aliquanto auctas & elimatas proferam. Itaque sigillatim ea Patrum loca proponam & expendam, in quibus lectio illa singularis usurpata creditur ab Ansaldo, nec non a Blanchino nostro, qui post Ansaldum ea collegit in epistola quadam inscripta, *Clarissimo ac Benemerentissimo Viro Joanni Francisco Muselli, Sanctæ Veronensis Ecclesiæ Canonico Archipresbytero*, quæ habetur inter *Prolegomena* Tomi, seu partis I. *Evangel. quadr.* pag. 89. & seqq. Argumentum ejus epistolæ est, præcipuas Evangeliarii Capitularis lectiones, quæ quidem ab editione Vulgata discordant, excerpere, & Patrum Antehieronymianorum, aut antiquissimorum codicum auctoritate confirmare: sed antequam eorum collationem exordiatur, a Joannis loco, I. 13., incipit, monens fuisse nonnullos, qui, *vetustæ ejus lectionis ignoratione, sint arbitrati, codicem nostrum ab Hæreticis fuisse corruptum*: addensque paullo post: *Patres illius lectionis testes habeo locupletes, Irenæum, Tertullianum, Jo. Chrysostomum, Augustinum, Vigilium Tapsensem, & Jo. Damascenum. Libet singulorum verba proferre*, &c. Nos quoque primum Græcos Patres, tum Latinos seorsim recensebimus, idque ut appareat, quæ sit inter utrosque in eo Joannis versiculo usurpando differentia. Græci enim omnes, licet Joannis verba exprimendæ sive æternæ ex Deo Patre, sive corporali ex Maria Virgine Christi generationi usurpent, ita tamen usurpant, ut numquam eo quasi certo & ineluctabili testimonio sententiam suam stabiliant, sed in impropria significatione & per accommodationem tantum: quod & a plerisque etiam ex Latinis factum est. quare ex ejusmodi testimoniis non potest legitime colligi in Græcis N. T. codicibus ab iis lectum, ὃς ..... ἐγεννήθη: quin potius contra argui debet, eos non ita legisse, quoniam, aliud quasi agentes, Joannis verba aliquot ex illo versiculo excerpunt tantum, & proposito sibi argumento accommodant. Hoc ita esse ex ipsis Græcorum Patrum textibus perspicuum unicuique fiet.

3. Ab Irenæo initium sumamus, apud quem sæpius occurrit ad Joannis locum facta allusio, & ita aliquoties facta, ut non Latino Irenæi interpreti, sed ipsi Græco Scriptori omnino tribuenda videatur. Primus locus est lib. III. cont. Hær. cap., juxta Massuetii recensionem, XVI. num. 2., ubi hæc parenthesi inclusa habentur: *Non enim ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex voluntate Dei Verbum caro factum est*: quæ quidem sunt ex Joannis I. 13. & 14. sumta, sed ita ut neque in verbis, neque in sensu cum Evangelistæ contextu, utcumque lectum ab eo ponas, penitus consentiant. Præterea Matthæi locum edisserit & urget ibi Irenæus, eaque occasione obiter intersérit laudata verba, quæ sine vel minimo sententiæ ejus dispendio omitti poterant, ut ex præcedentibus & sequentibus liquet. Sunt autem hujusmodi: *Poterat dicere Matthæus*: Jesu vero generatio sic erat: *Sed prævidens Spiritus Sanctus depravatores, & præmuniens contra fraudulentiam eorum, per Matthæum ait*: Christi autem generatio sic erat: *& quoniam hic est* Emmanuel: *ne forte eum tantum hominem puta-*

 remus

remus (non enim ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex voluntate Dei, Verbum caro factum est), *neque alium quidem Jesum, alterum autem Christum suspicaremur fuisse, sed unum & eumdem sciremus esse*. Vides, ut quod ex Joannis Euangelio allegat, eo unice spectet, ne Christum *tantum hominem putaremus*: quod tamen & antea ex nomine *Emmanuel* confutaverat, & rursus satis confutat illis tantum ex v. 14. Joannis verbis, *Verbum caro factum est*, quibus tamen etiam nonnulla ex v. 13. aptavit. Postremo totius ejus capitis argumentum & scopum attendere juvabit. Propositum habebat Irenæus, ut in Synopsi ejus capitis XVI. declaratur, *Ex Apostolorum scriptis demonstrare, unum & eumdem esse Jesum Christum, Unigenitum Dei filium, verum Deum ac verum hominem*: & numero quidem primo proponit varios Gnosticorum de Jesu Christo errores, a numero vero 2. sic incipit: *Et quoniam Joannes unum & eumdem novit Verbum Dei, & hunc esse Unigenitum, & hunc incarnatum esse pro salute nostra, Jesum Christum Dominum nostrum, sufficienter ex ipsius Joannis sermone demonstravimus. Sed & Matthæus unum & eumdem Jesum Christum cognoscens, eam quæ est secundum hominem, generationem ejus ex Virgine exponens, sicut promisit Deus David, de fructu ventris ejus excitaturum se æternum regem, multo prius Abrahæ eamdem faciens promissionem, ait*: Liber generationis Jesu Christi, filii David, filii Abraham: & quæ sequuntur. Non itaque hoc loco Joannis Euangelistæ auctoritate ad id quod intendebat, probandum uti voluit, quoniam jam id *sufficienter ex ipsius Joannis sermone demonstraverat*: quibus verbis certe respexit ad ea quæ ejusdem libri cap. XI. leguntur, quo capite argumenta ducit singillatim ex Joannis Euangelio, quod de tribus aliis Euangeliis antea præstiterat. Atqui in illo capite de ipso præsertim initio Euangelii Joannis agens, recitat & explanat primos quatuor aut quinque primi capitis versus, tum transit ad vers. 14, & potissimum inculcat quod ibidem legitur: *Et Verbum caro factum est*; nulla tamen facta vers. 13. mentione, aut ad eum allusione. Itaque ex his omnibus sequitur, in allato ex cap. XVI. textu, verba illa, *non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri*, jungi ab Irenæo cum vers. 14., & Christo aptari per accommodationem tantum, quamvis de spirituali generatione omnium credentium scripta essent.

4. Sed rursus Irenæus cap. XIX. ejusdem libri, eisdem verbis utitur de Christi generatione disputans. Argumentum ejus capitis est: *Jesum Christum non merum hominem esse ex Josephi satu progenitum, sed verum Deum ab Altissimo Patre genitum, & verum hominem ex Virgine natum*. Hic sane, si quisquam alius, locus esset, quo S. Martyr catholicum dogma de perpetua Mariæ virginitate confirmare debuisset auctoritate Joannis I. 13., si quidem, ut in Veronensi codice, legisset *qui ..... natus est*, seu ὃς .... ἐγεννήθη, & de humana Christi generatione proprie dictum intellexisset: attamen eum tantum locum obscure indicavit his verbis: *Propter hoc* generationem ejus quis enarrabit? (quod est ex Isaiæ LIII. 8.) *quoniam* homo est, & quis agnoscet eum? (ex Jeremiæ XVII. 9. juxta LXX.) *Cognoscit autem illum is*, cui Pater qui est in cælis, revelavit: *ut intelligat, quoniam is* qui non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri natus est, *filius hominis*, *hic est* Christus filius Dei vivi. Hæc autem sumta sunt potissimum ex Matthæi XVI. 16. & seq.: & fortasse, quoniam ibi dicitur, *quia caro & sanguis non revelavit tibi*,

bi,

bi; inde ei orta est occasio inserendi quædam similia verba ex Joannis Euangelio ducta, & argumento proposito a se accommodata.

5. Idem cap. XXI., cujus argumentum est, *Prophetiam Isaiæ VII. 14. a prava interpretatione Theodotionis, Aquilæ, Ebionitarum ac Judæorum vindicare, auctoritatemque versionis septuaginta interpretum commendare, ac demum pluribus argumentis confirmare Christum e Virgine natum esse*; dum prophetiam illam Isaiæ edisserit, hæc habet num. 5. *Et in eo quod dicit*, Audite domus David, *significantis erat, quoniam quem promisit Deus David*, De fructu ventris ejus *æternum suscitaturum se regem* (Psal. CXXXI. 11.) *hic est, qui ex Virgine, quæ fuit de genere David, generatus est. Propter hoc enim &* de fructu ventris ejus *regem promisit, quod erat proprium Virginis prægnantis, & non de fructu lumborum ejus, nec de fructu renum ejus, quod est proprium viri generantis, & mulieris ex viro conceptionem facientis. Circumscripsit* (hoc est, ut in Notis ea vox explicatur, *removit, e medio sustulit*; græce περιέγραψε) *igitur genitalia viri in promissione Scriptura, immo vero nec commemoratur* (leg. forte, *commemoravit*); *quoniam* non ex voluntate viri *erat qui nascebatur. Statuit autem & confirmavit* fructum ventris, *ut generationem ejus qui erat futurus ex Virgine, pronuntiaret*, &c. Et num. 7., quem locum imitatus fuisse videtur Severus noster: *Propter hoc autem & Daniel, prævidens ejus adventum, lapidem sine manibus abscissum* (supple, *dicens*) *advenisse in hunc mundum* (*hoc est enim quod* sine manibus) (hæc tamen glossema sapiunt, & eliminanda hinc videntur) *significabat, quod non operantibus humanis manibus, hoc est virorum illorum qui solent lapides cædere, in hunc mundum ejus adventus erat; idest, non operante in eum Joseph, sed sola Maria cooperante dispositioni. Hic enim lapis a terra ex virtute & arte constat Dei. Propter hoc autem & Esaias ait*: (cap. XXVIII. 16.) Sic dicit Dominus: Ecce ego mitto in fundamenta Sion lapidem preciosum, electum, summum angularem (gr. *ἀκρογωνιαῖον*), honorificum: *uti* non ex voluntate viri, sed ex voluntate Dei, *adventum ejus qui secundum hominem est, intelligamus*. Hæc ille, complura deinceps addens argumenta ad asserendam perpetuam Mariæ virginitatem.

6 Hactenus, ut vidimus, quatuor vicibus, usurpavit Irenæus, ad significandam Christi ex Virgine nativitatem, verba aliquot Joannis ex cap. I. 13., neque tamen vel semel verba illa Joannis Euangelistæ nomine produxit, aut, prout illic leguntur, ad verbum citavit, aut ex ipsis potissimum, ut par fuisset, argumentum duxit ad confirmandam sententiam suam: quæ omnia haud obscura indicia sunt, id unum sibi voluisse sanctissimum Martyrem, ut Joannis verbis uteretur, utpote accommodatissimis ad significandum, Christi conceptionem & nativitatem ex Maria immunem fuisse ab omni immunditia, & vel minimo carnalis concupiscentiæ contagio. Præterea, quamvis concederemus agnitam fuisse ab Irenæo lectionem, *Qui .... natus est*; non propterea tamen uti potuisset eo testimonio ad confirmandam Deiparæ virginitatem: nam interpretanda potius fuissent de æterna Verbi ex Patre generatione. De Verbo enim incorporeo loquitur Joannes ab initio Euangelii ad vers. 14.; tum de ejusdem terrena nativitate statim subdit, *Et Verbum caro factum est*, & quæ sequuntur. *Hæc lectio* (ita Cardinalis Toletus, Adnotat. XXXVI. in Euang. Joan. cap. I., de nova hac lectione agens) *sensui est valde consona, & mysterii plena. Continuatur*

nitatur enim praecedentibus sic, ut ratio quaedam sit, quare credentes filii Dei fiant: nempe dedit potestatem filios Dei fieri iis, qui credunt in nomine ejus, qui filius Dei est naturalis & verus, & non natus ex sanguinibus, eum voluntate carnis, & voluntate viri; qui Christus est. Quasi dicat, ob id sunt filii Dei isti facti, quia credunt in eum, qui est verus & naturalis Dei filius, & non filius tantum hominis, ut ceteri nati ex sanguinibus, & ex concupiscentia carnis & viri. quia ergo credunt Filium verum Dei & naturalem, filii etiam fiunt Dei, quamvis longe aliter quam ille in quem credunt. Huic lectioni respondent quae sequuntur: Et Verbum caro factum est; *idest, hic qui non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis & viri, sed ex Deo divina generatione natus est, factus est homo.* Hactenus Toletus: neque sane aliter eum locum interpretari deberet, quicumque novam illam lectionem, *natus est*, ratam haberet. Par est itaque credere, Irenaeum non agnovisse lectionem illam, sed verbis ex illo commate sumtis usum fuisse in impropria & tralatitia significatione tantum: praecipue cum terrenae Christi nativitati cetera saepius accommodans, abstinuerit perpetuo a commemorandis verbis illis, *non ex sanguinibus*, quae huic nativitati non penitus convenire ipsi merito videri poterant. Alioquin debuisset, ut Tertullianus postea fecit, declarare, quemadmodum locus ille Joannis, ea in significatione acceptus, minime pugnaret cum catholico dogmate, quo traditur, *Christum veram carnem ex Virgine conceptum & natum sumsisse*, de quo tamen ex instituto agit cap. XX. ejusdem III. libri, contra ejus temporis haereticos, qui Christum per Virginem, *tamquam per fistulam*, transisse impie asserebant.

7. Sed reliquus adhuc est alius Irenaei locus, quo Joannis I. 13 verba usurpat, sed ita tamen, ut non ad Christi tantum, sed & ad omnium fidelium ex Deo nativitatem ea referat. Ita nimirum habet lib. V. cap. I. num. 3., volens declarare, *Ebionaeos incarnationem filii Dei ex Maria Virgine Spiritu Sancto operante factam respuentes, manere in veteri Adae damnatione. Vani autem*, inquit, *& Ebionaei, unitionem Dei & hominis per fidem non recipientes in suam animam, sed in veteri generationis perseverantes fermento; neque intelligere volentes quoniam Spiritus Sanctus advenit in Mariam, & virtus Altissimi obumbravit eam: quapropter & quod generatum est, sanctum est, & filius Altissimi Dei patris omnium, qui operatus est incarnationem ejus, & novam ostendit generationem: ut quemadmodum per priorem generationem mortem haereditavimus, sic per generationem hanc haereditemus vitam. Reprobant autem hi commixtionem vini caelestis, & solam aquam secularem volunt esse, non recipientes Deum ad commixtionem suum; perseverantes autem in eo, qui victus est, Adam, & projectus est de paradiso, non contemplantes, quoniam, quemadmodum ab initio plasmationis nostrae in Adam, ea quae fuit a Deo aspiratio vitae, unita plasmati, animavit hominem, & animal rationale ostendit; sic in fine Verbum Patris & Spiritus Dei, adunitus antiquae substantiae plasmationis Adae, viventem & perfectum perfecit hominem, capientem perfectum Patrem: ut quemadmodum in animali omnes mortui sumus, sic in spirituali omnes vivificentur. Non enim effugit aliquando Adam manus Dei*, (idest Filium & Spiritum Sanctum, ut ipsemet Irenaeus explicat alibi: vide Notis) *ad quas Pater loquens, dicit*: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. *Et propter hoc in fine* non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, *sed ex placito Patris manus ejus vivum perfecerunt*

Digitized by Google

runt hominem, uti fiat Adam secundum imaginem, & similitudinem Dei. Locum integrum proferre placuit, ut S. Martyris sententia & mens apertior legenti fiat.

8. Verum si ex superioribus locis Irenæi non sequitur necessario, ipsi ad manus fuisse Græcos N. T. Codices, qui legerent, ὃς . . . . . ἐγεννήθη, *Qui . . . . . natus est*; multo minus ex hoc postremo argui id potest; ob allatam paullo ante rationem. Præfert, fateor, non levem probabilitatis speciem hæc frequens & constans ad eum locum Joannis allusio, ejusque accommodatio ad Jesu Christi generationem: adeo ut Joannes Ernestus Grabius in Notis ad cap. XVIII. libri III., quod in Massuetii edit. est XVI., minime dubitaverit scribere: *Ex hoc loco, & cap.* 21. (quod est decimumnonum apud Massuet.) *hujus libri liquet, Irenæum Joannis I.* 13. *legisse,* ἐγεννήθη, *pro* οἳ ἐγεννήθησαν, *quomodo & Tertullianus lib. de carne Christi cap.* 19. & 24. *allegavit*. sed non levibus conjecturis, sed certis rationibus in re tanti momenti agendum est. Observat autem Massuetius, Dissert. III. in Iren. art. 2. num. 10., *Vix quidquam certi statui posse de iis, quibus usus est Irenæus, Novi præsertim Testamenti codicibus: adeo ut ex iis quæ allegat Scripturæ locis, ut quid certum & indubitatum concludi non possit, sic vel sic omnino habuisse Irenæi codices*. Nec his contentus Grabium haud obscure sugillat, dum ibidem addit: *Quisquis prudens est, & in lectione Patrum tantillum versatus, abstinet ab ejusmodi judiciis, ne temeritatis notam incurrat*. Profecto, nisi aliunde constet lectionem illam Græcis Patribus agnitam, nulla caussa est, cur eam ab Irenæo in laudatis locis usurpatam concedamus.

9. Atqui ex Græcis Patribus laudatur secundo loco S. Joannes Chrysostomus, cujus hoc producitur testimonium ex Homil. II. in Matthæum, ex interpretatione Montfauconii: *Ideoque duplex* (Christi) *generatio fuit; & quæ similis nostræ esset, & quæ nostram exsuperaret. Etenim ex muliere nasci nobis competit: nasci autem non ex sanguine, non ex voluntate viri & carnis, sed ex Spiritu Sancto,* μὴ ἐξ αἵματος, μηδὲ ἐκ θελήματος ἀνδρὸς ἢ σαρκὸς, ἀλλ' ἐκ πνεύματος ἁγίου, *generationem nos exsuperantem & futuram prænuntiat, quæ ex Spiritu nobis concedenda erat*. Eruditus Barzanus, qui primus hunc locum produxit, pag. LXV. ut *novæ lectioni in speciem faventem*, observat etiam *S. Doctorem ne uno quidem verbo istiusmodi lectionem innuisse, cum ex instituto & data opera, Joannis Evangelium explicans, de I.* 23. *agit*; nempe Hom. IX. in Joannem, ubi plane cum nostris codicibus consentit, in eo quoque ut non ἐξ αἵματος, ut supra, sed ἐξ αἱμάτων, *ex sanguinibus* legat. Refert præterea ex Joanne Frickio, Massuetii sententiæ paullo ante a me allatæ admodum consentaneum, & prudens monitum, quod heic transcribere non erit inutile. Est autem hujusmodi: *Patet, quam parum tuto subinde citationibus Patrum ad eligendam sacri textus veram lectionem fidatur: quapropter & nonnulli doctorum de fructu aliquo ex illis capiendo desperarunt. Verumtamen observandum in hac quæstione discrimen non unum, quod conducat. Nimirum aliter esse consideranda Scripturæ loca, quæ in commentariis Patrum sive Græcis sive Latinis, justo librorum sacrorum, quos explicant, ordine proferuntur, aliter quæ in scriptis homileticis aut moralibus, immo & eristicis aliquando exstant: in posteriori genere multum sibi haud raro indulgere priscos doctores, aut memoriæ fisos nimium, aut dicta pluscula commiscentes in unum, aut cum glossis paraphrastice quædam ad scopum aut caput quæstionis*

appli-

applicantes, aliter ac in codicibus, quos forte non habebant ante oculos cum scriberent, reperiebantur. In priori vero genere scriptorum, cum pressius sit inhærendum textui explicando, minus licuit a codice verbisque recedere. Hæc Frickius, referente, ut diximus, Barzano.

10. Verum etsi maxime opportuna sint hæc monita quæstioni quam agitamus, minime tamen necessaria erant testimonio Chrysostomi recte interpretando. Ipse enim locus Homil. II. in Matthæum, si integer referatur, satis superque significat, frustra & immerito accenseri Chrysostomum iis qui novam illam lectionem in Joannis Euangelio agnoverint. Hæc nimirum præcedunt, eodem Montfauconio interprete. *Longe difficilius est, quantum ad humanum intellectum pertinet, Deum hominem fieri, quam hominem Dei filium esse. Cum igitur audis Filium Dei filium esse Davidis & Abrahæ, dubitare jam desine, te filium Adæ, filium Dei futurum esse. Neque enim frustra & incassum seipsum ita humiliasset, nisi nos exaltaturus esset. Natus est enim secundum carnem, ut tu nascereris secundum Spiritum: natus ex muliere, ut tu desineres filius esse mulieris.* His præmissis, pergit demum Chrysostomus, *Ideoque duplex generatio fuit*, &c. Itaque ex toto contextu apparet, eum nedum locum Joannis I. 13. aliter ac nos legisse, sed eo prorsus pacto quo a nobis legitur, explicasse, præcipue si postrema verba probe expendantur, quæ sic græce se habent: ἣν ἡμῖν ἔμελλεν ἐκ πνεύματος χαρίζεσθαι, *quam nobis* (Christus) *donaturus erat ex spiritu.* Quum enim dicat, Christum vix natum nobis promittere *generationem*, seu nativitatem, *illam, quæ non ex sanguine, neque ex voluntate viri aut carnis, sed ex Spiritu Sancto est*, satis declarat, verba illa Joannis non de Christo singulariter, sed de omnibus in eum credentibus scripta fuisse, prout in nostris codicibus leguntur. Neque obstare debet, quod eadem verba Christo quoque accommodet, ut Irenæus, & alii fecerunt: nam reipsa nos Dei filii ad ejus similitudinem, qui filius Dei naturalis est, evadimus per adoptionem, & per ipsius redemtionem.

11. Sequitur ex Græcis S. Joannes Damascenus, cujus hæc laudantur ex libri III. de Fide Orthodoxa cap. I., ex interpretatione Lequienii. *Quocirca Verbum caro absque ulla mutatione de Spiritu Sancto, & sancta Maria semper virgine Deique genitrice factum est: Deique & hominum mediator existit solus ille in homines benignissimus, non ex voluntate aut concupiscentia, aut congressu viri, aut generatione cum voluptate conjuncta*, οὐκ ἐκ θελήματος ἢ ἐπιθυμίας, ἢ συναφείας ἀνδρὸς, ἢ γεννήσεως ἐνηδόνου *intemerato Virginis utero conceptus, sed de Spiritu Sancto ac prima illa Adami productione.* Sed quis non videt in his verbis haberi quidem ad Joannis locum aliquam allusionem, sed eam obscuram, & quæ minime suadeat Damascenum aliter eum locum legisse ac in Græcis hodiernis codicibus exstat? Leqnienius sane nihil aliud animadvertit in illud, Οὐκ ἐκ θελήματος, *Non ex voluntate*; quam quæ sequuntur: *Redemtorem a peccato immunem fuisse docet, quia ex mare & femina genitus non est, sed de Spiritu Sancto: eo fere modo quo primus Adam effectus fuerat.* Sed placet ipsius Ansaldi testimonio comprobare, quid tum de hoc tum de supra allatis Græcorum Patrum locis statuendum sit. *Fallitur ille* (ita scribit pag. 201. Operis *de Authenticis PP. allegationibus.*) *tamen, ut ego arbitror, vehementer, haud distinguens primum inter allusiones, atque citationes, interque diversitates lectionum, si ita loqui fas est, essentiales substantialesque*

Digitized by Google

que, & accidentales varietates. Non omnis ex Scriptura mutuata phrasis, citatio est: verum ex emphasi verbisque Scriptoris, ex modo quo sacra verba legimus exposita, an aliquis tunc recitetur textus, non sponte caecutienti patet per se. Illa laudatorum Patrum: Sic enim scriptum esse contendunt: Et quid utique tam exaggeranter inculcavit: Sed ex Deo natum esse Joannes testatur: Ebioni respondet, *& similia; quid aliud, obsecro, ostendunt, nisi manifestam citationem? Haud ita, fateor, res se habet, ubi tantum sit allusio; aut ubi consulto ex Scripturae verbis ac sententiis tertium quid contexitur,* &c. Nihil profecto ab eo praesertim, qui auctoritate Irenaei, Chrysostomi, Damasceni ad novam illam in Joanne lectionem confirmandam est usus, dici potuit egregius, aut quod ab iisdem Patribus longius amoveat suspicionem omnem novae ejus lectionis: quot quot enim producit expressos Scripturae citandae modos, ab iisdem procul absunt, reperiuntur autem in Patribus Latinis, de quibus dicendum modo est.

12. Jam diximus fere initio, ex Latinis laudari ab Ansaldo & Blanchino Tertullianum, Augustinum & Vigilium Tapsensem, quibus certe accensuissent Sulpicium Severum, Hieronymum a me in Notis productum, & Ambrosium, Praefatione in Psal. XXXVII., & alios fortasse, si eos perspectos habuissent. Locus Ambrosii producitur in Notis ad Joannis I. 13. a Petro Sabatier Monacho ex Congregatione S. Mauri, in insigni Opere, cui titulus: *Bibliorum Sacrorum Latinae Versiones antiquae*, &c. Est autem hujusmodi: *Christus etsi naturalem substantiam carnis hujus susceperat, non tamen contagia ulla susceperat, nec in iniquitatibus conceptus, & natus est in delictis: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed de Spiritu Sancto natus ex Virgine est.* Sed, praeterquam quod idem Ambrosius alibi Joannis locum expresse citans, vulgatam lectionem agnoscit tantum; dum hoc ipso loco pro, *sed ex Deo natus est*, scribit, *sed de Spiritu Sancto natus ex Virgine est*, satis innuit, non se Joannis locum in testimonium assumere, sed ejus verbis tantum per accommodationem uti. Conferatur sane hic locus cum iis quae habet in libro de Noe & Arca, cap. IV.: sunt autem: *Sicut ergo viri probabilis vitae, filii Dei vocantur: ita quorum carnalia sunt opera, hos filios dicimus carnis, Scripturarum auctoritate. Dicit enim Joannes Evangelista, quia* Quotquot *Dominum Jesum* receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Conferatur item cum iis quae habet lib. II. de Spiritu Sancto, cap. IX. *Ergo creat Pater in operibus bonis, creat & Filius: quia scriptum est:* Quotquot autem eum receperunt, & cetera ut supra. Per accommodationem quoque eis verbis usos Severum & Hieronymum minime dubitamus. hic certe lib. II. adversf. Jovinianum, num. 29., cum lectione Vulgata consentit. En ejus verba: *Vides ergo, quod in consortium substantiae ejus assumimur, non naturae esse sed gratiae: & ideo nos diligit, quia Filium dilexit Pater; & membra diliguntur, scilicet in corpore.* Quotquot enim receperunt *Christum*, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. *Verbum caro factum est, ut nos de carne transiremus in Verbum*, &c.

Digitized by Google

13. Sed jam de Tertulliano, Augustino & Vigilio videamus; ac primum de Vigilio, cujus quædam producuntur in medium ex Dial. II. de Trinitate. Habentur hi Dialogi inter spuria Athanasii Opera, quoniam sub Athanasii nomine laudantur a Ratramno, Hincmaro & aliis, sed nunc a plerisque Vigilio Tapsensi tribuuntur, postquam a Petro Francisco Chiffletio, Vigilii Operum collectore, sub ejus nomine editi, duodecim numero, fuerunt Divione an. 1664, una cum Scriptis Victoris Virensis: quamvis Josephus Anthelmius in Disquis. *de Symb. Athanas.* Parisiis an. 1693. edita, & Clariss. Montfauconius, Tom. III. S. Athanasii, malint Idacio cuidam, saltem octo ex ipsis, & in his secundum, esse tribuendos, una cum libro, seu, ut in aliis editionibus, libris III. adversus *Marivadum*, seu, *Varimadum* Diaconum Arianum, Hunerico Regi, qui ab anno 447. ad 485. in Africa imperavit, familiarem: sed & hoc opus Vigilio vindicant Caveus, Oudinus, alii, qui ab eo sub *Idacii Clari*, quemadmodum Dialogos illos sub Athanasii nomine, vulgatum tradunt. Sed locum ipsum, cujuscumque demum sit, inspicismus: ita autem ab Ansaldo, & Blanchino affertur: *Sed ex Deo natum esse* (Christum) *Joannes testatur. In sua venit, & sui eum non receperunt: quot quot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, credentibus in nomine ejus, qui non ex sanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo natus est.* Sed huic auctoritati duo opponi possunt: alterum in novissima Montfauconii editione, ad MSS. codices recognita, legi non *natus est*, sed *nati sunt*: alterum, in proxime præcedentibus eumdem locum in omnibus libris juxta vulgatam lectionem citari: *Sed ex Deo nati sunt*. Quis autem credat eumdem Scriptorem utramque lectionem in eodem fere orationis contextu usurpare voluisse in diversa illa significatione? adeo ut primo loco de credentibus in Christum, posteriori de ipso Christo sit interpretatus, uti volunt adversarii. Scribit enim Ansaldus, pag. 165. Dissert. *de loco Joannis*, Montfauconianam editionem tacite carpens, *laudata in testimonio Vigilii mendum irrepsisse haud crediderim: sententia quippe, quam Scriptor ille satagit confirmare, illo reapse textu inniti debebat: interrogatus enim ab Hæretico, an nomen Patris esset in Filio ac Spiritu Sancto; affirmative Catholicus respondet, quod Christi nomen illius esset*, qui non ex sanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, *nempe non ex hominibus*, sed ex Deo natus esset. Eam congruentiam urget rursus eruditus Vir pag. 206. & 214. *de Authenticis*, &c. Sed integrum Vigilii locum expendenti cuilibet facile apparebit, nihil esse in illo contextu, quod evincat aut illa Joannis verba de *Christo* potissimum ab Auctore fuisse intellecta, aut lectionem in novissima Athanasii editione exhibitam vitiosam esse: nam locus obscurissimus est, qui proinde incertum lectorem facit, quo potissimum referendum sit testimonium illud Joannis, præcipue cum paullo supra, ut diximus, ex ipso Joannis I. vers. 13. hæc produxerit: *Sed ex Deo nati sunt*. Vide etiam quæ Barzenus num. XXXIII. suæ ad Ansaldum epistolæ de hoc loco habet.

14. Sed liceat mihi proponere, & aliorum judicio subjicere conjecturam, quam jam pridem mente concepi, nec potui adhuc abjicere. Conjiciebam nimirum aliquando, totum illum locum qui in quæstionem cadit, glossema esse appositum primum margini ad ea verba,

Sed

Digitized by Google

Sed ex Deo nati sunt. Nimirum nescio quis, qui præ manibus forte haberet Euangelii codicem, cujusmodi est Veronensis, potuit notare non legi apud Joannem *nati sunt*, uti scripserat Auctor Dialogorum, sed *natus est*, eaque occasione integrum Joannis textum lectoris oculis subjecerit. Sane Dialogos illos fuisse interpolatos, satis apparet ex libro VI., quem ex vetusto codice sincerum edidit Blanchinus. Quid? quod in codice Sangermanensi, sexcentorum circiter annorum, hæc haberi tradit Montfauconius: *Explicit liber octavus Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Athanasii Episcopi. Hos libellos VIII. transcripsi, qui multa addita & immutata continent*. Ad hujusmodi autem additionum classem non proprie spectat hoc quod dixi assumentum, sed potius ad scioli alicujus glossema, quod alieno loco in textum, ut sæpius factum a librariis, fuerit intrusum. Sed præstat integrum locum exhibere juxta editionem Montfauconianam, ut appareat ex omissione ejus sententiæ contextum & mentem auctoris illustrari, qui nunc admodum implexus & obscurus est. Quærit itaque Hæreticus: *Declara mihi, si nomen Patris est in Filio, & in Spiritu Sancto*. Respondet Auctor sub nomine Athanasii: *Jam frequenter de auctoritate Scripturarum tibi ostensum est, Deum Patrem per legislatorem Moysem testatum* (Exod. III. 15.) Ego Dominus Deus: hoc est nomen meum memorabile, sempiternum in generationes & progenies. *De Filii autem persona sic ait* (Exod. XXIII. 21.): Nomen meum est in illo. *Et alio in loco idem ipse Pater repetit* (Esa. XLV. 3.): Ego Dominus Deus, qui voco nomen tuum Deus Israel: *Quod ipse Filius confirmavit, dicens* (Joann. V. 43.): Ego veni in nomine Patris mei, & non recepistis me. *Et David ad hæc ait* (Psal. CXVII. 26.): Benedictus qui venit in nomine Domini. *Nam & de persona Spiritus Sancti Filius testatus est*, Quem mittit Pater in nomine meo (Joan. XIV. 26.). *Vides Filium in hoc nomine venisse, quod & in deitate Patris uniter esse ostenditur, & Spiritum Sanctum in hoc nomine venisse indicatur & Filii, Apostolos autem missos fuisse, ut baptizarentur omnes in unito vel communi nomine Deitatis, quod est naturæ invisibilis, id est, Sancti Spiritus, sicut scriptum est* (Ephes. IV. 30.): Nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis in die redemtionis vestræ. *Sed & hoc accipe* (1. Cor. XII. 13.): Et omnes unum Spiritum potavimus. *Sive unitatis nomen baptismo operante suscipe dicentis* (2. Cor. XIV. 13.): Et vos eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens. *Vel hoc accipe*: Sed ex Deo nati sunt (Joann. I. 13.) (Hæc autem pone ab aliquo in margine heic notata: *Sed ex Deo natum esse*, vel forte *est*, *Joannes testatur*. *In sua venit*, & cetera, quæ supra attulimus. ceterum ita sequitur Auctor) *Nec non*, Et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi. *Et alio in loco* (1. Cor. VI. 11.): Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi, & in Spiritu Dei nostri (Hoc loco insertum fuit glossema illud de quo dicebamus, alieno prorsus loco: nam sequitur) *Disce ergo hoc unitum nomen esse sempiternum in Deitate Patris & Filii & Sancti Spiritus; sicut & unum baptisma est filii, quod vitam æternam credentibus tribuit*, &c. Quæro nunc, quid ad propositum argumentum faciant tres illi Joannis versus ex cap. I. excerpti? aut num, quod primum sibi proposuerat Auctor, & quod postremo concludit, ex illo testimonio dependeat? Nihil minus. Restat itaque ut ab

aliena manu inserti fuerint, non alia sane de caussa, quam prout conjecimus.

15. At saltem ex illo glossemate colligi potest, ejusdem auctorem præ manibus habuisse codicem Joannis, in quo legeret, *natus est*. Quid ni autem? quum nos quoque in Veronensi MS ita scriptum legamus. Quid tamen propterea accedit auctoritatis novæ illi & erroneæ lectioni, si aliquis obscurus homo & imperitus prætulit codicis sui lectionem usurpatæ a Patribus, & in emendatis quibusque codicibus receptæ? Sufficiat nobis ostendisse non esse imposterum obtrudendam in hac quæstione Vigilii Tapsensis, aut, si mavis, Idacii auctoritatem: nam contra apparet, ab auctore ejus Dialogi (quisquis ille demum fuerit) Joannis locum juxta receptam & veram lectionem fuisse in eodem loco usurpatum; quod miror non fuisse vel leviter indicatum ab assertoribus novæ lectionis. Ceterum si Vigilius, ut Chiffletius & alii passim persuasum habent, auctor fuit ejus libelli, qui *de Trinitate & Spiritu Sancto* inscribitur, & Dialogus duodecimus apud eumdem Chiffletium numeratur, qui tamen in quibusdam Athanasii editionibus XImo perperam jungitur, eo quod ex duobus unus tantum conflatus sit libellus, (eum tamen Montfauconius ipsi Athanasio adjudicare maluit, quum tamen latine habeatur tantum, nec ab ullo Græco scriptore laudetur) ex eo haberemus aliud argumentum, ex quo confirmaretur Vigilium receptam lectionem usurpasse. In eo enim legitur, pag. 974. partis 2. Tomi I. Opp. S. Athanasii noviss. Edit. *In principio quidem Evangelii Joannes de Salvatore, & de his qui crediderunt, ait*: Quotquot eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui credunt in nomine ejus, qui non ex sanguine, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.

16. Veniamus tandem ad Augustinum, ex cujus Confessionum lib. VII. cap. 9. locus quidam producitur in speciem quidem novæ lectioni stabiliendæ & confirmandæ opportunus, reipsa tamen admodum infirmus, & ambiguus. Sed Clariss. Ansaldum audiamus prius, qui pag. 199. *De authenticis*, &c., eum magnificis verbis extollit ad sidera, appellans primum *apertissimum ac pulcherrimum testimonium, in quo locus ille Joannis juxta Tertullianæam lectionem clare, evidenter, ac mirifice producitur*: tum, eo testimonio recitato, ita pergens: *En monumentum sole clarius, ac evidentia ipsa evidentius, quod non tempus edax, non Editor impotens ausus est diruere; monumentum, inquam, quod nullum Barzani effugium, nullus Rigaltianus, aut Priorianus poterit abolere temerator. Statuitur ex hac allegatione Versio Africana, jam olim Tertulliani tempore in usu habita, nondum Augustini ætate antiquata. Noscitur ex Hipponensis citatione Lectio codicis a Vulgata diversi, in tempore exscripta: nec enim ad sensum, vel memoriter Joannis verba is allegasse dicendus est, qui Evangelicam doctrinam* non quidem his (*quæ citat*) verbis, *sed aliis loquendi modis, Platonicorum in scriptis se invenisse testatur. Deinde quum cetera prioris capitis Joannis commata ex codice Christianorum, seu ex phrasi Evangelica citet; illud etiam comma, quod in quæstione est, non quod ad verba ipsa spectat, allegasse nemo dubitabit*. Hæc Ansaldus, quem nunc mihi, salva tamen amicitia & observantia, qua ipsum, ejusque Institutum prosequor, refutandum esse video.

17. Ac primum, antequam locum illum ex libris Confessionum expen-

expendamus, operæ pretium erit animadvertere Augustinum sæpius in ceteris suis scriptis citasse & explicasse locum illum Joannis, juxta tamen communem & receptam lectionem, numquam autem meminisse alterius lectionis, quam unice ex libro VII. Confessionum Ansaldus educit, secutus in eo Crellium sub persona *Artemonii*, in libro cui titulus: *Initium Euangelii S. Joannis*, &c., par. I. cap. XXXIV. num. 3., scribentem: *Talis lectio exstabat etiam in Platonicorum libris, quos Augustinus Confess. lib. VII. c. 9. recenset*. Item, *inquit*, ibi legi, quia Deus Verbum *non ex carne, non ex sanguine, non ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo natus est*. Porro loca insignia, in quibus S. Augustinus edisseruit versiculum illum Euangelii Joannis, sunt, 1. ex Tom. III., in Tractatu II. in Joannem, num. 14. & 15., 2. ex Tom. V., in Serm. CXIX. num. 4., 3. ibidem in Serm. CXXI. num. 4. & 5. Agit autem in his Sermonibus, non secus ac in Tractatu illo in Joannem, non obiter, sed ex instituto, de initio Euangelii S. Joannis. 4. ex Tom. II., in Epist. CXL., quæ est ad Honoratum, num. 9. & 11.. 5. ex Tom. X., in libro II. *De peccator. meritis*, num. 37. & 38., quo tamen loco aliquantum a vulgata lectione recedit, & ad eam propius accedit, quam in libro VII. Confess. sequitur: ita enim habet: *Non enim omnibus hominibus dedit, sed quotquot receperunt eum, ut Deo renascerentur spiritu, qui seculo nati erant carne. Sic enim de his dictum est*: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui non ex carne, non ex sanguine, non ex voluntate viri, non ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt. Porro indicati a me textus, verbis Ansaldi utar, totidem *apertissima ac pulcherrima testimonia sunt, in quibus locus ille Joannis*, non *juxta Tertullianeam*, sed juxta communem *lectionem clare, evidenter, ac mirifice producitur, & declaratur*. verba ipsa Augustini transcribere omittam, nam quisque ea per se facile consulere poterit. Si itaque exstitisset versio illa Africana, de qua Ansaldus, in qua *natus est* legeretur, eaque olim ab omnium in Africa Christianorum manibus tereretur; quæro qui factum sit, aut fieri potuerit, ut Augustinus in omnibus illis locis, in quibus eum Joannis versiculum producit & edisserit, potissimum vero in Sermonibus ad populum habitis, constanter communem lectionem inculcaverit, nec saltem, ut sæpe alias fecit, discrepantiam alterius lectionis notaverit? Hanc certe difficultatem sibimet proponere & solvere debuisset, qui uni illi ex libris Confess. textui innixus, *Tertullianeam*, ut ipse vocat, lectionem Augustino aptare voluit; alioquin, quod *sole clarius, & evidentia ipsa evidentius* prædicatur, incertum prorsus & obscurum evadit: nempe, an ille legerit in Sacro codice, *natus est*, ut Ansaldo persuasum & certum est.

18. Sed concedamus interim in libris Confess. Augustinum transcripsisse ad verbum Joannis textum, atque adeo habuisse præ manibus codicem, in quo ita scriptum exstaret: quid inde sequeretur demum? Quum idem multis aliis in locis supra a me indicatis legerit, *nati sunt*, hancque unam lectionem in ceteris suis scriptis postea editis sic interpretatus; sequeretur agnitam quidem primum, sed repudiatam postea fuisse lectionem alteram, & indignam habitam, cujus ne meminerit quidem. Neque enim mirum esse debet, si eo tempore exstarent, in Africa potissimum, codices aliquot vitiosam illam lectionem

nem præferentes, quum in eosdem inciderit, ut nos supra conjecimus, Vigilii Tapsensis interpolator, quumque ad nostram usque ætatem supersit, qui ab aliquot sæculis ad Capitulum Veronensis Ecclesiæ spectat, quique tamen ipse in Africa fortasse primum scriptus fuerit. Nam, ut monuit Clariss. Maffejus, Biblioth. Veron. MStæ pag. 78. col. 2., *Habentur & alii in hac Bibliotheca codices ab Hispania procul dubio profecti*, quod aliis verbis inculcat pag. 81. col. 1. & pag. 89. col. 1. Facile autem ex Africa in Hispaniam migrasse antea potuit codex Euangeliorum, tum ob vicinitatem, tum propter Saracenorum invasionem. In Africa autem potissimum exstitisse olim codices aliquot, & in iis fortasse Veronensem, mendosam illam lectionem præferentes, arguimus ex Tertulliano, qui eam vel primus invexit, vel saltem auctoritate sua confirmavit: quum reliqui, ut videbimus, antiqui Patres Latini magno numero pro recepta lectione stent. Potuit igitur Augustinus, ut dicebam, libros Confess. scribens, sequi lectionem illam: neque tamen propterea ei accedit auctoritas ulla, quum idem in ceteris suis scriptis ejus ne meminerit quidem, atque adeo vitiosam agnoverit, & repudiaverit. Libri autem Confessionum scripti & editi ponuntur circa initia ejus episcopatus, & ad annum Chr. CCCC., quum reliqua ejus scripta supra indicata, in quibus laudat Joannis locum, aliquot annis posteriora sint.

19. Quid? quod ne ipse quidem locus ex libris Confess. seorsum ab aliis locis, & per se spectatus, eam habet vim & significationem, quam ipsi tribuit Ansaldus. Neque enim, ut ille voluit, Joannis Euangelium Augustinus proprie citat, aut ejus initium ad verbum transcribit, quamvis ejus verbis potissimum utatur ad eum finem, ut declaret, quid in Platonicorum libris invenerit consentaneum Euangelico dogmati, quid non: neque tamen Euangelico dogmati in universum, sed, quod maxime attendendum est, singillatim ei quod ad Verbum divinum carnem factum attinet: quare & illa verba vers. 13. Joannis I. in eam significationem ipse inflectere exili mutatione potuit. Sed jam locum ipsum in medium producamus, in quo ita Deum alloquitur: *Volens ostendere mihi, quam resistas superbis, humilibus autem des gratiam, & quanta misericordia tua demonstrata sit hominibus via humilitatis, qua Verbum tuum caro factum est, & habitavit inter homines* (en scopum Augustini); *procurasti mihi per quemdam hominem, immanissimo typho turgidum, quosdam Platonicorum libros, ex græca lingua in latinam versos; & ibi legi, non quidem his verbis* (quæ tamen verba non dicit exstare apud Joannem), *sed hoc idem multis & multiplicibus suaderi rationibus, quod in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum: omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: quod factum est in eo, vita est, & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt:* (Hæc & alia *ex codice Christianorum citari* monet Ansaldus: esto, non tamen quæ proxime sequuntur) *Et quia hominis anima, quamvis testimonium perhibeat de lumine, non est tamen ipsa lumen; sed Verbum Dei Deus est lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Et quia in hoc mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit. Quia vero in sua propria venit, & sui eum non receperunt; quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem* filios

Digitized by Google

filios Dei fieri, credentibus in nomine ejus, non ibi legi. Item ibi legi, quia Deus Verbum non ex carne, non ex sanguine, non ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo natus est: sed quia Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, non ibi legi. In his verbis, ut vides, cardo vertitur quæstionis. Contendit Ansaldus Joannis textum allegari ab Augustino, *non quo ad sensum pertinet, verum potius quo ad verba ipsa spectat*: ego contra id certum esse nego: nam potuit ille quidem usurpare Joannis verba, accommodata tamen scopo suo, de quo supra: quemadmodum Irenæum & alios Patres fecisse vidimus. Certe, quum hæc se in Platonicorum libris legisse vel non legisse dicit, ad verborum sententiam spectavit, non ad ipsa verba: ita etiam hæc ipsa in sacris litteris, seu in Ecclesiæ fide, quod spectat ad sensum, haberi tradit; sed de ipsis verbis, utrum apud Joannem, aut alibi scripta habeantur, nihil affirmat: neque enim de verbis, sed de rebus ipsis agit. Hoc autem manifestum fiet ex sequentibus, ubi nonnulla addit, quæ in Scripturis ad verbum non exstare, certum & exploratum est. Hujusmodi sunt, ex majori saltem parte, quæ paullo post sequuntur: *Quod enim ante omnia tempora, & supra omnia tempora, incommutabiliter manet unigenitus Filius tuus, coæternus tibi, & quia de plenitudine ejus accipiunt animæ, ut beatæ fiant; & quia participatione manentis in se sapientiæ renovantur, ut sapientes sint, est ibi*; scilicet, in Platonicorum libris: tum hæc: *Et ideo legebam ibi etiam immutatam gloriam incorruptionis tuæ in idola & omnia simulacra, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentum (videlicet Ægyptium cibum, quo Esau perdidit primogenita sua) quoniam caput quadrupedis pro te honoravit populus primogenitus* (obiter moneo, hunc locum jungendum fuisse aliis multis tum Augustini, tum aliorum Patrum Latinorum, in quibus est mentio *capitis* vituli, seu bovis, ab Aarone conflari, de quo pluribus supra egimus pag. 485. & seqq.) *conversus corde in Ægyptum, & curvans imaginem tuam, animam suam, ante imaginem vituli manducantis fœnum. Inveni hæc ibi, & non manducavi*. Num in his quoque citavit Augustinus aut Joannis Evangelium, aut alium Scripturæ librum? Nequaquam. Cur itaque in præcedentibus non potuit uti Joannis verbis, ita tamen ut nonnulla mutaret, aut ea, prout ipsi opportunum visum fuit, nonnihil inflecteret? Fecit id, quod nemo diffitebitur, in vers. 8. & 9.: quid ni & in 13.?

20. Sed Augustinum mittamus, & aliquando veniamus ad Tertullianum, quem uti certissimum est utramque lectionem agnovisse, ita dubitari merito potest, num ipse eam primus invexerit, & defenderit, quæ haud male *Tertullianæa* Ansaldo dicta fuit. Sed de hoc infra, postquam ejus textus produxerimus, &, ubi opus erit, restituerimus. Duo sunt Tertulliani loci, in quibus laudat vers. 13. cap. 1. Joannis, uterque in libro *de carne Christi*, alter cap. XIX., alter cap. XXIV. Sed mirum est, quantum torserit, & inter se commiserit Ansaldum Barzanumque prioris loci varia in editis lectio, dum Ansaldus Pamelii editioni inhæret, contra Barzanus Rigaltium & Priorium sequitur. Verum uterque multum frustraque laboravit, cum in utraque editione mendum cubet. Itaque primum restituendum esse Tertulliani textum jam pridem animadverti, conjecturamque meam cum amicis aliquot doctis, & præsertim cum Andrea Gallando & Camillo

millo Almicio, hoc Brixianæ, Venetiarum illo Congregationis Oratorii Presbyteris admodum eruditis, & κριτικωτάτοις jam tum communicavi, ab eisque litteras, quibus eam approbarunt & cum plausu aliquo acceperunt, teneo. Novissime autem cum ad nos pervenerit Sabaterii liber, de quo supra, Parisiis an. 1751. editus, comperi doctissimum Virum in eo mecum prorsus convenire, veramque Tertulliani lectionem fusiori calamo asserere, quem proinde hoc loco transcribere juvabit. Hæc nimirum habet in Notis ad Joannis I. 13. pag. 388. part. 1. tom. 3.

21. Monet primum Mss. omnes concinere cum Colbertino, & cum Editione *Vulgata nova*: tum ita pergit: *Tertullianus vero alio modo legit l. de carne Chr. c.* 19. *p.* 551. *c.*, *nempe sic*: non ex sanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo natus est: *contenditque alteram scripturam*, sed ex Deo nati sunt, *meram esse corruptionem textus, Valentinianis ipsis merito tribuendam. Audiendus Tertullianus loco cit.* Cum ipse sit, *inquit*, de Spiritu Dei, & Spiritus Deus est, ex Deo natus ipse est, & ex carne hominis homo in carne generatus. Quid est ergo, *non ex sanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo natus est?* Hoc quidem capitulo ego potius utar, cum adulteratores ejus obduxero: sic enim scriptum esse contendunt: *non ex sanguine, neque ex carnis voluntate, nec ex viri, sed ex Deo nati sunt:* quasi supradictos credentes in nomine ejus designet, ut ostendat esse semen illud arcanum electorum & spiritalium, quod sibi imbuunt. Quomodo autem ita erit, cum omnes qui credunt in nomine Domini, communi lege generis humani ex sanguine, & ex carnis, & ex viri voluntate nascantur; etiam Valentinus ipse? Adeo singulariter, ut de Domino, scriptum est: *Et ex Deo natus est* (Ratio exigit, ut heic legatur: *Sed*, non *Et*, *ex Deo natus est*: & ita legendum esse monuit Barzanus: sed Sabaterium audire pergamus.)

22. *Fateor in omnibus editionibus Tertulliani, loco* nati sunt, *quod supra legitur in medio, scribi* natus est; *sed errore manifesto librariorum, vel scioli cujusdam, qui vulgata seu communi lectione deceptus, & scripturæ a Tertulliano usurpatæ parum gnarus, imperite correxit* natus est, *quasi hæc lectio malo animo inducta fuisset a Valentinianis; cum e contrario manifeste appareat ex tota serie verborum Tertulliani, ipsum germanam scripturam credidisse illam, quæ habet* natus est; *adulteram vero, & eidem substitutam a Valentinianis, istam*, nati sunt. *In eodem errore captus est Pamelius not.* 146. *&* 150. *in hunc Tertulliani locum.* „ Recte, inquit, vocat (Tertullianus) adulteratores Scripturæ hæreticos hoc loco, quia pro eo quod omnia exemplaria Græca, Latina, Syriaca, & Patres omnes constanter legunt, uti etiam haud dubie Euangelista Joannes, *ex Deo nati sunt*, ipsi singulari numero legerunt, *natus est*. „ *Sed inconsiderate omnino Pamelius, pace doctissimi viri dixerim. Equidem priores omnes, ut jam dixi, Tertulliani editiones ferunt*, natus est; *sed aperto mendo, quod diligens & attentus editor facile potuisset animadvertere. Enim vero dupliciter heic citatur a Tertulliano idem Joannis versiculus; primo quidem uti legebatur vulgariter, & in usu communi erat tunc temporis in Ecclesia; secundo eo modo, quo corruptus fuerat a Valentinianis. Duplex igitur lectio, & quidem diversa,* memo-

Digitized by Google

memorata a Tertulliano; una hæreticorum, altera catholicorum; una qua legebatur natus est, *altera quæ exhibebat* nati sunt: *secus, quæ foret oppositio, quæ varietas, quis denique sensus verborum Tertulliani? hoc certe non ambigitur. Jam vero si attendatur Tertulliani locus qualis a Pamelio post alios duos, nempe Rhenanum & la-Barre, editus est; nulla varietas scripturæ in ipso, nulla dissimilitudo, quum utrobique legatur* natus est. *Manifestum ergo mendum est eo loci apud Tertullianum, quod tolli facile potuisset vel Mss. codd. ope, si præsto fuissent, vel saltem perpensis Tertulliani scopo & orationis ejus serie: inepte enim & insulse ratiocinatum fuisse Tertullianum quis credat?* Occasione capta ex iis quæ Sabaterius monet de Tertulliani loco corrigendo *MSS. codd. ope, si præsto sint*, lego in personati Artemonii par. I. cap. 24., Joannem *a Wovver*, seu Wowerium, (ut puto, in *Notis Epidicticis in Tertull.*) in veteri codice sic legisse: *Quid est ergo, Non ex sanguine, nec ex carnis voluntate, nec ex viri, sed ex Deo natus est? ex Deo nati sunt? Hoc quidem capitulo ego potius utar, quum adulteratores ejus obduxero. Sic enim scriptum esse contendunt: Non ex sanguine, nec ex carnis voluntate, nec ex viri, sed ex Deo natus est.* Nimirum remansit priori loco vestigium germanæ lectionis, cui tamen librarius substituere voluit ex Vulgata *nati sunt*; persuasus nimirum *adulteratores* ab eo dictos, qui *natus est* legerent.

23. *Vitium sensit Rigaltius, vel post eum Priorius: nam in editione, quam habemus sub utriusque nomine, correctum legimus primo loco* nati sunt, *posteriori vero, ubi agitur de corruptione Valentinianorum, servatam* natus est; *sed ordine perperam inverso, ut cuivis vel leviter attendenti videbitur. En verba Tertulliani, prout habentur in editione Rigaltii:* Quid est ergo: *non ex sanguine, neque ex voluntate carnis, ... sed ex Deo nati sunt?* Hoc quidem capitulo ego potius utar, cum adulteratores ejus obduxero: sic enim scriptum esse contendunt: *non ex sanguine, nec ex carnis voluntate...... sed ex Deo natus est:* quasi supradictos credentes in nomine ejus designet, *&c. Cum autem apud Pamelium utrobique legeretur*, sed ex Deo natus est; *nullam percipiens varietatem, nullam oppositionem Rigaltius, aut Priorius, ita emendavit, ut una ex parte legeretur* natus est, *ex altera vero* nati sunt, *& quidem recte: sed in eo peccavit Rigaltius, quod lectionem* natus est *postposuit alteri* nati sunt; *ut nimirum illam minus vulgarem, ideoque corruptam, tribueret Valentinianis; istam vero Vulgatæ nostræ similem tribueret Catholicis. In hoc sane hallucinatus est Editor novus: meridiana enim luce clarius est, lectionem hodiernam*, nati sunt, *impugnatam fuisse a Tertulliano, tamquam depravationem manifestam sacri contextus factam a Valentinianis; alteram vero*, natus est, *allatam fuisse ab ipso veluti genuinam & propriam lectionem. Id aperte concluditur ex verbis ipsis, quæ proxime addit Tertullianus*: quasi, *inquit*, supradictos credentes in nomine ejus designet: *quæ verba ita necessario connectuntur cum præcedenti lectione*, nati sunt, *ut si altera*, natus est, *legeretur, nullus omnino sensus, nulla series, nullus sit nexus verborum Tertulliani: quod etiam clarius patet ex consequentibus istis:* Quomodo autem ita erit, cum omnes qui credunt in nomine Domini, communi lege generis humani, ex sanguine, & ex carnis, & ex viri voluntate nascantur; etiam Valentinus ipse? *maxime vero ex his, quæ subdit:* Adeo singulariter, ut de Domino, scriptum est: Et ex Deo natus est. *Si enim veram lectionem credidisset*, nati sunt, *spuriam vero*

& adulteratam natus est; *quo sersu conclusisset singulariter de Domino scriptum esse:* Et ex Deo natus est?

24. *Ita autem sibi ipsi constat Tertullianus, ut infra, cap.* XXIV., *eamdem legendi rationem obtrudat Hebioni, nulla habita ratione lectionis Valentinianorum. En ipsius verba:* Ideo etiam Marcionem prospiciens: *Ego sum*, inquit, *Deus, & alius absque me non est*. Et cum alias idipsum eodem modo dicit, *Ante me Deus non fuit*, nescio quas illas Valentinianorum Æonum genealogias pulsat: Et, *non ex sanguine, neque ex carnis, & viri voluntate, sed ex Deo natus est*, Hebioni respondit. *Adeo certum est scripturam illam*, & ex Deo natus est, *tamquam germanam & veram æstimatam fuisse a Tertulliano; alteram vero*, & ex Deo nati sunt, *tamquam spuriam & a Valentinianis adulteratam, carptam fuisse ab ipso. Unde nec movere debet, quod Pamelius ad hunc ultimum Tertulliani locum rursus notat*, n. 146. Hoc interim mirum, *inquit*, quod eodem modo citet illam scripturam adversus Hebionem, infra cap 24.: *tantum opinio præjudicata poterat apud ipsum, ut etiam sine ratione valeret.* Hactenus egregie Sabaterius, & ex nostri animi sententia, Tertulliani textum restituit & interpretatus est. In eo tantum ab eo discordamus, quod rursus in Pamelium invehitur, eo quod scripserit, omnia exemplaria, *& Patres omnes constanter* legisse, *ex Deo nati sunt*. nam concedit id quidem *verum esse de exemplaribus Græcis, Syriacis, Latinis, &c.*, non ita tamen de Patribus omnibus. *Enim vero*, inquit, *præter Tertullianum, habemus Irenæum Tertulliano antiquiorem, & Ambrosium ætate posteriorem, quin & Augustinum, & Sulpicium Severum, quibus non inaudita videtur talis scriptura*. Tum eorum textus singillatim recenset, qui tamen quo pacto intelligendi sint, jam supra declaravimus: nempe, nemo eorum, quamvis verba Joannis usurpet, eumdem Joannem testem citat, aut ex ejus verbis potissimum argumentum ducit. itaque nihil repugnat, quominus in sacris Codicibus vulgatam lectionem habuerint, & nihilominus, ut sæpe alias ab iis factum, Joannis verba accommodaverint instituto suo, quasi de Christo singulariter scripta esset: maxime quum, ut notavimus, eorum plerique qui Christo verba illa accommodarunt, alibi eumdem textum juxta communem lectionem expresse citaverint, aut commentati sint: in quorum numero habentur Ambrosius & Augustinus a Sabaterio laudati. Ex his omnibus satis liquet, non leviter, ut hic concludit, sed jure merito & vere affirmasse Pamelium, a Patribus omnibus constanter lectum fuisse *nati sunt*, adeoque solius Tertulliani (nam de eo solo certo constat) propriam esse lectionem, *natus est*.

25. Nam præter eos Patres, quorum supra meminimus, hos præterea, ipso Sabaterio indicante, laudare possumus: Hilarium lib. I. de Trin., juxta ed. Ver. Tom. II. col. 8., ita legentem: *Qui non ex sanguine, neque ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt:* Chromatium Aquilejensem, in Matthæum, ex Tom. V. Biblioth. PP., qui verba illa, *Pater noster qui es in cælis* edisserens, hæc habet: *Quanta Domini circa nos dilectio! quanta misericordia ejus & pietas, quæ nobis tantæ gratiæ munus indulsit, ut licenter Dominum ac Deum nostrum servi Patrem dicere audeamus! quo vocabulo non jam tantum servos, sed etiam filios nos Dei esse demonstrat. Et cum ad gratiam satis superque sufficeret,*

si

si vel servi dici tantummodo mereremur; in tantum caritas Dei exabundavit, ut non solum servi, sed filii Dei per adoptionem vocemur. Cujus nominis gratiam, per fidem credentibus Christo donatam, in Euangelio Joannis ostendit, dicendo: Quotquot crediderunt in eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Hæc Chromatius: cui adde Tichonium Donatistam, & quidem in Africa natum & altum, cujus impressæ exstant *septem regulæ de explicatione Sacræ Scripturæ*, de quibus S. Augustinus lib. III. de Doct. Chr. cap. XXX. & seqq.. Porro prima Regula inscribitur, *de Domino & ejus corpore*, & ita incipit. *Dominum ejusque corpus, idest Ecclesiam, Scriptura loquitur, sola ratio discernit: dum quid cuique conveniat, persuadet, sed* (for. *seu*), *quia tanta est vis veritatis, extorquet*. Denique post multa sic habet: *Itaque facti sunt duo una caro:* Verbum caro factum est, *& caro Deus* (supple, *facta est*): *quia* non ex sanguine, sed ex Deo nati sumus. *Apostolus dicit:* Erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia, &c. Porro hoc Tichonii testimonium ostendit, vel in Africa plerosque saltem sacros Codices vulgatam lectionem exhibuisse, ibidemque pro germana habitam: quidquid secus senserit & scripserit Tertullianus. Sabaterius præterea laudat pro vulgata lectione Auctorem quæst. ex utroque Testam., q. CXXIII., S. Leonem Serm. XXVI., Auctorem epist. ad Demetriadem, quæ epistola ab aliis Prospero, *S.* Leoni ab aliis tribuitur; & Vigilium Tapf. lib. XII. de Trin., addens tamen: *Nisi quod supra, lib. 2. Vigilius habet*, Qui non ex sanguine. Sed vide quæ nos supra de Vigilio sub num. 13. & seq. disputavimus.

26. Reliquum modo est, ut integrum Tertulliani textum proferamus, ut appareat evidentius, quam persuasum ipsi esset, veram lectionem Joannis esse *natus est*, non vero *nati sunt*. Propositum ipsi erat potissimum in libro *de Carne Christi* catholicum dogma asserere adversus Valentinianos, qui negabant veram carnem ex Maria Virgine Christum sumsisse: quare opponit sibi capite XIX. versiculum illum Joannis, qui, prout ab ipso legebatur, ejus assertioni difficultatem creare aliquam videri poterat, quam tamen pluribus elevare & omnino tollere satagit. Ita ergo scribit: *Quid est ergo*, Non ex sanguine, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo natus est? *Hoc quidem capitulo ego potius utar, cum adulteratores ejus obduxero* (id est, *profligavero, delevero*, ut alibi): *sic enim scriptum esse contendunt:* Non ex sanguine, nec ex carnis voluntate, nec ex viri, sed ex Deo nati sunt: *quasi supra dictos* credentes in nomine ejus *designet, ut ostendat esse semen illud arcanum electorum & spiritualium, quod sibi imbuunt. Quomodo autem ita erit, cum omnes qui credunt in nomine Domini, communi lege generis humani, ex sanguine & ex carnis & ex viri voluntate nascantur, etiam Valentinus ipse? Adeo singulariter, ut de Domino, scriptum est*, Et ex Deo natus est. *Merito; quia Verbum Dei spiritus, & in spiritu Dei virtus, & quidquid Dei est Christus. Quâ caro autem*, non ex sanguine, nec ex carnis & viri voluntate: *quia ex Dei voluntate* Verbum caro factum est. *ad carnem enim, non ad Verbum pertinet negatio formalis nostræ nativitatis: quia caro sic habebat nasci, non Verbum. Negans autem ex carnis quoque voluntate natum, cur non negavit*

Digitized by Google

etiam ex substantia carnis neque enim quia ex sanguine negavit, substantiam carnis renuit, sed materiam seminis, quam constat sanguinis esse calorem (for. *sanguinem esse calore*), *ut despumatione, mutatum in coagulum sanguinis feminæ: nam ex coagulo in caseo vis est substantiæ, quam medicando constringit, idest, lactis. Intelligimus ergo, ex concubitu nativitatem Domini negatam, quod sapit voluntas viri & carnis; non ex vulvæ participatione. Et quid utique tam exaggeranter inculcavit, non ex sanguine, nec ex carnis voluntate, aut viri natum; nisi quia ea erat caro, quam ex concubitu natam nemo dubitaret Negans porro ex concubitu, non negavit ex carne; immo confirmavit ex carne: quia non proinde negavit ex carne, sicut ex concubitu negavit*: cetera.

27. Porro ex his, aliisque quæ cap. XXIV. ejusdem libri habentur, & supra num. 24. relata fuerunt, apparet quanta fiducia & constantia Tertullianus mendosam illam lectionem inculcet & defendat, germanam contra rejiciat, & pro adulterina traducat: quare prima fronte videri facile possit, omnino statuendum esse, ita eum reipsa scriptum reperisse in Joannis codicibus; atque adeo exstitisse jam tum interpretationem aliquam Latinam, quæ ita legeret: uti quidem sibi persuaserunt Ansaldus & Blanchinus. Sed dum meeum reputo quæ fuerit Tertulliani indoles, & quam rationem in citandis Scripturis inierit, quæque ipsi peculiares caussæ esse possent versiculum illum Joannis aliter ac in sacris codicibus legendi, facile mihi persuadeo, ipsum potius lectionem *natus est* excogitasse, & pro sincera venditasse. Quod sane spectat ad rationem qua Scripturæ sententias usurpavit, censuit quidem Pamelius, *secutum fuisse editionem LXX. Interpretum in veteri Testamento, & tam in illo quam in novo Testamento sua propria ex Græco translatione usum*: sed rectius Millio, in Prolegom. in N. T. Græc. num. 616., visum fuit, *adducta ab eo loca attentius consideranti, nibil certius quam quod in eis ad* Italicam *fere semper respexerit*: quamvis ipse quoque agnoscat *citata* ab eo *Sacri codicis loca fere negligentius, ex memoria, contracte, ad sensum, baud sine levicula aliqua subinde mutatione, ipsisque allegatis testimoniis immixta nonnumquam aliqua a stilo Interpretis Vulgati diversa, Africanas φράσεις, & vocabula mere barbara*; quæ sane omnia persuaserint Pamelio & aliis, Tertullianum sua propria translatione usum in Scripturarum citationibus: contra Millius de his ab antiqua Vulgata discrepantiis ita ibidem censet: *Citationes aliæ ab ipso Tertulliano sumtæ videntur ex variis Versionibus, quæ tempestate illa ferebantur. Nempe præter Italicam innumeras alias primis seculis exstitisse notat Augustinus*. Sed audiamus demum Cl. Sabaterium, Præfat. Gen. num. XCV. ita de Tertulliano scribentem: *Vix definire licet, quo Latino codice, qua, si mavis, interpretatione sit usus. Cum scriptor ille acerrimi vehementissimique sit ingenii, non æquabiliter & una eademque ratione scribit; sed vehementis sequutus ingenii impetus, non se verbis, sed sibi verba subiicit, & ad nullius codicis fidem addictus, plerumque describere videtur, quas laudat Scripturæ sententias. Alias negligentius, alias ex memoria, alias ad sensum, verba referre parum sollicitus, profert; nonnullas pluribus, quasdam paucioribus verbis effert; plures immutat. Verba etiam sibi uni propria, nec ulli alii scriptori exaudita adhibet. Sed de his melius in notis, ubi exscriptos e Tertulliani libris versiculos Scripturæ interposuimus, lector judicabit*. Hactenus Sabaterius, quo nemo melius de his judicare potuit.

28.

28. Probabile est itaque, Tertulliano potissimum in mentem venisse novam illam in Joannis textu lectionem, eamque ab ipso, utpote cerebri sui fœtum, adeo acriter assertam: præcipue quum peculiares eidem caussæ essent, ob quas eam præferret vulgatæ in græcis & latinis codicibus. Nam primum apud Irenæum, cujus libros, etiam ex Latina quæ superest versione (*), familiares habuit, & aliquoties transcripsit, offendit eum Joannis locum sæpius ita usurpatum, quasi de Christo singillatim esset intelligendus. Videbat secundo eam lectionem maxime opportunam esse argumento, quod in eo libro contra Valentinianorum errores pertractabat. Postremo vulgatam lectionem nati

(*) Nova mihi sane, nec omnino prætereunda silentio videtur sententia Cl. Sabaterii, qui in Præfat. Gen. Operis, *Bibl. Sacr. Latinæ vers. antiquæ*, pag. II §. III. & num. XCIII., quum eorum opinionem rejecisset, qui S. Irenæum vel Latine primum scripsisse, vel Græce primum scripta in Latinam deinde linguam transfudisse censuerunt, ipse demum statuit Irenæi quam habemus interpretationem *nec antiquiorem, nec recentiorem Gregorii M. temporibus*. Equidem Dodvvellus, Diss. V. in Irenæum §. 10., voluit eam versionem demum post an. Chr. CCCLXXXV. prodiisse occasione revivescentis in Priscillianistis ψευδωνύμου γνώσεως, sed ejus sententiam refutarunt Grabius in Prolegom., Sect. II. §. 3., & Massuetius, Dissert. II. art. II. n. 53. & seq., qui multis argumentis confirmant, antiquissimam omnino esse, ac Irenæo supparem ejus librorum versionem, eamque a Tertulliano usurpatam in libro adversus Valentinianos, etiam ubi interpres falsus est. Eadem versio Cypriano haud ignota fuisse videtur, quum in Epist. ad Pompejum, de Cerdone & Marcione quædam habeat, quæ apud Irenæum leguntur lib. I. cap. XXVII. Legit & Augustinus, ut eo libro I. contra Julianum, cap. 3. & 7., quæ etiamnunc extant apud Irenæum Latinum lib. IV. & V. Porro hæc Grabii & Massuetii argumenta (quibus adde Millium in Prolegom. in N. T., ubi de Irenæo & Tertulliano agit, & Dominicum de Colonia, Histor. Litter. Lugd. tom. I. part. 2.) contra Dodvvellum, non minus, immo multo magis Sabaterium impugnant, qui ad Gregorii M. tempora, & ad sæculi VI. exitum rejicit Irenæi Latinam interpretationem: cui tamen minime ignota esse debuerant Grabii, & Massuetii argumenta, quum eos ibidem laudet, Massuetio præterea magistro se usum glorietur. Quibus itaque argumentis permotus ab illorum sententia discessit? Uno hoc argumento utitur, stili barbarie: ita enim scribit. *Deinde tam inculta, tam agrestis, tam horrida & barbara est hæc interpretatio, ut dici nequeat elaborata Irenæi ætate; qua quidem ætate, etsi incorrupta Latini sermonis non esset integritas, pars saltem nonnulla pristinæ elegantiæ supererat. Etenim si horridus interpretationis illius stilus eam Gregorii Magni ætate antiquiorem haberi non sinit; multo quoque recentiorem non esse, ex laudatis in hac interpretatione Scripturarum versiculis conficitur: quippe qui versiculi ex veteri interpretatione, seu Itala, quæ post Gregorium esse in usu & honore desiit, plerumque sunt descripta.* Sed hæc nos ratio ex stilo ducta facile solvitur: si ponamus, quod maxime probabile est, interpretem fuisse aliquem in Gallia agentem ex Irenæi discipulis, vel Gallum (ut ex quibusdam Gallicis idiotismis conjecit Dodvvellus) vel potius Græcum, eumque minus peritum latinæ linguæ: cujusmodi fuerunt complures potissimum in Provinciis, vel cum maxime floreret Romæ & in Italia ejus sermonis elegantia. certe, ut observavit Salmasius, Funer. Hellen. linguæ pag. 213., Interpres ille *ubique græcissat, præ imperitia nimirum Latini sermonis, fortean & Græci; nam Græca sæpe male interpretatus est*. Ceterum Sabaterii opinioni fulciendæ nemo, puto, producet ipsius Gregorii M. epistolam ad Ætherium Lugdun. episc., quæ est lib. IX. ep. L., in qua legitur: *Gesta vero vel scripta beati Irenæi jamdiu est quod sollicite quæsivimus: sed hactenus ex eis inveniri aliquid non valuit*: nam si ex his concludere velis, nondum Latine redditum fuisse Irenæum; posset eodem jure concludi, ne Græce quidem ejus scripta eo tempore superfuisse. Sed, ut quod res est, dicam, Sabaterius in id potissimum intentus, ut Irenæum græce scripsisse, nec quæ græce scripserat, latine reddidisse demonstraret; non ad ea animadvertit quæ pro antiquitate ejus interpretationis suppetunt argumenta, atque adeo ex stili barbarie conjectura ducta, ad ætatem Gregorii Magni illam temere rejecit. Ceterum plurimum interest probe nosse ejus Versionis ætatem, ut constet quo in pretio & loco habendæ sint lectiones Vulgatæ Latinæ Scripturarum interpretationis ibidem occurrentes.

nati sunt, suspectam habere potuit, utpote accommodatam stabiliendo eorumdem Valentinianorum somnio de semine spiritali, quod electis induci tradebant, ut ipse ibidem innuit, & fusius refert cap. XXV. adv. Valentin., & libri de Anima cap. XI. Hæc tria sufficere potuerunt, ut audacem & acerrimi ingenii virum in eam sententiam traherent, ut vel refragantibus sacris codicibus, novam ipse & commentitiam lectionem in Joannis textum induceret, utque repudiaret illam quæ germana erat, & ad eam diem in Græcis & Latinis exemplaribus lecta fuerat. Idque eo magis probabile videri debet, quia nulla fere alia suppetit ratio, quam Tertullianææ huic lectioni originem dedisse possimus opinari. Nam si, quod tritum est, ad mendosos codices Latinos confugias; mendum ipse Tertullianus facile deprehendisset, saltem ex græcis codicibus, in quos sane mendi suspicio multo difficilius cadere potest, nam duobus in locis, ἐ.... ἐγεννήθησαν, corruptio esset admittenda, eaque maxime conspicua vel lippis oculis. Atqui Tertullianus non, ut debuerat, ad codices aut græcos aut latinos provocat, sed tantummodo, ob pravam interpretationem quam a Valentinianis lectio, *nati sunt*, accipiebat, aut accipere poterat, eam rejicere conatur; qui tamen codices sibi non suffragari tacite fatetur, quum de eadem lectione scribat, *Sic enim scriptum esse contendunt*, &c.

29. Nam quod paullo infra addit: *Adeo singulariter, ut de Domino, scriptum est, Et ex Deo natus est*; dubitari merito potest, utrum ad hunc ipsum Joannis locum proprie respexerit, an vero ad alium fere similem, quem idem paullo ante, seu cap. XVIII. ejus libri, ex Joannis cap. III. vers. 6. ducebat. En ipsius verba, in illud: *Verbum caro factum est*; quod nempe ita explicat: *Si ex carne factum est Verbum caro, aut si ex semine ipso factum est, Scriptura dicat. Quum Scriptura non dicat nisi quod sit factum, & non unde sit factum; ergo ex alio, non ex semine ipso suggerit factum. Si non ex semine ipso, sed ex alio, jam hinc tracta, ex quo magis credere congruat carnem factum Verbum, nisi ex carne, in qua & factum est: vel quia ipse Dominus sententialiter & definitive pronuntiavit*: Quod in carne natum est, caro est: quia ex carne natum est. *Sed si de homine tantummodo dixit, non & de semetipso; plane nega hominem Christum, & ita defende non & in ipsum competisse. Atquin subiicit*: Et quod de spiritu natum est, spiritus est. Quia Deus Spiritus est, & de Deo natus est. *Hoc utique vel eo magis in ipsum tendit, si & in credentes ejus. Si ergo & hoc ad ipsum, cur non & illud supra? .... Ita cum ipse sit de Spiritu Dei, &* Spiritus Deus est, ex Deo natus *ipse* est, *& ex carne hominis homo in carne generatus*. Apparet itaque Tertullianum (nec solum, ut infra dicemus) ita legisse Joann. III. 6., ubi nos legimus tantum: *Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex Spiritu, Spiritus est*. Porro hinc conjicimus primo, ex eo etiam loco persuasum fuisse Tertulliano, ut pariter Joann. I. 13. legendum esset, *natus est*: secundo, ad eum potius locum spectasse, quum cap. XIX. ea verba citat: *Et* (ita nimirum constanter in omnibus Tertulliani editionibus legitur, non *Sed*, ut supra num. 21. cum Barzano legendum perperam conjiciebamus) *ex Deo natus est*. idque eo magis probabile fit, quod utrobique hunc locum de æterna Verbi generatione accipiat, contra alterum ex cap. I. Joannis de temporali.

Con-

Confer quæso diligenter cum superioribus hæc: *Adeo singulariter, ut de Domino, scriptum est*, Et ex Deo natus est. *Merito; quia Verbum Dei Spiritus, & in Spiritu Dei virtus, & quidquid Dei est Christus. Qua caro autem*, non ex sanguine, nec ex carnis & viri voluntate: *quia ex Dei voluntate* Verbum caro factum est. *ad carnem enim, non ad Verbum pertinet negatio formalis nostræ nativitatis: quia caro sic habebat nasci, non Verbum*. Vides, ut Joannis I. 13. locum de carnali Christi generatione intelligat, verbaque illa *ex Deo natus est*, ita explicet, *ex Dei voluntate* (quomodo & Irenæus lib. III. cap. XVI. & XXI., nec non lib. V. cap. I., ubi tamen, pro *ex voluntate Dei*, habet *ex placito Patris*: vide integra loca supra num. 3. 5. & 7.): contra alium locum Joann. III. 6. tribus vicibus de Verbi divina nativitate constanter interpretetur. Igitur numquam asseruit Tertullianus in codicibus Joannis, I. 13., lectum fuisse, *natus est*, licet ita ipse legendum contenderet.

30. Sed quoniam meminimus variæ lectionis, seu potius adsumenti, quod hic ex Joann. III. 6. profert, scias velim, Lector, eum locum totidem verbis ex *Evangelio* recitare Nemesianum a Thubulis in Concil. Carthagin. III. cap. 5., omissis tantum illis: *Quia ex carne natum est*: quæ tamen cum ceteris, ut apud Tertullianum, exhibet antiquissimus codex Euangeliorum Vercellensis, a Josepho Blanchino insertus in Euangel. Quadr.: vide ibidem par. I. pag. 284., ubi ita legitur: *Quod natum est de carne, caro est, quia de carne natum est: & quod natum est de spiritu, spiritus est, quia Deus Spiritus est, & ex Deo natus est*. Itidem auctor incertus libri de Fide Orthodoxa, postrema verba agnoscit: nimirum eum locum ita recitat: *Quod nascitur de carne, caro est: & quod nascitur de spiritu, spiritus est: quia Deus Spiritus est, & de Deo natus est*. Alios Patres, qui nonnullas ex iis additionibus laudarunt, ipsumque S. Ambrosium, qui lib. III. de Spir. S. arguit Arianos, quod, ut ipse putavit, ex eo versiculo delevissent illa verba: *Quia Deus Spiritus est*; referre consulto omitto: habentur enim diligenter recensiti a Sabaterio in Notis ad eum locum Joannis. At enim, dices, doctissimus P. Constantius, in *Vind. vet. codd. conf.* pag. 63., quum monuisset *omnia illa commata seu additamenta, quæ alii ex parte habent, ex parte non habent, apud Tertullianum collecta legi*, subdit: *Verum suspicio non deest, verba illa*, Quia ex carne natum est, *nec non ista*, Quia Deus Spiritus est, & de Deo natus est, *a Tertulliano non ex ipso Joannis textu descripta, sed ad eum explicandum* παραφραστικῶς *addita fuisse; atque hac paraphrasi, utpote a verbis divinis non satis distincta, deceptos nonnullos etiam eam pro sacro textu accepisse, & sacrarum paginarum exemplaribus inseruisse. Quod si ita est, primus, aut ex primis unus inde deceptus dicendus est, Nemesianus a Thubulis episcopus. Sed ceteros Afros in eumdem errorem non abiisse testes sunt Cyprianus, Augustinus*, &c. Verum, si diligenter totus ille Tertulliani locus, uti supra a nobis est productus, expendatur, apparebit levem admodum, ac nullius ponderis esse suspicionem illam: quod ipse agnoscit Constantius, dum statim subdit: *Sed esto, Tertullianus nihil* παραφραστικῶς *dixerit, ac Joannis locum, ut in exemplari suo legebat, laudarit*. Atqui, si in eo fides habenda esset Sabaterio, Constantius in illo libro non suspicionem, de codicibus Joannis ex Tertulliani loco interpolatis obiter injecit, sed de hoc ex instituto egit, atque adeo ita reipsa factum demonstravit: ita enim ille in Notis. *Enim vero*, inquit, *in*

Vindi-

Vindiciis confirmatis veterum codicum, *abunde de his disserit Constantius noster, contenditque ibidem vir eruditus non modo verba illa*, Quia Deus Spiritus est, *non erasa fuisse ab Arianis, ut conquestus est Ambrosius; verum nec ea ex ipso Joannis textu descripta fuisse a Tertulliano, qui primus ea protulisse invenitur; sed ad eum explicandum* παραφραστικῶς *tantum addita ab ipso fuisse, uti ista*, Et de Deo natus est, *&*, Quia ex carne natum est; *atque hac paraphrasi, utpote a verbis divinis non satis distincta, deceptos nonnullos eam pro sacro textu accepisse, & sacrarum paginarum exemplaribus inseruisse. Multis & variis argumentis nititur doctus Asceta, quæ singula heic referre nimis longum est. Consulat locum studiosus lector, nempe a pagina 56. usque ad 70. & rebus diligenter perpensis, judicet ipse.* Verum *multa illa & varia argumenta* Constantii eo unice spectant, ut demonstret contra Germonium, ab Arianis non erasam fuisse sententiam illam, *Quoniam Deus Spiritus est*, ut ex Ambrosii potissimum auctoritate ille adstruere voluerat; in quo illi plane assentior. At de conjectura interpolati textus Joannis ex laudato Tertulliani loco, nihil præterea habet, nisi quod rursus pag. 89. & seq. adversus eumdem Germonium (qui pag. 116. libri de *veter. Hæreticis Ecclesiasticorum codd. corruptoribus* scripserat: *Liquet, non modo illa verba*, Quia Deus Spiritus est, *& illa*, Et de Deo natus est, *sed etiam ista alia*, Quia ex carne natum est, *quæ non amplius exstant in sacris Bibliis, Romæ tamen ætate Tertulliani in iis lecta fuisse*) hæc reponit: *At istud non ita, ut ipsi videtur, liquet: Nam, si omnia illa, uti superius* (nempe pag. 69.) *exposuimus, non e sacris Bibliis exscripserit Tertullianus, sed sacro textui* παραφραστικῶς, *ejusque explicandi gratia de suo addiderit, evanescit tota hæc argumentatio; nec ambiguum erit quin ex hac paraphrasi fluxerit illa interpolatio, quæ exinde in quibusdam codicibus sacro textui admixta atque inserta est. Sed & si hoc demus, in libro de Carne Christi nullam esse paraphrasim, non sequitur, ut Tertullianus etiam Romæ scribens, interpolata verba in Romanis codicibus legerit: cum potuerit fieri, ut hæc e proprio exemplari, quod Romam secum deportasset, depromserit*: Hæc ille. Itaque Arianos non interpolasse locum illum Joannis, potissimum & data opera Constantius docet: quod autem additamenta illa ex Tertulliano in sacrum textum intrusa fuerint, id eo meram tantum conjecturam proponit, cui minime acquiescimus.

31. Ceterum obiter moneo Blanchinum nostrum in errorem non levem a Germonio inductum, quum pag. 62. & seq. *Prolegom. in Evang. Quadr.*, ad adstruendam Codicis Vercellensis antiquitatem hoc argumento abutitur, nimirum quod in eo, ut vidimus, ea legantur Joan. III. 6., quæ apud Tertullianum & alios, quæque ab Arianis olim erasa contendit Germonius. *Hoc enim flagitium*, inquit, *quoniam deprehensum fuit circa annum reparatæ salutis* 357. (& in hac temporis adnotatione presse insistit Germonii vestigiis) *miram Eusebiani codicis antiquitatem ostendit, atque insolitæ traditioni* (nempe, quæ ab ipso S. Eusebio Vercellensi scriptum codicem fert) *addit maximum pondus auctoritatis*: cetera. Sed quam vellem, ut Blanchinus Constantii *Veterum codicum vindicias confirmatas* legisset, aut saltem, ut par erat, suspectum habuisset Germonii in hujusmodi quæstionibus judicium: abstinuisset profecto eo loci a referendis Ambrosii & Tertulliani textibus, ejusdemque Germonii verbis; multoque magis ab antiquitate Codicis Vercel-

Vercellensis ejusmodi argumento probanda. Equidem, nisi satis aliunde constet de antiquitate Codicis, ex illo Joannis loco nihil certi statui possit, ne si quidem concedatur, corruptum aliquando fuisse & truncatum ab Arianis. Quid enim? ad unum omnes ejus temporis codices dicendum caruisse Arianorum opera verbis illis: *Quia Deus Spiritus est*. At exstabant saltem in Mediolanensibus, quibus usus fuit *S.* Ambrosius. Quid ergo prohibet, quin ex iisdem Mediolanensibus, aut aliis similibus codicibus, transcribi postea potuerit Vercellensis? quo posito ruit funditus illud omne Blanchini argumentum. Equidem licet ultro concedam codicem esse antiquissimum, quod colligitur ex characterum specimine, quod habetur expressum in Tabula II. post pag. 588. partis II. *Evang. Quadr.*; nihil tamen obstat, quin sæculo quinto vel sexto scriptus ponatur, cujus nempe ætatis sunt & alii complures codices eadem fere characterum forma exarati, aut majorem etiam antiquitatis speciem præseferentes. Certe quæcumque afferuntur pro afferenda traditione illa, quæ ipsa S. Eusebii manu scriptum codicem fert, non satis firma videntur: sunt autem ipsius S. Eusebii Acta ab Ughello vulgata, & epigramma quod operimento codicis argenteo fuit inscriptum sub rege Berengario, qui regnavit exeunte sæculo IX.. Atqui *Acta* illa neque remotæ admodum antiquitatis sunt, neque a multis erroribus immunia: ut ab aliis jam observatum fuit. (*) *Nimis vero ætas illa*, qua Berengarius regnavit, credula fuit, & omnino criticæ artis expers, ne dicam *fabulis fertilis quæ sanctitatem spirare viderentur, piisque fraudibus, quam ut testimonium dicere de codice possit ante quinque aut sex secula exarato*: uti animadvertunt Gottingenses Ephemerides, inscriptæ *Relationes de Libris Novis*, an. 1752. Fascic. III. pag. 85. & seq., ubi fusius contra hanc Vercellensium traditionem disputatur, dum *Evang. Quadr.* Clariss. Blanchini refertur, meritisque laudibus commendatur. Itaque in eumdem fere censum referenda forte erit hæc Vercellensium, licet antiqua, traditio ac illa, quæ Evangelium S. Marci autographum exstare Venetiis perhibebat: quam tamen erudite solideque evertit & refutavit eruditissimus Utinensis Oratorii Presbyter Laurentius a Turre, in epistola ad Blanchinum data, quæ ab hoc inserta fuit part. II. *Evang. Quadr.*: nuper autem seorsim recusa fuit Venetiis, Notis illustrata. Sed in viam redeamus, unde aliquanto divertimus occasione capta ex verbis a Tertulliano ex Joan. III. citatis.

32. At vero, qui pro lectione *natus est* pugnant, ad antiquas Scripturarum in Latinam linguam interpretationes, quas sibi fingunt pæne infinitas, confugiunt, & ab earum aliqua promanasse lectionem istam contendunt. Sed fuerint Latini interpretes quotquot fingere libet, nemo tamen eorum, qui textum græcum exprimere, ut credere par est, bona fide propositum haberet, ne somniando quidem cogitasset illum Joannis locum non plurali, ut in græco fonte, sed singulari potius

(*) Tillemontius, initio Vitæ S. Eusebii, profitetur, se eam collecturum non ex his Actis, utpote recentibus, & nonnullis fabulis inspersis, sed ex antiquioribus & sincerioribus monumentis: *C'est pourquoi nous ramasserons avec soin ce qui s'en trouve, non dans la vie qu'on a de luy, laquelle est assez nouvelle, & mêlée de diverses fables, mais dans les pieces les plus anciennes & les plus originales*. His adde quæ rursus de his Actis scribit in Nota I. ad Vitam S. Eusebii.

potius numero exprimendum: nam quæcumque ad id persuadendum producta fuerunt ab Ausaldo, in Dissertatione, ejusmodi anomaliarum ex Sacris litteris exempla, ipsa satis se produnt vel ex indole linguæ Hebraicæ, vel ex Massorethici textus labeculis esse repetenda: at in eo Joannis loco nihil hujusmodi suspicari potuit quantumlibet morosus interpres. Neque vero illud umquam concedam (quidquid ab aliis secus dictum aut scriptum fuerit, quod ne dictum quidem aut scriptum vellem) novam illam lectionem aptiorem congruentioremque esse sacro textui præ recepta: quin potius ineptam absurdamque palam agnosco & profiteor. Equidem si Christi ex Maria Vir ine nativitati exprimendæ accommodetur, ut a Tertulliano factum est, ferri aliqua ratione possit: vere enim & recte dicitur, Christus *non ex carnis, aut viri voluntate* genitus, adde etiam *non ex sanguinibus*, si σπέρμα ea voce indicatum intelligas. Sed tum integer Joannis contextus poscit, tum adversarii ultro agnoscunt, ad æternam Verbi generationem esse referendum illum locum: vide Ausaldum initio Differt., nec non pag. 224. & 232. *de Authenticis*, &c.: vide etiam Barzanum num. XIII. & LIV. Verum quînam, quæso, in hac significatione concedi debet in Joanne legendum *natus est?* scilicet, cum ille, ab ipso Euangelii sui initio ad eum usque locum, de Verbo ejusque Divinitate tam multa præclara & sublimia tradiderit, adeo ut propterea Aquilæ comparatus fuerit, & præ ceteris Euangelistis θεόλογος nuncupatus; postremo eo usque se se demiserit & depresserit, ut Verbum illud non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, aut viri tradiderit natum? quasi vero alicui qui superiora legisset, in mentem venire adhuc potuerit, Verbum Dei corporea natura constare, & ad instar hominum fuisse generatum. Absurda adeo & inepta hæc mihi videntur, ut ne refutatione quidem egeant. Contra ad asserendam vulgatæ lectionis congruentiam inservit ejusdem Joannis locus ex I. epist. cap. V. 1. *Omnis qui credit, quoniam Jesus est Christus, ex Deo natus est*: tum quod, apud Matthæum cap. XVI 18, Petro Christum esse filium Dei vivi confitenti, ab eodem responsum fuit: *Beatus es Simon Bar-Jona: quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est*: ut omittam complura alia N. T. loca, utpote omnibus comperta, in quibus est sermo de spiritali regeneratione, ut Joannis cap. III. 3. & seqq, seu de adoptione fidelium in filios Dei: ad quem profecto sensum spectat, & ex communi Patrum & Interpretum sententia referendus omnino est locus Joannis, de quo hactenus disputavimus.

33. Sed quoniam Ausaldus, in verbis num. 16. a me jam productis, affirmat præfidenter, Tertullianum hausisse lectionem illam, *natus est*, ex Africana interpretatione, quam ad Augustini usque ætatem pervenisse ponit; & quoniam alibi sæpius inculcat, præcipue cap. VII. lib. I. *de Authenticis*, &c., apud antiquos Christianos versiones Scripturarum Latinas ingenti numero, ac prope innumeras exstitisse, quod item ante eum complures alii ab eo laudati, immo plerique omnes eruditi viri, tradiderunt; juvabit heic obiter exponere, quid de antiquis hisce tam multis, quæ jactantur, versionibus sentiam. Equidem quum in Adnotationibus ad Severum non raro antiquam Scripturæ versionem, quam ipse præ oculis habuit, vel in

Patrum

Patrum scriptis, vel in Græco, unde expressa fuit, textu expiscari debuerim; in ea perpetuo opinione versatus sum, quæ statuit unicam fuisse in Occidentali Ecclesia universa Bibliorum interpretationem, eamque ab omnibus, ante Hieronymum saltem, Patribus Latinis usurpatam: nimirum quoties illi aut in codices vitio librariorum corruptos, vel, recte an secus, ab aliis emendatos non inciderunt, aut non ipsi græcum textum proprio marte latine exprimere peculiari aliqua de caussa maluerunt. Eadem nunc quoque sententia, re diligentius discussa, mihi verissima videtur, atque adeo nullas & commentitias esse aio tot illas latinas interpretationes, quæ præter unam illam nobis passim venditantur. Ut de Africana peculiariter dicam; eo nomine nonnulli forte intellexerunt Scripturas in Punicam, quæ Africanis vernacula erat, linguam translatas, quam nimirum ex quibusdam Augustini verbis perperam intellectis olim exstitisse arguebant: sed hos refuravit Gretserus a Blanchino laudatus in Prolegom. *Evang. Quadrag.* pag. 81. Verum alii, in quorum numero Ansaldus, sibi finxerunt olim in Africa usitatam fuisse latinam quamdam versionem, quæ ei provinciæ peculiaris esset, prorsusque diversam ab illis, quæ apud alias Occidentis Ecclesias obtinebant. Verum enimvero si hæc Africana versio exstitisset, ea potissimum usos oporteret Tertullianum, Cyprianum, Lactantium, Augustinum, aliosque Africanos Patres, quorum ad nos scripta pervenerunt. Sed longe aliter factum est: nam Patres illos cum ceteris Latinis Patribus convenire plerumque in allegandis textibus sacris, atque adeo una eademque latina versione usos apparet: quod singillatim de Tertulliano, de quo tamen potissimum dubitari posset, notatum fuit supra, num. 27. ex Millii aliorumque luculentissimo testimonio. Quid? quod si ob aliquas, Tertulliani puta, aut Cypriani, in citandis Scripturæ verbis discrepantias a reliquis Latinis ejus ævi Patribus, admittenda esset propria illa Africanæ Ecclesiæ interpretatio, eadem ratione oporteret itidem statuere proprias Gallis, Hispanis, Italis, aliisque per Occidentem Ecclesiis exstitisse versiones a se invicem discrepantes. Quid plura? quum nec Africani ipsi inter se, nec ceteri Latini Patres in omnibus Scripturæ allegationibus secum ipsi plane consentiant, innumeras pene dixerim Interpretationes per ea tempora in Ecclesia Latina quaquaversus pervagasse Adversariis erit concedendum: quod sane ipsi auctoritate etiam Hieronymi & Augustini confirmare moliuntur, quorum tamen mentem non sunt assequuti.

34. Porro argumentum illud ductum ex copia variantium lectionum, quæ tum in scriptis antiquorum Patrum, tum in aliquibus Biblicis codicibus deprehenditur, pluribus refutat Sabaterius in Præfat. Gener par. I. §. II., eademque opera declarat, quæ sibi videatur germana Hieronymi & Augustini verborum sententia. Quærit nimirum ille, *An una primitus exstiterit versio Latina, an variæ a variis confectæ interpretibus*: hoc nimirum est, de quo & nos agimus. Sed ipsum ordine suismet verbis loquentem audiamus. *Varias olim*, ita incipit num. 14., *fuisse Scripturæ Sacræ interpretationes, quas varii interpretes elaboraverint, verbis tam apertis docet Augustinus, ut dubitare nemini pene liceat*: Qui Scripturas ex hæbræa lingua in græcam verterunt, *inquit*, numerari possunt; Latini autem interpretes nullo mo-

do. Ut enim cuique primis fidei temporibus in manus venit codex græcus, & aliquantulum facultatis sibi utriusque linguæ habere videbatur, ausus est interpretari. *Vehementius tamen non est urgendum istud Augustini testimonium, atque existimandum, quot varii occurrebant olim Scripturæ interpretationum codices, quorum alii ab aliis dissidebant, tot fuisse varias Scripturarum interpretationes, a diversis elaboratas interpretibus: illæ nimiram discrepantiæ plerumque non tam diversos interpretes, quam diversos arguunt librarios, eosdemque aut oscitantes, aut audaciores; qui inter describendum unam eamdemque Scripturarum interpretationem, suo singuli arbitratu vel negligentia plurima mutaverint.* Hæc quidem eo spectant, ut interpretum Latinorum numerus longe minor fuerit, quam Augustini verba prima specie videntur innuere, non tamen ut una tantum fuerit per ea tempora Latina interpretatio. Verum si Augustini locus interpretatione aliqua & temperamento indiget, ut omnino videtur; cur non potius dicemus Latinos tam multos interpretes ab eo agnosci, non quod ii Scripturam universam, aut aliquos saltem ejus libros ex integro transtulerint, sed quod voces tantum aliquas sparsim nova interpretatione donaverint, atque adeo plerasque variantes lectiones in sacros Codices paullatim invexerint? Ita nos sane Augustinum intelligimus: quare minime dubitamus asserere, unam tantum olim interpretationem in universa, quaqua patuit, Latina Ecclesia, exstitisse. Porro idem adstruere omnino videtur ipse Sabaterius infra: pergit enim num. 15. *Varias autem discrepantesque esse unius interpretationis lectiones, quamvis ab uno elaborata sit interprete, nemini miram videri debet: quandoquidem vel ipsius primigenii Scripturarum textus diversas aliquando esse lectiones, concors omnium tam Catholicorum, quam Heterodoxorum est opinio. Quis enimvero nesciat variantes dari lectiones in ipso textu Hebraico veteris, & Græco novi Testamenti?* & cetera. Sed demum num. 17. clarius mentem suam aperit, ita scribens: *Sed ne pluribus lectorem morer, atque ut eo convertar, unde sum profectus; en quo rem deduco. Quamvis textus primigenii discrepent inter se aliquando lectiones, variisque dissideant verbis, atque etiam sententiis, unum tamen eumdemque primigenium esse textum constat: quidni igitur pariter unam eamdemque primam fuisse Scripturarum interpretationem dixerimus, quamvis variæ in codicibus appareant discrepantiæ, quæ varias interpretationes a variis elaboratas interpretibus significare videntur? Nimirum variæ illæ forsitan discrepantiæ aut ab oscitantiam negligentia librariorum, aut ab audaciam temeritate eruditulorum sunt profectæ; quorum alii somniculose describendo hanc interpretationem, verba & sententias vitiarunt; alii vero, quæ minus intellexere, aut mendosa putarunt, arbitratu suo mutaverunt*, &c. Denique num. 18. aliam præterea variarum lectionum caussam indicat, atque ita concludit: *Præterea variarum potest esse alia lectionum origo, eaque purior atque utilior. Sicut enim librarii & eruditi oscitantia & temeritate primigeniam translationem nonnumquam vitiarunt; ita eruditi, si quando primum dormitasse agnoverunt interpretem, ... quæ minus recte versa erant, castigarunt, & verbis sententiisque obscuris lucem dedere. Hinc factum est, ut quæ variæ videntur esse a variis elaboratæ scriptoribus Scripturarum interpretationes, aliud forsitan nihil sint, quam varia ejusdem interpretationis exempla, pro librariorum negligentia, ignorantia ac temeritate, sed & eruditorum castigatione, discrepantia. Hinc forsan Hieronymus* tot

exem-

Digitized by Google

exemplaria pæne, quot codices *scripsit*; *quæ tamen paullo inflatius scripta sunt pro more S. Doctoris (dicere mihi liceat) in augendo minuendove nonnihil intemperantioris* .... *Hinc demum Augustino, qui nihil inepte, nihil nisi recte scribit, scribere forsitan licuit*, Latinos interpretes numerari non posse. *Verum* (pergit) *hanc conjecturam vehementius hic non urgeo; erit posthac, ut de eodem argumento fusius dicam, ad calcem hujus primæ partis*, &c.

35. Hactenus Sabaterius cum sententia nostra concordare videtur: nempe unam agnoscit Scripturæ interpretationem, quamvis variæ in codicibus, nec non apud antiquos Patres, occurrant discrepantiæ, quæ varias interpretationes a diversis confectas interpretibus in speciem præseferunt; in eamque significationem ipsa Augustini verba postremo trahit, quæ initio, ut vidimus, secus intellexerat. Verum, quis credat? quod egregie hoc loco stabilivit, in sequentibus destruit, sensimque a priori sententia declinat, vel iis in locis, in quibus se conjecturam suam confirmaturum promiserat. Sed quid dico, sensim? immo statim palamque tesilit a proposita conjectura. Quid enim aliud sibi volunt, quæ jungit cum præcedentibus, ex num. 18 a me paullo ante descriptis? *Jam ad se nos*, inquit, *vocat famosa Scripturæ interpretatio, quæ ab Augustino* Itala *appellatur, de qua pluribus nobis est differendum*. Sequitur enim ex his, ut præter *famosam* illam, ab Augustino *Italam* dictam, aliæ minus celebres & obscuri nominis interpretationes agnoscendæ sint, quum tamen paullo ante conjecerit, *unam eamdemque primum fuisse Scripturarum interpretationem*. Sed fortasse minus proprie loquutus est, vocemque *interpretatio* pro *editio* usurpavit? nam ex dictis hactenus sequitur, ut una quidem Latina fuerit interpretatio, multæ autem, & inter se diversæ, ejus editiones, inter quas excelleret *Itala*. Videamus itaque quid de *Itala* tradat toto §. III., cui hoc præfixit lemma: *De celeberrima interpretatione Latina, quæ olim* Itala *fuit appellata*. Hæc nimirum ille statim, seu num. 19. *Quemadmodum apud Græcos est Scripturarum interpretatio, cujus excellit auctoritas; ita sua est Latinis, cui ceteras, si quæ fuerint præter ipsam, postbabuere. Ista apud Latinos est* Itala: *illa apud Græcos est* Septuaginta interpretum *versio*. *Sed si utriusque interpretationis par, aut saltem non multum dispar fuit quondam auctoritas, certe fortuna longe di. milior est*: cetera. Jam ex his satis constat, *Italam* Sabaterio esse interpretationem proprie dictam, & a ceteris, *si quæ fuerint*, prorsus diversam; sicuti, quæ dicitur Septuaginta interpretum versio, diversa est ab aliis græcis versionibus, Aquilæ, puta, Symmachi & Theodotionis, quas ei postea opponit. Quod vero alias præter *Italam* antiquas interpretationes in laudatis verbis non aperte agnoscat, sed dubitantis in modum (*si quæ*, inquiens, *fuerint*) ponat; primum non sibi plane constat: nisi enim aliæ vere fuissent præter *Italam*, non procederet instituta ejusdem cum LXX. virali comparatio, nec excelluisse dici posset, quæ nullam aliam habuerit similem: deinde in eo incautus Augustini testimonio contradicit, cui tamen unice, licet perperam, innititur: postremo aliis in locis eas multas interpretationes sine ulla dubitatione recipit, ut paullo infra, eo ipso numero: *Neglectæ vero Latinæ omnes interpretationes, eaque ipsa quam tanto in pretio habuit Augustinus, cui ceteras esse postbabendas pronuntiat*; & num. 25., quum in præcedentibus eruditorum

rum

rum complurium ſententias retuliſſet, ita demum concludit: *Nimirum una vox omnium eſt, inter varias interpretationes Latinas unam fuiſſe præ ceteris inſignem, quæ variis eſt appellata nominibus, ab aliis* vetus Vulgata, *ab aliis*, Communis, *ab aliis* Itala. Verum operæ pretium eſt obſervare, eos quos allegat in confirmationem ſententiæ ſuæ, in ea omnes opinione fuiſſe, quæ *pæne infinitas* jam tum *Latinas verſiones* prodiiſſe falſo ſtatuit, ut diſertis verbis ſcribit Matthæus Petitdidier, primo loco ab eo citatus, cui conſonat Sixtus Senenſis, dum peculiariter de verſionibus N. T. tradit: *Certum earum numerum ſcire non poſſumus, illas tamen fuiſſe multas indicat Hieronymus, Præf. IV. Euang.*; nec non Baronius, & Waltonus, cujus hæc verba ſunt: *Quod ad verſiones Latinas attinet, multæ olim erant ex Græcis factæ; ita ut vix numerari poſſent teſte Auguſtino;* poſtremo Millius, qui quidem de Tertulliano agens in Prolegom. num. 616. hæc habet, quæ & ſupra alia occaſione attulimus: *Nempe præter* Italam *innumeras alias primis ſeculis exſtitiſſe* (verſiones) *notat Auguſtinus;* & infra: *Varias enim apud eos* (Afros) *lectitatas fuiſſe verſiones, jam ab Eccleſiæ ſuæ primordiis ad Auguſtini tempora, atque etiam poſtea, certo certius*. Vide eumdem & num. 838. de Auguſtino agentem. Qui itaque paullo ante unam tantum antiquam verſionem non obſcure aſſeruerat, ad eorum demum, de *Itala* agens, auctoritatem provocat, qui innumeras ſibi finxerant, atque adeo ne intelligere quidem potuerant, quid *Italæ* voce Auguſtinus intellexerit, quidve alii Patres ſibi voluerint, quum *Vulgatæ*, aut *Communis* meminerunt.

36. Idem tamen Sabaterius rurſus num. 52., quo fuſe antea diſputata colligit, & ſub adſpectum revocat, quædam habet nec cum præcedentibus, nec ſibimet cohærentia. Hujuſmodi autem ſunt: *An ſua ſingulis Eccleſiis propriaque fuerit interpretatio; an una communis omnibus, communi omnium uſu recepta; priorum Eccleſiæ temporum obſcuritas certo definire non ſini. Verum ſive unica primum fuerit Scripturarum verſio Latina .:.. ſive plures deinde fuerint; Eccleſia ..... unam præ ceteris uſu frequentiori olim, vel proximo ab Apoſtolis tempore, ita conſecravit, ut aliæ, ſi quæ fuerint, nullo pæne ordine haberentur. Hæc eſt illa interpretatio, quam propterea* Communem *paſſim Scriptores antiqui appellant. Niſi enim ea in omnium uſu fuiſſe, ut quid* Vulgata, *ut quid* Communis *appellaretur?* Hæc cum ſuperioribus comparans judicet æquus Lector, utrum Clariſſimum hunc ceteroqui Scriptorem inconſtantiæ & incongruentiæ immerito accuſaverim. Sed & illud addam, quod habet num. 67. *Equidem arbitror*, inquit, *cum Cl. V. Phil. Garbellio*, tom. I. *Vindiciarum* Blanch. p. 381. „ non ſatis attente Hieronymi „ atque Auguſtini auctoritatem urgere multos, qui N. T. Latinas ver„ ſiones plurimas olim in Eccleſia fuiſſe arbitrantur. „ *Do tamen manus; & plurimos priſcis Eccleſiæ temporibus, Latine reddendis, quæ Græca exſtabant Scripturarum exemplaria, operam impendiſſe ſuam, Auguſtini auctoritate adductus, fateor. At idem Doctor auctor eſt, unam præ ceteris inſignem fuiſſe verſionem; & eam omnibus præferendam, quod* tenacior verborum *ſit* cum perſpicuitate ſententiæ, *docet*. Viden', ut in eodem omnino contextu, primum profiteatur ſe cum Garbellio ſentire, qui quidem acriter contendit ex Auguſtini & Hieronymi verbis minime ſequi, ut plures una verſiones olim exſtiterint, ſtatim autem concedat

cedat Augustini potissimum auctoritate permotus, plurimas fuisse Versiones, unam autem præ ceteris insignem, atque omnibus ceteris præferendam? Quæ, quæso, apertior esse potest cum sententia Garbelli repugnantia? Verum non id mihi modo propositum est, ut ex instituto Sabaterii sententiam de antiqua Latina interpretatione sigillatim, & per partes refellam. Hæc delibasse sufficiat, ut appareat, quam adhuc in incerto & ambiguo versetur hæc difficillima, & tamen scitu dignissima quæstio: quandoquidem eruditus ille alioqui vir, & in antiquæ illius interpretationis reliquiis ex Patrum scriptis, & ex antiquissimis codicibus, eruendis & illustrandis improbo labore summaque cum laude versatus, ut ex ejus utilissimo Opere apparet; quamvis primum, ut vidimus, recte conjecerit unam fuisse olim interpretationem Latinam, a priori tamen sententia postea recessit, Doctissimorum virorum, qui de eodem argumento antea egerant, præjudiciis in transversum abreptus: quo factum est, ut obscuræ per se quæstioni tenebras majores offuderit. Caput atque origo erroris fuit, quod nec ipse, nec qui ante eum scripserant, expenderint accurate, quid in Hieronymi & Augustini aliorumque Patrum scriptis significet aliquando vox *interpretatio*, seu interpres, aut quo respexerint iidem, dum meminerunt editionis, seu versionis *Vulgatæ*, *Communis*, *Veteris*, *Italæ*: quæ tamen voces ex ipsorum mente & totius orationis serie, non ex nostro captu & præconcepta opinione sunt explicandæ. Hac via facile tolli e medio poterunt omnes ambages & fallaciæ, quibus involutum adhuc est hoc argumentum.

37. Quoniam vero in superioribus obiter, & ex alterius persona mentionem feci Cl. Garbelli, ejusque admodum eruditæ & elegantis epistolæ de antiquissimo euangeliorum codice Brixiano, quæ habetur etiam in Prolegom. Euang. Quadrup., nonnulla mihi de eodem nunc addenda esse sentio. Primum autem ingenue fateor, me nondum eam epistolam legisse, quo tempore sententiam vulgarem de antiquis Latinis Scripturæ versionibus mihi impugnandam esse statui, atque etiam pleraque omnia, quæ contra Ansaldum & Sabaterium a me dicta sunt, scriptis mandaveram. Sabaterius ipse eam laudans iniecit mihi stimulum, ut eamdem inspicerem. gavisus autem sum vehementer, postquam deprehendi a viro illo doctissimo unam tantum antiquam versionem N. T. assertam, adeoque mihi cum eodem in omnibus fere convenire. Dolui tamen, quod neque Blanchinus, ad quem data est ea epistola, & a quo semel & iterum vulgata fuit, neque Sabaterius, aut alii qui nuper de eo argumento scripserunt, ejus argumentis manus dederint, & in ipsius sententiam discesserint. Casu autem inciderunt in manus meas hoc eodem fere tempore Ephemerides illæ litterariæ, quæ Gottingæ haud ita pridem vulgari cœperunt, quasque paulo supra num. 31. primum citavi: quo in Opere de *Euangeliario Quadruplici* dum agitur, eadem occasione Garbelli quoque epistola excerpitur, eademque opera refellitur. Placet eruditorum Germanorum verba describere, ut eodem tempore & Garbelli sententia, & ipsorum objecta pateant, quæ nos tamen subinde castigare non prætermittemus. Hæc illi pag. 75 & seqq. Fasciculi III. editi an. 1752: *Communis est opinio, neque nostro illa suffragio repudianda, plures olim in Italia versiones Latinas fuisse, ex quibus una magnam*

præ

præ reliquis auctoritatem adepta Vulgata dicta sit, in quam tamen ex reliquis privatarum bibliothecarum versionibus mutum irrepserit, unde ea tandem illi facies, ut vix codex codici congrueret, essetque a Hieronymo castiganda. Idem olim testati Hieronymus & Augustinus. Porro in ima ora paginæ hæc adnotantur: *Verba adscribimus, ut melius sententiarum diversitatem arbitrari lectores possint.* tum adtexitur tantum ille S. Augustini locus ex lib. II. de Doct. Chr., de quo nos supra. Apparet itaque cui potissimum fundamento tota hæc machina innitatur, quæ propterea facile everteretur, si respondeatur, prout etiam Garbellus fecit, *Interpretes* Augustino dici, qui potius Scholiastæ, & glossarum auctores dicendi fuissent, nempe qui voces aliquas obscuriores donarunt nova interpretatione, eaque fortasse ad marginem primum adscripta, quæ postea a Librariis, omissa vulgata lectione, in textum fuerit invecta. Hujusmodi sane sunt omnia, quæ idem Augustinus in eodem Opere, & alibi sæpius diversis interpretibus accepta refert. Numquam enim aut hic, aut alius ex Patribus meminit variæ interpretationis integri alicujus libri Scripturarum: nemo ex iis codices privatarum bibliothecarum opponit Ecclesiæ publicis codicibus, eosque a diversis interpretibus latine redditos scribit. Sed Auctores Ephemeridum Gottingensium audire pergamus.

38. *Huic sententiæ, inquiunt, statim ab exordio contradicit Garbellus, in paucis, & quidem verbo tenus, differre codices antiquos latinæ versionis testatus, unum aut alterum valde interpolatum codicem si demus. Cujus tamen argumenti vim non assequimur: vix enim quisquam, nisi justo audacior, Garbello negaverit, versionem vulgatam, & qua Ecclesia uterentur, unam modo in Italia fuisse; neque suspicabimur, qui ad nostram usque ætatem servati sunt codices, alius versionis quam vulgatæ esse. Quis enim eos, qui privatis modo usibus destinati erant, post tot sæcula superesse speret? Non ergo horum codicum in plerisque consensus objici nobis potest, id modo tenentibus, & alias fuisse versiones privatorum hominum, nec in Ecclesia auctoritatem adeptas, ex quibus Vulgata interpolata sit, unde accidat, ut ipsa hujus vulgatæ exempla non paucis in locis & verbis & sententiis graviter dissideant. Quod dissidium ut non negaverit vir eruditissimus; ita & nos vicissim fatemur, sæpe ac plurimum eam ipsius dictionis in omnibus codicibus esse convenientiam, ut una versio facile intelligatur, nec opinabile sit plures interpretes in eadem verba consensisse.* Accipio ratumque habeo, quod ultro nobis ab ingenuis adversariis conceditur, nempe codices antiquissimos qui etiam nunc exstant, non aliam versionem exhibere quam Vulgatam. At hoc non leve argumentum est pro Garbelli & nostra sententia. Quid enim? nonne ad nos pervenire potuissent etiam codices aliquot aliarum versionum, si quidem multi privatorum usibus destinati olim fuissent, ut adversarii ponunt. Quot enim antiqua ejusmodi scripta ad nostram usque ætatem pervenerunt, in privatorum bibliothecis per multa sæcula recondita? Itaque quum nullus codex a Vulgata antiqua penitus diversus habeatur nunc, aut in Latinorum Patrum, Hieronymi præsertim & Augustini, scriptis indicetur, in quibus contra sæpe mentio occurrit codicum Vulgatæ inter se in aliquibus discordantium, cujusmodi sunt qui supersunt adhuc; sequitur demum, ut commentitii prorsus habendi sint codices illi privati, quos volunt exhibuisse versiones omnino a Vulgata diversas,

quæ

Digitized by Google

quæ essent Ecclesiæ auctoritate minime confirmatæ. Una erat versio in omnium Patrum manibus, eaque antiquissima, sed multis in locis interpolata: hac privatim in suis scriptis, hac publice in concionibus utebantur illi. Hujus codices versionis passim citarunt, & non raro etiam eas lectionum discrepantias adnotarunt, & aliud præterea nihil. Cur itaque fingendæ sunt aliæ multæ prorsusque diversæ versiones, ex quibus in eam derivatæ fuerint variantes illæ? Nec opus est, nec omnino licet. Millius fortasse primus hanc commentus est fabulam, quam pronis auribus exceperunt auctores Ephemeridum Gottingensium.

39. Verum hi Garbelli sententiam ita pergunt referre: *Alio*, inquiunt, *loco* (sc. pag. 30. & seqq.) *ultius in pugnam illumque assurgens, contra illos disputat, qui cuivis fere Patri peculiarem fuisse versionem Latinam autumant, Tertulliano imprimis & Lactantio: ex quibus Huetium & Pamelium nominat, id præcipue contra eos urgens, quod eamdem vocem diversa ratione citare Patres iidem & interpretari soleant, ut non potius peculiarem sibi versionem habuisse, sed scholiastas egisse videantur: scholiastas autem ab Augustino interpretum nomine dici censet, remque verbis in majus augeri suspicatur. Alios Patres ait propterea tantum a consueta versione aberrasse, quod non inspecto codice ex memoriæ penu oracula Scripturæ citaverint, idque ab aliis jam dictum multis se exemplis verum comperisse, cum antiquissimum codicem, de quo deinde agemus, cum Tertulliani Cyprianique citatis conferret, spe illectus fore, ut illum codicem, cujus sæpe simillima erant, semper confirmarent. Addit, cum græcum textum, quamvis in tanta lectionum diversitate, unum modo censeamus, non perficere apud nos codicum latinorum diffusum debere, ut eos codices aliarum versionum exempla habeamus. Hæc quidem recte: modo non neget plures olim Latinas versiones fuisse, ab bisque Vulgatam sæpe corruptam, in quo Blanchinus, eo ipso loco ubi evincit codices a se editos* (p. 81.) *non diversarum, sed unius esse versionis, totus noster est. Recte* nimirum hæc Garbellus, egregie, optime, ut nihil supra. Sed miror adversarios non vidisse, præconceptam ab ipsis opinionem potissimum ex Augustini loco pendere: qui tamen si alio commodiori sensu explicetur, ut factum est a Garbello, nullum sibi aliud superesse vidissent confugium, quo se reciperent. Scilicet aut impugnare debuerant quam Augustini verbis aptat ille significationem, aut manus dare: nam si concedant, aut negare non audeant Augustinum de Scholiastis, non de proprie dictis Interpretibus, loquutum, hæc lis omnis diremta erit, & controversia composita.

40. Sed de his hactenus: nam alias fortasse ex instituto hæc erit nobis quæstio plenius retractanda & exhaurienda. Maneat interim, unam fuisse olim Latinam Scripturarum interpretationem, omnium indiscriminatim Fidelium manibus tritam, in eaque constanter lectum a Patribus, ut in hodiernis Vulgatæ exemplaribus, *nati sunt*. Quod autem in uno Veronensi Capitulari codice scriptum habeatur, *natus est*, non ad interpretem aliquem, qui græcum Joannis textum ita vertendum esse judicaverit, esse nobis recurrendum, sed omnino referendam hanc esse lectionem in eorum classem locorum, quæ magno numero, utar Hieronymi verbis, ex Præfatione in Euangelia ad Damasum, *a præsumtoribus imperitis emendata perversius* fuerunt. Equidem,

dem, quantum conjectura assequi possumus, Tertullianus ejus lectionis primus auctor & fabricator fuit; ex ejusque scriptis invecta fuerit postea in Veronensem antiquissimum codicem, eumque, ut suo loco attigimus, in Africa fortasse vel in Hispania scriptum. Sin autem hæc nostra alicui minus arrideat conjectura, fateatur saltem oportet, neminem ante Tertullianum, aut postea, vel ex Græcis, vel ex Latinis Patribus, ne eos quidem qui ad eam allusisse videri possunt, auctoritatem & pondus huic lectioni conciliare: quod erat nobis contra Clariss. Virorum Ansaldi & Blanchini sententiam demonstrandum. Ipsi vero, sat scio, non ægre ferent, quum ista legerint, quæ quidem non ipsorum gloriæ obtrectandi animo, sed unius veritatis indagandæ & illustrandæ studio sum commentatus. Ego sane eorum & eruditionem multaque in rem litterarum merita plurimi, ut debui, feci semper, & amicitiam sancte colui, & culam imposterum: sed liceat mihimet accommodare vetus illud tritumque dictum: *Amicus* Ansaldus, *amicus* Blanchinus, *sed magis amica Veritas*.

Pag. 102. lin. 17. *Nec multo post rex*) In hujus historiæ tempore adsignando consentiunt nobiscum Usserius & Pridæus: contra Jacobus Perizonius, Ægypt. Origin. cap. 24., amentiam Nabuchodonosori in illud temporis intervallum collocat, quod inter Jechoniam deportatum & Jerosolymam sub Sedecia obsessam intercessit. Sed nemini, puto, id probavit, aut esse verisimile persuasit.

Pag. 111. lin. 11. *inserimus*) Corrige typographicum mendum, & lege, *inseremus*.

Ibid. lin. 14. *secundo anno postquam*, &c.) Præter ea quæ ad hunc locum notavi, moneo etiam Theophilum Antiochenum lib. III. ad Autol. num. 27. committere Tarquinium Superbum cum Cyri ætate. Theophilum sequitur Lactantius, lib. IV. Div. Inst. cap. 5 *Cyrus major...., qui per idem tempus in Persas suscepit imperium, quo Romæ Tarquinius Superbus*.

Pag. 117. lin. 6. *Sed hæc, ut dixi*, &c.) Ubi in Notis ad hunc locum citavimus Hieronymum in cap. 37. Ezechielis, adde alium ejusdem locum ex Comm. in Osee I., quo hæc habet: *Consideranda Domini indignatio, quod nequaquam domui Israel se dicat misereri ultra* (alludit ad Osee cap. I. v. 6.), *sed eos de memoria sua æterna oblivione delere; quia usque hodie Persarum regibus serviunt, & numquam est eorum soluta captivitas*.

Pag. 124. lin. 8. *Plerique tamen Cambysen*, &c.) Syncellus, pag. 236. ed. Par. *Hunc* (Cambysen) *Nabuchodonosor nomine secundum, Holopherni Judithque æqualem nonnulli cum Africano arbitrantur* (ad hos scilicet respexit & Eusebius, in Notis ad hunc locum productus): *quod nulla stat ratione. Ejus enim anno 18. adversus Syriam, Palæstinam & Ægyptum Holophernem arma paraſſe scribit liber Judith: Cambyses vero annis 8. dumtaxat regno potitus est*. Consentit & Severus, monens *Cambysen non ultra novem annos rerum potitum esse*. ceterum vide, quæ notavimus ad pag. 129. lin. 12. de annis imperii Nabuchodonosori hujus. Pag.

Digitized by Google

Pag. 129. lin. 11. *centum & quinque annos vixisse.*) At quo ætatis suæ anno a Juditha occisum Holophernem putabimus? Calmetus annos sexaginta tum natam vult: sed melius fortasse *Plumyoen* Iprensis Canonicus, in Historia antiquorum Imperiorum Gallice scripta, & anno 1745. vulgata Parisiis & Ipri, annos tantum triginta septem natam tum contendit, scilicet florente adhuc juventa.

Pag. 130. lin. 4. *adiisse Hierosolymæ templum d.*) Hæc, ut in Notis monui, ex Josepho, ut creditur, sumta, cui consentiunt etiam Rabbini quidam; a multis habentur pro incertis, immo pro fabulosis, præcipue ab Antonio *Van-Dale*, Dissert. in Aristæam. Horum argumentum est, nihil de his habere, quotquot de rebus Alexandri Magni scripserunt, Curtium puta, Diodorum, Arrianum, Plutarchum: quamvis Justinus, dum lib. XI. cap. 10. scribit Alexandrum *obviam cum insulis multos Orientis reges habuisse*, ad hanc respexisse historiam visus sit Isaaco Vossio in Notis. Quid porro dicendum de Dexippi testimonio? cujus fragmentum Josephus Scaliger Græco Chronico inseruit pag. 56. edit. an. 1658 Hæc nimirum ibi leguntur, commatibus in margine adscriptis distincta. Ἐκ τῶν Δεξίππου. Ἀλέξανδρος Ἰλλυρίους καὶ Θρᾷκας εἷλε· Θήβας κατέσκαψε· τοὺς Δαρείου στρατηγοὺς ἐπὶ Γρανικῷ ποταμῷ Λυδίας ἐνίκησε· Σάρδεις εἷλε· Τύρον ἐπολιόρκησε· Ἰουδαίαν προσελάβετο, καὶ τὸν ἀρχιερέα Ἰαδδοῦν ἐτίμησε, θύσας τῷ θεῷ, ὡς παρ' αὐτοῦ τὴν οἰκουμένην ὁμολογῶν παρειληφέναι, ὃς καὶ ἐπιμελητὴν μετὰ τῶν λοιπῶν τόπων Ἀνδρόμαχον κατέστησεν, ὃν ἀνελόντες οἱ τὴν Σαμάρειαν οἰκοῦντες, δίκας ἔτισαν ἐπανελθόντος Ἀλεξάνδρου ἐξ Αἰγύπτου. τὴν Σαμάρειαν πόλιν ἑλών, Ἀλέξανδρος Μακεδόνας ἐν αὐτῇ κατῴκισεν. Hæc ad verbum leguntur apud Syncellum, pag. 260. & seq. ed. Par., nisi quod ibi mendose legitur, οἱ τῶν Σαμαρέων οἰκοῦντες, quod ipse Goarus inter ea loca recensuit, quæ a Scaligero fuerunt emendata; & προσειληφέναι pro παρειληφέναι. Ceterum locus ita redditur a Goaro. *Alexander Illyricos & Thraces cepit: Thebas subvertit: Darii duces ad Granicum Lydiæ flumen devicit: Sardes occupavit: Tyrum obsedit: Judæa recepta, Jaddus Pontificem divinis honoribus prosequutus est* (ego mallem: *Judæam in deditionem accepit, ac Jaddum Pontificem in honore habuit*) *& cæsis victimis Deum verum coluit* (τὸ *verum* in græco non habetur) *cujus munere regendum Orbem se accepisse prædicavit* (ad verbum, *& Deo sacrificia obtulit, professus nitnirum se ab eo Orbem accepisse*): *Judææ, viciniisque locis curatorem dedit Andromachum, quo a Samariæ civibus* (seu potius *a Samariæ*, provinciæ, *incolis*) *interfecto, pœnas ex Ægypto reversus exegit. Alexander captam Samariam Macedonibus habitandam concessit.* Hæc, inquam, apud Syncellum leguntur, nulla facta Dexippi mentione: Scaliger tamen in Notis ad græcum Chronicum, pag. 59. hæc & alia multa ex Dexippo *sine dubio desumta* asserit. Δέξιππος Ἐρέννιος, inquit, *sub Valeriano, Gallieno, Claudio & Aureliano scripsit* τὰ μετὰ Ἀλέξανδρον ἐν λόγοις τέσσαρσιν. *ex quibus sine dubio hæc desumta sunt. Nam* ἐν συντόμῳ *præmisit* τοὺς ἀπὸ Καρανοῦ, μέχρι τελευτῆς Ἀλεξάνδρου. *Scripsit &* ἕτερον σύντομον ἱστορικὸν μέχρι τῆς Κλαυδίου ἀρχῆς, *ut testatur Photius*. Hæc ille. Sed Fabricius, Biblioth. Græ. lib. V. cap. 5., seu Vol. VI. pag. 231., ubi Dexippi scripta recenset, in quibus est σύντομον ἱστορικὸν, *compendium Historicum* usque ad tempora Claudii II. Imperatoris, hæc de eo tradit: *Ex eodem, ut videtur, opere* (*licet Scaliger, ad Græca Eusebii pag. 420., non dubitat e libris de rebus*

post Alexandrum petita esse) *Eusebius in Chronicon pag.* 56. 57., *&* *Syncellus pag.* 263. 334. 376. *Regum Macedonicorum ante Alexandrum successionem & alia quædam repetunt.* Equidem laudo Fabricium, quod viderit Fragmenta illa non posse referri ad opus inscriptum, Τὰ μετὰ Ἀλέξανδρον, cujus meminit quidem Photius cod. LXXXII, ita tamen ut nihil habeat, unde Scaligeri fulciatur assertio scribentis, Dexippum eidem operi ἐν συντόμῳ præmisisse τοὺς ἀπὸ Καρανοῦ μέχρι τελευτῆς Ἀλεξάνδρου: sed ejus diligentiam desidero, quod non attenderit, nullo idoneo argumento aut indicio Fragmenta illa Dexippo a Scaligero fuisse adscripta. Nam, ut reliqua nunc mittamus, quæ supra attigimus; scriptoris ethoici indolem hæc minime referunt, sed a Syncello sumta fuisse ex Eusebio, plane colligitur ex Chronico Latino ad num. MDCLXXXIII., ubi pæne ad verbum reddita ita habentur: *Alexander adversus Illyricos & Thracas feliciter dimicans, subversis Thebis, in Persas arma corripuit, & apud Granicum flumen regiis ducibus oppressis, urbem Sardeis capit.* Et paullo post: *Alexander capta Tyro Judæam invadit, a qua favorabiliter exceptus, Deo victimas immolat, & Pontificem templi honoribus plurimis prosequitur, Andromacho locorum custode dimisso, quem postea Samaritani interficiunt: ob quæ ab Ægypto reversus Alexander magnis eos suppliciis affecit, & urbem eorum captam Macedonibus ad inhabitandum tradidit.* Sed adhuc quæritur, unde hæc habuerit Eusebius? Et Vallarsius quidem minime dubitat, *hæc hausisse ex Josepho Eusebium*: verum, si conferantur cum iis quæ ille habet lib XI. cap. 8., secus omnino esse apparebit. Nam primum Josephus Alexandrum non post Tyrum tantum, sed etiam post Gazam captam, Hierosolymam infenso animo petiisse tradit: in quo tamen ejus fides nutat apud Usserium & Pridæum, quibus minime verisimile videtur, ut capta Tyro Gazæ expugnationem susceperit Alexander, relicta post tergum Judæa in Darii regis etiamtum fide perstante, quæ in illo itinere obvia ipsi fuerat, rursusque ut post captam Gazam redierit in Judæam: quum Arrianus, ceterique qui de rebus gestis Alexandri scripserunt, referant, illum capta Gaza recta in Ægyptum profectum, adeo ut septimo postquam inde discesserat die Pelusium pervenerit. Eusebius contra eo fere tempore quo Tyrum obsidebat Alexander, aut statim postea, Judæam se se illi tradidisse tradit. Secundo nihil habet Josephus de Andromacho præfecto Judææ & finitimis regionibus, deque nece ipsi inflicta a Samaritanis, & de supplicio sumto de interfectoribus ab Alexandro, quamvis de Samaritanis alia multa, eaque parum verisimilia, eodem capite referat. Atqui ex Curtio etiam lib. IV. cap. V. constat, *Syriam, quæ Cœle appellatur, Andromacho Parmenionem tradidisse*, jam tum quum Tyro expugnata Gazæ obsidio erat proxime suscipienda. Hic præterea ejusdem libri cap. VIII. refert Andromachi a Samaritis occisi nuntium ad Alexandrum pervenisse, quo tempore ob Hectorem Parmenionis filium Nili aquis suffocatum vehementer afflictus erat. *Oneravit*, inquit, *hunc dolorem nuntius mortis Andromachi, quem præfecerat Syriæ. vivum Samaritæ cremaverant. Ad cujus interitum vindicandum, quanta maxima celeritate potuit, contendit: advenientique sunt traditi tanti sceleris auctores. Andromacho deinde Menona substituit, adfectis supplicio qui prætorem interemerant.* Hæc Curtius. Itaque Eusebius non ex Josepho hæc ipsa hauserit, sed ex alio quopiam antiquo scripto-

scriptore, eoque Judæorum religioni addicto, puta ex Justo Tiberiensi Flavii Josephi æquali, de quo vide Vossium, de Hist. Græ., & Fabricium, Bibl. Græ. lib. IV. cap. VI. num. 18. Hic sane scriptor non fuit Eusebio ignotus; nam eum laudat in Chronici Prologo una cum Josepho.

Pag. 135. lin 13. *anno centesimo uno & quinquagesimo*) In Differt. I., qua Chronologiam Severi nobis illustrandam proposuimus, pag. 279. & seq. conjecimus scriptum primitus fuisse, *anno centesimo quinto & quinquagesimo*, seu CLV., sed scribarum incuria inductum fuisse, CLI.

Pag. 143. lin. 9. *cum ingenti terrore elephantis*) Elephantos dictos *Lucas boves* notissimum est: sic Lucretius in Notis laudatus, sic alii multi, quorum testimonia collegit eruditissimus Bochartus, Hieroz. part. I. lib. II. cap. 23. Sumta hinc occasione juvat locum Hieronymi ex Comment. in Epist. ad Galat. cap. IV. (in Edit. Ver. Tom. VII. col. 476. B.) restituere, qui sub mendo cubat. *Recordatur*, puta spiritualis homo, *unius Patris, qui lucem, boves crearit & culicem; & in magna domo non solum esse vasa aurea & argentea, sed lignea & fictilia*. Notat Vallarsius, MS. quemdam Palatinum habere, *qui luce boves crearit, &*, &c. Tum subdit: *Omnino autem in vocula* lucem *editi pariter & MSS. peccant*. Peccant utique, sed facilis emendatio, si legas, *qui Lucam bovem crearit & culicem*. Opponit nimirum culicem elephanto, maximæ bestiarum minimam animantem. Παραβάλλειν κώνωπα ἐλέφαντι, est etiam in græcis proverbiis: & apud Ennium, referente Varrone lib. VI. de L. L. *Prius pariet locusta Lucam bovem*; seu, ut legendum conjicit Bochartus loco laudato, *Atque locusta bovem Lucam pariet prius* ....

Pag. 147. lin. 7. *Ptolemeus cadit*, &c.) Joannes Davies, in Notis ad J. Cæsaris lib. II. de Bello Gall. num. 33., hunc Severi locum in superioribus editionibus vitiosum emendare ita voluit. *Simili*, inquit, *scribarum, incuria dicam? an nimia diligentia, corruptus est Sulpicius Severus Hist. Sacr. lib. II. cap.* 24. Adversus hos, *inquit*, Alexander acie confligit. Eo prœlio vincitur Ptolemæus, cadit Alexander. Vincitur Ptolemæus, & paullo post interficitur. *Non modo*, pergit ille, τοῦτο λέγει, *sed etiam contra fidem historiæ. Lege:* Adversus hos Alexander acie confligit: eo prælio vincitur; Ptolemæus cadit. Alexander etiam (*quæ vox ab et in Mss. lineola tantum distinguitur*) paullo post interficitur. *Adeo ut voces*, vincitur Ptolemæus, *e Glossa in textum irrepserint*. Aliorum conjecturas huic fere similes in Notis indicavimus, neque tamen ratas habuimus, uti neque modo habemus.

Pag. 151. lin. 12. *victor omnium gentium quas adierat*) Ex Vellejo Paterculo, lib. II. cap. XL. *Tum victor omnium quas adierat gentium Pompejus*. Idem eod. lib. cap. CVII. *Victor omnium gentium locorumque quos adierat Cæsar*.

Pag. 152. lin. 2. *materiam vincendi*) Vitiosam lectionem, *materiam incendii*, de qua in Notis, exhibet editio Coloniensis, an. 1573., a Jacobo Fabro curata, unde in recentiores transfusam apparet. Pag.

Pag. 158. lin. 1. *anno regni octavo & decimo)* In Differt. I., pag. 280. & feq., propofui conjecturam meam, quæ legendum fuadet *anno regni nono & decimo*, idque juxta Eufebii mentem, quem in Chronico anno XIX. Herodis Chrifti mortem affixiffe Differt. III. demonftravi.

Haćtenus Obfervationes noftras deduximus in præfentiarum. Quod fupereft, Tomo III., & opportuniori tempori refervamus, uti & Indicem in univerfum Opus. Hæc interim quæ damus, æquo animo accipe, his fruere, ftudiofe Lećtor; fi quid tamen otio tuo dignum offenderis. Prædico enim tibi cum Martiali, lib. I. epigr. 17.

Sunt bona, funt quædam mediocria, funt mala plura,
Quæ legis heic; aliter non fit, amice, *liber.*

F I N I S.

NOI

NOI RIFORMATORI

DELLO

STUDIO DI PADOVA.

Avendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. *Frà Lauro Maria Picinelli Inquisitor di Verona* nel libro intitolato: *Opera Sulpicii Severi cum Notis, & Dissertationibus, Auctore P. Hieronymo de Prato Congregationis S. Philippi Nerii*; non v'esser cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente, per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo Licenza ad *Agostino Carattoni Stampator di Verona*, che possi esser stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 3. Settembre 1741.

(Gio. Emo Proc. Rif.
(Alvise Mocenigo Cav. Rif.
(

Agostino Bianchi Seg.

A01 1459720

